Selecta medica, et ad ea exercitationes Batavae / Johannis Antonidae vander Linden.

Contributors

Linden, Johannes Antonides van der, 1609-1664
Hippocrates. Works.

Publication/Creation

Amstelodamia : Apud Ludovicum & Danielem Elsevirios, 1656.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/a7kb5hsq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


VAN DER LIN
MEDICA





33664/B
A.I.g

WELLCOME
HIST. MED. MUSEUM

Unable to display this page

F

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CLARISSIMO VIRO,

DOMINO

JACOBO GOLIO,

PHILOSOPHIÆ DOCTORI,
MATHESIOS ET LINGUÆ ARABICÆ
PROFESSORI EXIMIO,

ACADEMIÆ,
QUÆ LUGDUNI BATAVORUM EST,
TERTIUM RECTORI MAGNIFICO,
COLLEGÆ ET AMICO
COLENDISSIMO, CONJUNCTISSIMO

O. S. O.

O.

JOHANNES ANTONIDES
VANDER LINDEN,

P. M. P.

P.

EPISTOLA

MAGNIFICE RECTOR:



Magnifica Papiniani vox est: *Beneficio adfici hominem, interest hominis.* Ejus certe primum, qui adficitur: sed & ejus plurimum, qui adficit. Homines quippe, qui se in adjutorium mutuum & factos & natos sciunt, multis ac magnis pariter atque parvis quotidie experimentis discunt, Societatem suam esse lapidum fornicationi simillimam, & cadere, nisi invicem obstent, atque hoc ipso sustineri. Quemadmodum lapidibus autem coagmentandis valide, sunt calx & lutum: sic animis conglutinandis, beneficia & officia. Beneficiis quippe ultro citroque natis & acceptis, quam magna communitate, quam firma societate, quam fida familiaritate inter se homines devinciantur, si quis homo non est expertus, næ ille hominum pene est infelicissimus! Nam uti apex infelicitatis est, destitui amore

amore Dei: ita proximum huic, carere Hominum favore. Quo carere non potest, non solet, quisquis sua beneficiis officia adjungit, & bene de omnibus merendo saltem aliquibus sese ut studet insinuare, ita & insinuat reapse generosis, hoc est, bene ad virtutem compositis. Quo fructu animus capere regius, hoc est, lætari dando solitus, majorem nequit. Neque enim reperias in rebus humanis aut majus quid homine grato & memoria acceptorum benefactorem observante, aut præstantius amico dulci, fideli, certo. Qualem invenire necesse est, quisquis generosum in pectus influit. Ut inveniat autem, multos interest beneficio adficere. prorsus ut Christus & Dominus noster, qui leprosos sanabat decem, ut unus, & is Samaritanus, reverteret glorificans Deum, ac procidens in faciem ad pedes ejus, gratias ei ageret. Rursus, ut terræ interest fecundæ, pluvia irrigari cum tempestiva tum serotina: sic animi, beneficiis adfici, generosi. Erectus enim & in omnem grates vicesque gratas reddendi occasionem intentus animus cultu & honore atque reverentia semper, ceu

publica confessione, non minus adnititur compensare, quæ accepit, beneficia; quam terra sese frugum ubertate dignam monstrare cœlestibus, quibus imprægnata fuit, aquis. Quæ sicuti hoc ipso Benefactoris sui laudes proclamat, & in easdem suæ benedictionis usum fructumque percepturos invitat: ita suis ille in referendam gratiam pronus promtusque animus editis in publicum testimoniis non modo fatetur, solvere se quod debet, & adhuc debere quod solvit; sed & recognoscere ingratos docet, quæ facere debeant. Atque utinam heic tantum exempla valerent, quantum valere in vitia cernimus! Videremus certe vel unius exemplo mille sapere, non solum ad reddendam gratiam, sed ad novam reddendo promerendam. Atque ita crescentibus hominum inter se studiis crescerent charitas, gaudium, pax, longanimitas, humanitas, beneficentia, fides, placiditas, temperantia, & quid non virtutum ad humanam inter se societatem arctius conferruminandam tam potentium quam necessariarum? Nunc, quia non ratione componimur, sed exemplis à ratione abducimur

ducimur, & alios erga nos experimur ingratos atque immemores accepti, idem nobis plerique putamus licere, errori non eo minus fœdo, quia frequenti, facientes locum. Qui sicuti ex communi, quæ in cunctis est hominibus, amaritudinis radice suppullulat; ita exemplis proserpit ad plurimos. Quin in eam res nunc adductæ sunt consuetudinem multitudine heic peccantium, ut pene tam nihil homines à se existiment alienum, quam beneficii non dicam remunerandi, sed vel rememorandi necessitate alligari. Quæ procul dubio inter alias causa est, quare suspiciones, æmulationes, invidiæ, iræ, inimicitiæ, lites, contentiones, dissidia, alia id genus pessima inter homines vitia invalescant magis ac magis. Sed næ nimis ego longas per ambages contendo ad id, quod intendo, & epistolæ excedo modum! Multa sunt tua, MAGNIFICE RECTOR, in me beneficia, merita multa, munera multa. Quæ etsi mihi sint in numerato, non enumero tamen; ut ne hoc ipso videar velle depreciare, quæ quemadmodum facio maximi, ita maxima, quod revera sunt, volo credi. Quid

enim

enim, non sint talia, quæ à benevolo affectu, ab animo benefico, ab amore erga immeritum propensissimo sunt profecta? Omnibus his quamquam me referendis agnosco non satis parem, non propterea tamen committere debeo, ut videatur eorum aut tibi gratia periisse, aut mihi excidisse memoria. Tibi hactenus optime de plurimis, quæ tua summa humanitas est, merito bovem si forte nemo immolavit præter Pyrrhiam, velim ego alter esse. Offero itaque industriæ & laboris hunc nostri fœtum, non equidem in acceptionem soluti, sed confessionem debiti, atque ut confessio ista sit significatio animi grati. Unus namque mihi scopus est iste, quotiescumque mei aut benefactoris aut amici nomen impono meis libris. Nam etsi eæ tibi sint animi virtutes, ingenium excelsum atque expertum, judicium acre & sincerum, eruditio varia ac summa, ut nullius dare in clientelam meliore possim jure librum, quem clarissimo tuo nunc nomini nuncupo; non facio tamen: non fiducia alicujus meriti aut magni, quod esse mihi in his ingenioli mei exercitationibus persuadeam,

ſuadeam; ſed diffidentiâ utriuſque: imo confidentia propoſiti. quod fuit, novis rem medicam cogitationibus adjuvare, aut veteres ſaltem illuſtrare & ab inconvenientibus expoſitionibus liberare. Quo in conatu ſi quod operæ feci pretium, ſi quid hominum docui utile ſaluti, ſi quid lectoris attuli dignum exſpectatione, multas magnaſque debeo gratias Illi, à quo omnia ad nos in omnibus bona deſcendunt. Cætera non ſum vel in memet ipſum, nedum in Te aut quemquam hominum tam iniquus, quem meis hæſitationibus, ignorantiis, erroribus (quis autem homo non errat?) rogare patronum velim. Batavo more, hoc eſt, libere & modeſte ego quos intererat doceri, aggreſſus ſum, quod mei eſt muneris, docendi ſtudium approbare. Si approbo, feci quod debui, quod volui. Voluntati opera ſi non reſpondet, ſatis eſt quod volui, quod debui. Et in his (quod ipſo in opere non ſemel ſum profeſſus, quodque magnis nunc literis profiteor ac ſpondeo) habebit me debendi vel prima æra reum, quiſquis noſtra hæc dignabitur legere & cenſere (nam ut magnus & de

Ecclesia Dei meritissimus Lutherus verissime: *Solis libris Canonicis debemus fidem, cæteris omnibus judicium.*) atque subvenire nostræ cum ignorantiæ, tum hæsitantiæ, veriora, & meliora, & utiliora suggerendo monendoque. Modestiæ limites uspiam an excesserim, etiam ad Te, cujus est in præsens videre, ne quid Academia quaqua ratione detrimenti capiat, tuumque incorruptibile judicium atque acerrimam censuram defero; cum hac sponsione, me pro non scripto habiturum, quod haut scribendum putabis. Sed finio, & te pro tuo erga me amore rogo, ut pari benevolentia librum hunc, pignus mei erga te obsequii excipias, qua annis abhinc quatuor suscipiebas liberum meum. Quem quia publica superioris anni calamitas ad beatas à nobis sedes transtulit, liberi vicem liber, mei imago altera suppleat. Deum Opt. Max. denique precor obnixe, ut Te tuosque sospitet atque impertiat salutem plurimam & pleniſſimam, Fructusque uberes ac diuturnos ex hujuscemodi laboribus & Auctori & Lectori evenire faciat, ad suam gloriam, & hominum salutem. Lugd. Batavorum, XXVI. Augusti, CIↃ IↃC LVI.

NOMENCLATOR
EXERCITATIONVM,
locorumque propositorum
primo hoc libro.

I. *MEDICO FVTVRO NECESSARIA. Hippocrates Lege t.* II. 8. *Oratio inauguralis, habita Franekeræ Frisiorum,* A. CIↃ IↃC XXXIX. VII. *Kal. Decembrium.*

II. *SAPIENTIA MEDICA. Hippocrates l. de Eleg. t.* V. 66. *Oratio inauguralis, habita Lugduni Batavorum* A. CIↃ IↃC LI. XIV. *Kal. Iuliis.*

III. *PIETAS HIPPOCRATEA. Hipp. l. de Eleg. t.* VI. 95. *Oratio habita in promotione* ANTONII EVERARDI, *Medioburgensis Zelandi,* A. CIↃ IↃC LII. XIV. *Kal. Maji.*

IV. *ARISTIPPVS ILIACVS. Hipp.* V. *Epid. t.* XXXVI. 96.

V. *SEPIA VOLVOX. Aretæus l. de Causis & Signis Acutorum* II. 6.

VI. *STRANGVRIA ILIOSA. Hippocrates Aphor.* VI. 44.

VII. *VOLVVLVS FRIGIDVS. Hipp.* II. *Epid.* VI. 25.

VIII. *TISAMENI COLICA. Hipp.* III. *Epid.* II. 6.

IX. *CAPPADOX HEPATICVS. Plautus Curculione, act.* II. *sc.* I. 15.

X. *VINI PLENI. S. Lucas Actor.* II. 13.

XI. *ASELLVS LVCIVS. Athenæus Deipnosoph.* VII. 18.

XII. *SCOMPHVS PLEVRITICVS. Hippocrates* v. *Epid.* 1. 3.

XIII. *OENIADES FAMELICOSVS. Hippocrates* v. *Epid.* 11. 6.

XIV. *MANTISSA OENIADAE. Galenus* VI. *Epid.* III. 29.

XV. *NICIPPVS GONORRHOEVS. Hippocrates* IV. *Epid.* XXIX.

XVI. *CLONIGVS NEPHRITICVS. Hippocrates* VII. *Epid.* LV.

JOHAN-

JOHANNIS ANTONIDÆ VANDER LINDEN SELECTORVM MEDICORVM

LIBER PRIMVS.

I.

Medico futuro necessaria.

Hippocrates Lege, t. II. 8.

ΧΡῊ γὰρ, ὅστις μέλλει ἰητρικῆς ξυνέσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι, τῶν δέ μιν ἐπίβολον γενέσθαι· φύσιος, διδασκαλίης, τόπου εὐφυέος, παιδομαθίης, φιλοπονίης, χρόνου.

QVISQVIS *Medicinæ scientiam sibi vere comparare volet, cum oportet hæc esse adeptum: Naturam, Institutionem à puero, Locum aptum, Amorem laboris, Tempus.*

COMMENTARIVS.

§ I.

DICTVRVS A. H. ad vos hodie, gaudium simul & metum ab ipso loco concipio. Gaudium, & (cur celem?) magnum. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia. Atticum olim ipsæ suæ Athenæ non tam operibus magnificis, exqui-

sitisque antiquorum artibus delectabant, quam recordatione summorum virorum, ubi quis habitare, ubi sedere, ubi disputare erat solitus. Sic commovetur animus mihi, & quatitur lætitiæ sensu, cum rediisse me hunc in locum video, unde diximus olim, ego, pater, avus. Hic primus. & primum in primordiis Academiæ hujus; cum eam ex decreto Illustrium DD. Ordd. & Curatorum inauguraret pluries postea undetriginta annis? quibus totis integer vitæ, studio indefesso, piâ eruditione, & erudita pietate omnibus in timore Domini præivit ad Sapientiam: sacram istam, & solam. Non mea hæc HENRICI ANTONIDÆ laus est, sed vestra, qui vidistis senem, qui audivistis, qui novistis, & quibus ille bene voluit aut fecit. Rara, & ô quam cara mihi! neque minus quam pro optumo patrimonio ANTONIUS pater optumus à vita & medica praxi reliquit. sed ab utra gratiorem, aut graviorem, non dixero. Vir enim vitæ fuit, & modestiæ æquabilis, & qui

virtutibus omnem
Fortunam domuit; numquamque levantibus alte
Intumuit rebus: valideve prementibus umquam
Succubuit.

Praxi vero, quam Enchusæ primum exercuit, deinde Amstelædami, domi forisque clarus, ubique felicissimus. Et quamquam nullo honestamento eguit virtus ejus, magnum sui decus: quascumque tamen consequutus est à praxi amicitias, rei familiaris copias, laudem, honores, gloriam, ad omnia ista locus hic ipse gradum fecit.

§ 2. MIHI quoque ad quem dignitatis jamnunc maxime producitis Nobilisſ. & Ampliſſ. D D. Curatores. Grator, gratulor animitus, vobis pro dato munere, mihi in accepto. Munere certe, quo magnificentius aliud sperare non potui, aut optare glorioſius. Munere, quo quis negotioſius non quæſierit; ego otioſius non invenerim. Pro quo, quia esse in re & mercede reliquator debeo, animo vicem, & vocem plenis faucibus rependo. Vicem, si, quod Seneca asserit, *animus animo sus-*

mo sufficit, & referendæ gratiæ benigne libenterque accipere. Ego facio, non ut solvisse me putem, sed ut securior debeam. Omnino *beneficium qui dat, vult excipi grate. habet quod voluit, si bene acceptum est.* Ego sic accipio, nec aliter, quam ipsi accipi voluistis. Jam habetis, quod petitis, & quod unum petitis, ego gratus sum. Non differo. non dissero, quemadmodum referre gratiam potero? refero. aut quando ille veniet dies, quo vobis animum meum ostendam? hic ipse est, quo vos vestrum ostenditis.

§ 3. Excipio tanti muneris beneficium, amplector, gaudeo: & magis, quod in magni me & sempiternæ memoriæ viri, MENELAI WINSEMII vestigia posuistis. quem Frisium patria; ego patrem, quia Magistrum, glorior: illa Doctorem; ego Ductorem: illa Professorem; ego Promotorem: illa decus; ego exemplum omnis elegantiæ, doctrinæ, virtutis. Erat enim non solum

Γ'αρξὸς ἀνὴρ πολλῶν αὐτάξιος ἄλλων.

sed præ multis hujus ævi

doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
Sceitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens anteiqua, sepolta, vetusta;
Quai faciunt mores veteresque novosque tenentem;
Moltarum veterum legum, divomque hominumque
Prudentem, quei molta loqueive tacereve posset.

Sed quid ago? dum elogium orno, dolorem refrico; non apud te solum Magnifice D. Rector, PIERI WINSEMI clarissime, quem privatim ille tangit; sed Collegas omnes, Discipulos omnes, omnes amicos, & in his ipsum me. Quippe tam adfligit immaturus obitus viri, quem diurnare oportuit, ne quis succederet; quam delectat successio pene immerenti, non petenti oblata. Nam licet

Indignum neque me series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem
Indocta de stirpe tulit:

non merui tamen; ætate destitutus: non petivi, etsi cupivi, verecundia retardatus.

§ 4. Vos tamen Nobiliss. & Ampliss. Viri tanquam petenti contuliſtis, ne quid negasse videamini, quem meruisse existumatis: tanquam merenti exolviſtis, ut debuisse fateamini, qui non petierat. Et sic gratus agnosco grande beneficium; & glorior, ut æstumare ostendam. quomodo enim intelligere possum, nisi profitear; aut profiteri, nisi meruisse videar? Igitur negemne amicos operam absenti dedisse, causam egisse? Non equidem. nec vereor palam omnibus ferre, non mea me virtute, sed vestro adjutorio consequutum esse dignitatem hanc. Quam me hilarem suscipere non dantibus solum manifestum volo, sed & vobis; ut fructum præsentem capiatis tam seriæ, tam sedulæ commendationis. Justa enim causa est lætitiæ, lætum amicum videre: justior, fecisse. Grate ad me istam pervenisse indico, effusis affectibus: quod non vobis tantum audientibus; sed omnibus testor: & nihil magis præstaturum me, quam ut memoria meritorum hæreat. quia *nec referre gratiam potest, nisi qui meminit, & qui meminit, jam refert.* Nominari singuli vultis? non nomino. quia petitionis honorem vos recusatis, ne petiisse ipse videar. Vela itaque transfero, & nictu nutuque vestro, velut clavo, orationis meæ proram ad rectum cursum verto.

§ 5. De FUTURO MEDICO, imo docto, *necessariis* dicturio; non, utputo, inopportune huic loco; non saltem, quam adeo, professioni. Sed cum ampliſſimum hunc & nobilium & doctiorum cœtum conspicio, cum me, metus invadit: etsi, fateor, à me major: qui valde bene

Dicendi norim quam sit mihi curta supellex:

& quam eloquentiæ meam non satis

fragilem tuto

Commisi pelago ratem.

Commisi tamen. vos, ut fortiter occupet portum, Zephyro benevolentiæ vestræ, quotquot adestis, adflate atque dirigite. Et vos, quorum audivisse, quæ dico, interest, aut sciviſſe,

quæ-

quæso ista mittere non in auras, sed aures, & animos.

§ 6. *Quisquis autem Medicinæ scientiam sibi vere comparare volet, eum oportet hæc esse adeptum: Naturam, Doctrinam, Institutionem à puero, Locum aptum, Amorem laboris, Tempus.*

§ 7. Ex lege ista Hippocratis sunt, magni sapientum ducis, qui fallere non potuit, non falli. Medicus dixit, ex medicis natus, ab medicis educatus, & qui vitam omnem in medicam artem impendit, eamque (ut Quinctiliani Celsique verbis dicam) *multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præstantissimis consiliis longe post hominum memoriam clarissime condidit.* Nec dubium mihi, quin Senex ista scripserit, & satis ex usu rerum prudentiæ adeptus. Dignissimus enim sapientia viri liber est, sive rerum veritatem spectes, sive elegantiam instrumentorum. Aristoteles an ab hoc fonte hausit? civitati, quæ beata futura est, & recte administrabitur, opus esse bonis probisque viris; his, ut fiant tales, natura, consuetudine, ratione. Galenum certum est feciisse, & ipsissimis pene verbis docuisse, quibus maxume ad profectum quis indigeat, & quæ convenire in illo debeant, qui cujuscujus rei quærit, veritatem cupit cognoscere; aut non cognoscens non desperare de invenienda. Et primum quidem omnium opus est

§ 8. NATVRA. nimirum non ea tantum agendi potestate, quam in prima creatione cunctis rebus pro sua cuique conditione indidit Deus. sed peculiari ista & ingenita cuilibet nostrum aptitudine ac propensione ad hoc illudve studii, prout

Trahit sua quemque voluptas.

Ut vero apti ad Medicinam simus, multa nobis naturam oportuit suppeditasse, qua corpus, qua animum.

§ 9. *Corpus* esse sanum inprimis debet, & validum laboribus ferendis, & muneri diu noctuque obeundo promtum. Tale quisquis nactus est, servare eum sibi vel in exemplum ægris decet, optima & frugali vivendi ratione, & quæ paucis sit

contenta. Ne forte in ſui cura negligentiori opprobretur tritum illud,

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Sed vel eam quoque ob cauſam maxume, quod animi mores motuſque, corporis plerumque temperiem ſequantur. Atque omnino certum eſt, memoriam, ingenium, judicium, quibus ante omnia pollere medicum oportet, plurium virium, aut languoris, à nobis capere. Dederit memoriam natura tenaciſſimam, non tenet, ſi aſſiduo mero madet. ingenium perſpicaciſſimum, quam caligat ciborum nebulis involutum! judicium acerrimum, ecce, quam obtunditur, quibus edere & bibere, vivere eſt! Adeo ut non ſit corpori ſolum, ſed & menti ὑγιείας ἄσκησις, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. neque tantum, quod Seneca dixit, *magna pars libertatis bene moratus venter*; ſed & ſanitatis; addo, felicitatis.

§ 10. *Pulchritudinem* præterea corpori Hippocrates requirit. nempe, ut vel ſolo aſpectu medici, in ſpem valetudinis ægri erigantur. Forma enim corporis, oris dignitas, frontis gravitas, vultus majeſtas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum, ſpectantes movet, tenetque; imo, ut Leucippe dicebat, *acutius telo vulnerat, & per oculos in animam defluit.* Ut non immerito Theophraſtus *ſilentem fraudem* pulchritudinem vocaverit; & *regnum abſque ſatellitio* Carneades. quod, quæ volunt, impetrent ſine vi formoſi. Pulchre Curtius de Alexandro Magno notavit, etiam *hominibus barbaris in corporum majeſtate venerationem eſſe, magnorumque operum non alios capaces putare, quam quos eximiâ ſpecie donare fortuna dignata eſt.* Quod ſi ex Euripide rogetis, cur ſit ὅτι καλὸν φίλον ἀεί; Reſpondebit pro me Ariſtoteles, Cæci hanc interrogationem eſſe.

§ 11. Sed quid refert bonam eſſe domum, ſi hoſpes malus? corpus ſanum, ſi mens non ſana? facie illud decorum, ſi moribus animus inhoneſtus? De Socrate philoſopho Appulejus teſtatur; *ultro eum ſuaſiſſe diſcipulis ſuis, crebro ut ſemet in ſpeculo contemplarentur, uti qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret:*

qui

qui vero minus se commendabilem forma putaret, sedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Facite juvenes, facite medici, & omnes, & vos, qui à forma non poteſtis, præ cæteris gratos vos omnibus & venerabiles præbete; veſtitu primum mundo & elegante, & quem pauperes non reſpiciant, non deſpiciant divites.

§ 12. Bonum medicum Hippocrates cognoſcere docet *ex veſtitu, ejuſdemque elegantia ac frugalitate, non ad ſuperfluitatem comparata, ſed ad bonam potius exiſtumationem tum eruditionis, tum virtutis, & ad peregrinationem.* quod de veſte dixi, idem de corpore me exiſtumate dicere. nam hoc quoque natura, ut quamdam veſtem animo circumdedit: velamentum ejus eſt. Comi igitur, & coli debet; ſed forma, quæ viros decet, neglecta, & abſque muliebri molimine. Hoc vero valde ſtudete, ut modeſtus vobis ſit inceſſus, ac probus vultus, & conveniens prudenti viro, non tantum medico, geſtus. Atque iſta facilem apud omnes acceſſum parabunt; quem virtute deinde veſtra promovete, non in favorem ſolum, ſed amorem. qui fons eſt, & cauſa fiduciæ illius ægrorum in medicos, cui comparandæ tantopere connitendum hortatur in prognoſticis Hippocrates. Omnino enim plures curat, cui plures fidunt. Et huic gratia major eſt, & merces.

§ 13. Ut vero opinionem ſibi & auctoritatem Medici concilient, non tantum promtitudinem adferre ad medendum & ſtudium oportet, ſed animadvertere inſuper, ut, ex illiuſdem divini Senis monito, animo ſint, & circa omnem vitam probe compoſiti. Bonis ac honeſtis moribus, & gravibus, & humanis, & ad quorumcumque converſationem juſti ac temperati; diſſimilium tamen difficiles, quamquam ad ſui ſimilium ſolertes & familiares. Graves repugnantibus; ſed in reſpondendo tolerantes, promti, acuti; nihil abſque demonſtratione proferentes; pura oratione utentes, gratiis delibuti; & pro gloria ex his orta depugnantes; animorum tamen & errorum purgationem è certa demonſtratione provenientem veritatis ſtudio lubenter admittentes. In expectanda occaſione patientes,

tes, in cognoscenda prudentes, in arripienda præsentes. Nusquam tumidi, nusquam timidi. sed ad perspiciendas res necessarias promti, & ad exequendas bene consideratas strenui. Præterea sobrii, continentes, liberales, veraces, fideles: & qui pietatem toto animo & mente diligant, promant, asserant, tamquam virtutum principem, & sine qua nemo vere modestus aut honestus umquam erit. Est profecto pietas ante omnes virtutes utilis, & habet promissionem præsentis & futuræ vitæ. Atque istis quidem dotibus quisquis instructus ornatusque fuerit, satis arti nostræ aptum fore nemo negaverit.

§ 14. Quemadmodum vero aptitudo hæc à natura est maxima ex parte: ita inclinatio omnis in quamcumque artem nobis est ingenita, & origo ejus à parentibus; hoc est, è semine elicita, per traducem transfusa, & more viventium à simili genita. Hinc, quia maxuma est generantium dissimilitudo, *ingeniorum fit incredibilis quædam varietas; ut nec pauciores animorum pene, quam corporum formæ,* neque minus variæ sint in nobis naturæ, quam ipsi vultus. Qui sicut in humano genere multiformes, & alius aliter pulcher aut decorus est, turpis aut fœdior: sic in naturis cernimus, aliam aliò sua sponte ire: & ab istis volentes duci quoslibet, aut trahi nolentes ad varia studia.

Invenias quod quisque velit. non omnibus unum est,
Quod placet. hic spinas colligit, ille rosas.

Unde est, quod alius sacrarum magis, alius humanarum legum, alius nostra medendi scientia tenetur. Alium quoque architectura, alium pictura; alium agricultura, alium mercatura delectat: &

Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata.

Quin eisdem artibus qui se dedunt, rare admodum, se sequuntur passibus æquis. Nimirum, quia

Τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἕτερον ἑτέρῳ δόξαν.

Neque quæ sequantur digna omnibus omnia videntur. *Quod intel-*

intelligi, inquit Fabius, *ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum quos probabant, imitationem composuerint.* A Deo hæc partitio est, qui singulis sua dona libere & liberaliter concedit.

§ 15. Interea certissimum, quod dixi, à natura omnem istam propensionem; &, quod Plato asseruit, omnium disciplinarum semina ex illius fontibus profecta esse. Seneca utrumque agnoscit; & *insita esse nobis omnium ætatum, omniumque artium semina, magistrumque ex occulto Deum producere ingenia.* Objicienti, *Natura hæc mihi præstat. Non intelligis te*, respondet, *cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta?* Et alibi causam etiam appellationis adjungit: *Vis Deum Naturam vocare? non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia.* Lactantius approbat &, *melius*, ait, *Stoicorum omnium acutissimus Seneca, qui vidit nil aliud Naturam esse, quam Deum.* Nos etsi abunde scimus è sacris, *Deum omnia esse in omnibus:* Naturam tamen malumus à Deo distinguere &, ut fecimus, pro indita & insita habere Vi, qua Creaturæ omnes ἐνεργοῦσι, ut Hippocrates amat loqui, μαλιστα τὰ δέοντα ποιεῖν, καὶ πιεῖν. Igitur, ex Pindari mente, τὸ ᾧ φύσις κρίπτον ἅπαν. Hippocrates præcipuum omnium naturam vocat. *Nam si adfuerit his, qui artibus animum applicant, per omnia penetrant. Indocilis enim usus, sapientiæ & arti adjunctus, docebitur, ut initium accipiat. Quippe natura desluit & commiscetur cum sapientia, ad cognoscendum ea, quæ ab ipsa natura facta sunt.* Exemplo sint in quacumque arte, aut opere clariisti viri; Hippocrates, Plato, Aristoteles, Homerus, Virgilius, Demosthenes, Cicero, Archimedes, Apelles, Polycletus; & quos longum esset nimis omnes recensere.

§ 16. Istis igitur nominibus inseri qui cupis, & cum voto dicis,

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens:

tecum serio disputa, & te examina, & quid velis, & quid possis.

Unable to display this page

ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit, video, ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice:

potiores tamen Natura partes obtinere videtur. Pythagoræ eſt, non fieri ex quovis ligno Mercurium; ſic non omnis natura apta eſt omni arti. De Socrate Athenæus: *Ex thymbra nemo lanceam fecerit, neque è Socrate probum militem*; neque virum medicum magis, quam oratorem, ex eo, quem rus mittendum Fabius jubet. *Illud enim*, inquit ipſe, *inprimis teſtandum eſt, nihil præcepta atque artes valere, niſi adjuvante natura.* Quæ rurſus adjuta cura magis evaleſcit. ut recte Cicero pro Archia poëta docuerit, *bene ad aliquid natos diſciplinis adjutos fieri præſtantiores, & veræ laudis præconium mereri.* Et nemo neſcit,

Quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſit.

§ 19. Quantum arti natura vero præſtet, clare manifeſtum ex αὐτοδιδάκτοις eſt, & qui magiſtrum habent nullum. Quales Epicurum & Heraclitum Epheſium ſe gloriatos fuiſſe, Cicero, Seneca, & Laertius referunt. Sed & doctrina quid poſſit, in Xenocrate videre eſt apud eumdem Laertium. Quem licet fuiſſe ſcribat *natura ſtupidum*; & *Platonem, Ariſtoteli eum conferentem, ſolitum dicere; equo quem aſinum junxi? huic calcaribus opus eſt, illi fræno*: tamen à vita, & plurimis, quæ recenſet, ſcriptis commendat.

§ 20. Dicam igitur Senecæ verbis; *Neminem per ſe ſatis valere, ut emergat: oportere manum aliquis porrigat, aliquis educat. Quoſdam ait Epicurus ad veritatem ſine ullius adjutorio contendere. hoc maxume laudat. quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt. quoſdam indigere ope aliena, non ituros, ſi nemo præceſſerit. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium. Præter hæc adhuc invenies aliud hominum genus, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique poſſunt: quibus non duce tantum opus ſit, ſed adjutore &, ut ita dicam, coactore. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis ſuſpicit. Quamvis enim ad eumdem finem uterque*

pervenerit: tamen major est laus, idem effecisse in difficiliore materia. Putate enim duo ædificia excitata esse, ambo paria, æque excelsa, æque magnifica: alterum dura area accepit, illic protinus opus excrevit: alterius fundamenta lassarunt, in mollem ac fluidam demissa humum: multumque laboris exhaustum est, dum pervenitur ad solidum. Apparet in altero, quicquid factum est: alterius, magna pars & difficilior latet. Quædam ingenia facilia & expedita: quædam manufacienda sunt, & in fundamentis suis occupanda. Itaque ego, concludit Seneca, *illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii secum habuit: hunc quidem de se melius meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit.* Interea recte consulit Quinctilianus *imbecillis ingeniis, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod solum possunt, melius efficient,* naturam doctrina perficiente. Cujus quam maxume illustris in iis erit effectus,

quos protinus anni
Formavere rudes.

Etenim ut in semente posita spes messis est: ita totius reliquæ vitæ à prima

§ 21. INSTITUTIONE. Quam in partem novellam plantam flexeris, adulta inclinabit: pariter omnino ingenium est, bonum, si in bona ætate cœperit. Facile est, teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt. *Natura enim tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuis, durat: nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Frangas enim citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. Adeo à teneris assuescere multum est.* Educatio igitur maxumam parentium diligentiam, plurimumque profuturam desiderat: præcipue eam, ut, quemadmodum flexanimam liberorum infantiam ad salubrium rerum patientiam cogunt: flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fovent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt: ita mox liberales artes & bonos mores inculcent; istas studiorum, hos vitæ fundamenta.

§ 22. Non

§ 22. Non enim audiendi hic severiores illi magistri, qui totum istud literarium ac liberale studium rejiciebant ac damnabant. Cynici inprimis, qui παραιδευτους, ut Laertii verba sunt, τὰ ἐγκύκλια μαθήματα. Aut Zeno Stoicæ caput, qui (quod objectum à multis) *liberalem doctrinam inutilem declarat.* Quanto prudentius Xenocrates (ut olim in Manuductione nostra ad Medicinam diximus (cuidam amuso & rudi, ad philosophiam tamen & diatribam suam adspiranti: πρόσω, ἔφη· λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας. Ut nempe ansæ humorem non continent, vasi tamen necessariæ sunt ad usum: sic literis & *liberalibus artibus,* inquit Seneca, *filios erudimus. non quia virtutem dare possint, sed quia animum ad accipiendam illam præparant.* Recte Philo: *Vt in ædibus vestibula sunt ante fores, in oppidis prourbia, per quæ in ipsa itur: sic virtuti præjacent liberales artes. Hæc enim via est, quæ fert ad illam.* & scita allegoria hoc ingerit, & prolem Abramo ex Agar ancilla susceptam, cum parere Sara non posset, huc ducit. *Non enim sumus,* ait, *apti prolem ex Virtute suscipere, nisi prius misceamur ejus ancillæ. Est autem Sapientiæ* omnis, tam humanæ, quam divinæ, *ancilla, illa quæ in liberalibus artibus scientia ponitur.* Nam *sicut in magnis fabulis aut argumentis, magna etiam proœmia esse oportet: sic istic. maximum enim argumentum Virtus est, ut quæ circa grandem materiam versatur, vitam totam. Iure igitur non levibus aut brevibus utetur proœmiis, sed Grammatica, Geometria, Astronomia, Rhetorica, Musica, alia omni Logica contemplatione imbuetur: quorum tessera est, Saræ ancilla.*

§ 23. De singulis istis meritoriis artificiis, quantum utilia Medico sint, si præparent ingenium, non dicam. Fecerunt alias, & faciunt quotidie singulorum Professores. Vos audite, juventus: & putate minus licere vobis sine istis, & naturæ potissimum cognitione, à Physico tradita acceptaque, intrare nostram Scholam, quam olim Platonis, ἀγεωμέτρητος. Moribus insuper *conferre plurimum etiam liberales scientias,* Chrysippus palam scripsit. An non scriberet, qui caput sapientiæ Socratem sciebat ita his instructum, ut *Euripidem etiam ab eo in scribendis Tragœdiis adjutum,* manaverit in vulgus? Omnino ru-

ditas illa ingenii, & animi tam fastidiendus ac ludibriosus fastus, quam ipsa agrestis ferocitas exuenda per has vere humaniores artes sunt, & homini humanitas reddenda.

Ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Homo enim, ait Plato, *rectæ institutionis & doctrinæ compos, divinissimum & mitissimum animalium redditur: aliter autem, & vel non satis, vel non recte institutus, ferocissimum & maxume indomitum omnium, quæ fert tellus.*

§ 24. Valde imprimam vobis verba hæc *parentes*; & utinam iis possem, qui hodie ad naturam, ea contenti, omnia falso relegant. falso, dico. quia *quantum domitus factusque equus distat ab indomito* (olim ita Aristippus:) *tantum doctus ab indocto.* aut qui infantiam statim deliciis solvunt, & bonam indolem indulgentia: & quæ in pueris elucet spes plurimorum, emori ætate sinunt, deficiente non natura, sed cura. *Hebetes enim,* verissime Fabius, *& indociles non magis secundum naturam hominis eduntur, quam prodigiosa corpora, & monstris insignia.* Protinus ergo, ut eritis parentes facti, nullum tempus, ex Chrysippi monito, vacare cura oportet; sed acrem quammaxume impendere, ut liberorum vestrorum corpora non immersione in gelidam, quod fieri barbaris quibusdam accepimus; sed à desidia atque otio abstinentia firmetis, & procul à contactu deliciarum animos imbuatis virtutis præceptis, quo semel ea indurati, undique invulnerabiles præstentur. statimque doceatis non tantum recte, rectaque & vera loqui, sed

Γράμματα μαθεῖν δὲ, καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν·

ipsa nimirum, ut diximus,

Fundamenta, quibus nixatur vita salusque.

Neque prius ad Academiam, ad

§ 25. LOCVM consummandæ scientiæ & sapientiæ APTVM mittere velitis, quam satis literarum & liberalium artium imbuisse, honestosque mores & modestos induisse, atq; animum doctum compositumque habere videritis. Hoc quia plerique hodie non facitis, de Academiis querimini, & Professoribus;

parum

parum in ſtudiis proficere juventutem veſtram, deficere in moribus plurimum. Scholas non Muſarum palæſtras eſſe, aut Virtutum: ſed vere, quod dicuntur, Otia ignavorum, & voluptatum ludos, & ſeminaria vitiorum. Pudet audire, parentes. pudet, utinam falſo, dicere. Vos, vos eſtis in culpa, & mollis iſta veſtra filiorum educatio, & nimia indulgentia, qua nervos omnes & mentis & corporis frangitis.

§ 26. De cunis non dicam, aut quod nutricibus Chryſippus dabat, triennio, nimis quam laxo nobis, & delicato, & purpurato. Poſtea quid fit, cum eo ætatis puer pervenit, ut jam ſit pædagogo ſubdendus? Inſtitutionis cura, majoris operæ &, ut Sophocles ait, πολλῶν χαλινῶν ἔξεγον, οἰακῶν τε ἅμα, committitur ſtatim non viro, cujus inculpata ſit vita, mores juſtæ reprehenſioni non obnoxii, & peritia minime vulgaris: ſed ignaviæ alicui ac ventris ſtupido mancipio, & ebrioſo, & peſſimis vitiis, & crudis moribus obſito. qui, quod didicit, artificii & ſuis manibus laborare pertæſus, ſcholam inſtruit, ut paupertatem effugiat. Aliquando vetulæ quoque, nullius pretii mulierculæ. nimirum ut ſedere tantum diſcant nondum majoribus idonei, & minervali parcatur. Quaſi vero faſtidiendum ſit hoc, quantulumcumque eſt, uſque ad ſeptem annos lucrum. Quaſi vero non perdatur, quod male collocatur. Utinam aliquis Crates vobis acclamet ad tales ſcholas cum tenella ætate euntibus. *Quo tenditis homines, qui rei faciundæ omne impenditis ſtudium: filiis, quibus opes veſtras relinquetis, curam perparvam?*

§ 27. Atque hic initiamenta fiunt literarum, & ſermonis, & calami inepta, & pejora morum rudimenta, poſtmodum dediſcenda, & à meliore quopiam magiſtro non monitionibus tantum & verecundia, ſed verbis & verberibus interdum evellenda. Qui ſi conetur facere,

priuſquam ſeptuennis eſt, ſi eum attigas manu,
Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Cum patrem adeas poſtulatu, puero ſic dicit pater:
Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuria.
Provocatur pædagogus: eho ſenex minimi pretii.

Ne at-

Ne attigas puerum iſta cauſa, quando fecit ſtrenue.
It magiſter, quaſi lucerna uncto expretus linteo.

Principium ecce male diſpenſatæ libertatis, in petulantiam brevi & audaciam erupturæ.

§ 28. Revera brevi: quia vix ſexdecennes illi ipſi filioli ſunt, quin ſe doctore doctiores putant, & ſcholam ferulamque faſtidientes patribus eunt perſuaſum, abunde ſibi tirocinia eſſe poſita, neque reſtare, quod in trivialibus addere majus poſſint. nimirum,

οὔξ ὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώμασι πάλλει.
Nondum enixa capra eſt, jam ludit in ædibus hædus.

Gaudent taciti patres: & magna non jam ſperantes, ſed promittentes de filiis ſibi, peſſime auſcultant, quos perdite amant. Ideoque ſicut omnia, ſpes quoque ſuas ambitioni donantes, ad vota properant, & cruda adhuc ſtudia in Academiam propellunt, & non artes, ſed facultates ipſas, quibus nihil eſſe majus confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus.

§ 29. Interea *domi* ſæpe, & intra limina veſtra quæ non dictu fœda pueri vident, quæ non pudenda audiunt, & diſcunt miſeri antequam ſciant vitia eſſe? Inde liberi veſtri ſoluti ac fluentes, non accipiunt ex Academiis mala iſta, ſed in Academias afferunt. &, quod peſſimum eſt, in bonos, malitiæ; in probos, nequitiæ; in ſedulos, inertiæ; in ſobrios, ebrietatis; in temperantes, cujuſcumque luxuriæ virus transferunt. Nam quotidiano uſu atque illecebris, facile par ſimiliſque talibus efficitur, quiſquis etiam à culpa vacuus in amicitiam eorum inciderit. Et quemadmodum, ut ſcite Epictetus, *fieri non poteſt, quin qui verſetur & adhæreat fuligine tincto, & ipſe fuliginem ab eo participet:* ita malignus comes quamvis candido ac ſimplici rubiginem ſuam affricat. *Sumuntur,* ait Seneca, *à converſantibus mores: &, ut quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt; ita animus mala ſua proximis tradit.* Et promtiſſime quidem adoleſcentibus. quorum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur, cum novitate aliqua blandiuntur, aut ſpecie virtutum. Nam ut venena vinis admixta, medicorum ſcito, perni-

perniciter & pernicioſe penetrant: ſic illicia hæc peccatorum adſita virtuti.

§ 30. Quare ſi non redeunt ad vos multi ex filiis veſtris, quales vultis; ſcite, dolere nos bonorum vicem. de cæteris, à vobis non veniſſe. Scite Plautinum illud, *ingenium patrum habere, quo ſapiunt*, quo vivunt. Scite, non animum mutare, qui cœlum. ſequi eos, quocumque pervenerint, vitia. Scite, tardius abſolvere, qui nimium properant. Pythagoras dicet, *qui brevi tempore præ pudore diſciplinam non patiuntur, omni tempore in pudore inſipientiæ permanſuros.*

§ 31. Equidem neſcio, quæ ſint in urbe hac, aut Academia, ſtudiorum remoræ, ſi non iſtæ: quæ morum corruptelæ, ſi non iſtæ. Ingenio enim loci hominumque vix alia urbs aptior Muſarum otio videtur. Et bene judicaſſe, quis non judicat? Situ ſalubris eſt & amœna: in medio prato, in media ſegete. Mari proxuma, & aulæ; & utriuſque beneficiis, non vitiis. Non iſtud horret iratum: non hanc adblandientem metuit. Annonam ſi ſpectes; de Friſia dicam, quod poeta de Ægypto, externæ mercis non indigam omnium rerum vilitate & copia gloriari. Quam vivitur hic parvo bene! Experti eſtis, qui alias, vicinas etiam provincias, urbeſque inhabitaſtis. De hominibus, civibuſque quid prædicem? Solem non videre magis ad humanitatem & benignitatem factos. Appello vos, qui inſediſtis: probitatem & candorem vidiſtis, officia & alacritatem ad miniſtrandum.

§ 32. Iam vero Academia qualis? In qua nihil deſideretis, quod ſit ſtudiis veſtris promovendis. Inſtrumenta habetis omnibus & ſingulis neceſſaria. Bibliothecam cujuſcumque generis & ſcientiæ librorum ſuppellectile inſtructiſſimam. Theatrum anatomicis exercitiis, & corporum ſectionibus accommodatiſſimum. Hortum amœnitate & plantarum copia nulli ſecundum. & quem dubitetis majore cura oculorum deliciis, an ſumtu diſcentium utilitati adornaverit nuperrime ὁ μακαρίτης noſter WINSEMIVS. Cujus ille fructum quamvis vix, ac ne vix quidem, proh dolor! libavit; abunde

tamen & pleno cornu fruetur in nominis claritudine, quam illi immortalem Academia, noſtraque potiſſimum Medicina debet; & dabit in omnem memoriam, qui Vere novo redit *ſemper idem floribus honos.*

§ 33. Doctores inſuper & Profeſſores habetis, natos ad omnes & optimas artes. Qui non tantum voce, ſed & vita docent. Qui cum dixerint quid faciendum ſit, probant faciendo. Qui parentum erga vos animos gerunt; & ſucceſſiſſe ſe in eorum locum, à quibus ſibi liberi traduntur, exiſtumant. Quibus potior cura non eſt, quam ut vos publice privatimque docendo, & ad eruditionem, virtutem, ac pietatem præeundo, quomodocumque familiæ ac reipublicæ utiles aliquando, parentibus veſtris, civibuſque reddant.

§ 34. Vos, nobiliſſimi juvenes, ſequimini & militate ſub felicibus illis ſignis, & ductu omnium noſtro auſpiciiſque vincite, & mereamini non unam palmam. Ut poſſitis, ingenium exercete, & naturæ illud fertile ſolum aſſiduo vomere invertite &, quæ nos doctrinarum ſemina injecturi ſumus, ſudoris pluvia irrigate, & diligentiæ calore ad frugem maturate. quam fruſtra poſtea quæretis, niſi avide, imo calide in hoc flore ævi ſtudia veſtra proſequamini; non quidem cum impetu, ſed ſtabili quodam animi tenore. Alioquin cum ad extrema veneritis, ſero intelligetis miſeri, tamdiu vos, dum nihil egiſtis, occupatos fuiſſe.

§ 35. Videor audire dicentes, at ardua, per quæ vocamur, & confragoſa ſunt. Quaſi quid plano adeatur excelſum! Sed ne tam abrupta quidem ſunt, quam putatis. prima tantum pars ſaxa rupeſque habet, & invii ſpeciem: ſicut pleraque ex longinquo ſpeculantibus abſciſſa & connexa videri ſolent, cum aciem longinquitas fallat. Deinde propius adeuntibus eadem illa, quæ in unum congeſſerat error oculorum, paullatim adaperiuntur: tum illius, quæ præcipitia ex intervallo apparebant, redit lene faſtigium. Quicquid igitur ſub viæ ingreſſum duri aut moleſti occurrit, non abſterreat aut pedem ſiſtat, ſed ſuperate

§ 36.

§ 36. LABORE. quo Deos omnia vendere, vetus & vera gnome est. Si facitis, facilis ista ipsa erit ad eruditionem, non tantum medicinam, via; ipsoque successu experiemini, non me vanæ vobis auctorem rei venire. Inite modo bonis auspiciis, & pergite diis ipsis bene juvantibus, certi serio volentibus omnia fieri leviora. *Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad naturæ suæ vires, conari alta, tentare, & mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo adornatis effici possunt. Qui sibi hoc proposuerunt, laboribus, quanticumque illi sunt, parent, animo fulcientes corpus.* Vos proponite, & prodibitis aliquo saltem tenus: si non datur ultra: quo non potestis, nos juvabimus; & quas ferri à nobis suppetias petetis, feremus promte. *Idem,* inquit apud Senecam Attalus, *& docenti & discenti debet esse propositum: ut ille prodesse velit, hic proficere.* Nos certe volumus. & de me quidem spondeo, Homerico versu, vestrum esse,

ὅσσον μὲν ἐγὼ δυώμαι χερσίν τε, ποσίν τε,
Καὶ θένει.

quidquid ego possum manibus, pedibusque &
Robore.

Cogitate medicinæ mystæ, & ex re, & ex commodo æstimate, quam sint futuri jucundi acti labores, qui cum lucro honorem, nobile præmium victoribus dabunt. Gloria sola multis

quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit noctes sudare serenas.

vos & hæc, & magna opum vis manet, si fortiore animo contenditis, ut efficiamini viri cum cura dicendi. Sed ut fiatis, opus est

§ 37. TEMPORE. nihil enim magnum repentinum. Videtis quam omnis ordo rerum & natura per constitutos gradus procedat. Non, nisi ex surculo, fit arbor. Pueri fumus ante, quam senes. Literas discimus ante, quam verba legere. Colores distinguere, & miscere ante, quam tabulæ inducere. Fundamenta jacimus, ædem superstructuri. Non ut perdamus tempus aut operam, sed ne perdamus. Ut rerum natura sacra sua non simul tradit: sic neque Æsculapius, quem ævum agnoscit medicinæ parentem. Initiatos nos credimus; in vesti-

bulo hæremus. Vos hærete lubenter: & nihil parvum autumate, quod ad magna ducit. De literis intellego latinis græcisque. De artibus puerilibus intellego: liceat sic cum Seneca liberales appellasse. Hærete in istis, dum pueri estis, & nihil agere animus majus potest. Sed omnes siquidem comprehendere non vacat, attingite tamen, multum singulæ voluptatis, plurimum utilitatis daturas. Physica vero longissimum vos teneant; & ad considerandam vestram Universique naturam, veri avidi insurgite. *Quod, inquietis, erit pretium operæ?* Iam dixi, & *quo nullum*, respondet Seneca, *majus est, nosse naturam. Neque enim quidquam habet in se hujus materiæ tractatio pulchrius, cum multa habeat futura usui,* medico præcipue, *quam quod hominem magnificentia sua detinet.* Vos tamen neutra detineant, ne supervacua discentes, necessaria non discatis. & vos nimia liberalium artium consectatio nimis liberos, molestos, verbosos, intempestivos, vobis placentes faciat; quales ad se nemo facile æger medicos admiserit, nisi & illi mens ægrotet.

§ 38. Festinate igitur ad ipsa medicinæ sacra, & transcursis libatisque solertissimis nugis, rebusque nihil aliud quam animum oblectantibus, ad illa quæ vobis aliquam opem, & vestra indigentibus sunt latura, properate. *Nemo qui obstetricem parturienti filiæ solicitus accersit, edictum & ludorum ordinem perlegit. Nemo qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncullariam perspicit, ut sciat quomodo alligatus exeat calculus.* Neque vos, qui ad usus humanos contenditis, in inutilibus & parum profuturis moremini, aut tempus consumite: quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissime fuerit.

§ 39. Vos custodite, & valde cavete, ne qua ejus pars elabatur nihil agentibus, ne qua male agentibus. Turpissima est jactura, quæ per neglegentiam venit, aut ignaviam; sed turpior, quæ per malitiam, & malam vitam. Utramque fugite supra ipsam pestem, imo fugate. Non enim hæc magis corrumpendo corpori est, quam ista animæ. Ignavia semel admissa, *subit*, ut ille inquit, *inertiæ ipsius quædam dulcedo, & invisa primo desidia*

postre-

postremo amatur. Amata, non tantum corpus animumque virilem effeminat; sed, quod eleganter Hippocrates, ζητεῖ, ἐς κακίλιν, καὶ ἀφέλκεται, *ducit ad improbitatem, & abducit:* fitque improbitatis inexpugnabilis acies, ubi morbus invalescens in animo, licentiam sibi & audaciam male agendi adjunxerit. Profecto discimus nihil agendo male agere. Ut non discatis, *robur & æs triplex circa pectus* induite contra vitiorum istum giganteum ducem. Contra quem ut fortiter pugnetis, sumite vobis baculum diligentis constantiæ; peram temperantiæ: lapides sobrietatis, frugalitatis, vigilantiæ, modestiæ, humanitatis; & fundam inprimis pietatis. Si facitis, prostraturi belluam estis, & potituri victoria, qua id agetis, ut meliore vestri parte duretis, & à mortalitate ipsa vos vindicetis, longissimum vobis ævum ingenii fama, honoresque & opes artis usu abunde promittente.

II.

Sapientia Medica.

Hipp. l. de Eleg. t. v. 66.

Διὸ δεῖ μετάγειν τὴν σοφίλω ἐς τὴν ἰητρικλω, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίλω. ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος· ὐ πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα· καὶ γὰρ ἔνι τὰ περὶ σοφίλω ἐν ἰητρικῇ πάντα. ἀφιλαργυρίη. ἐντροπή. ἐρυθρίησις. καταστολή. δόξα κρίσις. ἡσυχίη. ἀπάντησις. καθαρότης. γνωμολογίη. εἴδησις τῶν περὶ βίον χρηστῶν καὶ ἀναγκαίων καθαρσίων· ἀπεμπόλησις. ἀδεισιδαιμονίη. ὑπεροχὴ θεία.

IDCIRCO *oportet adjungere ſapientiam ad medicinam, & medicinam ad ſapientiam. Medicus enim philoſophus, par Deo. Haud magna enim differentia inter utramque. Nam & inſunt medicinæ omnia quæ ad ſapientiam. Liberalitas. correctio modeſta. verecundia. humilitas. majeſtas. judicium. quies. obviam itio. puritas. ſermo ſententioſus. purgatrix animi ſcientia. nundinationis & ſuperſtitionis fuga. ſublimitas heroica.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

QVEMADMODVM A. H. omnes homines, qui ſeſe ſtudent arte aliqua præſtare cæteris ſuæ profeſſionis: ita præſidem ſalutis humanæ profeſſuros vel inprimis ſumma ope niti decet, ne ſermone magis, quam opere tales deprehendantur. Exigui ſæpe laboris eſt, ut videamur medici: ut ſimus numquam non longe difficillimi. Eſſe medicus nemo, etiam ſciens artem, poteſt, niſi idem ſapiens. Ut videamur, ſolius ſcientiæ munus eſt: ſæpe ne ſcientiæ quidem, ſed

sed jactantiæ tantum. Quam facile se cuicumque medicum professo credit vulgus? quantumvis compertum habeat, quam sit in nullo mendacio periculum majus. Scientia etiam maxime catos cautosque capit. Sciens habetur, quisquis de Natura humana, de Sanitate, de Morbis, & morbos facientibus Causis, & factis ab utrisque Symptomatis, de Signis itidem atque Remediis, totaque Curandi valetudinem ratione prolixe, apposite, docte novit disserere.

§ 2. Quæ sicuti universa præcognita habere necesse est, priusquam faciendæ arti se dare quis & abrotanum ægro ausit: ita multoplurimum potest ad potentis in arte viri nomen atque existimationem sibi parandum. Quæ parasse, cum ad alia expedit medico, tum præsertim ad fiduciam de se plenam ingenerandam animis ægrotantium. Plures enim curat, cui fidunt plures. Certe æger & languens spiritus excitatus ac vegetatus opinione hac bona, Medicum suum morbum nosse ac posse curare, curationi se socium jungit occulta quadam conspiratione, ineffabili alacritate, constantia invicta. Magna pars curationis est, velle curari. Ostendunt se velle, non qui de Sanitate sua, optimo vitæ condimento, ne quid à Causis morbificis detrimenti capiat aut, si cepit, ipsa de Vita soliciti, ne quis gravior Morbus supremum acceleret diem, Medicum adeunt, accersive jubent: sed qui intrepide ejus sese fidei atque virtuti committunt. Ut vero homines ista se confidentia suis medicis tradant, indicibile quantum valeat modeste ab his & in occasione ostentata artis illa scientia. Ad quam comparandam, quæ sint Futuro Medico necessaria, exposui, cum ante hos duodecim annos ad illam in Franekerana Academia docendam introducerer.

§ 3. Ex qua cum Deo visum sit me in hunc locum & cathedram magnis prædecessorum nominibus claram, quam & patriæ amor mihi & propinquorum dilectio & amicorum cordium conjunctio commendant, vestro quidem Nobilissi. & Amplissi. DD. Curatores ac Spectatissimi Consules judicio, quamvis trepidum collocare, omnino hoc muneris mei auspicium,

cium, quod Deus Opt. Max. sibi glorioſum, Academiæ utile, mihi meisque salutare velit, & hujus auguſtiſſimæ panegyris exſpectatio flagitant, ut de argumento aliquo ſermonem faciam, quod neque ignobile ſit, neque alienum ab ea Medicinæ parte, quam mihi Nobiliſſ. & Ampliſſ. DD. Curatores ex ordine Collegii & Facultatis noſtræ decreverunt.

§ 4. E quorum bona voluntate Practica, ut vocant, docturo viſum fuit non aliud argumentum accommodatius illo ipſo, quod ab initio non obſcure innui. Putavi, inquam, *Quæ* SAPIENTIA *inſtructos* eſſe oporteat, qui ſe faciendæ medicinæ accingunt, dicere me hoc tempore poſſe è ſapientiſſimo medicorum & cum fructu non illorum tantum, ſed & omnium qui intereſtis, quique præſentia veſtra hunc actum condecorare voluiſtis. Illorum quidem, qui ſe ad diſcendam medicinam parant, ut inſtituto pectoris ſui ſcrutinio ſolicite inquirant, eæ ne ibi virtutes habitent, ſine quibus Medicus neque benedictionem à Deo conſequi, neque complacentiam apud homines poteſt. Etſiquidem ſemina ibi quis reperiat bona, ea irriget ſtudio proficiendi, foveat amore proximi, fecundet timore Domini, qui eſt principium ſapientiæ. Quæ ſi cui deeſt, poſtulet, ſed cum fide, à Deo, qui dat eam omnibus benigne, nec exprobrat. Veſtro autem, Auditores, ut lapidem aliquem Lydium vobis exhibeam, ad quem examen inſtituere eorum queatis, quibus aliquando mandare imperium vitæ & necis in vos atque veſtros cogemini.

§ 5. Non minima pars felicitatis humanæ eſt, bene valere, ac neque Medico neque iatralipta egere. At quotuſquiſque morborum ſemina vel non inſita habet vel non manufacta. Ea naturæ beneficio ſopita quoties non aut vis major aut injuria ſui ipſius excitat? Imo quotuſquiſque non ſe data opera conjicit in cruditatis mortarium, gravium ærumnarum piſtillo contundendum? Unde cum fere nemo exeat ſine ope Medici, quis non ſatagat de multum celeris atque fidelis opera. Fidelitas in curando cuique à Sapientia medica, celeritas à Prudentia promittitur,

§. 6 De

§ 6. De ista inpræsentiarum verba facturus non arbitror necessarium, ut infacundiæ meæ veniam petam, Oratorum more, qui cum omnes ingenii nervos intendunt, & laxant frenos linguæ, dudum præexercitatæ, tamen excusant dicendi tenuitatem & ruditatem eloquii. Confido non esse, qui à Medico aliam eloquentiam postulet, quam à qua rusticitas absit & dicacitas. Fateor, pulchra ab ingenio & facundia laus est. at morbi non eloquentia, sed remediis curantur. Quæ si quis elinguis, usu discretus bene norit, hunc aliquanto majorem medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excoluerit, certissimum est. Qua persuasione semper malui notitiæ auxiliorum tempus impendere, quam cultui sermonis. Satis habens oratione clara & juxta usum eorum, ad quos mihi quotidie loquendum est, expressisse animi sensa. Agam & nunc pro consuetudine, & tamquam hæc docturus indoctos, & doctos habiturus judices. Illos interea attentos, hos æquos mihi, omnes faventes deposco rogoque obnixe, operam daturus quo ne vel flagrante appetitu dimittamini vel detineamini satiato.

§ 7. Vetere ævo nullam virtuti, nullam doctrinæ immaturam ætatem rati, Scientia simul & Sapientia suos inde à teneris imbuebant. Optimo consilio. Nam qui sementem cupiunt, opportuno tempore seminent necesse est. Non aliud in homine opportunius adolescentia, tam ad docendum promta, quam prona ad discendum. Et ut tranquillo cœlo placidoque mari nautæ, quæ contra tempestatem sunt, expediunt: sic in ista ætate, nondum tot curis aut fluctibus exposita, jure præpares, quæ sint usui vitæ. Ista sunt, quæ dixi. E quibus Scientia per se necessaria est: Sapientia propter illam. Non est, cui non aliquam in hoc theatro mundi personam Deus imposuit. Nostræ curæ est, eam aptare nobis: ubi aptavimus, bene agere. Aptamus scientia. Scientiam institutione & studio acquirimus. Institutione, si proba est, si liberalitate ac fidelitate probata. Studio, si diligens & constans, seque dat bonis & utilibus, imo ex utilibus necessariis tantum. Quorsum enim

supervacua? Quemadmodum vero histriones non solum præmeditati exeunt in proscenium; sed & prodituri vestem superinduunt concinnam rebus regendis: ita quisque nostrûm jam aptus scientia, superveſtire se sapientia debet, siquidem ex decoro acceptam velit personam tueri. Tantoque id omnibus necessarium est magis, quanto graviorem quis susscepit. Gravissimam medicus sustinet. Nam & vitam hominis, charissimum pignus, & in uno interdum capite totius familiæ, imo civitatis, imo reipublicæ salutem sibi concreditam habet. Quamobrem sapienter illi Hippocrates, magnus sapientum doctor, magnus prudentum ductor consulit μετάγειν τὴν σοφίαν ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίαν, sive Sapientiam cum medicina, sive Medicinam cum sapientia conjungere.

§ 8. SOPHIA nostro eadem, quæ Philosophia Pythagoræ est. Stoicis Ars vitæ dicebatur. Constabat autem perpetuo studio se corrigendi & cum recta ratione aliis utendi fruendi. Prima sapientia est vita laudabilis: altera, omnes homines, quibuscum versandum est, isthac ansa prehendere, qua & tolerabiliores sunt, & ad usum aptiores. Hoc vere vivere est, & tota vita discendum est. Sed & in rebus humanis mala mixta bonis, & vitia virtutibus adsita, & potiore ubivis numero esse, alio doctore quam nobismet ipsis non indigemus. Quis opus ergo arte neget, qua & discernamus singula, & eligamus perpetuo meliora?

§ 9. Quod de manu Philosophus, ego de Sapientia non male usurpavero, esse ὄργανον περὶ ὀργάνων. Instrumenta velut vivendi, cum sibi tum aliis, Scientiæ sunt. Hæc tamen recte capere nemo atque usurpare in suum & proximi commodum potest sapientiæ dextra carens. Quæ quanti sit in cujusvis vitæ usu momenti, ut melius intelligas, adi illud hominum genus, quod egregie eruditum audit, quodque variis linguis atque scientiis instructum est, & in arte professa usque ad stuporem excellit, hanc interim vivendi artem non callet: educ extra sphæram suam, videbis subito velut in alium terrarum orbem delatos, neque linguam intelligere, neque viam ad forum aut

curiam

curiam tenere. Neque aliud Thaletem, contemplatum sidera exeuntem, inque fossam incidentem monere anus voluit, quam non ita cœlo & rebus sublimibus esse studendum, ut interim quæ ante pedes, quæque in vulgus sunt necessaria, scire negligas.

§ 10. Quicquid homo facit, facit propter ventrem, ut eum saturet cibis & expleat voluptate ac lætitia. Neutrum sine opibus potest. Opes acquisituro opus est arte, quam vendat: opus artificio, ut vendat & aurum pro arte emat. Ut enim pisces hamo & esca: ita homines scientia & sapientia capiuntur. Utraque enim per se indigens, altera alterius auxilio veget. Sane sapientia, nullius scientiæ exercitio occupata, nihil nisi lucerna est, modio suppositа. Neque ullius scientiæ usus plenus haberi perfectusque potest sine sapientia. Medicina certe si absque ea erit, idem erit quod sine Sole mundus. Quem ille nisi calore foveat, vivificet influxu, illustret lumine, neque domicilium humani generis commodum, neque sufficiens vitæ penuarium erit, neque utilis liber ad Opificis potentiam agnoscendam, sapientiam admirandam, bonitatem prædicandam.

§ 11. Medicina omnium artium præclarissima est, & lucrosissima Habet enim vænalem rem inæstimabilem, dat salutem hominibus. qua re propius accedere ad Deum non datur. At nisi sapientia & vitæ ars artem medicam comitetur, & ducat, & insinuet animis hominum, omnium erit neglectissima. A natura quisque medicinam odimus, quia vitam diligimus & curari pertimescimus. Vitæ amor cum modum nesciat, etiam tuta timere facit; nec facile, etiam cum extrema necessitas urget, medico se credit, metuens incidere in carnificem aut vespillonem.

§ 12. Norunt medici suum officium esse, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curent. Sed cum fere periculosa esse nimium & festinatio & voluptas soleat: & voluptati plurimum potius detrahere, & remittere aliquid de celeritate volunt, quam in discrimen adducere ægrum. Æger contra, sibi indulgens, de-

licatius haberi mavult, neque hacpropter minus aut cito aut tuto liberari. Ideo si quem pedetentim procedere videt, aut non satis gnarum medendi, aut quæstui servire censet, & ad alienum commodum pro suo venire. Galenicis appellatis medicamentis si quis insistat, jus longum & nauseæ plenum aversatur. In Chymicis suavitas placet & dosis exigua: verum illi venenum subesse, huic periculum metuit. Quas cordibus humanis præceptas opiniones nisi sapiente quadam dexteritate medicus exstirpare norit, quis arti honor, quod pretium erit?

§ 13. Quo vero major indies & usque ac usque nova hominum, morborumque & casuum varietas se nobis offert, tanto minus debemus vitæ hujus magistra egere. Res nobis cum omnis sortis hominibus est, imis, summis, medioxumis. Res cum mortalibus est, & quam longissimum vivere cupientibus: cum morti proximis est, & spem vitæ prolixam foventibus: cum morientibus est, sed valde nolentibus mori. Res cum conjugibus, parentibus, liberis est, charis nominibus. Res cum adolescentibus & fugientibus interim dum alludunt ad gaudia & bullas vitæ hujus: cum adultis, deque liberorum educatione atque elocatione & promotione sollicitis: cum confectis ætate est, sed numquam adeo se senes putantibus, quin unum adhuc annum vivere se posse credant. Res cum ægris, cum necessariis ægrotantis est. Ægri quibus non quæstiunculis nos & querelis suspicionibusque ac lamentationibus exercent. Apud necessarios mille artibus instructum oportet, cujus interest amici esse omnibus, nulli inimici. In morbis nunc tegendis, nunc detegendis, quanta sapientia, quanta sagacitate sit opus, nemo, nisi inexpertus, ignorat. Omnibus horis sapere debet, quem non aliquis casus convincere criminis debet.

§ 14. Perneccessaria igitur medicis est ἄσκησις πάσης ἐπιστήμης seu studium perpetuum & indefessa exercitatio artis placendi virtute & obsequio liberali hominibus, quos tractare debent. Pretiosa res utilis quæque scientia est: sapientia, sive

ars

ars vitæ, pretiosior: inæstimabilis vero erudita sapientia aut sapiens eruditio. Quemadmodum formosa mulier, si nativæ formæ artis insuper cultum adhibet, venustior redditur, cunctorumque oculos rapit: ita moribus & gratiis exornata scientia extollit caput viri & sedere juxta principes facit.

§ 15. Medicus si arti suæ, quam theorematis non fallacibus apprehendit, quam usu atque observatione sedula confirmavit, Aglajam cum majestate venerandam, Thaliam cum humanitate amabilem, Euphrosynen cum decore prudentem, illas Gratias dextra præferat, dubium sine dubio faciet omnibus, magis ne ob virtutem amandus, quam honorandus sit ob necessitatem. Crede mihi, ille medicus, cui peritia artis intus lucet, foris sapientiæ lumen allucet, non potest non omnibus διαχημονέστερος, elegantior atq; ornatior videri, & haberi χαριέστερος, gratiosior acceptiorque, & utroque nomine ἐνδοξότερος celebrior reddi, majoremque longe ac late sibi existimationem atque laudem consequi.

§ 16. Sublimius ista ac succinctius Asclepiadarum princeps: ἰητρὸς φιλόσοφος, ἰσόθεος. Quemadmodum Deus solem suum oriri facit super bonos & malos: sic Medicus idemque Philosophus si dilectione proximi æque pauperi ac diviti, nec solum corpori medicinam, sed & animo adferre, & virtutis amore omnibus ad eam præire ac omne suum bonum communicare magno pronoque affectu laboret, ille quidem Deo consentaneum dignumque animum ac facultatem gerere, recte meritoque judicandus est. Ita autem facere omnes decet, qui placere Deo volumus, & satisfacere arti, cui reapse, quæ ad sapientiam civilemque prudentiam ac conversationem requiruntur, insunt universa.

§ 17. PIETAS certe, ut caput virtutum, sic anima medicinæ est. ἡ περὶ θεῶν εἴδησις, inquit admirabilis Senex, ἐν νόῳ αὐτῇ ἐμπλέκεται. q. d. Scientia de Deo, ejusque præsentia in rebus ad sanitatis morborumque cognitionem ac curationem attinentibus, tam altis firmisque radicibus se in animum atque conscientiam medicinæ defigit, ut nulla inde vi evelli queat.

§ 18. Quo ſane non parum conferunt VIRTVTES, præter Pietatem, in Medicis requiſitæ. Quarum nomina & circa medendum officia ſi vultis, audite ex Hippocrate, qui illa quidem hoc ordine recitat: *Liberalitas, Correctio modeſta, Verecundia, Humilitas, Majeſtas, Iudicium, Quies, Obviam itio, Puritas, Sermo ſententioſus, Purgatrix animi ſcientia, Nundinationis & ſuperſtitionis fuga, Sublimitas heroica.*

§ 19. Amabiliſſima virtutum LIBERALITAS eſt, & magna ſapientiæ portio, noviſſe bonis, quæ ſolertia comparavit, bene ac benefice uti. Utitur bene, quiſquis ad propriam neceſſitatem parce, ad voluptatem ſobrie, & ad amicorum utilitatem munifice pecuniam ſuam impendit. nec tantum; ſed nullam, etiam ignotis, exhibendæ humanitatis occaſionem omittit. Utitur benefice, quiſquis non divitibus tamquam eſcam in hamo, ſed egenis communicat ſicut fructum gratitudinis erga Deum, qui largitur. Non poteſt medicus majori fenori pecuniam dare, quam ſi pauperum tabernas inviſens ibi benigno hilarique animo eroget, quod ſit levando morbi tædio & valetudini citius recuperandæ.

§ 20. Quæ virtus ſicuti nomen bonum, quo nihil eſt fragrantius, medico conciliat: ita amorem illa, quam ἐυτρεπίαν noſter, ego MODESTAM CORRECTIONEM vocavi. Dici non poteſt, quibus de cauſis & quoties ægri delinquant, fere ſemper cupidiores facere quæ morbo grata, quam quæ ſanitati conducunt. Initia morborum famem plerumque & ſitim deſiderant. At vacuus cibi æger haud facile impetrat à ſe, ut neque aliud quam expedit, neque ejus ipſius nimium ſumat. Doloribus excarnificatus ſtatim condemnat, ſi quid non ſtatim profuit. Faſtidii ex morbo plenus cito removet, ſi quid paulum ſaltem juvat, impatiens profectum tempore expleri. Mortem metuens contra morbum tamen obfirmate pugnare, ſucciſis cupiditatibus non ſuſtinet. In diſcrimine verſans, quamvis medicum intelligat officium facere, ſuum negligit: convenientia jubere, obedire non vult: nihil non pro ſanitate prudenter fideliterque moliri, tamen temere ſe

neſcio

neſcio quibus non medicaſtris officioſiſſime occidendum tradit. Liberaliter agere ſe credunt, qui viſitationes medicis pro dono remittunt, qui remedia illorum arbitrio relinquunt; in uſu liberi ſunt: quaſi quæratur, quid medicum deceat, non quid ægrum. Mille præterea modis contra ſe, contra Medicum, adſtantes & Deum peccant ægroti, nunc cruciatibus abrepti & vehementia appetituum, nunc fortitudine vacillante, nunc fide. His ſe opponere præſens virtus debet, & ita caſtigare peccata, ut peccare deſinat caſtigatus: ita fugienda diſſuadere, ut perſuadeat ſequenda: ita ſemper & ubique ſive clam ſive palam objurgare, ut ſi oratio amarorem, ratio amorem præferat. Qua dexteritate ſi verecundiam ægroto & ſalubrem peccanti pudorem inſeras &, quam cauſa ejus verecundiam ipſe aſſumis, ſimul pia animi compaſſione in illum transfundas, ſiquidem ſana mens eſt, facile omnem peccandi reprimes licentiam, hortatricem plurimi mali.

§ 21. VERECUNDIA vero etiam ad alia medicus opus habet, ceu cuſtodem ſuæ & alienæ integritatis. Quid enim non manibus medici, non oculis auribuſque creditur? Admitti ad ſecreta corporis parum eſt: etiam animi in ſinum ipſius tanquam confeſſionarii deponuntur: nec tantum ægri, ſed & conjunctorum ægro cujuſcumque neceſſitudinis vinculo. Quæ ſicuti nemo ingenuus accipit ſine *rubore*, ſequi conſtantiſſimos etiam ſapientes ſolito: ita abſque *pudore* nemo in ſcrinio cordis obſignat. Tantoque major verecundiæ neceſſitas eſt, quanto impietati proximius, quem conſilio regere, quem fide tueri, quem arte debes ſervare ac potes, hujus famam calumniæ, tranquillitatem rixæ, fortunas miſeriæ prodere, unoque interdum verbo damnum creare irreparabile.

§ 22. Sed & hoc boni verecundia habet, quod ſit & mater & nutrix HVMILITATIS. Cujus virtutis ſapientiſſimo ſuaſu medicus ſeſe Deo primum, & propter Deum hominibus, etiam inferioribus ſe, ſubjicit. Deo quidem, ut & ipſe ſervetur ad vitam æternam &, Deo operæ ſuæ benedicente, alios ſervet ad vitam præſentem. Hominibus vero, ut apud hos talento ſuo lucretur,

tur, quod reddat Domino, ne in die illo magno inveniatur servus inutilis. Quo plus autem lucretur, & decem potius quam quinque, numquam præsumit se scire artem, sed indies circumspecte experiundo addiscit: & quanto plus addiscit & plura: tanto magis & plura intelligit se nescire, & plus se coram Deo hominibusque humiliat, quo & ampliorem scientiam ab illo accipiat, & fenori sortem apud hos majorem exponat. Sicuti vero, qui fenus sorti quotannis: ita qui eruditionis momenta prioribus quotidie addit, licet parum proficere videatur, semper proficit. Et sicuti ibi non tantum sors crescit, sed & fenus: ita heic. Humilibus Deus gratiam dat, quærentibus invenire, sudantibus vesci pane. Resistit superbis, odit ignavos, plenos dimittit inanes.

§ 23. Nolim vero sic se Medicus humiliet coram opis suæ & consilii egenis, ut interim obliviscatur τῆ δόξης καὶ ἀναγκαιότητος, EXISTIMATIONIS inquam, & IMPERII. Qui se vilem facit, despectui habetur, & indignus honore, timore, amore. quibus carere nequit, si nolit inutilis sibi atque aliis fieri. Quem non amant ægri, ei nec facile corpus animumque nudant, & raro, quamvis in propria commoda, admittunt ad intimam morbi secretioris notitiam. Quem non timent, ejus neque præcepta audiunt, neque monitiones curant. Quem non honorant, nec verentur abuti ad sordida quæque & servilia ministeria. Minister es, medice: sed & dominus. Ergo servire disce: disce imperare. Imperium humilitate tempera: servitium majestate exorna. Demitte fasces, quoties obsequentem tibi curas: tolle, cum indulgentem sibi. Si consolandus æger, si erigendus est, ad suspecta tempora accurre, assidе solicitus, gemitus ejus non securus excipe, serena vultum, mellitaque pectore verba prome, & prosperum felicemque eventum promitte, si auscultet. Si quid præcipiendum, fac intelligat, cui bono. Hoc enim medici est & benevolæ voluntatis: tyranni, imperare tantum & arcana imperii consilia habere. Tali medico Aristoteles: Parebo lubens, sed more philosophico: credam, si vera sciam: ut sciam, effice demon-

demonstrando. Intemperanti severus, refractario durus esto: mortem minitare, minitare miseriam longam & insuperabilem. Iube pareat, ne pereat. Ut pareat, cave gratia verbum tuum & fructu careat. Cavebis, si ostendas pro ipso te, non pro fama artis extimescere. Ostende nullum ministerium oneri tibi, nullum fastidio esse, dummodo servare possis periclitantem.

§ 24. Quæ sicuti magni IVDICII sunt: ita non minoris, deprehendisse animi morbum. Nam fortes pudet pusillanimitatem profiteri: prudentes, metum mortis: in spem vitæ melioris doctos, amorem hujus. Raro quisquam ita compositas vitæ, familiæ, arcæ suæ rationes habet, ut hinc securo liceat migrare. Illum ætatis male collocatæ, hunc liberorum minorennium, alium nominum, alium creditorũ difficilis cura tangit & angit. Quem ut premant corde dolorem, quid non prætendunt dejecto vultui, abjecto animo? Optima ratione agere videntur, qui spem vultu simulant, dum vitæ flammulam curarum fumo suffocant. Assuetæ naturæ vel morbi culpa nitentes in vetita infinitis artibus fallere medicum studeant, se fallunt. Falsi & ingravescere morbum sentientes, culpam omnem, quasi nihil ipsi deliquissent, rejiciunt in Medicum. Heic sapientia opus & industria. neque tantum in cognoscendo affectu, sed & in compescendo. Hoc casu interdum, ut elicias intentionem, id suadendum est, quo videntur inclinare. Cum elicuisti, adversus omnium animos gerere se pro cujusque natura ut necessarium, ita non parvæ artis est. Cum vero passiones non bonæ plurimum remorari curationem consuerint, medici est prohibere, ne quid ad notitiam ægrotantis perveniat, quod solicitare animum ipsius possit.

§ 25. Cujus tranquillationi QVIES etiam à remediorum usu concessa quandoque non parum prodest. Sæpe nulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia, non jam dico à cibo, sed medicina. Audiant, qui interesse honoris sui arbitrantur, ne qua visitatio transeat sine Recipe. Aliquando sola dies & quies ut graves morbos sanant, sic magnos motus sedant. Sinè illa dolorum multi, multi humorum non co-

quuntur: ſine hac mens & natura non coquunt. Quid enim, facere-ne officium alterutra poteſt, ſemper novante medico, & aliis atque aliis irritamentis avocante? In alimentis varietas delectat: in medicamentis, paucitas. Sicuti in Ethicis idem vagus & vanus eſt: ita in Medicis præſcriptor immodicus ſit proſcriptor exitioſus.

§ 26. Præter has alia virtus eſt, nomen ab officio ſortita, ἀπάντησις: OBVIAM ITIO diceret eloquentiæ Romanæ magiſter. Nam ut maxime in hactenus auditis inculpatum ſe præſtet medicis: niſi tamen in promtu ſit ratio, qua occurrat erroribus futuris factiſve ab ægris, vel adſtantibus aut rebus externis, brevis mora, una hora perdit, quod longa dies dedit. Factos emendare non ſemper licet: nec prævenire fortuitos. Futuris conſulat docendo quemque quid ſui muneris ſit, quid fieri de tempore in tempus debeat, quid non fieri. In neceſſariis mutationibus provideat, ne ſibi imputetur culpa ejus, quod præter ſpem evênit. Conſequetur id prædictione. non apud ægrum, ſed adſtantes: non quoſvis, ſed quorum hæc ſcire intereſt, conjugem, parentes, amicorum aliquos. Nam cum omnibus conferre tutum non eſt: multo minus cum ægro ea, quæ in futurum agenda aut patienda ſunt, ſi faſtidium creare, aut metum queant. Prædicturus poſtici memineris.

§ 27. Turpe probrum eſt, ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. Quod ne opprobretur, καθαριότης præſtare debet. MVNDITIES autem curanda in veſtitu, corpore, animo. Veſtitus ſit elegans & honeſtus, ad ambulationem comparatus & ad exiſtimationem cum eruditionis tum virtutis. In pomis indicium verminoſitatis eſt grata maturitatis ſpecie ante tempus allubeſcere. In medicis ad omnem modum modificata veſtis, comta coma, annulatus ubique digitus prætentus, hæc ſunt ſigna ſui pretium ab exteriore corporis, non interiore animi cultu petentis. In tales dithyrambicum ſcomma ſalſiſſimi Comicorum eſt, σφραγιδονυχαργονομήτας vocantis. Scientiæ medicinalis pars magna ſobrietas eſt, virtus præſcribens voluntatis imperio cibum potumque, prout ſatis eſt ad neceſſitatem.

Sobrie-

Sobrietatis egregium argumentum bona valetudo est, & corpus non obnoxium fetoribus fediſve coloribus. E corporis robore, tolerandis laboribus ſuis hoſpitiſque animi apto, conjectura raro fallax petitur caſti viri & ſubdolæ veneris voluptatibus hamatis non credentis indulgentiſque. Eam virtutem Hippocrates tam neceſſariam ſtatuit curaturo pudentiſſimas feminas, nedum noſtri partes pudibundas, ut votum ei facere prius voluerit initiandos ſacræ medicinæ orgiis. Fibula vero imponenda non verendis ſolum, ſed inprimis linguæ, heu! nimium hodie in multis effrenæ: quod Anacharſis Scytha ſingulari hieroglyphico ſignificavit, iſta quidem dormiens ſiniſtra manu, hanc dextra continere conſuetus. Inter leges Charondæ erat, Μηδεὶς αἰσχρορρημονείτω· *Nemo pudenda loquatur.* Rationem nos docuit Doctor divinus, quia cujuſque verbi inutilis, nedum turpis reddituri ſumus rationem.

§ 28. De qua quominus teneamur, multum γνωμολογίη poteſt, & VERBORVM PARSIMONIA. Ita tamen ſermonis parcum eſſe oportet, ut ne omittas, quod eſt officii ejus. Grande vitium eſt abſtinentia heic nimia. Injicit enim ſuſpicionem aut tanti te alios non facere, quanti te ipſum; aut ſapientiam taciturnitate ſimulare, fugereque teſtes habere ſermonis indocti. Minus vitium fere putatur, majus eſt, abundare verbis. Nam præterquam quod garrulus medicus non raro alter morbus ſit ægroto, omnino neceſſe eſt multum deficere multa loquentem. Qui hoc intelligunt, labia ſua continent, proferuntque verba dumtaxat neceſſaria & opportuna, aureaque poma in phialis argenteis offerunt.

§ 29. Ad quod plurimum confert ANIMI PVRGATIO ab improbitate non tantum, ſed & imperitia rerum, quæ ſunt ad vitam neceſſariæ ac utiles. Improbi boulimia quadam turpiloquii: imperiti pica vaniloquii laborant. Utrobique cacothymia eſt: ſed malignior in iſtis; in his minus mala, ideoque emendabilior. Quamvis enim imperitia malus theſaurus ſit, & infelix opulentia his qui eam poſſident, cùm opinione tum revera, tranquillitatis animi & lætitiæ expers, timiditatis & temeritatis

meritatis nutrix: attamen non tam obstructas aures, pectusque habet obseratum, quin admittat doctrinam & medicinam. At improbi, quotidie vorando vomendoque injustitiam, maledicendi facultatem moliti ægerrime sanescunt. Imperitiæ Philosophia medendum: improbitati, Theosophia. qua parum proficiente, desperata res est. Si erit, fugiendus ille tibi ægro medicus, quisquis erit, & quisquis particeps esse non vis iræ, quam in se concitat. Amasjæ ægrotanti & consultum de convalescentia Deum Ecronis mittenti occurrit per Eliam Deus Israëlis & dixit, Ex illo lecto, quo ascendisti, non es descensurus, sed certo certius moriturus. Annon hujus culpæ & pœnæ obnoxios se reddunt, qui præteritis medicis piis & probis probatisque, opera utuntur ebriosi & improbi?

§ 30. Cujus speciem subire fugiens, fugere non modo, quæcumque offendunt, vitia debent: sed præcipue habentia speciem boni. Non videtur malum NVNDINATIO medica, sive paciſci cum ægris de sostro. Nec est, si ipse ægrotus urgeat, metu ne non detentus mercede velut hamo medicus se deserat, vel curationem protrahendo quæstum ex morbi longitudine faciat uberiorem. Ægrotum medico diffidere, semper inutile est. Itaque obsequio præsta securum potius, quam ut curatione inter initia non succedente, removeri subito, nec sine nota velis.

§ 31. Cæterum, Medicorum maximus ἀπεμπόλησιν commendans, condemnat ejuscemodi pactiones. Juremerito. Nam aditum intercludunt inopi & peregrino, in promtu non habenti quod numeret. At lex Naturæ κοσμοπολίτη suo homini dictat, quo quisque auxilii magis eget, eo esse illum faventiore studio ac opera enixiore juvandum. Naturæ legem lex Scripturæ confirmat: Quod tibi factum velles, feceris alteri. Quis vero indigus opis alienæ, eam non anhelat, & bis dari fatetur, si cito detur. Indigent maxime manu vitam tolerantes. quoniam his sub manuum feriis non molunt molitores. Talibus non adesse auxilio, est opprimere. At qui opprimit tenuem, probro afficit Opificem ejus.

πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε.

Utinam ad animum revocarent, qui locupletibus assurgunt, & pauperes diem jubent ad fores præstolari. Contra tales olim coram Judice justissimo stabunt Gentiles isti.

§ 32. Etiam cum divitibus paciſci præjudicat honestati atque utilitati. Illi: quia convenit medico, quo ad artem, ejus studio teneri: quo ad indigos artis, humanum esse & nulli non æque officiosum. Humanitas gloriæ & lucri parens est. Denique ad auctoritatem confert bona voluntate ad fideliter curandum ferri potius, quam obligari auctoramento servitutis. Imo satius est debendi reos habere reges, quam avaritiæ de se suspicionem præbere. Quin potius, quam diffidendo de sanatorum gratitudine amittat opinionem virtutis, malit fidendo decipi & opis opumque jacturam facere. Quid si egeat? Paucis eget in victu & amictu frugalis. Liberis multi si studerent honestas divitias, virtute sua & eruditione augendas rerelinquere, esset in mundo otiosorum & prodigorum minus.

§ 33. Majus periculum à SUPERSTITIONE est. tum quia religioni adsidet tam prope, ut imagine sanctitatis se insinuet & abripiat humanam imbecillitatem: tum quia secum adducit timorem atque inquietudinem, tortores horrendos. Imbecillior quisque nostrum in tristibus & adversis est. Tunc pietas omnibus & religio maxime versantur in animis. Tunc & vanitati patemus & ludibrio mentium humanarũ, superstitioni. quæ se ducem nobis ad rupem salutis Deum offerens, abducit ad hominem, scipionem arundinis. Ita, cum gravis metus est, ægri falluntur, ita propinqui-ægrorum, quorumque interest servari periclitantem. Quasi enim medicus sua vi & arte valeat sanitatem reddere: ita in ipsum intendunt oculos, fiduciamque ponunt. Hinc tam solicite orant nulli diligentiæ, nulli industriæ parcere, auri montes promittentes. Quin adeo non pauci modum excedunt in colendo medicum, ut non serviliter, muliebriter, pueriliter se gerant: verumetiam innixi pectore arundini, hæc illud intret & perforet cor, atque ita

vitam perdant, quam se lucraturos nimium sperabant.

§ 34. Tuum est, Medice, tui cultum omnem prohibere, Dei inculcare, & nulla non occasione docere, ipsum esse qui, te salutaria præscribente, ægro usurpante, solus dare sanitatem potest. Quod etsi verissimum sit, cave tamen tumiditati tuæ aut timiditati obtendas, & rebus tua culpa improsperis dicas, Sic fuit in fatis, sic placuit superis, contra Deum nihil possumus. Possumus cum Deo contra morbum, etiam divinum. In omni tamen morbo, cujus neque indoles statim, neq; curatio patet, τὸ θεῖον causari, superstitiosi est. Ejusdem est, fortunæ instabilitate terreri, quo minus in splendida persona periclitari, quam in vulgari, conjectura ausit: ne occidisse, nisi servarit, videatur, maleque audiens honore simul & lucro mulctetur. Heic medicum ἀδεισιδαίμονα vult Hippocrates, & neque panicum admittere, neque committere turpi metu, quod sit probrosum arti & sibi. quin confidere Deum allaborare laboranti in vinea sua, & gloriam ipsius, hominumque salutem scopum habenti omnium affectuum atque operationum.

§ 35. Supereſt tandem ὑπεροχὴ θεῖα, virtutum medicarum noviſſima, ſi locum; nobiliſſima, ſi uſum ſpectemus, extendentem ſeſe ad ſingulas antecedentium, & aperientem nobis ſpatioſiſſimum dicendi campum. quem quia decurrere data fides non ſinit, ſumma dumtaxat capita tangam.

§ 36. Ea igitur SVBLIMITATIS HEROICÆ natura eſt. Medicinam diſcit, ut ſuæ proſpiciat aliorumque ſaluti, neque ſubſit imperitiæ vulgi medicorum. Quo in cenſu adſcribi exhorreſcens, quidquid arduum, quidquid præclara mente dignum Scientia medica habet, id ſibi deſtinat, ſudore parandum; arbitrata quemvis Mechanicum in ſua arte excellentem majoris æſtimandum, quam duodecada Doctorum, qui, præter inane nomen, nihil ſunt: Sutoremque magiſtrum, qui calceos bene faciendo rem faciat bonam ſuam, longe utiliorem reipublicæ, quam Dominum doctorem, qui otioſa per urbem diſcurſatione ſaxa terendo non lucratur, quod calceorum refectioni ſatis.

§ 37. Unde

§ 37. Unde non contenta scripturis humanis, copias confert ad originalem codicem Dei, & in hoc Naturæ arcana requirit. At cum sciat eum non intelligi nisi ab eo, qui spiritu Scriptoris sit afflatus, hoc & semper & serio agit, ut in omni re precibus & supplicatione, cum gratiarum actione, petitiones suæ innotescant apud Deum. Quod quisquam alius novit in arte, id nescire turpe ducit. Propterea nihil non tentat, ut sciat. Doctis se jungit, insinuat, probat, omni studio, obsequio, cultu.

§ 38. Scientiam adepta, non otio se, non luxui dat: sed negotio & labori, non sibi hominem, sed toti natum mundo credens. Sicuti Deus, omnium creator, nihil odit eorum, quæ fecit: sic generosus animus, omnium debitor, omnibus bene velle ac facere satagit, non curans notus an ignotus, amicus an inimicus, dives an pauper, magnus an minimus sit. Ethic est cultus, quem suæ præstat menti, divinitatis ad imaginem creatæ. Quam quia resplendere in se, aliisque vult pro exemplo esse, præstantiores ipse semper in oculis gerit, iisque similis fieri optat curatque. Ideoque nec ullius pudore afficitur magis quam suo, si quando à tramite recti decentisque deviaverit vel latum unguem.

§ 39. Vitiis infestus, suis, alienis, se corrigit prius, tum corripit alium, in se nihil excusans, in aliis plurima, præsertim in ægris & ad lapsum infirmitate pronis. Injuriam nulli facit: sibi ne fiat, cavet. Si cavere non potest, neque ad animum, cum sua puritas aliorum maculis nequeat inspergi, vocat, neque vindictam exigit. Omnibus se admirabili celsitudine submittit, ut excellat omnes & devinciat sibi.

§ 40. Calumniis nemo magis obnoxius, quam medicus est. Causa est contrarietas decretorum artis & vulgi. Profluentem alvum sanguinemve sisti vulgus petit, medicus ducit data medicina, venave secta. Unde quidem non miramur causam mortis (omnes enim ne salus quidem ipsa servaverit) tribui non morbi vi, non ægrotantis alteriusve errori, sed nostro tantum, & incurrere medicos, ceu re male gesta, in indignationem,

nem, in odia, in calumnias eorum, qui in defuncto passi sunt abortum magnorum conceptuum. Istis interim tantum abest ut excelsus animus & sui in nullo male conscius torqueatur, ut ne moveatur quidem; imo libenter ignoscat &, si usus ferat, pro malo bonum reddat: non quia timet, sed quia sic vult illos accipere legem benefaciendi seque imitandi: & quia se dignum novit, qui cunctis benefaciat, vincatque ferinos animos humanitate, & efficiat humanos. Quod si nequit, Deum precatur, ut reddat probos, nec ullam ob culpam puniat, nisi ad salutem.

§ 41. Cujuscumque valetudini præfectus erit, ejus bona non corporis solum, sed & animi fortunæque curat, ut sua: providens & imperans cunctis ad eam necessaria, idque non aliter ac cor & caput, non coacte, non superbe, sed lubenter & quasi unum è membris. Sorte sua contentus non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius. Ideo in malis boni speciem amat, in bonis etiam mali odit, nihil ipse agens indecore. Ne agat, superfluitates & delitias & res amputat omnes, quæ ab hoc proposito ipsum divertunt. Contra, quod se in eodem promovendo est, id recto judicio sequitur, & gratulatur sibi assequuto.

§ 42. Denique omnia ut accepta Deo refert, ita ad gloriam ejus impendit. Qui cum sit finis optimus maximus, ad quem nos nostraque omnia dirigere oportet, veneramur Deum, ut nos sanctificet & confirmet in studio abdicandi omnem turpitudinem, pietatem sectandi, vera & utilia docendi, eorumque sincera & liberali professione nos commendandi apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei. DIXI.

III. *Pic-*

III.

Pietas Hippocratea.

l. de Eleg. t. VI. 95.

Καὶ γὰρ μάλιστα ἡ περὶ θεῶν εἴδησις ἐν νόῳ αὐτῷ ἐμπλέκεται. ἐν γὰρ τοῖσι ἄλλοισι πάθεσι καὶ ἐν συμπτώμασιν εὑρίσκεται τὰ πολλὰ πρὸς θεῶν ἐντίμως κειμένη ἡ ἰητρική. οἱ δ' ἰητροὶ θεοῖσι παραχωρήκασιν. ὀλίγα γὰρ ἔνι περιττὸν ἐν αὐτῇ τὸ διωκητέον. καὶ γὰρ ἔστι πολλὰ μὴ μεταχειρέονται, πολλὰ δὲ κεκράτηται αὐτέοισι δι' ἑωυτέων.

NAM *vel inprimis conscientia de diis ipsi innectitur. Etenim cum in aliis affectionibus tum in morbis comperitur plurimum apud deos in honore esse medicina. Medici autem diis cedunt. Neque enim otiosum est in ipsa id, quod omnia habet in potestate. Hi enim multa dirigunt, multa quoque vincuntur ipsis per ipsos.*

COMMENTARIVS.

§ I.

PIETATEM, A. H. *utilem* Gentium Doctor *ad omnia dicit, & habere promissionem vitæ cum præsentis tum futuræ.* Vitam sane promittit Deus, sed vere vitam, & apud se agendam, imo & coram se. Promissio enim hujus vitæ, non tam est spatiis extendendæ, quam opportune in æternitatem atque incorruptionem transferendæ. Quotquot huc suo tempore transferri anhelamus, exercere nos ad pietatem debemus. Pietatis exercitium hoc consistit cum in sincero cultu Dei, tum in fideli exsequutione muneris susceptι. Muneris obeundi satagit, qui proximum diligit, vel hoc nomine, quod se quoque novit in eodem infirmitatis luto hærere

rere & alienæ misericordiæ atque opis egenum. Dei venerandi cura neminem non sollicitat, quem vel divina gratia invitat, aut vis occultior irritat. Sane, ut se colendi & propter se proximum diligendi formulam Deus Populo suo in monte Sinai præscripsit: sic ante & post Legem ibi latam Non-Populo in cordibus illam inscripsit, & Naturæ dictamen hoc ad opus Legis stimulum dedit.

§ 2. Ut ne longius abeam, testimonium hujus egregium nobis dedit Hippocrates Cous: quem Latinus ait *primum ex omnibus memoria dignis ab studio Sapientiæ Medicinam separasse*; quemque nos hoc ipso nuper in loco docuimus necessario utramque & felicissimo conjugio conglutinasse. Magno utrumque jure. Sapientiam profitentes voluit HOC agere, & totos incumbere animis præparandis ad frugem bonam. Medicinam professuros imbui primum Sapientia voluit, matre ac magistra virtutum. Sine quibus scientia quæ est, non nisi præceptrix, imo incentrix est ad omne vitium.

§ 3. *Sapientiæ* palmarium facit τὸ περὶ θεῶν εἰδησιν. quam si interpretari *de Deo scientiam* non licet, licet *conscientiam*. Hujus fuit ab omni ævo testari ad corda hominum, Deum esse, & à Deo omnia, ideoque pura mente Mentem purissimam colendam. At scientia amplius dictat: mihi Deum, mihi Patrem, mihi vitam, salutem, hæreditatem esse, ideoque ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendum. Et hæc vera solidaque pietas est. Altera pietatis tantum umbra. Quæ præclustris admodum & sic satis *procul superstitione* cum fuerit in Maximo medicorum, quid ni *Hippocratica* δεισιδαιμονίας ceu religiosæ probitatis exemplo mihi liceat Medicis eorumque filiis monstrare viam ad veram in suo munere PIETATEM persequendam, perque eam se Deo gratos, hominibus charos, artisque operibus prosperos, inclytos, opulentos, beatos reddendos?

§ 4. Cum enim hac sive opportunitate loquendi, sive potius necessitate (quam & actus iste solemnis & ordo Facultatis obtulit, imposuit) neque silere mihi liceat, neque non aliquid

quid dicere quod & juvare possit & delectare: conabor utrumque, non tam dictione diserta & pro dignitate auditorii comta atque ornata ; neque tam argumenti novitate apud alios, quam insigni, ut spero, ut voveo, utilitate commendabili cum apud hunc, quem adstare mihi Medicinæ Candidatum videtis, tum apud illos qui in eodem stadio ad eamdem coronam decurrunt.

§ 5. Te quidem, doctissime EVERARDI, quem labor tuus, quem cura præceptorum, divinusque favor ad hanc studiorum metam, imo majorum carceres feliciter deduxere: te, inquam, cum hoc sive viatico sive mandato ex alma hac Academia ἀποικίζω dimissumque eo ad serviendum Deo & hominibus ea in arte, cujus ipse Deus autor optimus, fautor maximus est. Cæteros intelligere cupio, cui se muneri parent: utque se præparent enixius, præfigere scopum ad quem oculis animisque intenti curriculum dirigant, cum monito, ut ne properent ad faciendam artem, quæ auxilii causa discitur, nisi præhabita scientia necessaria & conscientia intemerata, si non erroribus lubricæ juventutis, saltem nequitiis nimium petulantis.

§ 6. Istam sive Scientiam sive Conscientiam de Deo Hippocrates *animo Medici innexam* cum dicit, fatetur illum tam multis tam magnis & manifestis testimoniis de divina in rebus operibusque medicis cum præsentia tum providentia convinci, ut locus dubitationi non sit, sit venerationi & precibus assiduis pro obtinenda utriusque demonstratione ad gloriam sui nominis, ad honorem artis à se creatæ, ad salutem denique ejus opera utentis ægri. Quamvis enim rebus humanis semper interveniat divinum Numen, non semper tamen apparet.

§ 7. Apparet, & quidem manifestissime, in Natura Hominis, quem curat. Cujus tanta in omnibus, superque omnia Mentis excellentia, tanta vis ac vigor est, ut si Deus non est, ipsa sit Deus. Quæ Arato causa canendi, *Progenies divina sumus.* hoc adeo verum, ut hoc ceu maximo & confesso argumento usus sit Apostolus ad coarguendos Athenienses ignorantiæ

ſuæ in colendo per ſculptilia Deo vivo, quamvis ignoto ſibi. Apparet deinde in Structura hominis. Quæ talis eſt, ut ſi de ea noſtrum audias, audias *omnes deos eam exornaſſe:* 1. Diæt. XIV. Tam illi nihil ad integritatem, nihil ad vitæ uſum fructumque, nihil ad pulchritudinem aut majeſtatem deeſt. Apparet denique in Functionibus hominis. Quas undecumque æſtimes, reperies præſtantiſſimas. Mihi à modo, à fine ſufficit.

§ 8. *Modum* ſi inſpicimus, quis facile comprehendat, non quo cibus aut ſanguis coquatur; quo conſtituatur in utero fœtus, quo naſcatur; quo ſenſus natis motuſque omnes fiant: ſed quo Artifex quiſque facit, quæ facit? Annon ita eſt, ut Hippocrates eleganter notavit eodem in loco? *Homines ex manifeſtis obſcura conjicere neſciunt. Artibus quippe uſi, ſimilibus humanæ naturæ,* hoc eſt, inſtitutis ad imitationem eorum, quæ in corpore Natura, ars Dei gerit, hoc ipſum tamen *ignorant. Etenim divina mens docuit* homines *imitari ſua ipſorum, ſcientes* quidem *quæ faciant, at neſcientes quæ imitentur.*

§ 9. Quod ad *finem*, cum Epicteto non dicam, Deum introduxiſſe in mundum hominem, ut inſpectorem operum ſuorum: nec tantum ut inſpectorem, ſed & interpretem. Dicam cum Cæcilio, *Homo homini Deus, ſi ſuum officium ſciat.* Officium hominis eſt, Omni modo, tempore, arte, opera, facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Exoptatiſſimum medici eſt apud indigentes, ceu procurantis *homini* bonum, quo ſine nullum aliud gratum eſſe aut jucundum poteſt.

§ 10. Ab iſtis ad *ſanitatem*, ad *morbos* ſi provehimur, quis adeo puer eſt, qui non & illos videat à Deo diſpenſari, adimi, reddi, prout ipſi placet, nobis expedit. Quando intereſt honoris Dei, ut vivamus, ut valeamus, jubet nos vivere, & valere, ſed cum eo, ut quæ Dei ſunt, reddamus Deo; quæ Cæſaris, Cæſari; cæteriſque ſingulis quæ debemus. Quando rurſus vel à peccatis gravioribus vel publicis pœnis præſervandi ſumus, recipit nos ad ſe, & hoſtibus omnibus ſubductos collocat in tuto. Inde eſt, quod etiam ſpes interdum fruſtretur, & moriatur

riatur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit. Inde quod interdum deſerti à medicis convaleſcant, imo & in ipſis quaſi funeribus quidam reviviſcant.

§ 11. Videmus & merito miramur omnes in tam innumerabili numero mortalium ſui ſimilem occurrere nulli, neminemque eſſe qui non in vultu, voce, inceſſu, manu proprium habeat characterem, quo & agnoſci queat & à quovis alio dignoſci. Quod quanto ad civilem converſationem commodo, quantis malis præcavendis vel deprehendendis ſit, neceſſe non habeo dicere. Neque minus admirabile, quin incredibile vulgo eſt, in tanta Corporum varietate, in tanta multitudine Morborum, qui tribus millibus trecentiſque plures & ſuis ſinguli nominibus naturiſque diſtincti corpuſculum hoc inde ab origine ad ſummum uſque diem obſident, in tanta Cauſarum ſæpe obſcuritate, tantaque Symptomatum perplexitate poſſe tamen Medicos ſingula diſcriminare & quid certi ſtatuere.

§ 12. Etiam hi qui ſupra vulgus ſe ſapere putant, ſi non omnium, magnæ partis naturam incomprehenſibilem judicant. Et, non poſſe comprehendi, patere volunt ex eorum, qui in commune conſilium adhibentur, diſcordia. Quam enim ſæpe inter ipſos medicos non convenit? Heic mihi in memoriam redit præloquium Legis Hippocraticæ. *Medicina*, ait, *omnium artium præclariſſima eſt. Verum propter ignorantiam cum eorum qui illam exercent, tum eorum qui temere hos ipſos judicant, omnium artium prope infima cenſetur.*

§ 13. Certe non protinus crimen artis eſt, ſi quod profeſſoris eſt. Habet Ars & acceptas Deo refert certas notas & characteres infallibiles Morborum: habet indubitata veſtigia perſequendi Cauſas: habet illuſtria in ſingulis Symptomata, Signaque non apta imponere prudenti. Prudenti, inquam, nec tantum artem docto. Sed quotuſquiſque hodie à doctrina, à prudentia laudem habet, aut meretur? Vetus querela eſt: *Medici fama multi, opere valde pauci!*

§ 14. Imo ſi ita pergant ſumtuum in ſtudia faciendorum intolerabilis parentibus gravitas; ſtudioſorum multa adeun-

tium, nihil penetrantium defunctoria opera; Academiarum communis nec facile sanabilis indulgentia: quid tandem de Artibus erit? quid de fructu, quem Respublica exspectat? Averte barbariem Deus. Da tempora meliora: inspira juventæ voluntatem & voluptatem bona & bene discendi: erige quod collapsum est, firma quod nutat: neque sic umquam ira tua exardeat ob peccata nostra, ut, quod amor patriæ, quod zelus tuæ in ea domus nos totis animis abominari cogit atque deprecari, sinas suggesta clamantibus, fora rabulis, urbes vitæ necisque tyrannis impleri.

§ 15. Præter hæc, si *remedia* spectemus, præsentem refert quælibet herba Deum. Hoc si Poëta intellexit de sola specie externa, tamen magna professio est. Tam enim eximia omnium pulchritudo est, ut Os veritatis dicat, ne Salomonem quidem cum universa gloria sua sic amictum fuisse, ut unum ex liliis agri. Nobis majus argumentum est in occultis earum potestatibus. Quas sicuti non aliunde quam à Deo habere loquuntur admirandæ plerarumque Signaturæ: sic & à solo nobis Deo manifestari quotidianæ morborum Curationes testantur. Pie Herophilus *medicamenta Manus Dei* vocat. sunt enim. Scimus universi ex nihilo Creatorem nullis adstrictum mediis, nullis remediis esse. Attamen placuit ipsi ordinariam benedictionis suæ efficaciam creaturis alligare, perque has tum necessitatibus nostris tum infirmitatibus consultum ire. Hæc infirmitas nostra est, quod creaturæ potius quam creatori fidamus: de præsentibus gaudeamus, solliciti de iis quæ non videmus. Ut ne ergo in tentationem nos urgens necessitas ducat & abducat illa à fide & fiducia in Deum, placuit Deo præsenti esse medicamentis & gratiam suam ægrotantium fidei gustandam præbere.

§ 16. Quando igiturtanta nos circumstat testium nubes, & tam multiplicibus experimentis *cum in aliis* corporis *affectionibus tum in morbis* morborumque remediis *comperitur plurimum apud Deum in honore esse medicina* ac peculiaris Dei circa hanc providentia: quid aliud supereſt, quam ut *Medici Deo cedant* gloriam

gloriam ſuam. Et eccur medice non cedas? Quid habes enim quod non acceperis? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris tamquam non accipiens. Quod medendi ſcientiam calles, conceſſu & beneficio Dei eſt. Quod cura tua feliciter ſub manu ſuccedat, benedicente Deo eſt. Quod uſque & uſque proficis in cognitione Naturæ & Artis, gratia divina eſt.

§ 17. Certe animum ſi advertas, tam nihil in oculis tuis parvum reperies, quod non magnum in ſe contineat Numen. *Neque enim* uſpiam *in Medicina otioſum eſt* ID *quod omnia habet in poteſtate.* Fac itaque propitium tibi rebuſque tuis. Facies non confidendo viribus tuis, & confitendo earum impotentiam apud potentem omnia & volentem potentiam ſuam in noſtra imbecillitate proficere. Cujus nos quandoque Deus ut commonefaciat, & fiducia ſui exorbitantes revocet in viam pietatis; ſolet etiam optimis conſiliis noſtris non adeſſe, & inde ſalutem mittere, unde exſpectabat nemo.

§ 18. Novit hoc & agnovit Hippocrates. *Multa,* ait, dii in arte *dirigunt* ad nutum ſuum: *multa quoque* mala *vincuntur ipſis per ipſos* ſeu ſe ſolis, ſine ope & ex inſperato medici. Diffiteri nequimus, etiam hodie multa multos perpeti à multis medicis & expendere omnia ſua & nihil adjuvari, quin ire in deterius. Quæ cauſa malorum? Quia non ſapiunt neque medici neque ægri.

§ 19. Hæc *ſapientia* eſt, noviſſe optimum & viam ad illud. Illud qui norunt, non ſemper recta via quærunt. Avia via, imo invia eſt, ægrum medico, medicum arte niti. Deus eſt, qui vulnus facit, & manus ipſius ſanant. Breviſſima igitur ad ſanitatem via eſt rectiſſima ad Deum. Pie prudentis medici eſt, non ſe ſolum in eam conjicere, ſed & doctorem ſe & ductorem præbere ægro ad illud bonum à Summo Bono conſequendum. Quin hoc fidelitatis potius erga ægrotantem documentum eſt. Qua de latius alias. Medicus ſi per ſuam manum valetudinem bonam reddi ægroto deſiderat, ne deſinat cum timore & tremore Deum invocare, ut ſe velit induere omnibus neceſſariis ad medicinam cuicumque probe faciendam.

§ 20. Ad

§ 20. Ad hoc necessaria sunt *notitia* Morbi & *inventio* Remediorum, eorumq; *administratio* commoda. Omnibus ergo precibus venerandus Deus, ut velit prudens judicium suggerere ad perspiciendum omnia scitu factuq; requisita: ut velit signa morborum causarumque in abdito latentium ostendere: ut velit memoriam remediorum renovare, & salutaria in ignotis & inexpertis suppeditare: ut velit curandi opportunitates, quibus nihil sæpe celerius, patefacere & frontibus capillatis præbere apprehendendas: ut denique velit auxiliis cooperari benedictione.

§ 21. Quæ bona si votis nostris largiatur Deus, natura nos, nedum accepta beneficia obligant manus ad cœlum tendere in gratiarum actionem. Cum enim conscientia nobis dictet, tam nihil nos à nobis habere, quam nos ipsos non habemus: quid æquius esse, quid decentius nobis, quid Deo gratius potest, aut ad gratiæ continuationem efficacius, quam ei, unde cuncta & esse habemus, accepta fateri cuncta & venerantes gratantesque referre?

§ 22. Ista quidem ad omnes. Tempus est, ut se oratio convertat ad Candidatum nostrum, cujus gratia instituta est, cujusque exspectationi deinceps satisfaciendum est. Etenim propterea venit in hunc locum & conspectum omnium vestrum, ut post edita vitæ probæ & probatæ eruditionis insignia documenta, cum privatim tum publice, tandem laboris sui sudorisque fructum gustet. Primus ei gustus à favore vestro est, quem honorifica vestra præsentia testatum venistis. Alter erit ab honore, quo majorem nos conferre nequimus, quemque ei jamjam collatum imus ex voluntate ac jussu Magn. Rect. totiusque & unanimi consensu Senatus Acad. ac Facultatis Medicæ. Tertius erit & jucundissimus à felici praxi. Ad quam quia viam aperire Academia debet, fas est bene merentibus faciat. Egregie noster hic meruit, & volupe mihi est, hoc ei testimonium publice & publico nomine dicere, & hoc ipso invitare plures ad similem laudem merendam.

§ 23. Cæterum tu ipse, doctissime Candidate, nosti Hippocratem,

Unable to display this page

Unable to display this page

vera libertas est, sancte & caste vitam artemque instituere.

§30. ANNVLVS, quem digito indo, non tam nobilitatis tibi testis, quam hortator ad virtutem assiduus sit. Materia sinceritatis te admoneat; forma, concordiæ: sculptura, prudentiæ. Valde enim istis tibi opus in communi cum aliis medicis cura. In qua si consulendum est, dic, quod sentis, candide & libere; quod nosti, liberaliter: si faciendum est, noxium puta, si unitas desit bonis. Quam si esse inter te & collegas ad ægri tuumque commodum velis, cave quem non admittas ad consilium, aut prosperæ sanationis laudem tibi sumas, quæ revera neutri debetur. Sanitas enim solius Dei munus est. Deo autem modestia placet & humilitas: hominibus, vocari in partem lucri & laudis.

§31. LIBER iste, quem *clausum* propono, fatetur adferre te veram cognitionem ad usum artis: non eam tamen, in qua liceat acquiescere. Turpe est, nisi in libris non sapere. In promtu habere consilium oportet. Sæpe id procul à libris, in arena capiendum est; nempe cum occasio adest. Nam occasio est, in qua tempus non est. Hinc Druides olim *fas non putabant sua literis mandare, quod nollent eos, qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere,* minusque ingenio & judicio pollere.

§32. Non licere autem libros deinceps tibi, scientiarum rivos claudere, indigitat LIBER APERTVS. Nam sicuti non sufficit semel rigari prata, quibus semper novam sitim Solis calor facit: ita nec studuisse, & bene, satis est his, quibus nullus non dies aliquid pridem noti subtrahit & apportat aliquid novi & ignoti. Quæ quia, subitò si incidant, facile quem terrent & immemorem reddunt officii: satius est, contra hæc præmunire se lectione & recordatione: quibus doctrina alitur, augetur, perficitur. Sed & propterea aliquid quotidie proficiendum est in cognitione utilium, ut non splendide magis accepisse titulum, quam possidere dignior videare.

§33. Sed stringo &, oculi vice, DEXTRAM tibi porrigo, atque meum tuumque animum præsenti pignore firmo. Tuum in fide, quam Præceptoribus & ad hunc honoris gradum

dum evectoribus promisisti, quamque omnibus ac singulis, qui umquam te Medico utentur, coram tot testibus obsignasti. Meum in amicitia ac familiaritate, quam nunc intimius tecum contraho, animitus cupiens tibi bene velle ac facere.

34. Tibi vero regi æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.

IV.

Aristippus Iliacus.

Hipp. v. Epid. t. xxxv. 96.

Ἀ'ΡΙΣΤΙΠΠΟΣ ἐς τὴν κοιλίην ἐπρήχθη, ἄνω βίη χαλεπῶς. ἄλγος κοιλίης δεινόν. καὶ ἐπίμπρατο τοιχέως. κάτω δὲ [δὲν] διεχώρεεν. ἀσώδης ἦν. [ἤμεεν] χολώδεα καταχορέα. καὶ ὅτε ἐπήμεσεν ἐδόκει ῥήϊον εἶναι. μετ' ὀλίγον δὲ πάλιν τὰ ἄλγεα δεινά. καὶ ἡ κοιλίη ὡς ἐν εἰλεοῖσι. θέρμη. δίψη. καὶ ἐν τῇσιν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἐτελεύτησεν.

ARISTIPPVS *in ventrem sagitta vulneratus est: sursum, vi, graviter. Dolor ventris vehemens. Et inflammabatur subito. Deorsum vero nihil excernebat. Anxiosus erat. Vomebat biliosa meraca valde. Cumque evomuisset, visus est melius habere. Attamen paulo post iterum dolores vehementes. Ac venter velut in ileis. Calores. Sitis. Et in septem diebus obiit.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

DIDICISSE fideliter Artem, ad faciendam viæ plusquam dimidium est. Quo se perveniisse putet nemo, nisi & Universalium præcepta & præceptorum in Singularibus usum tenuerit atque perspexerit probe. Et discas oportet &, quod didiceris, agendo confirmes. Sed cum in nulla artium experiundi difficultas sit major, non equidem miramur

miramur perſpicaciorem quemque è Medicorum filiis, ſi rogetur, Num præcepta doctus facere appoſite omnia ad ſanandum poſſit? reſpondere, Quei poſſim, niſi quis prærierit? Itaque qui præceptis tradendis operam pro virili damus; fructuoſiorem eam reddituri videmur, ſi & præceptorum uſum commonſtremus. Huic fini nihil præ Hiſtoriis ſervit. ceu quæ veluti Cynoſura ſunt ad quemvis Morbum in quocumque Homine cognoſcendum citius, dignoſcendum facilius, prænoſcendum certius, curandum denique tutius, ſi ſanabilis: ſin, palliandum jucundius, ſi abſtinere curatione non licet. In iſtis multas ob cauſas prærogativa Hippocrateis jure merito debetur. Lubet itaque, data occaſione, ſeligere ex iis aliquam & commentariolo illuſtratam (tali, unde cum indoles Morbi tum ratio Medendi pateſcat) cenſuræ eruditiorum exponere, quo & ipſi aliquid è congreſſu diſcamus, quod docere alios deinde poſſimus. Audi Deus votum noſtrum & exaudi publico bono!

§ 2. NOMEN *affectui* hujus ægroti apud Hippocratem cæteroſque Græcos eſt εἰλεὸς vel ἕλεός. Nam utroque modo ſcriptum reperio: primo heic & alibi ſæpiſſime, altero VII. Epid. t. XVII. eodem caſu. Unde quæri poteſt, utra lectio ſit præferenda? Sane ambiguum fecere auctores, ſit ne ab εἱλεῖν an ἑλεῖν. Illud *coarctare* ſignificat. Sed hoc quid? *Volvere* & *contorquere*. Galenus cum ſcribit VI. Loc. aff. II. in hoc affectu δοκεῖν οἷον χορδὴ τινα περιστρέφθαι τὸ ἔντερον *videri adinſtar fidis cujuſdam contorqueri inteſtinum*, ultimum acceptat. Sed Hofmanno ſi credimus III. Inſt. CXLVII. §1. *loquitur Galenus ex vulgi opinione*. Hoccine facere Medicum & præire aliis in errorem? An potius dicendum: feciſſe per ignorantiam rei melioris? Neque injuriam tanto viro dicimus, ſi quædam ignoraſſe fateamur: præcipue in his quæ raro eveniunt, & quando eveniunt, certo ſciri citra cadaverum inciſionem nequeunt. Ad quam perſuaſiſſimum habeo in ſplendidis perſonis numquam, in vulgaribus rariſſime fuiſſe admiſſos apud lacerationem mortuorum & fœdam vocantes, ceu è Celſi nobiliſſimo proœmio conſtat.

§ 3. Memorabilis est Riverii observatio cent. III. obs. XXVI. *Guil. Patris*, ait, *aperto cadavere inventum est intestinum ileon tribus complicationibus convolutum & quasi compactum in unam massam circa finem illius: tota autem illa intestini portio complicata, gangræna affecta erat, cum portione mesenterii sibi adjuncta.* (Idem observat Ballonius I. Conf. XXXI.) *Intestina reliqua amplissima apparebant, ut brachii magnitudinem æquarent. Præterea intestinum gangræna affectum perforatum erat supra complicationem. Existimo à pondere materiæ contentæ in superioribus intestinis fuisse disruptum, postquam sphacelo affectum est. Per illud foramen tota excrementorum illuvies in abdomen effluxerat, & mora sua partem ani interiorem corruperat, in qua etiam foramen aliud apparuit, per quod excrementa effluebant per alvum, & obstructionis apertionem mentiebantur.* Quoniam circa extremum suum laxioribus gyris annexum mesaræo ileum est, fieri potest, ut ibi velut pannus complicetur. quod satis impediendo transitui. Hoc si vidit & scivit Galeni seculum, nostro doctior vulgus fuit.

§ 4. Nos derivari quidem ab εἰλεῖν concedimus, sed sub significatu *volvendi* aut *vertendi*. Intestinorum *volutio* nihil est aliud, quam acceleratio motus peristaltici. Quæ si præcipitetur, fit *revolutio* sive conversio sursum: Duretus in Coac. c. XXI. qua de Leient. 4. Est igitur ileus, utriusque intestini sursum revolutio, qua nec alvus, nec spiritus infra transmittitur; sed contra cibus & stercus, cum inveteraverit, per os redditur. In ista motus acceleratione quia necessario intestina *coarctantur*, paret tolerabilem esse originationem ab εἰλεῖν. Cujus tamen verbi aliam postea significationem adferemus ex Hesych.

§ 5. Apud Latinos duplex morbo nomen est: *Ileus* & *Volvolus*. Hoc verbo verbum redditum è Græco: illud inflexum tantum. Scaliger in de Insomn. XLV. *isti multa inepte: sicut & cum, ileon, volvolum appellant: at, ile, Latinum jam est: item, iliacus. Volvolus autem morbus non potest dici: cujus neque materia, neque effectio volvitur.* Volvitur pars affecta, ut dixi. Sed eccur vir illustris ait, *ile, Latinum jam est:* olim ne non erat? Utitur Plinius in XI. cap. XXXVII.

§ 6. Cœ-

§ 6. Cœlius III. Acut. XVII. appellat *acutum tormentum*. Causa ei triplex. Vel quod existiment ægrotantes convolvi atque torqueri suorum intestinorum verticula, sive τὰς τ ἐντέρων ἕλικας εἱλεῖσθαι, ut Actuarius ait I. Meth. med. XXI. Vel quod spiritus ob abstinentiam clausus sese involvens vinctiones atq; tormenta efficiat. Vel quod vehementia dolorum supra eas partes quæ patiuntur, ægrotantes arcuati convolutique plicentur.

§ 7. Quod ad *usum* vocis, notat Mercurialis v. Var. lect. XI. *omnia intestinorum atque ventris tormina uno fere Ilei vocabulo significata apud antiquos fuisse, neque hoc latere iis posse, qui in ipsorum monumentis volvendis diligenter sunt versati.* Ut verum fatear, de quibusdam mihi, nondum de omnibus licuit. Hoc è Celso liquet, ejus ætate demum cœptum esse, quod hodieque obtinet, ut *Ileos* vocaretur qui in *tenuiore intestino* consistit. Vise ad eum lib. IV. cap. XIII. Sed & qui in *pleniore* accidit ejusdem generis, eodem vocabulo appellabant veteres. De quo ut constet, sic statuo de

§ 8. DIFFERENTIA *morbi*. Volvolus *alius* Iliacus, *alius* Colicus est. *Ille*, Tenuioris: *hic*, Plenioris intestini affectus est. De *illo* in præsentiarum: de *altero*, in proximis. *Ille*, acutior est, & Loci ratione ac Symptomatis gravior, & raro non cum certa desperatione conjunctus. Duretus ait l. c. *Levia intestini tenuioris mala sunt graviora, quam crassioris prægrandia.* Ita est: & hac propter, quod commune Ilei nomen sibi appropriavit. Ergo cum simpliciter nomino *ileum*, intelligi Volvolum iliacum velim: cum *volvolum*, etiam Colicum. Namque animus ita heic tradere *communia* utrique, ut lumen præferant *propriis* atque *peculiaribus* ægroto.

§ 9. Sed & *causæ* ratione Ileus est legitimus aut spurius. *Ille* nobis in præsens propositus. de quo priusquam dicere pergo, videor operæ facturus pretium, si quid de altero & in gratiam discipulorum Hippocratis de duobus apud hunc difficilioribus locis præmittam. Unus est l. de Gland. t. IX. 78. alter l. de Flat. t. XIV. 147. qui, nisi fallor, majorem partem ex illo pendet & lucem suam mutuare debet.

§ 10. Prior

§ 10. Prior itaque, sed paulo altius repetitus, ita habet. ἐὰν δὲ τὸ ὀπίσω ῥεῦμα ᾖ δι' ὑπερώης τὸ ἀφικόμενον φλέγμα ἐς τὴν κοιλίην, ῥέουσι μὲν καὶ αἱ κοιλίαι τέτων, νοσέουσι δὲ οὔ. ἀναμένουσι δὲ ἢ κάτω δὲ φλέγμα ᾖ, εἰλεοὶ, τὰ πάθεα χρόνια. Foesius: *Quod si fluxio posteriore parte procedat, aut per palatum pituita ad ventrem perveniat, iis quidem ventres fluunt, non tamen ægrotant. Sed si infra pituita permaneat, volvuli fiunt, affectiones diuturnæ.* Si sic accipias Præceptoris verba, ineptius quidquam aut obscurius dici non potuit. Quæ enim *pars* illa *posterior* est, unde fluxio procedat? aut illa, per quam perveniat in ventrem? Unde disjunctiva, *aut?* cum Aldinus, Frobenianus, tuus legant ἢ non ἤ. Neque enim credo, cum ista Latio dares, præ oculis habuisse vitiatum heic Zuingeri codicem, ubi est ἢ pro ἤ. Esse enim hoc erratum ejus qui præfuit corrigendis typothetarum festinationibus, versio ostendit, quæ Cornariana est, & raro non melior nova.

§ 11. Agit Hippocrates de *fluoribus à capite.* Eos autem dixerat esse septem: per *aures,* per *oculos,* per *nares*: tres. Alios per Palatum in *guttur*, in *gulam.* Alios per Venas in *medullam spinalem* & *sanguinem.* Omnes septem. numero videlicet inito ex Partibus *recipientibus.* Nam *mittens* una, Caput. imo tres: Cavum, quod inter Meninges est: Ventriculi cerebri: & Venæ perreptantes utrumque, Cerebrum & Obvolucrum ejus. A *cavo* intermembraneo per Os cribriforme via ad Oculos naresque: per Aquæductum ad Aures est. A *ventriculis,* cisterna cerebri, per Infundibulum ad Palatum: & facilis hinc ad Guttur ac Gulam, & hinc ad Pulmones ac Ventrem est defluxio. Vides mandantes duas. Inter has media, Viscus cerebri est. Illæ igitur extimæ & oppositæ. Extimæ certe: nam ut Cavum ultra, sic Ventriculus intra meningem (cerebrum heic succingentem, ibi continentem) est. Oppositæ etiam: nam à Cavo foras viæ tendunt: à Ventriculis intus & ad interiora. Istæ, etiam situ, anteriores sunt. Paret ergo, cur dixerit: *Si vero retro fluxus sit per palatum: deveniens pituita in ventrem, fluunt quidem alvi horum, non ægrotant tamen.* Talibus ἀφρώδεα καὶ λαχώρηματα *spumosæ sunt dejectiones,* aph. xxx. lib. VII. Acre enim

enim salsumque serum & pituitam deterget intestinis & affluxum conciet ex vasis & miscet eo agitatve alvi pituitam. Quæ profluens securum à morbo corpus facit.

§ 12. Pergit Hippocrates: *Restitante autem in alvo pituita, volvuli, morbi diuturni.* Τὸ κάτω *alvum* reddo, monitore Foesio in Oecon. quin auctore in historia Hylæ IV. Epid. t. XX. Restitare heic pituita potest, si mucosa est; insipida, lenis, & lenta inquam. Insipida destillans aut non observatur aut devoratur plerumque. Mitis molesta non est. Lenta hæret facile in Ilei anfractibus. Ubi calore loci resoluta in flatus, dolores movet torminosos. Hinc concitata peristole in omnem partem volvit atque revolvit intestinum. Hos *volvolos* vocat Dictator. Zuingerus heic: *An Colicum intelligit? Nam Ileos proprie dictus, inflammatio scilicet ilei, inter acutos connumeratur. Videtur,* inquit Foesius in Oecon. ad εἰλεός. Ego, & citra hæsitationem, intelligit. Nam Celsi demum ætate, ut jam ante dixi, cœptum est distingui inter tenuioris & plenioris intestini morbum. Intelligit vero Tiberianum tormentum. Sub hoc enim, ut bene Celsus lib. IV. cap. XIV. *vehemens inflatio, vehementes dolores* sunt, & *intestinum quod verti videtur, prope spiritum elidit.* Intelligere autem conjicio ex eo, quod εἰλεοὶ dicat, non εἰλεός. Ubi enim intelligi malum inflammatorium vult, plerumque εἰλεὸς est, raro εἰλεοί. Hoc inscribitur textui XV. l. III. de Morbis. Sed, nisi fallor, in oculis habuit utramque speciem, Iliacam & Colicam; de qua ad historiam decumbentis apud Tisamenum. Sanè mos est Hippocrati plurium numero appellare, ubi plures ejusdem affectus & consimiles sunt species, solisque partibus affectis distinctæ. Ubi vero à flatu morbum vix semel, aut iterum non plurium numero effert. Sed satis argumenti nobis est, quod jungat morbis diuturnis. Ileus vero νόσημά ἐστι ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον *morbus est acutus & valde periculosus,* l. de Affect. XXII.

§ 13. Sed ut omnem tibi dubitationem, si pote, excutiam, veni mecum ad locum alterum, qui est l. de Flat. t. XIV. 147. Τῇ ἄλλων ἀῤῥωστημάτων, ὁκόσοι μὲν αὖ εἰλεοὶ εἶεν, ἢ εἰλήματα, ἢ ῥόφοι, ἢ ἔπαρσις πυρίγματα, φύσας εἶναι αὔπαα ἅπασιν ἡγέομαι

φανερὸν εἶναι. *Morborum vero, quotquot equidem volvoli fuerint, aut concluſiones, aut tormina, aut alii infixus, flatus eſſe cauſas, omnibus exiſtimo notum eſſe.* Quid ſunt *volvoli à flatu*, ſi non ſunt nobis dicti *dolores colici?* Credo autem *volvolos* vocare, quod veri Ilei inſtar retro volvat ſurſumque regerat & reddat per os quidquid per os fuit acceptum. Vide annon hi ſint intelligendi etiam aph. XXII. lib. III. Mihi id probatu non eſſet difficile. Volvolis affinia ſunt *tormina*. non quæ Celſus ſic appellat lib. IV. cap. XV. ſed qualia mulieri, ſi concepit, mulſa ciet: v. Aph. XLI. quorumque meminit IV. Aph. XI. Vulgus noſtras vocat *buik-krimping* aut *krimping in de buik*. Ab his famoſa Sena eſt in purgationibus. Differunt autem volvoli & tormina notabili nota. In illis quies nulla: in his frequens eſt. In illis dolor dolorem, velut unda undam urget, procelloſo mari. In his dolor per vices affligit, velut æſtu quodam accedens & recedens.

§ 14. Sed εἱλήματα quid ſunt? Fixi dolores & velut clavi muro pacti. Ὀδὼν ἰσχυρὴ *dolor validus, firmus,* dicitur aph. XXVI. lib. VII. Confer Arn. Villanovanum lib. II. Breviar. cap. XXXII. Noſtrates, *beſloten winden.* Cauſa enim flatus eſt intra tunicas inteſtini incluſus. Vide Galenum II. Loc. aff. V. & XII Meth. VIII. Hac propter *concluſiones* reddidi: conſentiente vocis origine. quam arceſſo ab εἱλεῖν, quod Phavorinus ait ἴσον εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις τῷ συγκλείειν *tantumdem eſſe in talibus ac concludi.* Heſychius: εἱλέσσει· συγκλείσει, σωέχουσιν. Et mox: εἱλεῦντες· συγκλείοντες.

§ 15. Hinc rurſus apparet, quare & ἀῤῥωστήματα & ὑποφειδήματα vocarit affectus propoſitos. Ἀῤῥώστημα Stoici definiebant νόσημα μετ' ἀσθενείας *morbum cum infirmitate.* Talis nullus non eſt recenſorum. Solent quippe poſt ſe amplitudinem ex diſtentione, ex cruciatu debilitatem, & laxitatem ex utroque ſingularem relinquere in inteſtino (vide exempla apud Fernelium VI. Pathol. X. & Hildanum Cent. I. obſ. LI.) unde deinceps hoc ſe conſtringere circa vaporantem chylum non potens de facili in prius malum recidit. Novi qui vel minimum frigus

pedum

pedum coguntur hac miseria lûere. Atque illa causa est, quare repetentes dolores & affligant acerbius & removeantur difficilius. Notus est aph. xxxiii. lib. iv. & hujus in istis ἀῤῥωγήμασιν exemplum habes notabile.

§ 16. Ἀποσπείγματα Cornario redduntur *oppilationes:* Foesio, *confirmati & inhærentes morbi.* Zuingerus, ad emphasin attendens, *infixiones* vertit. Maluimus nos, *infixus*, ut dicimus *absessus* pro eo quod Græcis est ἀποσήματα. Hoc nobis eruditissimi ejus viri commentarius suggessit. *Eadem*, inquit, *ratio vocis* ἀποσπείγματος (*à verbo* σπείζω, *inhæreo, figo*) *quæ* ἀποσήματος. Quid cum Latinissimus medicorum lib. ii. cap. vii. *absessum* reddat ex i. Progn. 38. non videtur in nostrum verbum actionem habere Aristarchus Criticus. Eadem itaque heic sunt ἀποσπείγματα, quæ πάθη χρόνια in textu proposito. Unde veniat quis non immerito in suspicionem, pro εἰλεοὶ τὰ πάθη χρόνια scriptum fuisse, εἰλεοὶ ἢ πάθη χρόνια *ilei & affectiones diuturnæ.* Certum enim, obnoxios defluxionibus à capite ad ventrem, si aquosæ sint & retineantur, modo ilios fieri, modo torminosos, aut firmis fixisque diu doloribus excarnificari. Si vero nihil immutandum censes, habes argumentum maximum ejus, in quo hactenus desudavi. Redeamus nunc ad Ileum in casu Aristippi propositum.

§ 17. Definiri *Ileus* proprie vereque dictus debet Inflammatio intestini tenuis. Φλεγμονὴν vocat Aretæus ii. Caus. Acut. vi. Galenus ipse in iii. Epid. ii. 6. in iii. Aph. xxii. & vi. Aph. xliv. ac vi. Loc. aff. ii. Noster diserte: *inflammabatur subito.* Et iii. de Morb. t. xv. cit. εἰλεοὶ γίνονται ὑπὸ τῶν φλεγμασίης *Volvuli fiunt ab inflammatione.* Ubi locum habet interpretatio Galeni, quam reperies in com. ad aph. vii l. i. scilicet antiquo vocis usu perinde esse, εἴτ' ἂν τὰς ἰδίας ὀνομαζομένας φλεγμονὰς ἐθέλοι τις ἀκούειν, εἴτε συμπεριλαμβάνειν αὐτοῖς καὶ τοὺς πυρετούς, *utrum quis velit proprie dictas Inflammationes intelligere, an vero una cum ipsis Febres.* Addo, ut intelligas, verbum. Inflammatio alia in Sanguine, alia in Membris est. Illa, πυρετὸς *febris:* hæc, φλεγμονὴ καὶ φλεγμασία *phlegmone & tumor in-*

flammatorius dicitur. Phlegmone sine febre numquam est, quin est Febris topica, & fit ex Febre seu inflammatione sanguinis. Nisi enim sanguis ferveat in Vasis & hinc accipiat impetum, quo stagnat in Membris, phlegmone non fit. Factam vero ut distinguerent à causa sua, hanc quidem *febrim* appellarunt, illam vero *phlegmonem*. Subest & alia ratio. In *febre*, sedata inflammatione seu fervore sanguinis, curatus est morbus. In *phlegmone* (intellige *concepta*, non quæ in conceptu est) semper inflammationi conquiescenti supereſt pus in parte, pars maxima morbi, & novam curationem, quæque locum non habeat in febre, requirens.

§ 18. Si itaque *Ileus* est *inflammatio*, non recte Hofmannus inseruit catalogo *solutionem continui*. Verum est, solvitur continuum partis cum inflammatur. Sed novum non est, Morbi symptoma morbum esse. quin Symptomata pleraque omnia sunt morbi. Eodem jure posses adstituere *morbis magnitudinis* aut *figuræ*, si hos æstimes ex sententia vulgi medicorum. Nam & noster ordo suum vulgus habet, & in eo magna nomina.

§ 19. Inepte denique, qui per *dolorem*, symptoma definiunt. Non possum non limis aspicere pessimum hoc definiendi genus. Quo tamen aliud frequentius non est. An igitur ignorant Medici, Symptomata esse accidentia? accidentium vero proprie definitionem non esse? multo minus esse ad artis usum? Hoc quidem confessum est apud omnes, qui docent Symptomata non indicare: præsertim qui sciunt, Definitionem morbi & Indicationem remedii esse rem unam, & verbis dumtaxat ac terminis differre. Quæ enim *definitio* dicitur in acquirenda cognitione morbi, eadem dicitur *indicatio* in exsequenda curatione. Nobis *ileus* definiebatur *inflammatio intestini tenuis*. Quid heic deest ad planam & plenam perfectamque *orationem, qua quid sit esse rei indicetur?* Hæc enim definitio definitionis est 1. Top. v. & 11. Anal. x. Qui novit, quid *inflammatio* sit, quod *intestinum tenue*: non potest ignorare, quid sit *ileus*. Sed neque potest ignorare, quomodo is

curan-

curandus sit, qui novit quæ *remedia* postulet inflammatio, & qua ratione usum eorum circumscribat *pars affecta*. Propius: *verba* Definitionis singula sunt *indicantia* totidem: *verba* Indicantibus ὑπεναντία *subcontraria* sunt *indicata* seu remedia morbi. Ecce in exemplo simplici: nostrum enim compositius est, præut tribus verbis queat expediri. Plethora, quæ est *sanguinis repletio*, indicat *sanguinis depletionem*: II. Aph. XXII. Verum eam rem aliquando ex professo.

§ 20. Accidentium proprie definitionem non esse, ratio est, quod propriam essentiam non habeant, nempe sic ut per se subsistent. Esse enim accidentium est inesse. Impropria vero, quæ ipsis concedi definitio potest, arti est inutilis. Quanto itaque absurdius, qui edisscere volenti usque ad memoriæ defatigationem, recitare volenti usque ad ravim longas & ex meris symptomatis, nec omnibus veris ac propriis contexunt obtruduntque definitiones. Talis, stupendi exempli, est hæc. *Ileos est intestinorum motus inversus, in quo nec chylus recte distribuitur, & excrementa, quæ per alvum excerni debent, retinentur & tandem per os rejiciuntur, ob motum intestinorum inversum, ob quem etiam via intestinorum, per quam alvi excrementa deorsum feruntur, intercipitur ita, ut nec feces nec flatus ullus per alvum emittatur, sed per vomitum primo alimenta assumta & cibi mutati seu corrupti, tandem procedente malo etiam alvi feces magno ægro fastidio & tædio per os rejiciantur.* Insania non est, dicere, hæc esse insaniæ. Sunt tamen ejus, quem ajunt in cathedris quibusdam nisi capite aperto non nominari. Si verum est, quo abit immerita adulatio? Vide, si non credis, Practicæ lib. III. part. II. sect. II. cap. I.

§ 21. PARS *affecta* sunt intestina tenuia potissimum, Jejunum & Ileum vulgo dictum. Dixi, *potissimum*: quia non potest non participare calamitatem Colon, ob continuitatem & contiguitatem. Neque fuit heic immune. id è Signis parebit. Nomen interim à Tenui habet: quod in hoc incipiat, graviusque affligat. Ergo Aristippum cum dicit fuisse vulneratum

§ 22. *In ventrem*, intelligere non *ventriculum* oportet cum

interpretibus, quos se sequi Foesius dicit in com. n. 98. sed simpliciter *ventrem.* Verum est, τὸ κοιλίῳ VI. Aph. XVIII. *ventriculum* reddi à Celso in V. cap. XXVI. 2. Sed cum amplissima hujus vocis significatio sit, paret interpretationem petendam à circumstantiis esse. Symptomata autem docebunt *morbum* esse, quem proposui. Hunc si ventriculo adscriberemus, riderent nos pueri nostri. Vulgare est, inflicto vulneri primum nomen ab externa parte dare, donec exploraveris in quam penetrarit, aut id accidentia ostenderint. Ex hac consuetūdine noster dicit *vulneratum in ventrem:* mox traditurus indicia partis, præter cutaneas, læsæ. Porro in vulneribus cum sæpe contingat &, si contingit, pejus habeatur, externo vulneri non respondere internum situ: non debere hoc in historia negligi, suo nos exemplo Dictator noster docet. Stabat Aristippus *superior*, cum in eum emitteretur sagitta. Ergo cum ἄνω *sursum* versus intendendum esset, factum ut feriretur *in ventrem* quidem, sed ex posituræ necessitate sub umbilico. Hinc sagitta sursum pervadens lacerare omnino debuit intestina tenuia, ac forte mesenterium: non potuit tamen assequi ventriculum. Non bene itaque τὸ ἄνω Anutius heic refert ad τῷ ἄνω κοιλίῳ, quem *ventriculum* interdum Veteres vocabant, ceu videre ad Gal. IV. Vict. acut. 110. & 11. in de Hum. 37. Neque scriptura permittit hanc expositionem. Quando enim ventriculum intelligunt, vel τὸ ἄνω præponunt, ceu jam vidimus; vel repetunt articulum, τῷ κοιλίῳ τῷ ἄνω dicentes. Heic præterea interpungitur utroque loco. Sed & Foesius fatetur posse τὸ ἄνω heic idem quod ἐπ' ἄνω significare. Quo vero retuleris *supra?* nisi ad *locum*, in quo stetit percussus respectu sagittarii?

§ 23. CAVSA *inflammationis* est Sanguis in parte læsa stagnans. *Stagnationis*, influxus vehementior, refluxus impeditior. *Vehementiæ* illius, fervor in majoribus vasis. *Fervoris*, exacerbatio Spiritus irritati. *Irritationis*, dolor. *Doloris*, alia atque alia. *Dolor* autem quanto major, eo plus sanguinis ad laborantia intestina concit. Hinc *frequentatur* peristole, qua naturaliter transmittuntur infra humores, flatus, feces. Hinc

implen-

implentur arteriæ: hinc *tenduntur*. Hinc *arctantur* tunicæ inteſtinorum: hinc *comprimuntur* venæ. Hinc *impeditur* ſanguis pari celeritate per has regredi, qua irruit ad illas.

§ 24. Sed hoc audiamus ab Hippocrate l. de Flat. t. XIII. 143. βία γὰρ τὸ αἷμα βιαζόμενον διὰ στενῆς ὁδοῦ θερμὸν ἐὸν, οὐ δύναται περαιοῦσθαι ταχέως· πολλὰ γὰρ ἐμποδών ἐστι αὐτῷ κωλύματα καὶ ἐμφράγματα. *Sanguis vi coactus per anguſtam viam, cum calidus ſit, non poteſt tranſire celeriter: multa enim ei impedimento ſunt obſtacula & obſtructiones. Vis cogens* fervor eſt. Fervoris eſt, mentiri plethoram, & hanc ſupra modum urgere, motumque accelerare, & præ feſtinatione proficere minus. Ubi enim impetuoſus & turgens æſtu ſanguis pervenit ad viarum anguſtias, ad arteriarum extremos ſurculos, ſe ipſe prohibet facili tranſitu per carnes ad venas. Καὶ τίς δὲ περὶ τῶν μικροτέρων πόρων θαυμάζειεν, ὅπου γε καὶ τῶν θεάτρων ἀθρόως ἐξιόντες πολλοὶ κατὰ τὰς διεξόδους ἴσχονται· *Ecquis vero de minoribus meatibus miretur, cum etiam theatris confertim exeuntes multi in oſtiis detineantur*, inquit eleganter Galenus III. Tuen. ſan. II. Qui locus integre lectus conferet tironi plurimum ad hujus intellectum. Noſtræ παραφράσει quod deeſt, ſervabimus commentario, quem meditamur ad Sanguinis periodum Hippocraticam.

§ 25. Ponebam vero inter *cauſas* Inflammationis, artationem inteſtinorum. Non meum hoc, ſed Præceptoris eſt III. de Morb. XV. Εἰλεοὶ δὲ γίνονται, τῆς μὲν ἄνω κοιλίης, θερμαινομένης· τῆς δὲ κάτω, ψυχομένης. ξυναυαίνεται γὰρ τὸ ἔντερον, καὶ ξυμπιλέεται ὑπὸ τῆς φλεγμασίης· *Ilei fiunt, ſuperiore quidem ventre, calefacto: inferiore autem, refrigerato. Reſiccatur enim inteſtinum & coartatur ab inflammatione.* Ad hæc commentarius eſt Pet. Salii, viri doctiſſimi, p. 309. *Iſto loco agit Hippocrates de eo qui proprie Volvulus appellatur, & vi inflammationis inteſtina apprehendentis cauſatur. Hunc autem fieri dicit, cum ſupernus ventriculus caleſcit, infernus autem frigeſcit. Illum vero caleſcere, hunc frigeſcere, quoniam inflammatio inteſtina reſiccat & obturat. Reſiccat quidem, quoniam præ fervore ea torret. Obturat vero, quoniam ea præ tumore occludit. Ex quo fervore, tumore, reſiccatione, ac obturatione hoc ſuccedit, ut*

partes

partes infra locum inflammatum existentes propria atque influentis sanguinis opulentia privatæ frigescant, quæ autem supra inflammationem existunt, magis calescant; in eis residente humorum calidorum tum copia, tum fluxione, tum etiam ad easdem, & præcipue ad supernum ventriculum eorum fluxione recurrente & vomitum excitante.

§ 26. Istis quod addam, vix habeo. Notari tamen velim, τὸν ἄνω ηειλίων, *ventriculum* heic: τὸν κάτω, *colon* significare. Prius confirmat quod modo dicebam contra Foesium. Posterioris vestigium habes IV. Epid. XII. Vestigium voco ob synecdochem, quam ibi reperies, contenti; fecis pro alvo seu alveo suo. *Deinde*, ab inflammatione intus nata fieri ileum affluente sanguine per arterias mesaraicas. Esse vero hunc affluxum adeo impetuosum, ut secum rapiat sanguinem iturientem per mesocolicas ad intestinum crassius, & hinc suo nectare fraudatum hoc refrigerari, ut partes solent defectæ à spiritu vivifico. *Tertio*, non contradicere hæc modo dictis de tracto in consensum Colo. Aristippo enim causa inflammationis dolor fuit: doloris, vulnus. Vulnerato tenui condolet crassum intestinum ob ἀλομελίων καὶ ἔργον, *communem naturam* inquam, & *societatem operis*. vide Physiolog. nostra c. XV. 52. 53.

§ 27. Prosequamur vero *causas* Doloris, Ilei causæ, accuratius. Prima censetur *Aetas*. Archigenes apud Aetium tetr. III. s. 1. c. XXVIII. *familiarem ætati puerili* dicit. Sed hæc non nisi πρόφασις est, seu corporis ad hunc morbum inclinatio, seu potius aptitudo quædam. Causam veram Aretæus dicit, *familiarem cruditatem*. Uterque ait, ob consuetudinem & humiditatem intestinorum sæpius evadere. Nempe in humido flamma si non exstinguitur, retunditur certe plurimum.

§ 28. Secunda, *Obesitas* & in ventriosis potissimum. Vidit mecum Ampl. Tulpius in Elizabetha Johannis, honesta vidua. Et hoc fidem facit aph. XLIV. lib. II. ubi οἱ πυκνὲς σφόδρα κὴ φύσιν sunt non solum *carnium sanguinisque pleni*, ut athletæ; sed & obesi. Unde Celsus suum hunc aphorismum faciens lib. II. cap. 1. fin. reddit, *Obesi plerumque acutis morbis, & difficultate spirandi*

spirandi strangulantur, subitoque sæpe moriuntur. Quod in corpore tenuiore vix evenit.

§ 29. *Diu sedere* in marmore parum obtectis posterioribus analyticis. Namque non tantum ψύξις τὰ κᾳτ κοιλίλω σκληρώϛ *refrigeratio ventrem durat*, VI. Epid. v. 26. sed & flatibus implet & excruciat intestina. Confer ad Galeni & Vallesii commentarios.

§ 30. Quarta, *Annitempus*. Aph. XXII. lib. III. morbis autumnalibus accensentur εἰλεοὶ *volvoli*. Aetius: *æstate quam vere, autumno quam hyeme magis oritur*. Aretæus addit: *utroque magis æstate*. Ibn Sina f. XVI. l. III. tr. IV. c. XXIX. *pestilens aeris contagium* huc adscribit. Alex. Benedictus lib. XIX. cap. VIII. *Ileos veluti pestis contagione alios corripit, provincias occupat*.

§ 31. Quinta, eademque frequentissima, Aretæo est σωεχὴς μὲν διαφθορὴ σιτίων πολλῶν τε καὶ ποικίλων, καὶ ἀξυνηθέων, καὶ ἄλλη ἐπ' ἄλλῃ ἀπεψίη. *Continens corruptio ciborum multorum ac multigenerum, minusque consuetorum, & alia super aliam cruditas*. Exempla sunt apud Forestum lib. XXI. obs. XVI. XIX. & Ballonium I. Cons. LXIII.

§ 32. Sexta, ψυχροποσίη ἐφ' ἱδρῶτι, ἄδδην καὶ χανδόν. *Potio frigidæ à sudore, ad satietatem ac subitæ*. Casus est rustici apud Ibn Zoar II. Theisir tr. I. c. II. in quem Zacutus II. Med. princ. hist. XCVIII. Alius apud Jacchinum in IX. ad Almans. c. LVI.

§ 33. Septima, Εἰλεώδεα vocata Cappadoci, *apta nata ileum facere*. Tale dicitur *atramentum sepiæ*, ibi & apud Aetium, aliosque. De quo in proxima dicam ex professo.

§ 34. Octava, *Venena*. Hoc nomine in Alexipharmacis Nicander damnat *aconitum*, v. 22. *spumam argenti*, v. 597. *fungos* Aurelianus: *arsenicum* Forestus obs. XXIII. *bupreslin* & *lithargyrum* Jacchinus.

§ 35. Nona, *Refrigeratio subita* post exercitia valida. Curavit Forestus obs. XVIII. Ego tertio in Sibrando Petri, nauta Franekerano.

§ 36. Decima, τὰ πυρωθώδη. Quæ, docente Galeno IV. Vict. acut. 17. sunt διαχωρήματα ξηρὰ *excrementa sicca* & coacta

in globulos, ut ſtercus caprillum. quod Varinus in Ἀποπατῆσαι ſcribit σπυράδα, καὶ σπυράθιον, καὶ σπύραθον, καὶ σπύρδανα vocari. Unde Hippocrati II. Muliebr. XLI. ἡ σπυρὰς *pilula medicinalis* eſt, magnitudine globuli caprilli. Excernenda vero σπυραθώδη *adinſtar ſtercoris caprilli* durantur & formantur κατωπτημένων τῶν σκυβάλων *extoſtis ſcybalis*. Heſychius: σκύβαλα, κόπρος. Hinc Cyrilli gloſſę: σκύβαλον. *ſtercus, retrimentum.* puta, cujuſcumq; animalis. Toſtio fit ſubducto ſcoriæ ſero & rapto in venas ab æſtu ſanguinis cordiſque. Quibus inquinamentis irritati ſpiritus de facili fervent. Quibus itaque αἱ κοιλίαι σπυραθώδεες *alvi caprino more* habent, ut appellat Hippocrates in Coac. 481. his magna ad ileum ἀφορμὴ ſeu *cauſa impulſiva* delitet in corpore. Hippocrates de Affect. t. XXII. ἡ δὲ τοιαύτη νοῦσος γίνεται, ὅταν τῆς κόπρου ξυγκαυθῇ ἀθρόον ἐν τῷ ἐντέρῳ, περὶ τοῦτο περιίσταται φλέγμα. *Hic morbus fit, quando ſtercoris confertum fuerit combuſtum & circa hoc obducitur pituita.* cujus tenacitate firmius agglutinata inteſtino nequeunt ſine incredibili & indicibili labore excerni. à quo incaleſcens ſanguis vehementius confluit ad partem laborantem. Curavit Rulandus VII. 74. & X. 99.

§ 37. Undecima, *Hæmorrhoides ſuppreſſæ.* Notavit Ballonius I. Conſ. LXIII.

§ 38. Duodecima, *Lochia retenta.* Hinc incipiens malum vidi & curavi in puerpera quatriduana Catharina filia D. Livii à Scheltinga Friſiæ Ord. à Secretis & Acad. Franekeranæ Curatoris, conjuge autem D. Auli ab Haerſma Smallingerlandii Prætoris & eorumdem Ord. Delegati, quos mihi amiciſſimos & faventiſſimos non debui non honoris cauſa nominare.

§ 39. Decimatertia, *Ira.* Hanc obſervavit Tulpius II. Obſ. XLI.

§ 40. Decimaquarta, *Intemperies calidæ.* Videſis ad Hofmannum III. Inſt. CXLVII. 8.

§ 41. Decimaquinta, *Obſtructio à Pituitæ copia.* Salius de Aff. part. XI. contra Galenum: cui cauſa hæc probabilis non videtur in com. ad aph. XLIV. lib. VI. Hinc tamen cœpit volvulus, qui interemit D. Maignam Med. & Regium in Mathematicis Prof.

Prof. referente Ballonio I. Conſ. XXXI. Arbitrabimur nos exercitatione VII. ad Tiſameni colicam.

§ 42. Decimaſexta, *Scirrhus.* Meminit Galenus in VI. Aph. XLIV. Vidit Hildanus Cent. I. obſ. LXI.

§ 43. Decimaſeptima, *Lumbrici.* In exemplum necdum incidi.

§ 44. Decimaoctava, *Ingreſſus inteſtinorum mutuus.* Columbus ſcribit in XV. Rer. anat. ſe animadvertiſſe in nonnullis, quos dolor iliacus enecaverat, ſpatio ampliore, quam ſit digiti longitudo. Vereor ne mendacium nobis dixerit. Si verum, adſtituo caſui Guil. Patris, cujus memini § 2. hujus: & effectum potius ilei fuiſſe credo, quam cauſam.

§ 45. Decimanona, *Oſcheocele,* ſive ea ſpecies herniæ, ſub qua *pondere in ſcrotum devolvitur, aut omentum, aut etiam inteſtinum,* ut Celſus interpretatur lib. VII. cap. XVIII. Meminit Aretæus laudato jam loco. Videre Ballonius I. Conſ. XXXI. & II. Conſ. XXIV. Ferdinandus Hiſt. LXXIV. Foreſtus obſ. XVII. Frambeſarius V. Can. III. conſ. I. Hildanus I. Obſ. LXI. Horſtius IV. Obſ. XIII. & ego in Petro Kingma, Præturæ Franekeranæ à Secretis.

§ 46. Vigeſima, *Bubonocele.* Cujus ſe domeſticum exemplum habuiſſe teſtatur Hofmannus, Inſt. d. c. § 10. Curavit Foreſtus obſ. XX.

§ 47. Vigeſimaprima *Exomphalos.* Foreſtus obſ. XXI. XXII. Vidiſſe Hippocratem quoque, paret II. Epid. I. 19. αἱ δὲ (ῥήξιες) σμικρὸν ἄνωθεν τοῦ ὀμφαλοῦ ἐν δεξιᾷ, ὀδυνώδεες αὐτῶν καὶ ἀσώδεες, καὶ κοπριήμετοι, οἷον καὶ τὸ πιττάκου· *Ruptiones vero* ſive herniæ, *nonnihil ſupra umbilicum in dextra factæ, dolorificæ ſunt & anxioſæ, & merdivomæ, ſicut illud Pittaci.* vide Valleſium heic.

§ 48. Vigeſimaſecunda, *Abſceſſus.* Meminit Galenus etiam IV. Aph. XLIV. Plenius explicat III. Vict. ac. 33. & fere in hunc ſenſum. Cum exulceratio levis eſt inteſtini, ſi à ciborum tranſitu proritetur, nec exitum cito habeant; tum evenire, ut inteſtinum hoc novo ſtimulo laceſſitum non tranſmittat quæ læſura videntur; ſed mutata velificatione curſum deinceps in-

flectat ſurſum contra naturam, quem deorſum tenere erat aſſueta.

§ 49. Vigeſimatertia, Ἀδόκητος πληγὴ *inopinatum vulnus.* Codd. Aretæi addunt σὺν. temere. Iſta Ariſtippum ſuſtulit, & Neapolim: cujus hiſtoria utrobique illius ſequitur. Nos Ariſtippi expendamus propius.

§ 50. *Dolor ventris vehemens.* Cauſa *doloris,* vulnus. *Vulneris,* ſagitta & ſagittarius. *Sagittæ* cum ſoleant magna *vi* amitti, magna *violentia* ferire, mirum non eſt fuiſſe *graviter* vulneratum. Celſus l. III. c. IV. § 3. *Nihil tam facile in corpore quam ſagitta conditur, eademque altiſſime inſidit. Hæc autem eveniunt, & quia magna vi fertur illa, & quia ipſa in anguſto eſt.* Credibile, cum in hypogaſtrium ex inferiore loco ſit illatum, pluribus locis penetraſſe inteſtinorum anfractus. Etiamne majus quid denotat illud χαλεπῶς? Omnino: ſi, quod fere fiebat, ſagitta ſpiculis fuit cincta. Talis enim & magis laniat & minus recipi retro poteſt. Namque, quod tum faciendum eſt, ut propellatur donec ab altera parte adprehendi & extrahi poteſt: id fieri hujuſcemodi in caſu non poteſt. Itaque & multitudo plagarum & laceratio partium & natura loci, quo ſenſibilior alius non eſt, auctores fuere vehementis illius doloris.

§ 51. SIGNA nobis conſideranda ſunt duum generum: Δηλωτικὰ καὶ Προγνωστικὰ, *Indicativa* & *Præmuntiativa* dixeris Latine. *Iſta* nobis Præſentia demonſtrant: *hæc,* Futura præmonſtrant. *Iſta* rurſus ſunt Communia aut Propria. *Communia* appello, quæ Speciem morbi indicant: *propria,* quæ Individuum. *Illa,* omnibus Individuis communem naturam: *hæc,* Cuique propriam manifeſtant. *Illa,* fiunt ratione Morbi, qua morbus: *hæc,* ratione Partis, quam occupavit. Do exemplum noſtro clarius, & quo Galenus ipſe utitur l. de Conſt. art. c. XV. Pleuritis eſt inflammatio lateris. Heic quæ adſunt *ſigna* Inflammationis, *communia* ſunt Pleuritidi & Arthritidi: quæ vero adſunt *ſigna* Lateris affecti, ea ut Pleuritidi ſunt *propria,* ita illam diſtinguunt ab Arthritide & quavis alia inflammatione. Unde illa Παθογνωμονικὰ q. d. *Affectus indicativa:* hæc, Διαγνωστικὰ

σηκὰ *discretiva* aut *distinctiva* vocantur. Nempe, Morbi *natura specifica* ex signis Pathognomonicis noscitur: *differentia* vero *individualis* ex Diagnosticis dignoscitur, hoc est, distincte noscitur seu internoscitur ab omni simili. Cæcus apud Marcum VIII. 24. à Luce mundi lucem recipiens oculis dicebat, *Video homines: nam velut arbores cerno ambulantes*, hoc erat pathognomonicum. *Deinde iterum imposuit D. Iesus manus oculis ejus, jussitque aperire oculos: & restitutus est, & vidit* (N.) *procul & dilucide omnes.* hoc erat diagnosticum. Repeto. Novi characterem amici in incedendo. Occurrentem in solitudine video à longo; pavor occupat artus, quia notus an hostis sit homo quem video, non agnosco. Accedit propius, characterem nosco, pono metum. Accedit propius, vultum nosco, in amplexus ruo. Heic signum pathognomonicum hominis est motus accedentis: diagnostica sunt, character & vultus. Atque hinc jam discat Hofmannus, quod scire avet IV. Inst. I. § 11. τὰ Διαγνωστικὰ *quid differant* ἀπὸ τῶν παθογνωμονικῶν. Et ista necesse habui præliminariter dicere, ut & viam mihi aperirem ad Methodum *semeioticam*, & simul velut cubito removerem illos φορλικὰς, qui superba quadam ignorantia & vel aperta morositate vel occulta sugillatione non cessant obstare his qui in exscribendo sunt feliciores, quam ipsi in inveniendo, judicando & accurate rem pensitando.

§ 52. *Pathognomonicorum* itaque signorum primum est *Febris.* Galenus in IV. Aph. LXXIII. Noster *inflammabatur.* Necessario, qua totum, qua ventrem, etiam totum. Sane inflammatio non fit sine febri, acuta, ardente. quin, ut audivimus supra, inflammatio est febris: eaque quo celerius corripit, partemque usu aut sensu magis nobilem, eo major. Heic *ardens* procul dubio fuit. Cui proprium (II. Crisib. VI.) incipere sine rigore. Cujus nulla heic mentio. Hoc ex nostra consuetudine. Nam antiquitus nulla Febris, quæ symptoma esset, eo nomine veniebat: sed Inflammationis, quæcumque fieret viscere incenso. Ita Galenus in VII. Aph. XLII. Perpetua tamen veritate id non constat. De hoc ipso affectu Hippocrates l. de Affect.

t. XXII. Εἰλεὸς ὅταν λάβῃ, ἡ γαστὴρ σκληρὴ γίνεται. καὶ διαχωρέει οὐδέν. καὶ ὀδυνᾶται κάτω πᾶσιν τῷ κοιλίῳ ἔχει, καὶ πυρετὸς, καὶ δίψα. *Quum ileus prehendit, venter durescit: nihil egerit: dolor inferius totum ventrem habet, & febris, & sitis.*

§ 53. Secundum, *Ardor*, imo *æstus* loci inflammati & vicini seu tenuibus inequitantis Coli. cujus res agitur paries cum proximus ardet. Et æstum potius intellexerim per *inflammabatur*, quam *ardorem*. Ratio: ponitur ceu effectum vehementis doloris. Deinde, quod usurpat vocabulum Præceptor, proprie significat acri & subtili calore uri. Nicander Ther. v. 36. de Hæmorrhoo, cave ne mordeat, inquit. Etenim

Τῆς μὲν ὀδαξαμένης, τὰ μὲν αὐθρόα πίμπρατο οὖλα·
Vruntur subito gingivæ, si fera mordet.

Ubi Scholiastes: ὥσπερ καίεται καὶ πυρῶται *suburitur & ignescit*, velut pipere aut pyrethro manso. Si neque hoc placet & prius malis, do expressius: θέρμαι *calores*. Quare plurium numero? Ad significandum æstuationes inflammatorii caloris in parte laborante, & hinc se per vices tollentis atque eructantis.

§ 54. Tertium, *Tumor ventris*: non sublimis, quod fortioris indicium VI. Aph. VII. sed contractus & durior initio: postea enim venter intumescit paulatim (ceu bene notat Chiffletius Obs. XXVIII.) & fit sublimis. Notatum in eo, qui Lariſſæ hasta lata percutiebatur à tergo, ut acies infra umbilicum exiret: v. Epid. t. XI. Heic silet. An quia à ventre emitti sanguis per plagam potuit ob loci declivitatem?

§ 55. Quartum, *Renisus*. Celsus: *Si nihil tumet, duas manus imponere oportet, supra summum ventrem, paulatimque deducere. Invenietur enim mali locus, qui necesse est renitatur.*

§ 56. Quintũ, *Dolores ventris vehementes*. Hoc repetitũ in historia docet, distinguendũ esse inter *dolorem* quem facit vulneratio, causam inflammationis, & *dolores* quos facit inflammatio. Πάντων δὲ ποιητέων αἰτίη ἡ πνεύμαλος ἡ διόδευσις. τοῦτο γὰρ ὁκόταν προσπέσῃ πρὸς τόπους ἁπαλοὺς καὶ ἀηθέας καὶ ἀθίκλους, ὥσπερ τὸ ξύλμα ἔγκειται. *Omnium vero eorum causa est spiritus transitio. Quoties enim hic incidit in partes teneras & talium insuetas ac integras, velut spiculum incumbit*

cumbit lancinatque: Hipp. de Flat. t. XIV. 148. Altera causa, siccus flatus, qui deorsum properans & exitu intercluſus, ſursum repetit, colon tendit divellitque, & tanto impetu, ut ſtercora quatiat. Hinc habent enim, quod ſpumoſa & velut turbidum fermentum appareant, ſi prodeant, & bubuli ſtercoris inſtar innatent aquis.

§ 57. Sextum, *Anxietas magna.* Noſter, ἀσώδης λῶ. Hippocrati ἄσῳ ſignificant *faſtidia*, v. Aph. LXI: *nauſeas*, Coac. CXLII: *morſus cordis*, VII. Epid. t. IX: *anxietatem cordis*, IV. Vict. acut. 47: δυσφορίαν *difficilem tolerantiam*, II. Vict. ac. 22: ἀλυσμὸν *conſilii inopiam*, Galenus in Exeg. & I. Epid. ægr. XI: ῥιπασμὸν *jactationem irrequietam*, II. Vict. ac. 22. Hui, quantum verbum! & quam in uno verbo includitur πόνος πολὺς *multus labor*, ut Aretæus dicit. Cauſæ tantorum malorum, bileſcens fervore ſanguis, bilis in ventriculum reptans, neceſſitati non reſpondens ſpiritus aut ſpiratio. Iſtæ præcipue. nam & aliæ adferri queunt.

§ 58. Septimum, Ἀναπνοὴ κακὴ *Reſpiratio mala*, ex Aretæo. Malitia non una: concitata, eliſa, ſublimis, revulſa, magna, obſcura, alia.

§ 59. Octavum, *Lipothymia.* Galenus I. ad Glauc. XIV. Ballonius I. Conſ. XXXI. *Quidam volunt in* ileo ex *inflammatione ſtatim gangrænam conſequi, quod falſum eſt. Nam hinc perſuadentur quod leipothymiam frequentem adeſſe videant: at non eſt neceſſe inde inferre à gangræna id conſequi: ſiquidem facile communicatur id vitii ventriculo ob viciniam. Et teter vapor eorum quæ excernuntur facile leipothymiam adducere poteſt.* Agnoſco ab utraque hac cauſa deficere nobis animum poſſe. Hoc tamen in caſu neutram agnoſco. Non *conſenſum ventriculi*, quia ubi *duo dolores ſunt ſimul, non tamen in eadem parte, vehementior obſcurat alterum*, II. Aph. XLVI. Heic vehementior procul dubio inteſtini dolor, quam ventriculi eſt: non dicam, quia ex conſenſu hic eſt: ſubſunt rationes momentoſiores. Prima, ſenſibilius longe inteſtinum eſt, ob ſubſtantiam membranaceam magis. Ventriculus enim carnoſior. Secunda, inteſtinum plus vaſorum habet.

habet. Huc ergo copiosior affluxus. Tertia, ad intestinum fervens bile jecur se deonerat. Quæ etsi nostro ad ventriculum ferretur, non potuit non nonnihil deferveſcere, priusquam in eum perveniret. Quarta, flatus siccus & in arcto mire efficax ad torquendum, & addendam afflicto afflictionem. Non *tetrum vaporem.* Ubi primum anceps oratio facit, ut dubitem, debeamne intelligere eum fetorem, quo reddita ore horrenda sunt spiritui odoranti; an eum quem retenta per lacteas aut mesaraicas efferunt ad cor. Si *priorem:* mirum est, non deficere, saltem in acutissimis febribus, quibus etiam sanis anima morticinam mephitim & horribile præsentibus supraq; omne putidum olet. Si *posteriorem:* aveo discere, quei in tanta σπλῆς conturbatione, membranæ contractione, cavitatis dilatatione, vasorum compressione possit in hæc subire vapor fœtens. Ergo, quæ verior causa? Jactatio & quassatio spiritus.

§ 60. Nonum, ἔξωχροι, ψυχροὶ τὸ πᾶν σκῶ, *præpallidi, frigidi totum corpus.* Τὸ σκῶ eleganter de *corpore* seu tabernaculo veri hominis dici, dixi in Physiol. VI. 136. Possis vero illud signum dupliciter interpretari. Primo: solemnis est in qualibet inflammatione πρόσωπα ὑπόχροα *faciei saturus rubor,* ut appellat Hippocrates Coac. 213. & explicat Galenus I. Prorrh. II. 14. Dicitur autem *saturus rubor,* qui fixus & stabilis est, non ut in verecundiam datis refluus, non insitus, nec gentilitius. Hic animum linquentibus sæpe perit, neque ad se redeuntibus redit. Spiritus hoc concedentis morbo indicium certum est. Manent itaque *præpallidi* & *frigidi*, ut in defectu erant: videlicet subducto præsidio limitibus in tutelam interiorum & nobiliorum partium. Secundo: secundum placitum aph. XLVIII. lib. IV. nisi mavis Coac. 115. ἐν ὀξεῖ τὰ μὲν ἔξωθεν ψύχεσθαι, τὰ δ' ἔσωθεν καίεσθαι, κακόν. *In acuto externa perfrigerari, interna uri, malum.* Aphorismum latine dedit Celsus lib. II. cap. VI. Τὰ ἔξω quæ dicantur, exposui in eisdem Physiolog. XV. 12. Ad cætera satis est expositorum, unde mentem Dictatoris intelligas.

§ 61. Decimum, *Sitis* perpetua & inexstinguibilis. Hippocrates

Unable to display this page

sæpe concitet ad vomendum. Quin illud μετ' ὀλίγον, recollectiones citas bilis & necessitates rejiciendi innuit. Quæ præterea circa hoc symptoma oporteat notare, dicam alibi. Interea redi ad Hofmannum Inst. c. c. § 14.

§ 64. Fuerunt *communia* Signa, sive quæ Ileo, etsi maxime velis, soli tribuere non possis. Sequuntur *diagnostica*, sive quæ Ileum esse dubitare non sinunt. Tale primum est, *Deorsum nihil excerni*: ut heic. Et hoc proprium atque inseparabile esse Galenus dicit VII. Aph. x. Quin VI. Aph. XLIV. addit, *Etiamsi quis acerrimo utatur clystere.* Confer ad Eust. Rudium l. II. Art. med. c. XXIX.

§ 65. Secundum, ἄνω ἡ φορὴ, πνεύματων, φλέγματος, χολῆς. ἐμεῖσι γὰρ πάντα. *Omnia petentia sursum, flatus, pituita, bilis, & hæc vomitione reddita:* ex Aretæo. qui ista ait evenire, ὧν ἐπὶ πᾶσι ἴσχνὸς εἰλεὸς *siquidem omnino invaluerit ileus.* Cum enim omnia ista & sint & agitentur in intestino, & vero deorsum excerni nequeant, superest ut sursum petant & exeant qua claudi via nequit. Aristippus si *sæpius bilem vomuit*, (quo ducunt, *cumque evomuisset, visus est melius habere: attamen paulo post iterum dolores vehementes.*) quæ & unde fuit? *Meræ* fuit, & proculdubio è capsula expressa. Sed cum ne in talibus quidem vacua ab obitu vesica inveniatur: non videtur, quod hinc venit, respondere copiæ vomitæ. Dixi, sanguinem ab æstu inflammatorio exuri in bilem: hæc sufficit quod pluribus vomitibus sufficit. Sed neq; excretam copia æstimare debet, sed qualitate. Plus laboratur in uncia meræ bilis, quam in libris pituitæ mixtæ bile à ventriculo.

§ 66. Tertium, *Anus* tam *arcte clausus*, ut ne tenuissimam fistulam admittat. Hoccine significant nostri Senis ista, *Venter velut in ileis?* Nihil ventri peculiare ab ileo accidit, præter hoc. Cætera causari etiam alii morbi queunt. Si displicet tamen, rogo te Oedipum: nam acceptare non possum, quod Vallesius in com. dicit, *Explicare magnitudinem doloris.* De hoc Hippocrates, *vehementes:* quod plus. *Vehemens*, quod magna vi ac celeriter movetur. Sed dubitantis ista sunt, an affirmantis?

Hujus.

Hujus. Q. d. enim, quamvis à vulnere morbus, ab externa causa inceperit, ne dubites, Ileum esse: nam venter solito illi more habet. Neque vis est in synecdoche partis. inprimis cum ano clauso venter totus hinc à flatu tumeat, à bile turgeat, atque ita ab utroque doleat, ut paulo post anima sæpe stercus oleat.

§ 67. *Prognosticis* præmitto repetens universale & vetus Hippocratis de Aff. XXII. Ἔστι δὲ τὸ νόσημα ὀξὺ καὶ ἐπικίνδυνον· *Est autem præceps morbus & periculosus admodum.* Plane ad hunc sensum vetus medicus & eruditus scriptor Theod. Priscianus lib. II. cap. IX. *Ileorum passio acuta est & sub angusto tempore periculosa.* Ecquas ob causas? *Primo quod ventris totius & stomachi ventositate tenduntur: vesicæ, inguinum, coxarum, & omnium vicinarum partium doloribus opprimuntur: scybalorum intercluſione nimia conligantur.* Verbotenus ista repereris apud Gariopontum lib. III. cap XXVIII. Scriptor Latinus est & Christianus, corrupto tamen ab Arabibus nomine.

§ 68. Præmitto alterum & certum Aretæi: ἐντέροισι γίγνεται μὲν φλεγμονή, ὀδυνίῃ ὀλεθρίῃ ἐμπιέσασα. θνήσκουσι γὰρ μυρίοι σφόφοισι καρτεροῖσι. *Inteſtinis accidit inflammatio, dolorem apportans lethalem. Moriuntur enim milleni torminibus validis.* ἰῷ γὰρ ἐπὶ πᾶσιν ἴσχῃ ὁ εἰλεὸς *nam si quem in totum habeat ileus,* non dicam albæ gallinæ filius sit oportet, sed dilectus Deo, si se evasurum sperare ausit. Nulla salus, nisi Deus è machina.

§ 69. Mortis *futuræ* signum primum, *Acerbitas doloris.* Nihil æque spiritum inflammat, agitat, fatigat, dissipat.

§ 70. Secundum, *Vomere.* Aph. x. lib. VII. ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, κακόν· *Ad ileum vomitus, malum.* Malorum hoc primum est. Sed merito quis miretur, quei ponat pro *signo* morbi, quod videtur ipse *morbus* esse. Philotheus: εἰλεός ἐστιν ἔμετος τῆς κόπρου *Ileus est vomitus stercoris.* Sed huic contradicit Galenus: ἔμετος δὲ οὐκ ἀεὶ παρέστιν· *vomitus vero non semper adest.* Huic iterum Brasavolus contradicit: *Nos vero usque ad hoc tempus (sunt autem viginti duo anni, quod hanc artem exercemus) nondum vidimus ileon sine vomitu.* Contradictio heic nulla: omnes ex vero.

§ 71. Quod ad *aphorismum:* distinguendum est inter inci-

pientem ileum & progredientem. Incipienti vomitus non adeſt: cum adeſt, habes certum indicium invaleſcentis morbi. Morbus etiam in principio periculoſus: addit periculo vomitus, nam in deterius rem ire ſignificat. Prius didiceris ex Aretæo. ξυνίεσι δὲ αὐτοῖσι, εἰ μὲν ἐπεικὴς εἰλεὸς εἴη, πόνος ἐλιοσόμενος, στομάχου πλάδος, ἔκλυσις, μαλακίη, ἐρεύξιες κεναὶ καὶ οὐδὲν ὠφελέουσαι, κοιλίη ὑποβορβορίζουσα φύσῃσι, ἰδοιπορίη μεσφὶ ἕδρης, διέξοδοι δὲ ἀτελέες. *Adeſt illis, ſiquidem mitior ileus fuerit, dolor torminoſus, ventriculi humiditas, exolutio, malacia, fructus inanes & nihil juvantes, venter ſubmurmurans flatibus, profectio uſque ad ſedem, exitus vero imperfecti.* Signa cedro digna. *Mitior* ileus in initio eſt: *mitis* numquam eſt. & qui poſſit eſſe *morbus acutus & diſcriminis plenus?* ut ex Hippocrate audivimus. ὁ πόνος, *labor* recte, & *dolor* redditur. Heic utrumque ſignificat. Nam & labor eſt in periſtole citata: & *dolor* à flatu tendente. *Ventriculi humiditatem* cognoveris ex ſalivatione & natatione veluti cordis in aqua. Vulgi hæc phraſis eſt: ſignificans copioſioris ad ventriculum ſeri influxum, & in eum effuſi fluctuationem. Ἔκλυσις heic ventriculi affectus eſt, non cordis. A nimia quippe humiditate *exolvitur* tonus viſceris. Hinc μαλακία *effeminatio* atque proſtratio omnis appetitus. Hinc *ructus*, ſed *inanes*. Ita vocat erugendi conatus, ſub quibus frequens flatus inquietat ſtomachum, ſed qui prodire nequeat, quia ſe ad illius impetum hic dictum factum conſtringit: ideo nec juvant. Simile ventri inferiori accidit. Murmurat flatibus. Flatus viam deorſum petunt. Perrumpere anum conati ſiſtuntur, ſtringente ſe ſphincter: hinc revolvuntur: hinc tormina ſæviora. De *flatu revoluto* quid judicet Hippocrates, vide 1. Progn. 11. 24. Coac. 495.

§ 72. Poſt hæc pergit Cappadox, & *omnia ſurſum ferri* dicit, *flatum, pituitam, bilem, & hæc vomitu reddi.* Vomitus itaque ad ileum accedens ingraveſcere morbum, & adducere certum periculum arguit. De hoc Celſus: *Si ſuperior pars affecta eſt, cibus: ſi inferior, ſtercus per os redditur: ſi utrumlibet vetus eſt, adjicitur periculo vomitus bilioſus mali odoris, aut varius, aut niger.* An legendum? *ſi utrumlibet, verus eſt. Adjicit periculo vomitus bilioſus.*

Sic

Sic quidem ſenſus planus eſt, & rei conformis, & ſucceſſioni ſymptomatum. Scito interim me meam conjecturam nulli obtrudere: quin lubentiſſime velle commutare cum medicina, quam ex membranis dudum Cl. Rhodius parat Hippocrati Latino; non merito ſic appellari, ſi bonum Heurnii, viri clariſſimi, judicium eſt in Orat. de modo ſtud. med. *pluris Latinitatem ejus, quam Medicinam faciendam.* Me, non novi medicum poſt Hippocratem, Latino ſapientiorem, quique Arcana artis & ſciverit melius & ſcripſerit fidelius.

§ 73. Ex iſtis intelligi poteſt, ſententiam Galeni fuiſſe, *vomitum ileo non adeſſe protinus*, ſed ſupervenire aucto. Atque illud ἀεὶ *ſemper* accipi debere de tractu morbi, non de ægris. Vis medice? Vomitus eſt ſymptoma ἐπιγινόμενον vi morbi augeſcentis, non vero συνεδρεῦον ſive concomitans invadentem. Niſi ſic intelligi vult, quare addit dictis? ἀλλ' ὅταν ὀλεθρίως ἔχουσι *niſi quando pernicioſe habent.* Ita vero habere dicuntur, non ſolum quibus deſperata res; ſed & quibus *gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt*, ut loquitur Celſus lib. v. cap. xxvi.

§ 74. Quia vero ileus, quamdiu intra ſymptomata mitioris eſt, facile pro ileo non habetur; non haberi vero non poteſt pro vero ileo, ſi vomitus ſupervenit, inprimis ſtercoris; quin hic colophonem morbo pariter ac vitæ imponat: hacpropter non male Philotheus per id definivit, quod vel nominare os purum horret. Si vero Braſavolus numquam vidit ileon ſine vomitu, aut initio non adfuit, aut non agnovit. Nos in Sibrando Petri bis vidimus veritatem dicere Aretæum.

§ 75. Tertium, *Vomere, nec juvari.* Nam ſi quæ juvare debent, non juvant, malum.

§ 76. Quartum, *Vomere cibum.* Sæpius periculum majus eſt in vomitu cibi quam ſtercoris: tum ob Vomendi cauſam, tum ob Symptoma ipſum. Nam vomendi cauſa eſt phlegmone ſyſtrophica. Cujus periculo illud adjicitur, quod vomitione cibi & chyli tollitur nutricatus. Ut ne dicam interim quæ & quanta ex crebra vomēdi contentione ſymptomata excitentur.

§ 77. Quintum, *Vomere meraca.* Quorum nihil umquam in

bonis ducendum: II. Prorrh. 28. Coac. 560. Auget malum τὸ κατακορέα. Plus hoc quam ἄκρητα *meraca*. Hæc videntur sæpe talia: illa numquam non sunt. Exposuit Foesius in Oeconomia, & bene.

§ 78. Sextum, *Vomere biliosa mali odoris, varia, nigra.* Significare hæc Duretus (p. m. 355. l. 39) ait *adducta in sympathiam hepar & lienem, & multum vitiata ac valde afflicta.* Apud me tantæ dignationis servilia illa viscera non sunt. Subest lethalior causa. Sanguis, præ æstu conversus in bilem est: ex jactatione secessit & corruptus est: corruptus denique & biliosus usti sunt & in atram bilem transierunt. Jam vero, *sanguinem superne, qualiscumque sit*, efferri, *malum:* IV. Aph. XXV.

§ 79. Septimum, *Vomere & obsurdescere:* Coac. 470. Duretus l. II. Coac. c. XXII. 4. *Surditate utraque: tum ea quam facit exolutio partis illius cerebri, unde vis audiendi manat: tum ea quæ* fit impedito appulsu τῶν ἀκουστῶν, *per obstructionem meatus auditorii.* Neutram rationem intelligo: non magis, quam si oraculum dictasset vir summus. Inculcat tamen illas non semel: ceu videre p. m. 42. l. 29. p. 208. l. 34. p. 495. l. 8. Ego vero agnosco Galeni rationem I. Prorrh. I. 32. obsurdescere iliosos inter vomendum τῆς ἀκουστικῆς δυνάμεως νενεκρωμένης *auditiva facultate emortua.* Hanc rationem agnosco inquam, sed non sine παραμυθίᾳ. hac nempe:

§ 80. *Facultas* est *spiritus* ipse. Auctor Hist. philos. c. XII. *facultas spiritus esse videtur, qui merito corpus existimatur.* Quin Galenus ipse XI. Meth. III. τὴν τῆς δυνάμεως οὐσίαν συμπληροῦσθαι λέγε τε τοῦ πνεύματος καὶ τῆς σαρκώδους ἰδέας καὶ τῶν στερεῶν *facultatis essentiam compleri* scribit, *ex spiritu & carnoso genere ac solidis.* Quæ si vel locus iste sineret vel ego velim revocare ad limam, parvo sane negotio posteriora derasero & ostendero, *rem unam* esse, quem Spiritum, Calidum influens, atque Facultatem vocamus: itidemque *Spiritum*, nomen esse totius; *calidum* vero & *facultatem*, nomina partium, ex quibus essentiatur spiritus. Ergo propius ad rem.

§ 81. *Obsurdescere* in aut à vomitu, malum est, non ut causa, sed

sed signum. Malum est, non ideo inquam, quia *facultas audiendi abolita est*: quam enim multis conceditur surdis vivere & cætera bene? sed quia Spíritum consumtum, Calidum dissipatum, Facultatem collapsam, Cor exhaustum, Ignem defectum, Naturam denique victam (tot vocibus rem designamus eamdem) significat. Et habes effatum Præceptoris Coac. 72. Τοῖσιν ἀσθενέως ἤδη κατακειμένοισι, μὴ βλέπειν, ἢ μὴ ἀκούειν, ἢ διαστρέφεσθαι χεῖλος, ἢ ὀφθαλμὸν, ἢ ῥῖνα· θανάσιμον. *Invalide decumbentibus, non videre, aut non audire, aut distorqueri labrum, vel oculum, vel nasum, lethale.* Sunt certe *decumbentes* omnes invalidi & inepti rebus, alienis, suis, suam præsentiam commodare. Parum hoc præ eo quod importat adverbium *invalide*. Significat enim eo usque viribus fractos, ut ne quidem Naturæ necessitatibus ulla in parte queant vel conari satisfacere. Verum de his, quæ ad *decubitum*, alibi plenius.

§ 82. Octavum, *Perpallescere*. Indicium hoc exusti sanguinis & deficientis spiritui fomitis. Neapoli χρῶμα κατεχύθη λεπτὸν. ὠχρὸν. μέλαν εἰόν. Cornarius: *color per corpus diffusus est, tenuis, pallidus, niger.* Foesius: *colore tenui, pallido, nigricante suffusus est.* Ad verbum: *color suffusus tenuis, pallidus, cum esset niger.* Fixissimus colorum est niger, minimeque obnoxius mutationi. Abiit in adagium: *Æthiops colorem non mutat.* Sic neque μελάγχρως (qui dicitur VI. Epid. II. 27. & Glossis Græcol. exponitur *fuscus*) facile admittit colorem alium. Mihi, *color*, nostro heic in emphasi videtur dici pro eo, qui communis est & *verus* apud Terentium in Eun. act. II. sc. III. 26. & Neapoli præter naturam effulsit in facie, index interni æstus. Hunc *tenuem* dicit: tum quia obtunderetur, nec emicare ex pleno posset; tum quia fugax esset. Fugientem insequitur *pallidus*. Pallorem intelligo *luteum* quem vocat Horatius Epod. ode x. Causam cognoveris ex modo dictis § 75.

§ 83. Nonum, *Fœdus odor* à tota compagine perspirans. Hippocrates I. Prorrh. III. 66. Ἐπὶ εἰλεοῖσι δυσώδεσι, πυρετῷ ὀξεῖ, ὑποχονδρίῳ μετεώρῳ χρονιωτέρῳ, τὰ παρ' ὃς ἐπαρθέντα κλείνει. *Super volvulum gravcolentem, febrim acutam, hypochondrium sublime*

me

me inveteratius, parotides exurgentes occidunt. Hippocratem solitum κατὰ συνδρομὴν τῶν συμπτωμάτων τὰς προγνώσεις γράφειν *secundum concursum symptomatum,* hoc est omnibus consentanea *prognostica scribere,* ex vero heic monet Galenus, atque adeo neque in hoc neque in aliis ab uno aut altero repetendam prænotionis certitudinem, aut in quolibet fundandam prædictionis infallibilitatem. Rem ipsam leviori brachio defunctus materiam posteris addendi reliquit. Nos tria in his considerabimus. Primo, Syndromen symptomatum propositorum ceu causam parotidum. Secundo, Rationem quare talem illæ syndromen consequantur. Tertio, Quare hæc consequentia occidat. Syndrome rursus tribus constat symptomatis. Quorum ultimum nobis erit primum, utpote priorum, ut putamus, causa.

§ 84. *Hypochondrium,* absolute usurpatum, κατ' ἐξοχὴν *dextrum* significare docet Galenus III. Epid. II. hist. II. Eodem intelligi etiam *viscera quæ ibi sunt,* ipse noster dicit III. Vict. ac. 30. *Sublime* dicitur, quodcumque tumet ab *inflatione,* IV. Aph. LXXIII. *inflammatione,* III. Progn. 33. 34. aut *scirrho,* IV. Aph. LXIV. A scirrho *elatum* heic esse intelligendum, τὸ χρονιώτερον ostendit. quod *inveteratius* reddo, cum Dioscoride: cui βὴξ χρόνιος lib. I. cap. CII. est *tussis inveterata;* & lib. II. cap. XXVIII. χρόνιοι τῶν τενόντων ἀποστάσεις *inveterati tendinum tumores,* non *rigores,* ut male Ruellius. intelligit enim γαγγλίον, ἀπόστημα νεύρου ἄπονον, ut Pollux lib. II. cap. XXV. 3. nescio ex quo medico recte definit. Cornarius dixerat, *diutius permanentibus:* Foesius, *ex longo intervallo tumescentibus.* Uterque vel false, vel dubie. Nam Hippocrates intelligit de *tumore* præcedaneo, non consectario. Rarum non est obstrui hepar, & obdurari. Unde non secreta bilis & cumulata in vasis, inquinat & incendit sanguinem. Hæc postmodum causa est inflammationis iliacæ. Cui cum necessario adsit

§ 85. *Febris acuta,* imo hæc sit de essentia Inflammationis: videtur heic frustra nominari. Non certe. Inflammatoria febris topica est: hæc, humoralis. Illa, morbus est: hæc, symptoma.

Unable to display this page

διυημμένα. ἀπνίζοντα ἐν καρδίᾳ. Hæc quoque in Neapoli annotata, ſed parum feliciter explicata. Cornarius reddit: *Oculi ſicci, ſtupore rigidi, intus converſi, intuentes in corde.* Foeſius: *oculis erat ſqualidis, ſplendidis, intus revolutis, & defixis.* Videamus, & aliquid ad ſingula dicamus.

§ 91. Ὄμματα αὐχμηρά, *oculi ſicci, ſqualidi:* utrumvis recte quidem, ſed hoc melius. Oculi ut humidi ſunt, ſic humore ſemper irrigari gaudent. Amica aſpergine privati ſiccantur & aſperantur. *Squalidum* dicit utrumque. Lucretius eleganter II. de Rer. nat 13.

Omnis enim ſenſus quæ mulcet cauſa juvatque,
Haut ſine principiali aliquo lævore creata eſt:
At contra quæcumque moleſta atque aſpera conſtat,
Non aliquo ſine materiæ ſqualore reperta eſt.

Papias: *Squalor, ariditas, inquinatio, ſordes, deformitas, pallor, tabes, macies, ſitus.* Sane magnum verbum & aptum morbo magno.

§ 92. Καθαρώδεα. Calvus & Cornarius legerunt καρώδεα, *conſentientibus quibuſdam exemplaribus*, inquit Foeſius. Cui vel hoc nomine immortales debentur gratiæ, quod adeo fideliter membranas omnes excuſſerit, omnemque lectionis varietatem eruerit ac ſervaverit non tam memoriæ, quam expoſitioni fidæ. cujus adhuc magna eſt (abſit invidia dicto) penuria penes pleroſque interpretes. Ego, licet pleraque exemplaria retineant prius, poſterius tamen retinendum puto. Impoſſibile enim, oculos *ſqualere* & *ſplendere*. Squalentes vero numquam non torpidi, obſcuri, & velut ſtupore rigidi. Illius argumentum certum habes 1. Progn. 1. 10. ubi junguntur ὄψιες αὐχμῶσαι καὶ ἀλαμπεῖς *oculi ſqualentes, nec ſplendentes.* Eſt vero *oculus ſqualens*, de quo 1. Prorrh. 11. 11. ὄμμα ἀμαυρόμυον, φλαυρόν· καὶ τὸ πεπηγὸς καὶ ἀχλυῶδες, κακόν· *Oculus hebeſcens, non bonum: concretus vero & caliginoſus, malum.* Τὸ φλαῦρον reddo *non bonum*, auctoritate Galeni, per οὐκ ἀγαθὸν exponentis III. Vict. acut. 33. Proprie ſignificat *malum incipiens*, & requirit tale verbum, quo indicetur ægri res convertere ſe in ma-

Unable to display this page

in sequentem historiam. Ea VII. Epid. LV. sic incipit: Ἐν Καρδίῃ τῷ Μητροδώρου παιδί. Suspicor legendum, Ἐν Κρανῶνι. ut IV. Epid. VI. Ἐν Κρανῶνι τῇ Νικοστράτου. & sæpius alibi ejus loci mentio est. Κραννῶν & Strabo meminit in Thessalia l. IX. p. 442.

§ 96. Mortis *imminentis* signa heic quæ sint, paucis comprehendit Aretæus. *Ἰὼ δὴ καὶ θνήσκειν μέλλουσι, ἱδρὼς ψυχρὸς, δυσουρίη, ἕδρη ὑπολελημμένη, ὡς μηδὲ ἰχνὸν ἔλασμα διελάσαι· κόπρων ἔμετοι, ἄνθρωποι ἄφωνοι, σφυγμοὶ πρόσθεν μὲν πυκνοὶ, σμικροί· πρὸς θανάτου δὲ σμικρότατοι, καὶ πυκνότατοι, καὶ ἐκλείποντες. Morituris vero, sudor frigidus: dysuria: sedes adstricta, ut ne quidem tenue specillum inseri queat: stercorum vomitus: homines muti: pulsus ante quidem rari, parvi; sub mortem vero minimi, & frequentissimi, ac deficientes.* Adeamus singula & causam atque certitudinem significationis ex morbo perquiramus.

§ 97. Primum erat, *Sudor frigidus.* Significat multa. quæ non adeo. Heic, & Viscus conflagrare & in incendio restinguendo Naturam usque eo laborare, ut amplius non possit. Viscere incenso externa refrigerari intelleximus antea. Accurrit enim spiritus ad partem laborantem: scilicet ut præsenti periculo occurrat. Externa, custode remoto, diffluere sinunt vaporem vivificum. Qui in superficie corporis coiens induit sudoris frigidi atque unctuosi speciem.

§ 98. Alterum, *Dysuria.* Duretus II. Coac. XXII. 6. *Commune symptoma est dysuria multorum morborum, quibus imbecillitas, impotentia, & impeditio comparantur faciendi urinam. Fibrarum* (vide nos, si placet, in Physiol. c. V. 170.) *laxitas in vesica, imbecillam facit vim expellendi. Eadem quoque impotentiam infert mejendi, exaluta prorsus vesica. Idem facit ἀναισθησία vesicæ, i. sensus amissio, unde nulla sensio excitatur urinæ stabulantis in ipsa vesica,* parte acerrimi licet sensus. Et ista causa obtinet in ileo desperato. Sed cum stimulatrix ad mejendum causa adsit, urinæ cùm acrimonia fervens tum copia sufficiens, cur nulla sensio excitatur? An quia mens ægrotat, II. Aph. VI? Non est necessarium. Elizabethæ Johannis constabat ad extremum mens. Pridie obitus, morbi postridie querebatur de mejendi difficultate.

An

An quia major minorem dolor obscurat, II. Aph. XLVI? Nec puto, & obstat casus memoratus. An sphincteris resolutio? Non est credibile. Hæc sympathia est partium vicinarum: nempe, intestini recti, cui insidet vesica. Quemadmodum enim vesicâ inflammatâ nihil reddit alvus nisi πρὸς ἀνάγκλω *coacta*, Coac. 471: sic ano contracto simul vesicam stringi, etiam sani experimur.

§ 99. Tertium, *Sedes constricta*. Pudens locutio, & observanda prorsus atque imitanda facienti artem. Phrasis Aretæi est: sed verba Hippocratis. Ἕδρη, hoc significatu, reperitur V. Epid. XXIV. & VII. Epid. XVIII. *sessionem* vertit Aurelianus IV. Chron. III. p. 460. quem veteris Medicinæ Criticum appellat Criticorum eruditissimus Casp. Barthius V. Adversar. XVII. Nos Plinium sequebamur lib. XXI. cap. XX. *Participium*, quod additur, frequens est Hippocrati, non eadem tamen significatione. vide ad Foesii Oecon. Reperitur autem ἡ ἀπολελαμμένη κοιλίη I. Prorrh. II. 56. & III. 23. & II. Epid. III. In Coac. 158. κοιλίη ἀπῳλεμμένη scriptum est. Sic & κοιλίῃσι ἀπῳλημμένοισι Coac. 177. pro eo, quod est κοιλίῃσι ἀπολελαμμένοισι, Coac. 154. & ἀπολελαμμένοισι simpliciter, Coac. 186. Non dubito, quin verior sit & propter Ionismum suavior scriptio Aretæi, facile inter Græcos post Hippocratem principis medici. Neque novi, qui Morborum causas atque signa numerosius aut illustrius tradiderit. Galeno ad Prorrh. ἀπολελαμμένη exponitur ἐπεχομένη & ἐπεχημένη: Erotiano, ἐστιγνωμένη. Latine dicas, *alvum ex toto suppressam*, cum Celso lib. II. cap. IV. Obiter Foesii conjectura de Hesychii loco asserenda mihi & in totum restituenda. Ἀπολελαμμένα, κοιναὶ παρὰ Ἱπποκράτει. Rescribe: Ἀπολελαμμένα κοιλίαι, ἀπῳλημμένα παρὰ Ἱπποκράτει. nempe credo utrumque verbum exscripsisse, & alterum per alterum explicasse. Quid vero sit ἀπῳλημμένον Suidas dicit exponens κεκρατημένον *retentus*. Plenius Phavorinus: ἀπῳλημμένοι, σωφλημμένοι, συγκεκλῃσμένοι, κεκρατημένοι· *coarctati, concluſi, retenti*.

§ 100. Nemo autem melius id verbum & ad Præceptoris mentem concinnius explicuit quam Cappadox noster. ἕδρη

ὑπολελημμένη, ὡς μηδὲ ἰσχνὸν ἔλασμα διελάσαι, *ſedes adeo coarctata, ut etiam tenuem fiſtulam nequaquam admittat.* Ergo κοιλίη ὑπολελαμμένη *eſt alvus adeo cohibita, ut omnino nihil infra tranſmittat.* Talis alvi ex toto ſuppreſſio cauſam habet non in excernendo, ſed excernente. *Eſt enim plurimæ debilitatis, atque alienatarum, vel mortuarum partium ſignum:* libet enim aptis ad noſtrum ſenſum verbis Siccenſis medici è loco laudato depromtis uti. Scio autem, ardore febrili omnem ſuccum exhauriente, qui & molliendo inteſtino & vehiculo eſſe fecibus deferendis ſolebat, tantum non in lapideam duritiam durari feces. Verum cum heic revolvantur ſurſum, cauſari id non poſſis. Sed unde illa *ſedis ſtrictura* eſt? Velim id quemque in ſe experiri, quam vehementer ani ſphincter ſe conſtringat, cum ſiccior eum flatus deſubito impetit & perrumpere feſtinat. Heic etiam alia cauſa eſt, & major: ἀναῤῥοπὴ & *revolutio* inteſtinorum. An hæc præterea in ſe contrahuntur & revelluntur ſurſum? Certe videmus ventre dolentes mirum ſe incurvare & velut conglobare, ac manibus quoque ventrem comprimere in ſolatium doloris. qui in Ileo tantus eſt, ut propter hunc vocarint illum *Domine miſerere mei:* Arculanus in IX. ad Almanſ. cap. CII. addit votum Franc. Pedemontanus in Suppl. Meſ. part. IV. ſect. I. cap. I. p. 55. B. *à quo nos tueatur Chriſtus, qui omnium eſt protector.* addo, *amen.*

§ 101. Rarum verbum eſt, quod heic occurrit, ἔλασμα. Pro quo Iun. Craſſus *acum* reddit. Sed acum non eſſe ad obſcænos uſus, quis neſcit? *Fiſtula* eſt, quod dedi. Ita vocant Latini medici eam clyſteris partem, quæ podici immittitur cum infundenda in inteſtinum decoctio liquoris eſt. Cælius l. l. p. 453. *non erit incommodum etiam ex utraque parte, clyſteris fiſtulam cavernare, quam Græci amphitreton vocant, quo poßint medicaminum liquida per utramque inteſtinorum lateribus advenire.* Fuiſſe in hoc ipſo affectu nobilem clyſterum apud Veteres uſum, comperta res eſt, & liquet ex Hippocrate III. de Morb. XV. & l. de Aff. XXII. Volens itaque clyſterem ſuffundere miniſter medici (ita vocatur VI. Epid. V. I.) reperit anum clauſum,

sum, & introvorsum retractum. Tum ratio docuit, id esse morbi extremi: eventus, lethalis. Constat itaque, quid ἔλαζμα sit. Sed unde sit, non constat. Est ab ἐλᾶν, procul dubio. Sed qua significatione? nam plures habere constat ex Matth. Debarensis in Eustathium indice. Τὸ ἐλᾶν idem heic quod ἀνορύττειν *refodere* aut *fodere* simpliciter.

§ 102. Quartum, *Stercorum vomitus.* Priscianus: *etiam (dictu horribile & visu) stercora per os coguntur excludere.* Merito igitur ileosorum *mortem crudelem & obscœnam* appellat Arculanus. *Crudelem:* ob cruciatus impatibiles, imo incredibiles. *Obscœnam*: ob cacationem trans linguam. Quod verbi honestæ aures si abominentur, cogitent quam res ipsa sit abominabilis; & quis sit peccati fructus; ac discant, non ea parte peccare, qua puniri facile & in exemplum queunt.

§ 103. Porro Hofmannus vere: *error gravis est, dicere stercora esse signum affectorum tenuium.* Stabulantur enim in crassiore intestino feces & stercora, quæ aliunde proficisci nequeunt quam ubi sunt. At nihil ejusmodi est in tenuiore. Non ergo à crassis illa revolvuntur, nisi secundario affectis, & rebus desperatis.

§ 104. Sed gravis heic controversia surgit, satin' recte noster hoc *signum* inter *lethalia* ponat. Aggregator Brixiensis Pract. cap. XC. *vidi aliquos sanari ex his, qui stercus per os emiserunt.* Pedemontanus: *si accidat ut sterquilinosum emittatur per vomitum, est mortale secundum Galenum; sed illud tamen non est semper: vidimus enim & aliquos sanari.* Arculanus: *aliquos vidi pervenisse ad vomitum stercorum cum accidentibus fortibus & evasisse.* Oportet inquilinum Italiæ morbum esse, quod isti homines plures evasisse viderint, quam nostri vidisse se testentur. An dicendum cum Brasavolo in com. ad aph. x. lib. VII. *omnino non esse,* quod putas *perfectum stercus, sed cibum corruptum, qui nondum stercoris perfectam formam acquisivit.* Et mox: *Nos in his quos ex ileo curavimus, fetidissimas materias exire vidimus. An vero hæ materiæ, quas exire videbamus, essent perfectum stercus, an non essent, judicent alii. Id certum est, tetrius olere, quam stercus. credo ob corruptionem addi-*

additam : erantque ſtercore liquidiora in mediocritatem redacto. Confer dicta mihi § 56. In Ariſtippo nihil tale. An ſanguinis in inteſtina effuſi & concreti pondus impedivit? An periſtole continuari non potuit, ob ſciſſa inteſtina?

§ 105. Quintum, *Homines muti.* Hoc ἐσχάτης νεκρώσεώς ἐστι γνώρισμα τῶν οὕτως ἐχόντων *pene emortui caloris indicium eſt in iis qui ſic afficiuntur:* quæ verba ſunt Galeni III. Epid. III. hiſt. III. Hoc valde velim notare eos, qui functionem lædi non putant niſi organo læſo. Sæpe partes Fernelianæ integræ tamen agere ceſſant, ſolius ſpiritus defectu. Heic ego latus fodico Hippocraticæ, imo Galenicæ doctrinæ deſertoribus. Nonne vivit quod vivificat? Nonne pars eſt, per quem partes ſunt & agunt, quod ſunt aguntque. Quare heic verum non eſt tritiſſimum illud Scholarum? *Per quod unumquodque eſt tale, id ipſum eſt magis tale.* Quam vellem Heurnius noſter de Fernelio judicium tuliſſet, quod de Celſo audivimus § 72. hujus.

§ 106. Quibus omnibus addi velim, *Dolorum ſubitam remiſſionem.* indicium ſphacelo præhenſarum partium. Redi, ſi placet, ad § 59. & ſubjunge his Ballonii allata ibi verba.

§ 107. Inter *lethaliſſima* erat Ariſtippo, Lethalem morbum incepiſſe à vulnere lethali, VI. Aph. XVIII. *Non igitur,* ait Valleſius, *mirum mortuum eſſe hominem ſeptem diebus, cum alioqui volvulus ſoleat quatuor interimere. Fortaſſe mireris magis, quod tamdiu durare potuerit. Sed neque id mirum. Quia affectiones, quæ cauſam habent evidentem, cæteris paribus, cum minus malo fiunt corporis apparatu.* Quando igitur caſus talis eſt, unde negant redire quemquam: non oportet *attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit,* inquit Celſus l. V. c. XXVI. Quare nec operam ludo, memor eorum quæ Actuarius ſcribit IV. Meth. Med. VI. *Quod ſi ex vulnere in inteſtinis inflammatio proceſſerit, hæc difficilius curationem admittit. Tentanda tamen eſt per ea quæ emolliunt, & vulneribus induntur; utique ſi craſſiora inteſtina fuerint affecta: ea namque interdum curantur, quum interim tenuia omnem curandi rationem reſpuant.* Ergo curationem reſervemus alteri caſui, quem faciam ab hoc tertium, ordine ſeptimum.

V. SE-

V.

Sepia Volvox.

Aretæus II. de Cauſ. Acut. VI.

ΑΙΤΙ'Η τοῦ εἰλεοῦ, συνεχὴς μὲν διαφθορὴ σιτίων πολλῶν τε καὶ ποικίλων, καὶ οὐ ξυνηθέων, καὶ ἄλλη ἐπ' ἄλλῃ ἀπεψίη, μάλιστα δ' ἐπὶ τοῖσιν εἰλεώδεσιν, ὁκοῖόν τι μέλανι σηπίης.

CAUSA *Ilei, continua quidem corruptio ciborum multorumque & multigenerum, neq; conſuetorum, ac alia ſuper aliam cruditas, maxime vero ſuper hæc quæ apta nata ſunt volvulum facere, quale quid atramentum ſepiæ eſt.*

COMMENTARIVS.

§ I.

SEPIÆ *atramentum* Ilei quandoque *cauſam* eſſe ex Aretæo audivimus exercitatione præcedente. Præſente animus eſt eam rem adire propius, & videre quid Natura arcani condiderit in ſinu aſtutiſſimi piſcium. Res enim comperta & iis in locis famoſa eſt, ubi venire incibum ſolet. Incomperta vero, ſaltem indicta ratio eſt, quæ illa facultas faciendi Volvolum ſit. Scio heic de facili ſe expedire Magiſtros ignorantiæ: eia, Occultarum qualitatum doctores volebam. Sed quam nulla parte iſti Acutiſſimi ſatisfaciant cupidis diſcendi & erectioris ingenii atq; emunctioris naſi Naturæ filiis, ego quidem neceſſe non habeo dicere. Neque lubet huc congerere aut jactantias adoleſcentiæ incautæ & cui facile quidvis, pro ſcito inſcitum obtruſeris: aut querelas adultorum, magno ſibi fumos emtos dolentium. Neque licet hic notare præpoſteros Scholaſticorum conatus, quibus occludunt potius, quam aperiunt oſtium ingredi quærentibus ad cryptas Naturæ, & hinc ceu divite penu accipere non tam

obſonia vitæ eruditæ, quam neceſſaria faciendæ medicinæ. Vere, vere Arbiter, arbitratus es:

Quod ſatiare poteſt, dives Natura miniſtrat:
Quod docet infrenis gloria, ſine caret.

§ 2. Optare licet & libet rogare, ut tandem aliquando Naturæ interpretes provehantur ultra Principia, de quibus jam tot ſeculis diſputatum eſt tam infeliciter; & poſt toties auditas de Auditione phyſica lectiones, audire etiam auditores ſuos velint Hiſtoriam animalium, quæque in his ſunt fiuntque quotidie, eorum rationes ſcire ex libris de Cauſis: ita Scaliger, magnum illud nomen, de Partibus inſcriptos appellare ſolet. Huc noſter in præſens labor. Cui quam vellem ſuperſedere, & declinare invidiam miſſæ in meſſem falcis alienam. Neque enim ſum neſcius, quid ſit illud, quod ut vitam beatiorem, ſic artem facit feliciorem:

Res non parta labore, ſed relicta.

§ 3. Quando itaque per ſe ſtat, quo minus heic & in ſimilibus ſcienda ſciamus, ignoſcant Philoſophi, quod aut in ſterili Scientia aut Opinione damnoſa ſaltem eos nos noſtræ juventutis hærere non patiamur, qui ſe ſciunt præparari ad Artem quæ ſalutis cauſa reperta eſt, & hac propter ſic inſtrui avent, ut ἀτρεκέως αὐτέης γνῶσιν λαβόντες, οὕτως ἀνὰ τὰς πόλιας φοιτεῦντες, μὴ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὶ νομίζονται, *vera ipſius cognitione comparata* & (quod addo) comparatæ publico meritiſque dato teſtimonio accepto, *tandem per urbes ambulando, non ſermone ſolum, ſed & ipſo opere Medici famigerabiles fiant* &, quod longe pulcherrimum eſt, digito monſtrentur ab his, quibus ſalutem reddiderunt, benedicente Deo ſuum opus operantibus cum ſcientia & conſcientia bona. Quem & huic benedicere rogamus: memores ſcilicet Pythagoreæ & veriſſimæ ſive monitionis ſive promiſſionis in Carminib. v. 49. 52.

Θεοῖσιν ἀπευξάμενος τελέσαι· τούτων δὲ κρατήσας,
Γνώσῃ δ' ᾗ θέμις ἐστὶ φύσιν περὶ παντὸς ὁμοίην.
Ὥστε σε μήτε ἄελπτ' ἐλπίζειν, μήτέ τι λήθειν.
Quippe juvare Deum venerans, auditus ab illo,

Natu-

Naturam similem sibi, qua fas, omnia noſces:
Vt neque quid lateat, neque non ſperabile ſperes.

§ 4. *Sepiam* Ulyſſes Aldrouandus (l. 1. de Mollibus c. 1. § Quid molle. p. m. 2.) variis variorum teſtimoniis comprobavit connumerari inter *Mollia* dicta Plinio lib. IX. c. XXVIII. Quæ appellatio, ut hoc obiter dicam, merito non placet Scaligero in 1. Hiſt. anim. 11. t. 11. *Quia enim Græcis eſt τὰ μαλάκια: non autem, τὰ μαλακὰ: penitus explicanda ejus verbi vis fuit. Itaque nos,* inquit, *vocem,* Molluſca, *commenti ſumus Latina ſane proportione. Nam* nucem molluſcam *Macrobius à Suevio dici propter mollitudinem oſtendit* II. Saturnal. XIV. (De Suevio Tranquillus videndus l. de Ill. Gram. c. v.) Meminit etiam Plinius lib. XV. cap. XXII. Sic l. XVI. c. XVII. *molluſcum* vocat *Aceris tuber, quod nequaquam tanta ſit mollitie, atque nodi ipſi.* Mollucas *quoque vocant cancros Hiſtri, quibus amiſſa veteri cruſta, nova ſubit tenera.*

§ 5. *Deſcriptionem* Sepiæ habes apud eundem cap. IV. p. 46. aut Rondeletium XVII. de Piſcib. II. Quod nobis nunc ſervire debet, illud eſt, quod Philoſophus IV. Hiſt. II. 32. dicit: ἀπλάſχνον δ' ὅλον ἔχει τὸ μαλακίων, ἀλλ' ἰῶ καλοῦσι μύλιν, καὶ ὅτι τοῦτο ὄλον. *Nullum molluſcorum habet inteſtinum: ſed mytidem, & in ea atramentum.* Et hoc eſt, cujus natura nobis inveſtiganda primum, quam definire de noxa quidquã queamus, quam infert.

§ 6. Græci ſuperiores ὄλον dixere, quem recentiores μέλαν. Scribendum ne vero, ὄλο, an ὄλος? nam utroque modo & in eadem ſignificatione occurrit. Hoc quidem muneris erat Lexicographorum. Verum illi cum alte heic & ſecure dormiant, videtur vellenda auris ipſis, ut in poſterum Scapulæ ſcapulis imponere quoque ea velint, quæ etiam nunc poſt toties repetitas editiones reſtant addenda, nec minus neceſſaria iis, quæ ſuffuratus à Stephano, doctiſſimo & diligentiſſimo viro, fuit. Hoc vero longe facilius eſt, quam tuo Marte inſtruere iſtud inæſtimabile, ſi bonum & bonis refertum, eruditionis omnigenæ penu. Quare igitur, quibus ad id otii eſt, tam ſegnes ſunt in faciendo nobis Lexicon, quod rerum dubites ditius ſit, an verborum undiquaque conquiſitorum &

expositorum ex voluntate Naturæ? τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα, φύσει· νομοθετήματα ἐστι· *Nomina quippe Naturæ placita sunt*, l. de Art. III. 14. Sed an culpa potius penes eos est, qui quisque in sua Facultate negligunt accurare, quæ quis alius artis non callens nequit? Hoc ergo pro nobis respondeat, quibus præter expectationem, forte & libitum, sumus heic aut diligentiores aut molestiores.

§ 7. *Verbum*, quod præ manu, accipitur *sensu* vel Substantivo vel Adjectivo. *Isto* modo rursus duplice: Masculo femineoque. Quas significationes ut *articulo*, sic *accentu* oportet distinguere. Faciamus è vestigiis Auctorum bonorum, & mox corrigamus quæ apud nostros corrupta leguntur.

§ 8. *Substantive* ὁ θόλος duo significat. Primo, *lutum* aut *limum*. Athenæus lib. VII. cap. XIII. de Anguillis: λεπτὰ γὰρ ἔχουσι τὰ βράγχια, καὶ εὐθέως ὑπὸ τοῦ θόλου τὰς πόρους ἐμφράττονται· *Etenim angustas habent branchias, ideoque mox à limo obturantur meatus.* Hinc est θολόω *turbo*. Hinc θολερὸν *turbidum*. Usurpat hoc Hippocrates sæpius & variis de rebus: videbimus aliquando, si vult Dominus & ego vivo. Hinc secundo, ob similitudinem haut dubie, θόλος dictus est *succus* ille turbidus & turbator aquarum, quem Polypi pariter ac Sepiæ habent in peculiari mytide ad proprios usus, fundentesque mirum eo aquas collutulant atque infuscant.

§ 9. Hinc corrige primum Hippocratis quæ sunt IV. Epid. XI. ὁλῶν ἰκέλη ἡ κάθαρσις, *tholo similis purgatio*: lego enim θόλῳ. Deinde Galeni glossas. Ολον· τὸ μέλαν τῆς σηπίας. Iterum: Ολόεσσα· θολερὰ ἢ μέλαινα. Iterum: Ολερόν· δυσῶδες ἢ μέλαν, ἀπὸ τῆς σηπίων ὕλης. Scribe: Θόλον, θολώδεα, θολερὸν, θόλης. Tertio, Hesychium & Phavorinum in Ὁλός. An vero utrumque receptum fuit, & aliquibus inter pronunciandum more Dorienssium excidit capitalis litera, *mortiferum signum* appellatum Martiali VII. Epigr. XXXVI. ac suo propterea merito exosum & *nigrum*. confer ad Casauboni com. ad Persii Sat. IV. p. 322. Isti conjecturæ favet Suidas: Ὁλός· θολός. Nihilominus ubique præscripsero theta: & cur non *nigræ* rei?

§ 10.

§ 10. Ἡ θόλος, molliore scilicet sensu *tholus* multa significat. Primo ac proprie, καμάρων *testudinem*: ex Hesychio. Servius ad IX. Æn. 408. *Tholus est testudinis umbilicus, id est, veluti scutum in medio tecto.* Ex hoc suspendi dona solita discas ibidem. Unde Papinius II. Theb. 733. *figamque superbis Arma tholis*: non solum luculenter, sed & proprie: nam notat partem superam. Secundo, στρογγυλοειδὲς οἴκημα, ut Hesychius: sive περιφερὲς οἰκοδόμημα, ut Etymologus. *Ædificium rotundum*: Varro III. de Re rust. v. Tertio, τόπον ἐν ᾧ τὰ συμποτικὰ σκεύη ἀποκεῖται *locum in quo compotoria vasa reponuntur*, inquit Hesychius. Hujuscemodi thecas vitreorum in multis etiam hodie nostratium domibus suspensas de pariete videas. Quarto, οἴκημα κυκλοτερὲς, εἰς ὃ τὰ καθ' ἑκάστην χρήσιμα τῶν σκευῶν ἐτίθεντο, οἷον πίνακες, κρατῆρες, ἐκπώματα: *domicilium circulare, in quo vasa, quorum erat quotidianus usus, asservabantur, uti mensæ, crateres, scyphi.* ita Varinus & Scholiastes Hom. ad Odyss. χ'. 442. Quinto, τόπον τινὰ ἐν τοῖς ἀρχείοις *locum quemdam in archivis*, ut refert Etymologici auctor. Ulpianus l. 9. § 6. ff. de Pœnis: *locus, quo in publico instrumenta deponuntur, archium forte, vel grammatophylacium.* Hujuscemodi loca hodieque è lateribus construuntur, & fastigium habent rotundum: quo nempe ab incendiis sint tutiora. E Cyrilli (quem Philoponum arbitrabatur Henr. Stephanus) Collect. vocum quæ variantes accentum variant significationem, cognoveris fuisse speciatim θόλον dictum *Locum scripturarum Athenis.* Sexto, τόπον ἐν ᾧ ἐδείπνων οἱ πρυτάνεις *locum in quo Prytanei cœnitabant.* Pollux lib. VIII. cap. XV. ἡ θόλος, ἐν ᾗ συνεδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῶν τῆς πεντακοσίων βουλῆς. *Tholus, in quo concœnabant quotidie quinquaginta ex Quingentumvirali Senatu.* In eodem quoque alimoniam suam habuisse videntur Scribæ publici, quos nunc à Secretis vocamus. Ulpianus ad Orat. Demosthenis de Fals. leg. p.m. 388. B. ἡ ἢ Θόλος, τόπος ἦν, ἔνθα ἐσιτοδοτοῦντο οἱ δημόσιοι γραμματεῖς, ἢ χειροτονηθέντες ὑπὸ τῆς πόλεως. *Tholus erat locus, ubi victus dabatur publicis Scribis, aut Magistratui, ex civitate.* Hunc vero locum Tholum appellatum scribit διὰ τὸ θολοειδὲς, καὶ στρογγύλον ἔχειν τὸ σχῆμα *quia tholiformem*

mem & rotundam habet figuram. De ratione ergo tholi est rotunditas. Quid denique apud Martialem II. Epigr. LIX. sit *Tholus Cæsareus,* expositum est à Scaligero II. Auson. lect. XXVI. Ubi plura licet observaverit vir plane δαιμόνιος, cavere tamen non potuit, ut ne incurreret in censuram Ramiresii. *cui morbum hunc sonticum sive perpetuum* Cl. Musambertius ait ad I. Epigr. LXIX. *ut si quid cui bene dictum, id male dictum velit, & vice versa.* Mala hæc malignitas est, & detestanda doctos ingenuas artes. Hoc habebam. Cum quibus Philologiæ studiosus conferat Bernardini Baldi Lexicon Vitruvianum in THOLUS.

§ II. Adjective tandem ὁ θολὸς est *turbidus* aut *turbatus.* Cyrillus: Θολὸς, *turbidus.* Hesychius: Θολὸν, πεφυρμένον *turbatum.* Hoc etiam apud Varinum est. Quibus vero auctoribus ista vocis acceptio insolens sane nitatur, non facile dixero. Quæ si nulla est; judicent doctiores, velint ne potius sequi judicium Eustathii ad Hom. p. m. 794. l. 30. Τὸ θολὸς ἐπὶ σηπίας, πρὸς αὐλὸν ἀφωνολιῶ ἔ θόλος ἔ ἐπὶ κλιμάτων, ὀξύνεται. καὶ ἔτω οἱ ῥηθέντες σοφοί. *Tholus in sepia, ad differentiam Tholi in structuris, acuitur. Atque ita quidem qui dicuntur Sophi.*

§ 12. Quinam hi? lubet enim hoc interjicere. Hesychius: Σοφὸς, φιλότεχνος, καὶ ἐξευρετής· *Sophus, studiosus artium, & solers.* Iterum: Σοφία, πᾶσα τέχνη καὶ ἐπιστήμη· *Sophia, omnis ars atque scientia.* Artium genera antiquitus è scopo & fine distinguebant. Unde evenit, ut una eademque res aliis atque aliis artibus subjiciatur. Unde & celebrata illa apud Lucianum (in Paras. non procul init.) *artis* definitio. Τέχνη ἐστὶ σύστημα καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρὸς τι τέλος εὔχρηστον τῷ ἐν βίῳ. *Ars est systema comprehensionum exercitatarum ad finem utilem vitæ.* Secundum hanc definitionem itaque quamvis Artium determinat cujusque institutum vitæ. Hoc cum servile aliis, aliis sit liberale: hinc Artium aliæ βάναυσοι *sordidæ,* aliæ λογικαὶ καὶ σεμναὶ *liberales & ingenuo dignæ sunt.* Istæ non raro τέχναι *artes* peculiariter dicuntur. Quamvis enim dedeceant ad meliora natum, omnes tamen sunt ἐμπειρίαι, ὁδῷ καὶ τάξει βαδίζουσαι *peritiæ, ratione ac ordine procedens.* Nulla certe tam vilis, quæ carere al-

terutra

terutra poteſt. Utraque eminens artifices facit & quos *magiſtros* appellare dignamur. Et quare non? cum cuique ſua ars ſit ἀκριβὴς ἐπιστήμη καὶ πράγματος *examuſitata ſcientia operandi*, ut Phavorinus egregie iterum. Qui hanc in arte quamvis plebeja ſunt conſecuti, merito fiunt pluris, quam *doctorculi* iſti ſemicrudi, qui liberalem licet illiberalius ſordidiuſque profitentur, quam cerdo aliquis aut circitor. *Artes* interim excellenter vocantur, quæ ut ingenuum ſcitumq; ornant, ita ornari honeſto ac liberali exercitio deſiderant amantque. Harum aliæ παιδείας, *Diſciplinæ* nomine veniebant: aliæ, δυνάμεως ſive *Facultatis*. Παιδεία eſt ἐγκύκλιος ἢ ἰδία, *communis* aut *propria*. Ἐγκύκλιος, quæ communiter omnibus convenit, qui pro eruditis haberi, & elegantibus volunt. Sic Seneca (epiſt. LXXXVIII. quæ inſcribitur de ſtudiis liberalibus) teſtatur artes illas, quas *liberales* appellant Latini, à Græcis eſſe ἐγκυκλίους dictas. Iterum Varinus: Ἐγκύκλιος παιδεία, ἡ γραμματικὴ, ἡ ποιητικὴ, ἡ ῥητορικὴ, ἡ φιλοσοφία, ἡ μαθηματικὴ, καὶ πᾶσα τέχνη καὶ ἐπιστήμη, διὰ τὸ κυκλεύειν ταύτας τοὺς σοφούς, ὡς διά τινος κύκλου. *Communis diſciplina dicitur Grammatica, Poëtica, Rhetorica, Philoſophia, Mathematica, & omnis ars atque ſcientia, eo quod ordine per eas velut circulum ducerentur eruditi.* Nempe unam poſt aliam adibant, quotquot eruditorum choro ſe inſertum ibant, φιλότεχνοι *artium ſtudioſi* ab honeſtiſſimo ſtudio dicti. Quin & qui eas docebant, omnes ad ſe venientes per eumdem circulum ducebant. Vides ibi primo loco *Grammaticam*. cum qua imperite quidam confundunt γραμματιστικὴν ſive *ſcientiam recte legendi & ſcribendi*, pueris tradi ſolitam à pedaneis magiſtris. *neque enim ea inter artes liberales eſt*, inquit Seneca, *ſed mox præcipiendis locum parat*. Veræ Grammaticæ *ſpecies*, non membra ſunt, τεχνικὴ, ἐξηγητικὴ, κριτικὴ. Quarum *prima* tradit rationem emendate loquendi: *altera*, enarrandi poëtas, hiſtoricos, oratores, imo ſcriptorum omne genus: *tertia*, judicandi de his ipſis. Vides ergo Grammatici nomen quam ſit auguſtum, quamque pudere neminem debeat illo audire. Viden' vero etiam, quid requiratur, ut mereare tantum nomen? Memoriam oportet vivam bibliothecam

cam esse, ingenium perspicacissimum, judicium solidum atque incorruptum. Si cui ergo istas Natura dotes dedit, si labor extulit & ad plenam maturitatem perduxit, talem quis neget maximo suo merito σοφὸν *sapientem* dici? Non intra verba hæc sapientia est, ne nomine hoc indignam existimes. De verbis judicare nequit, quisquis res nescit. Quarum ignorantia cum indies subrepat magis, quis stantem præ foribus barbariem arceri posse putet? nisi existant in omni Facultate sapientes Grammatici, qui è suis singuli fontibus Rerum veritates eruant, Verbisque propriis asserant, & Phrasibus illustrent dubitationi ac contentioni non obnoxiis. Quo utinam nostris quoque meditationibus aliquid conferamus! Huc enim imus: imo nunc redimus.

§ 13. Alterum rei, qua de agere instituimus, & familiarius hodie *nomen* est μέλαν. Hoc primum apud Dioscoridem reperimus lib. II. cap. XXIII. Neque improbabile est id accepisse à vulgo. non solum quia ipse fatetur in præf. multa se ἐξ ἀνακρίσεως τῶν παρ' ἑκάστοις ἐπιχωρίων *percontando, ubi singula essent vernacula,* cognovisse: sed vel inprimis, quia vocum Græcanicarum non satis fuit gnarus. ita enim de eo testatur Galenus XI. Fac. simpl. ubi de pinguedine. Et videtur ipse id haut obscure fateri, cum rogat lectorem μὴ τὴν ἐν λόγοις δύναμιν σκοπεῖν, ἀλλὰ τὴν ἐν τοῖς πράγμασι μετ' ἐμπειρίας ἐπιμέλειαν *spectare non in verbis præstantiam, sed potius adhibitam rebus cum peritia curam.* Accedit, quod militiam sequenti incommodum esset in impedimentis habere libros, saltem ad studium suum non adeo facientes. Quidquid sit, paret è Galeni glossis adeo antiquatam illo seculo fuisse τοῦ θόλου vocem, ut exegesis egeret. Et hinc natam illam fluctuationem existimo, quam tollere sum conatus. Quando enim vera rerum vocabula & convenientia sibi amittimus, non possumus non in ambiguitates incidere. Quas distinguere tametsi parva res videatur, & tantum non supervacua properantibus, ἐν δὲ τῇ χρείᾳ τῶν πραγμάτων ἱκανῶς ἀξιόλογον ὑπάρχει *ad rerum tamen usum valde est operæpretium,* inquit Galenus I. Temp. VII.

§ 14.

§ 14. Est & apud Hippocratem τοῦ μέλανος mentio: non illo tamen vel genere vel usu. Simpliciter enim cum ponitur & genere masculino, *veratrum nigrum* significat. Habes I. Vict. acut. I. II. ἄγει δὲ μέλας μὲν, καλλίω καὶ κρισιμώτερα πεπλίου. *Purgat veratrum nigrum melius atque utilius peplio.* Adire si locum libet, videsis annon hinc desumtus sit aph. XVIII. lib IV.

§ 15. Satis verborum de *verbis* Græcis. Imo non satis, interpellat nescio quis Hippocraticæ lectionis studiosus. Quare, non? inquam ego. Quia negasti jam modo, τὸ μέλαν, hoc *genere*, apud Hippocratem reperiri. Sic est: & pernegabo, si necesse. sed addidi, *usu* simili. Neque enim ignoro, τὰ μέλανα III. Vict. acut. 38. ac alias sæpe numero plurali, significatione autem singulari, poni pro *atra bile*, pro χολὴ μέλαινα quæ dicitur IV. Aph. XXII. & seq. Obiter enim tiro notet, familiaria esse Præceptori adjectiva & pluralia neutra abstractorum singularium loco. Sic τὰ μελαγχολικὰ pro μελαγχολία morbo III. Aph. XXII. & id genus cum ibi, tum passim alibi. Sed locus, quod equidem scio, non est, ubi τὸ μέλαν significet *atramentum*, aut quid simile.

§ 16. Atqui Galenus in Exegesi vocum Hippocraticarum, μέλαν τὸ κύπριον exponit τὴν κυπρίαν σποδόν, *Cyprium spodium.* Et Foesii, viri oppido docti, ad hæc annotatio est in Oecon. *Quibus verbis subnotari mihi haut dubie videtur locus* I. *Muliebr.* LXIII. *ubi tamen vitiose* μελάνθιον τὸ κύπριον *pro* μέλαν *in publicatis codicibus legitur. Quod etiam animadvertit Cornarius, qui atramentum & spodium Cyprium vertit. Ejus autem illic ad pessum usus est, ut medicamenti desiccantis, & sine acrimonia, aut morsu adstringentis.* Istum ne locum subnotaverit Galenus, neque affirmare possim, neque negare velim. Hoc scio, nihil eorum, quæ Foesius adfert, non esse alienum à mente Hippocratis. Quod ne dixisse videar cum injuria viri, tantum de Præceptore meriti, quantum nemo præterea; operæ erit repræsentare locum, & paulo quidem altius repetitum è codice Aldino, utpote è membranis fidelius expresso.

§ 17. Κλυζέτω δὲ τὰς ὑστέρας, τῷ οἴνῳ, καὶ τῷ ναρκισσίνῳ ἐλαίῳ,

Unable to display this page

ciem usurpaverit? Constat *melanthio* usum, & ad diversos usus, & vario modo. Lib. de Steril. t. XIX. ad conceptum jubet ἄκρον μελανθίου, γυναικὶ διδόναι ἐν οἴνῳ μέλανι τρυφνῷ *summitates nigellæ mulieri dare ex vino nigro acerbo.* Ad strangulationem cordis ab utero pessum ex melanthio & melle præscribit II. de Morb. mul. LXXX. Ad bilem ab utero purgandam ex vino dat, & subdit in pesso, I. de Morb. mul. XCVIII. Eodem uteros ulceratos colluit l. de Nat. mul. XXIX. Sed longum foret omnia huc adducere loca, & inutile.

§ 21. Fallitur præterea Foesius, cum adstrictionis causa subjici opinatur. Dioscorides lib. III. cap. CXIII. πινόμενον ἡμέρας πλείους ἐμμηνα καὶ οὖρα καὶ γάλα ἄγει· *multis diebus potum, menstrua & urinas & lac ciet.* καὶ ἕλμινθας *& vermes*, addit ex antiquo codice Andr. Lacuna. confer Alpinum de Plant. Æg. c. XLII. Menstruis ducendis præscribitur I. Muliebr. c. etiam loco qui præ manu est. de quibus non dubitabis, si molestum non est Maur. Cordæi (com. IV. sent. VII. & com. VII. sent. I.) commentarium sane egregium consulere. Eodem textu multa in hunc usum commendat: inter alia κύπερον seu κύπειρον (nam utroque modo legitur) *Cyperum.* quem & Dioscorides lib. I. cap. III. ἐμμηνα ἄγειν *menses provocare* scribit: etiam Galenus VII. Fac. simpl. qui præterea ei tribuit facultatem calefaciendi & exsiccandi absque acrimonia, ac modice adstringendi. Quod addo, ut si quis omnino opus illis facultatibus putet, non desideret in Cypero.

§ 22. Unde jam non dubito scripsisse Præceptorem, μελάνθιον καὶ κύπερον. Quei dubitem vero, qui habeo ipsum Hippocratem, imo dissentientes ipsos mihi consentientes? Lib. II. Muliebr. t. XC. ad uteri dolorem cum stranguria in clysmo præscribit μελανθίου & κυπείου ἴσον. Reddit Cornarius, *melanthii & cyperi tantumdem.* Subnotat Foesius num. 371. ad verba proposita: *Sic quidem legunt exemplaria omnia: sed* μελανθίου, κυπέρου *lego, ex superiore medicamento & prius adductis locis, quod hic apertius describitur.* Ut jam non dicam Servini codicem pro κυπείου legisse σέλι. manifesto indicio

corruptæ ſcriptionis & veræ lectionis, quam ſequutus eſt Cornarius.

§ 23. An ergo librarii primum ſupinitas ſcripſit aut μελάνιον, aut μέλανθον? Illud certe Gloſſarium agnoſcit, *Atramentum*, μελάνιον interpretans. Quod ad hoc, in promtu erat imperito ſuſpicari, τὸ μέλανθον dici ut χάλκανθον (quo de vide Salmaſii Ἐξ πάνυ Exerc. Plin. p. 1158. D. ac porro) & in illius gratiam καὶ κύπριον facere τὸ κύπριον: ſciens nempe laudari quod è Cypro atramentum. Plinius lib. XXXIV. cap. XII. *Probant maxime Cyprium in medicinæ uſu.* Sed hæccine non vidiſſe Galenum? imo ignoraſſe *Spodii Cyprii* facultates ex Dioſcoride, lib. V. cap. LXXXV. Verum hujus quidem contrarium liquet IX. Simpl p. 70. H. Unde vel illum Hippocratis locum non habuit præ oculis: aut, ſi habuit, ceſpitavit.

§ 24. Erit haut dubie, qui iſta legens dicat: Bone vir, potuiſſes hæc tribus verbis. Potui. neque optarim certe tanto mihi ſemper labore conſtare unius verbi criſin. Sed adeo paucis me ſi abſolviſſem, annon rationibus non additis ſine ratione viderer repudiaſſe tantorum Virorum auctoritatem? Neque vero fugere me poteſt, quam temere multi hodie loquantur de iis, qui non dicam ſeſe ſtudent ſupra vulgus efferre, ſed errores vulgi proferre & ceu ſcopulos ad vitandum proponere. Hoc ſi uſpiam licet, nobis neceſſarium eſt, medicinam profitentibus. Tandem ergo pro Græcis reddamus Latina, & materiam noſtram proſequamur.

§ 25. *Eluito vero uterum, vino & narciſſino oleo, poſtridie. Quod ſi non adſit narciſſinum, vino ſolo. Hæc tibi facienda ſunt uno die ante menſtruorum tempus. Dehinc ſi menſtrua appareant, primis quidem diebus pulveret melanthium ac cyperum, & ſalis micam adjiciat, lanaque exceptum hoc in corpore habeat aliquantiſper; atque jejuna vinum merum odoratum ſuperbibat. Deinde, ubi ceſſarint menſtrua, per diem unum quod cum pulegio* paratur peſſarium *ſubjiciat, atque ad virum eat.*

§ 26. Quod igitur Græci μέλαν τῆς σηπίας, *atramentum Sepiæ* dicebant Latini: uti è locis ſuo loco adducendis è Tullio Plinio-

nioque liquebit. Absque *additione* quidem neutri umquam efferebant. scilicet, ut ne confunderent cum eo quod scribendis libris parabatur. Novissimum caput Dioscoridis est περὶ μέλανος. Cicero ad Q. fratr. lib. II. 16. *Calamo & atramento temperato, charta etiam dentata res agetur.* Ab isthoc usu γραφικὸν Galeno IV. καλ' τόπ. ult. qua de Glabris: *scriptorium* Celso lib. VIII. cap. IV: *librarium* Vitruvio dicitur lib. VII. cap. X. Hodie *hoc* nomine venit quod typographiæ servit. Sed quodnam *temperatum* est? Dilutum aqua & sic accommodatum usui. Hoc VI. Anthol. XXVI. 3. γραφικὸν ῥέεθρον *scriptorius fluor:* & I. ejusd. XVIII. μέλαν ποτὸν *atramentum liquidum* dicitur. Veteres quippe solidum faciebant, & formatum in pastillos. Quod, cum uti vellent, temperabant aqua. *Veteris* parandi modum habes apud Dioscoridem l. c. *Liquidi* vero & melioris notæ apud Cardanum XIII. de Rer. var. LXIV. *Atramentale* vel *atramentarium,* in quo atramentum hoc reponebatur ad intingendum calamum, ἐμβάφιον Græci, Glossæ μελανδοχεῖον appellant. Hoc vero me Salmasius docuit in Exerc. Plin. p. 374. E. Quibus iterum præmissis, deinceps ad rem nostram veniamus propius, &

§ 27. Quid rei sit *atramentum* Sepiæ, inquiramus. Plinius, *pro sanguine esse sepiis* dicit lib. IX cap. XXIX. Sed nulli Secundum esse in oscitando secundum, toties notatum est à viris eruditis. Heic novum exemplum, nec castigatum à quoquam habes. Intelligemus enim ex Aristotele *geminam* habere Sepias *mytidem*: unam, quæ *cordis* loco sit & contineat ὑγρὸν ἀνάλογον τῷ αἵματι *humorem analogum sanguini:* alteram, *receptaculum atramenti.* Hoc si Rondeletius sciviſſet, pepercisset haud dubie labori, quem sumsit in docendo, *atramentum non contineri in mytide.* Philosophus habet pro *excremento.* Nicander in Alexiph. v. 473. vocat χολὴν. quod Scholiastes exponit per τὸ μέλαν. Ælianus I. de Anim. XXXIV. ὑποφάγμα. Phile de Propriet. anim. c. LXXXIII. ὑποφάγμα. Hoc esse Hipponactis in Iambis (de quo Suidas) testis Athenæus. qui & interpretes ait exponere τὸ σηπίας μέλαν *sepiæ atramentum.* Eidem etiam Eustathius

tribuit in Parecb. ad Hom. Iliad. ψ'. p. m. 1286. l. 5. Galenus in Exeg. ὑπόσφαγμα· ὅλου τοῦ μέλανος τῆς σηπίας τὸ οἷον ὑπότρυγον. Lege: θόλου ἢ τοῦ μέλ. & expone: *Hypospagma: tholi sive atramenti Sepiæ velut sedimen.* constat enim posterius esse glossema prioris. Sic Hesychius: Ἀπόσφαγμα· παράθημα τρυγῶδες· *Aposphagma: sedimen feculentum.*

§ 28. Atramenti *generationem* docet Philosophus IV. Part V. γίνεται δὲ ὁ θόλος, καθάπερ τοῖς ὄρνισιν ὑπόστημα τὸ λευκὸν ἐπὶ τοῦ περιττώματος γεῶδες, οὕτω καὶ τούτοις ὁ θόλος, διὰ τὸ μηδὲ ταῦτα ἔχειν τὴν κύστιν. ἐκκρίνεται γὰρ τὸ γεωδέστατον εἰς αὐτόν. καὶ τῇ σηπίᾳ πλεῖστον, διὰ τὸ πλεῖστον ἔχειν γεῶδες. σημεῖον δὲ τὸ σηπίον, τοιοῦτον ὄν. Si uspiam Philosophus interprete eget, certe heic, sive verba spectes, sive rem. Pro illis Gaza quæ dedit, nemo intelligat Græce non intelligens. Casaubonus an mentem auctoris sit assequutus, judicent doctiores. Mihi verba prementi hæc se obtulerunt. *Fit autem tholus, ut avibus sedimentum album in excremento terrenum, sic & his tholus, quia nec ista habent vesicam. Excernitur enim quod maxime terrenum in illum: & sepiæ plurimum est, quia plurimum habet terreni. Signum est sepium, quod tale est.*

§ 29. Quorum sensus cum longe difficilimus sit, siquidem dilucide satis à me expositus non videatur, non posco veniam primum experiunti, sed paro palmam meliora docenti. Aliorum ego errores non tanta possum lenitate corrigere, quanta meos severitate corrigi velim. Severitate inquam, non feritate. Quam enim humanum est, erranti comiter monstrare viam: tam est inhumanum, errorem ut exprobres, convitiis veritatem extorquere; maxime à parato ingenue non tantum (quod Seneca vult IV. de Benef. 38.) fateri: *Aliud putavi: deceptus sum:* verum etiam gratias referre accendenti lumen cordi ad evadendum è tenebris ignorantiæ. Quam enim non est turpe, cum re mutare consilium: tam est honestum profiteri, per quos profeceris. Hæc ex animo præfatus venio ad rem.

§ 30. Quoniam igitur *tholum* comparat *avium sedimento albo terreno* quod *in excremento* cernitur: paret, ante omnia sciendum esse, *quid sit* illud, cui Molluscorum tholus in generatio-

nis

nis modo assimilatur. Hoc vero non videor aliunde rectius ostendere posse, quam ex Harveji de Gen. anim. libro inæstimabili. Scribit diligentissimus Naturæ indagator exerc. 10. *excrementum quoddam liquidum, album, & lucidum, ex avium renibus cum urina per ureteres in communem cavitatem seu cloacam delabi, feceſque alvi ibidem cooperire, atque una prodire foras. Esse vero crassiorem avium urinæ partem, quam in nostra sedimentum sive hypostasin nominamus.* Addit exerc. 6. fin. *Aves majorem hujus copiam obtinere: eamque à serosa urinæ parte distingui colore albo sive argenteo: & non modo in cloaca reperiri (ubi abundat) alvique feces circumlinere, sed etiam in toto ureterum ductu; qui à renum tunicis, hac ipsa albedine discernuntur.* Denique subdit ibidem: *Majorem quoque hujus, quam serosæ & tenuioris partis, copiam esse: & esse consistentiæ, inter crassam urinam & stercoraceum excrementum, mediæ; adeo ut, ureterem pertransiens, lac coagulatum sive leviter densatum referat; foraſque ejectum, cito facileque in crustam friabilem concrescat.* Cujus rei experimentum quod narrat exerc. 10. de insula Scotica Basse, & jucundum est & prorsus fide dignum apud nostratium quotquot Eijerlandiam viderunt, Texellæ proximam insulam, cuniculis partim, partim avibus habitatam ac nominatam ab ovis, quæ secure ab omni volucrium genere ponuntur ibi & incubantur.

§ 31. *Gypsea* hæc avium *creta* ejusdem materiæ est cum Tophis chiragricorum. Est autem Pituitæ, quæ ex necessitate materiæ in omnium fit ventriculis, pars subtilior, terrestrior, & salsior. Quæ cum cremore chyli subiens ad cor eo usque calore hujus acri excoquitur, ut fiat apta gypsescere, seu evadere in substantiam calci cognatam, ut vocat Plinius lib. xxxvi. cap. xxiv. Quemadmodum vero fiat, quod fieri apta est, non hic dicendi locus est. Venabimur aliquando occasionem explicandi eam rem ex professo. Meretur enim vel propterea sciri, ut desinamus consilium à nobis flagitantibus occinere è 1. de Ponto iv. 255. *Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

§ 32. Quo igitur modo avium hoc ὑπόστημα λευκὸν *sedimentum album*: eodem & *tholus* fit, seu Sepiarum sedimentum atrum.

atrum. Sed quæ *materia* ejus eſt, vel *efficiens* cauſa? *Hanc* enim quod attinet, cum ſint exſangues, & ob id frigidiores: nemo in Sepiis eam facile vim caloris agnoverit, qui exurere hoc excrementum in atramentum queat. Cujus in *materia* ſeu alimentis an ſita ratio ſit, non itidem affirmare poſſum. Ariſtoteles VIII. Hiſt. II. 24. τὰ δὲ μαλάκια πάντα σαρκοφάγα ἐστί· *Molluſca autem omnia carnivora ſunt.* An ergo ſubmerſorum cadavera ſequuntur & depaſcuntur? Hoc unde ſciri poteſt? An ineſcantur animalium carnibus? Hoc argumento uſus eſt Philoſophus ibidem t. 34. ad contrarium de Mugile & Capitone probandum. Etiam ſi vero illud verum ſit, nondum conſtat ratio, quare carnium excrementa ſint nigra in Sepiis. Nam in Congris, & channis, & thynnis, aliiſque (t. 28. enumeratis) ſola carne veſcentibus non idem obſervatur. An præterea cœno gaudent Sepiæ. Parere inter algas juxta terram, notatum V. Hiſt. XVIII. 196. Imo πρόσγειός ἐστι ὁ βίος αὐτῷ *littoralis eſt vita earum,* IV. Part. V. Unde & in noſtra littora ſæpe ejiciuntur à tempeſtate. Si neque in cœno eſſe putes cauſæ ſatis atrando in tantum excremento: noviſſimum mihi confugium erit ad Naturam. quæ uti accepit hoc atramentum voluntate Jubentis ſic fieri; ita continuat factum poteſtate ſibi facta à Domino ſuo. Ultra quam rationem qui quæritat aliam, næ ille cum ratione tollere ſcientiam videtur! Merito enim Sapientes priſci *terminum quemdam conſtituendum decreverunt, ultra quem rationibus progredi non poſſent: cum multa in Naturæ penetralibus occulta ſint plena energia, quorum cauſas indagare nec poteſt, nec capit humanæ conjectura mentis. Naturæ enim obſcuritate & abdita majeſtate latent, potiuſque hæc admirari, quam ſciri voluit.*

§ 33. Atrum hoc ſedimentum vero *excrementum* eſſe probat argumentis duobus. *Vno*, quod Sepiæ perinde ac Aves non *habeant veſicam,* urinariam nempe. Cauſam dicit Philoſophus IV. Part. I. κύστιν δὲ οὔτε οἱ ἰχθύες ἔχουσιν. τρέπεται γὰρ εἰς τὰς φολίδας τὸ ὑγρόν. ἐπιλευκαίνεται δὲ τὸ περίττωμα πᾶσι καὶ τούτοις, καθάπερ τοῖς ὄρνισιν. *Veſicam vero neque piſces habent. Abit enim humor in ſquamas. Albicat vero excrementum omnibus etiam his,*

his, sicut avibus. Sepiis cum nullæ squamæ sint, verosimile est *humorem*, urinis analogum, in sepium converti. *Altero*, quia *quod maxime terrenum excernitur in illum* locum scilicet, in quem colligi Natura voluit, & è quo & unde κατὰ τὸν καλούμενον αὐλὸν *per fistulam, quam vocant*, emitti. Suidas: αὐλὸς, ἐπιμήκης φυσητήρ· *oblonga ad efflandum fistula.* Hinc pro *camino* usurpat Philippus VI. Epigr. 170. Vide ad Cœlium Rhodiginum XII. Lect. antiq. V. & Casauboni in Athenæum Animadv. lib. VII. cap. XIX.

§ 34. Quis autem *locus* iste est, in quem Sepiæ suum excrementum deponunt? Philosophus IV. Part. V. ἔχει τὸν καλούμενον θόλον ἐν χιτῶνι ὑμενώδει, τὴν ἔξοδον ἔχοντι καὶ τὸ πέρας, ᾗπερ ἀφιᾶσι τὸ περίττωμα τῆς κοιλίας. *Habent tholum dictum in tunica membranacea, exitum habenti & finem, qua emittunt excrementum alvi.* Illi tunicæ proprium nomen erat μύτις. Id jam è IV. Hist. 11. 32. audivimus supra § 5. *Nullum*, inquiebat, *molluscorum habet intestinum*, ἀλλ' ἣν καλοῦσι μύτιν, καὶ ἐπὶ ταύτῃ θόλον, *sed mytidem, quam vocant, & in ea atramentum.* Scaliger τὴν μύτιν *fiscum* recte reddi putat: quia sit persimilis κύστει *vesicæ*, eique comparet Athenæus VII. Deipnos. XXI. ἐν δὲ τῇ μυτίδι ὁ θολός ἐστιν. αὕτη δὲ κεῖται παρ' αὐτὸ τὸ στόμα, κύστεως τρόπον ἐπέχουσα. *In mytide tholus est. Hæc vero jacet prope ipsum os, vesicæ figuram habens.* Quin κύστιν diserte vocat Plutarchus de Solert. anim. p. m. 978. A. τὴν γὰρ καλουμένην κύστιν παρὰ τὸν τράχηλον ἔχουσα πλήρη ζοφερᾶς ὑγρότητος, ἣν θολὸν καλοῦσιν· *etenim vesicam, ut vocant, prope collum habens plenam atri humoris, quem tholum vocant.* Vix dubitem pro κύστιν scripsisse μύτιν. Nam qui contentum scivit θόλον, idem continens μύτιν vocari non potuit non scire. Interim sicuti posterioribus θόλος dicta fuit χολὴ, ceu vidimus 27. hujus: ita μύτις & κύστις facile permutari potuere.

§ 35. Pro μύτις etiam μυττὶς legitur in glossis Hesychianis, & exponitur non de *atramentario* (quid ni sic enim vesiculam tholi liceat appellare?) sed *atramento* ipso. Μυττὶς, τὸ μέλαν τῆς σηπίας, ὅπερ ἐν τῷ στόματι ἔχουσα ἐκκρίνει. Ista, nisi fallor, transumta sunt ex Galeni Exeg. μύτις καλεῖται μὲν οὕτως καὶ τὸ ἐν τῷ σηπίας στόματι μέλαν, ἀλλὰ καὶ ἰχθύς τις ὑπὸ τοῦ Ἱπποκράτους δηλοῦται.

πω. Utrobique legendum σώμαλι pro στόμαλι. Neque enim in ore atramentum gerit. Satis hoc ab illo abeſt. Neque ſitum ad oſtium eſt, per quod excernitur. Intereſt enim αὐλὸς *fiſtula* inter locum quo exit, & loculum quo continetur.

§ 36. Sed quis ille *piſcis*, qui μύτης dicatur Hippocrati? Ego ne quidem ſcio ubi nominetur. Foeſius etiam, licet iſta ex Galeno & Heſychio referat in Oeconomia, locum tamen non indicavit. Apud Heſychium eſt: Μύτης, ἰχθὺς θήλεια, ἥτις ἄνευ ἄρρενος γεννᾷ· *Mytes, piſcis femina, quæ ſine mare non degit.* Hoc Philoſophus v. Hiſt. xii. 87. diſerte Sepiis tribuit. βαδίζουσι δὲ κατὰ ζυγά, inquit: *degunt autem conjugatim.* An ergo ſepiæ feminæ nomen *mytidi* fuit? Apud Hippocratem in ii. de Diæt. xi. 170. φυκὶς piſcis nominatur. Pro quo an μύτης ſubrepſerit, non auſim profiteri. In eo ſexus diſcrimen notat Ariſtoteles vi. Hiſt. xiii. 145. Διαφέρει δὲ ὁ ἄρρην φύκης τῆς θηλείας· *Differt fuca mas à femina.* Caſaubonus ad illud Athenæi lib. viii. cap. xiv. καὶ τῶν πετραίων ὁ φυκιὼν καὶ ἡ φυκὶς *& è ſaxatilibus Phycen & Phycis*, ſubnotat: *Ætate magnitudineque differre tantum quidam volunt: alii ſexu.* Sed ego hinc: tu ad Aldrouandum i. de Piſcib. viii. ſi quantæ ſint de Phycide lites cupis cognoſcere.

§ 37. Cæterum quæ in his duobus paragraphis dixi, fortaſſis ex uno Philoſophi intelliges melius. qui eſt iv. Hiſt. ii. 35. ἡ μὲν οὖν μύτης κεῖται ὑπὸ τὸ στόμα, καὶ διὰ ταύτης τείνει ὁ στόμαχος· ἡ δὲ εἰς τὸ ἔντερον ἀναβαίνει κάτωθεν ὁ θόλος, καὶ τῷ αὐτῷ ὑμένι ἔχει περιεχόμενον τὸν πόρον τῷ ἐντέρῳ, καὶ ἀφίησι διὰ ταύτου, τόν τε θόλον καὶ τὸ περίττωμα. *Igitur mytis ſita eſt ſub ore: per hanc tranſmittit gula: qua vero ad inteſtinum pergit deorſum, tholus continetur: atque eâdem membranâ habet obvolutum ipſum meatum cum inteſtino: & emittit per eumdem tam atramentum quam excrementum.* Ὁ πόρος idem heic, qui αὐλὸς ſupra. Male ergo Theodorus *foramen* vertit. Aliud eſt τρῆμα, aliud πόρος. Licet ignorare medici videantur, cum Cutis *foramina* paſſim *poros* vocent. *Foramen* proprie eſt locus apertus forando. Forant cutim igniculi, quos Natura extrudit, ut ne ſuffocetur ignis vitalis. *Porus* fora-

foramini addit etiam prolixitatem. Qui propterea dictus est αὐλὸς, ut teretis spatii tractum intelligas.

§ 38. Noli vero cum ista Mytide confundere *membranam*, quam Cordis loco habere Sepias & *mytidem* quoque appellatam scribit Philosophus I v. Part. v. & nos innuimus non ita pridem. Locum postea dabimus integrum, ut ne cogamur repetere.

§ 39. Pergit & dicit, *sepia plurimum esse*: habita scilicet comparatione cum Polypis & Loliis ac Loliginibus. Tot enim mollucorum genera sunt. Galenus III. Fac. alim. 35. Μαλάκια καλεῖται τὰ μήτε λεπίδας ἔχοντα, μήτε τραχὺ, μήτε ὀστρακώδες τὸ δέρμα, μαλακὸν δ' ὅτως ὡς ἀνθρώποις. ἔστι δὴ τοῦτο, πολύποδές τε καὶ σηπίαι, καὶ τευθίδες, ὅσα τ' ἄλλα τούτοις ἔοικεν. *Molluca vocantur, quæ neque squamas habent neque asperam aut testaceam cutim, sed mollem velut homines. Sunt autem hujus generis Polypi & Sepiæ, ac Loligines, & quæ præterea sunt his similia.* Sed quare τῶν τευθῶν *loliorum* non meminit? An hos non novit? an vero non veniebant in cibum? Utrumque fortassis dici possit duas ob causas, dictas Philosopho IV. Hist. I. 19. 22. Una est: ἔστι δὴ τὸ γένος ὀλίγον τῶν τευθῶν· *Loliorum genus infrequentius est.* Hujus causa, & prioris altera: ἔστι δὲ πελάγιον, ὥσπερ καὶ ἡ τευθίς· *altum mare colit, ut loligo.* Verum ego comprehendisse ultimis verbis puto. Non multum enim differre Lolium à Loligine discas ex eodem Aristotelis loco t. 20.

§ 40. Qua de causa vero *tanto plus* Atramenti habet Sepia, quam quodvis aliud Molluscorum? Adfert Philosophus duas: unam in textu præsenti, à Materia petitam: alteram, à Fine, in alio. Prima est: *quia plurimum habet terreni.* Non repeto, Efficientis virtute habeat, an ex Materiæ necessitate: habet. Habere autem argumento sunt *Tholus* & *Sepium.* Quorum *ille* terreni, quod habet Sepia, feculentissimum: *hoc*, purissimum est. De *tholo* pergemus dicere, postquam de Sepio pauca subtexuerimus.

§ 41. Σήπιον prisci quod vocabant, id Græci posteriores σηπίας ὄστρακον. Athenæus lib. VII. cap. XVI. ἔχει δὴ καὶ τὸ λεγό-

μένον ὄστρακον *habet vero etiam quod ostracium* (servat Plinius l. XXXII. c. X.) *dicitur*: oblivione proculdubio nominis vetusti & proprii. Novum quippe *generale* esse didiceris è Galeni XI. Fac. simpl. 28. ἱκανῶς τὸ σηπίας ὄστρακον χαῦνόν ἐστιν, οὐχ ὥσπερ τὰ τῶν ὀστρείων λιθώδη. Reddit Gaudanus: *Sepiarum testa admodum laxa est, non ut ostreorum lapidosa.* Miror non observasse discrimen inter ὄστρεια & ὄστρεα, genus & speciem. Galenus ante lineas non multas περὶ ὀστρείων. Ὄστρεια καλοῦσιν ἔνιοι πάντα τὰ ὀστρακόδερμα πρὸς Ἀριστοτέλους ὀνομασθέντα. τὸ δ' ὄστρεον λεγόμενον εἶδος ἕν τι τῶν ὀστρείων. *Ostria vocant quidam omnia ostracoderma ab Aristotele nominata. Quod vero ostreum dicitur, species quædam una est ostriorum.* Hujus discriminis manifestum vestigium reperies apud Athenæum lib. III. cap. XIII. αἱ μὲν ὑγρότητες, ἐν αἷς ἂν ἑψηθῇ τι τῶν ὀστρείων, ταρακτικαὶ, καὶ ὑπακτικαὶ τῆς κοιλίας εἰσίν· *Humores, in quibus quid ostriorum est coctum, turbant & solvunt alvum.* Servavi ubique Græca, sequutus exempla eorum, qui ne in materna quidem lingua vel potuerunt vel voluerunt omnia facere Latina. Cujusmodi tamen si cupias, dabo pro ὄστρεια *testacea*: namque constat hoc nomine vocari quicumque piscium *cortice, aut silicum duritia, aut crustis integuntur*, uti Plinius discriminat lib. IX. cap. XII. Interpretationis nostræ rationem ex eodem cognoveris & eodem libro, cap. XXVIII. *Piscium* sunt *tria genera: in primis quæ mollia appellantur: deinde contecta crustis tenuibus: postremo testis conclusa duris.* Sunt ista ex IV. Hist. de Anim. I. transumta. quousque? patefaciet collatio. Recte autem *testis duris*: est enim ὄστρειον aut ὄστρεον, ab ossis firmitate, ὀστοῦν στερεόν. Sic *crustæ* durities à glacie, κρύος. Τὸ ὀστρακόδερμα si Græce ambias, *testicoria* dabit Scaliger ad I. Hist. II. II. Testis vero cum duritia competat, quei ὄστρακον χαῦνον reddi *testa laxa* potest? *Laxum* proprie quod molle, vacuum, non distentum, nec plenum. Videtur enim Græcæ originis esse. Glossarium: λαγαρὸς *laxus*. Phavorinus: λαγαρὸν, τὸ μὴ ναστὸν, ὑπόκενον. *Laxum, non solidum, subvacuum.* Si talis *testa* sepiæ, male ὄστρακον: sin hoc nomine recte dicitur, τὸ χαῦνον heic non erit *laxum*. Nec est. Exposuerim per κραῦρον sive εὔθραυ-

ςον *friabile*. quale certe est, & esse mox è Philosopho audiemus. Gabr. Humelbergius in com. ad Serenum cap. XI. *Sepias* ait *duabus constare partibus. Vna, quæ duriore testa claudatur: & altera quæ hanc foris claudit testa*. Fuerit itaque generis testacei. Cum ista legerem, dicebam mecum, quid est sepia in littore, si non est interpres in re ignota?

§ 42. Plinius lib. XXXII. cap. VII. *sepiæ corticem* vocat, & *sepiarum ossa*. Sed *cortex* cum sit corium tegens (*corium* vero, quo caro tegitur, quodque deglubi à carne potest; ut certe cortex potest à carne testudinis, cujus tegumentum sic vocat lib. IX. cap. XII.) *sepium* contra tegatur, non tegat: non video appellationis rationem. Videor autem alterius videre. Arbitror enim *os sepiæ* dici, non quia os, sed ossis vicem est. Aristoteles IV. Hist. I. 37. Τῇ μὲν οὖν σηπίᾳ καὶ τῇ τευθίδι καὶ τῷ τευθῷ, ἐντός ἐςι τὰ ςερεὰ, ἐν τῷ πρανεῖ τοῦ σώματος, ἃ καλοῦσι, τὸ μὲν, σήπιον, τὸ δὲ, ξίφος. Διαφέρει δὲ, τὸ μὲν γὰρ σήπιον ἰσχυρὸν καὶ πλατύ ἐςι μεταξὺ ἀκάνθης καὶ ὀςοῦ, ἔχον ἐν αὐτῷ ψαθυρότητα σομφήν· τὸ δὲ τευθίδων, λεπτὸν καὶ χονδρωδέςερον. *Sepiæ quidem & loligini & lolio, intus est pars firma, sub dorso corporis. Illius sepium, horum gladium vocant. Ea tamen inter se differunt. Sepium namque firmius & latius, media concretione inter spinam & os: continens quamdam friabilem raritatem. At gladius loliginum tenuis ac magis vergens ad cartilaginis naturam.* Sæpe admodum reperitur sepium in nostris littoribus: huc sepiis tempestate ejectis, aut fluitantibus, quibus præcidit caput Larus, piscium venator maximus. quo de pulcherrimi versus sunt apud Homerum Odyss. ε'. 50. Ubi nuncium Jovis multum celerem atque fidelem comparat Laro, avium pernicissimo in volando & irruendo in pisces summo natantes mari. Unde κοῦφοι *leves* Lari dicuntur ab Oppiano I. Halieut. 424. Ad quem confer Rittershusium I. Cyneg. 71. Sed poëtam audiamus.

Πιερίην δ' ἐπιβὰς, ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ,
Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικὼς,
Ὥςε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
Ἰχθῦς ἀγρώσσων, πυκινὰ πτερὰ δεύεται ἅλμῃ.

Pro quibus ista apud Virgilium repereris IV. Æneid. 252.

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit, hinc toto præceps se corpore in undas
Misit avi similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos humilis volat æquora juxta.

Ad quæ vide Petr. Nannium I. Misc. XV. & de la Cerda ibi.

§ 43. *Sepium* porro totum *album* est, & tantum non cretaceum: ut è succo terreo genitum dubitare nequeas. Exterius corticem habet crustaceum, sive duriusculum & lævem. Sub eo est substantia tenera, asperaque ac quasi pumicosa. Quæ cum exaruit, prorsus est friabilis, non aliter ac si concreta spuma esset. quale quid ex nostri maris accolis rudiores esse cum putent, hinc *ze-schuim*, id est, *maris spumam* nominarunt.

§ 44. Sed cui *usui* est sepium? Sepiis quidem ad natandum. Nam super hoc immobili eas movere corpus docet ratio. Docet enim Philosophus I. de Anim. ingr. cap. III. ἀεὶ μεταβάλλειν τὸ κινούμενον, ἀποσηριζόμενον πρὸς τὸ ὑποκείμενον αὖπω, *semper se movere quod movetur, immixum ei quod subjicitur motui.* Etenim *ut directus inflexusque maneret, natura his adminiculis faciendum censuit*, inquit Aldrouandus I. de Mollib. p. 48. E. Bellonius lib. II. de Aquatilib. cap. II. p. 339. *os sepiæ datum est fungosum in supina parte, ne facile immergatur.* Hoc quia non capio, nec carpo. *Alter* sepii usus & varius ad medicinam est. De quibus videndus Galenus XI. Simpl. fac. 28. in primis Aldrouandus h.t. qui studiose collegit ex nostris, quidquid huc facit. In cæteros usus inquisitio non nostra esse debet.

§ 45. Alteram rationem *copiæ* Atramenti reddit Philosophus à Fine; & eo quidem duplici. Utuntur enim atramento suo Sepiæ ad occulendum vel Se vel Ova sua. Hoc quia spontaneum, illud coactum est, faciemus initium à naturaliori.

§ 46. De hoc v. Hist. XVIII. 193. leguntur hæc. Αἱ δὲ σηπίαι ἀποπίκτουσι, καὶ γίνεται ὅμοια μύρλοις μεγάλοις καὶ μέλασιν· ἐπαφίησι γὰρ τὸ θόλον· καὶ ἀλλήλων ἐχόμεναί εἰσιν, οἷον βότρυς τὸ πᾶν, ὠὰ πεπλεγμένα ἑνί τινι, καὶ ἐκ διαπάσασα ἀλλήλων. ἀφίησι γὰρ ὁ ἄρρην ὑγρότητά τινα μυξώδη· ὃ τῇ γλιχρότητι παρέπεται, καὶ αὐξάνεται. τούτῳ

ταύτῃ δὲ τὰ ὠὰ εὐθὺς μὲν ἐστι λευκά· ὅταν δὲ ἀφῇ τὸν θόλον, καὶ μείζω καὶ μέλανα. Pro quibus Scaliger: *Sepiæ edunt similia myrtilis nigris grandioribus: superinfundunt enim iis atramentum: quo ita racematim cohærent, ut cuncta uni cuipiam nexu agglomerata, nec quæ facile separari possint. Emittit enim mas venereum humorem quemdam muscidum, qui viscidam naturam consequitur: atque hac crescunt ova. Statim enim edita, candida sunt: effuso autem atramento, & grandiora & nigra.*

§ 47. Theodorus pro γίνεται ὅμοια μύρτοις μεγάλοις, *magnitudinem myrtorum capiunt.* Male primum, *myrtorum.* Aliud μύρτος, aliud μύρτον. Etenim μύρτος, *myrtus*, est inter arbores odoratas, semper virentes, & ad multa valde utiles: etenim nihil est in Myrto, quod non alicui rei utile. De quo aliquam multa notatu digna collegit ex Theophrasto aliisque Rever. D. Joh. Coccejus, Collega & amicus conjunctissimus, in eruditis suis in XII. Prophetas commentariis ad illud Zach. 1. 8. *& is,* Angelus Domini, *stabat inter myrtos.* Quibus commentariis utinam similes haberemus non tantum in reliquos Prophetas, sed & universa Vet. ac Novi Test. Prophetica. Quid enim aut Ecclesiæ aut cujusque piorum conscientiæ (εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ Χριστοῦ· ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *in omnem exuberantiam certitudinis animadversionis ad cognitionem mysterii Dei Patris & Christi*, hoc est, consilii arcani de justitia & salute nostra, quod est inter Patrem & Filium: utpote *in quo* mysterio *omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sunt absconditi*) desiderabilius esse potest, quam veritatem verborum Dei non solum in Filio dato, in Christo capite, sed & corporis Christi Ecclesiæ regimine atque in omnibus tentationibus atque afflictionibus conservatione perspicere de tempore in tempus ex implementis. Quibus ut testimonium perhiberent, idcirco nobis tot nobiles omnium gentium ac temporum historias divina cum benignitas tum providentia servavit. O utinam plures in Ecclesia, imo omnes sic prophetaremus! quod erat fidelis servi Dei votum ac responsum

pro-

Unable to display this page

petitis vicibus. Hoc est, ἐξ ἀναγωγῆς. Theodorus, *interposita quiete.* Oratio manca: non enim possis nisi ad prius applicare. Nam inter partum & aspersum non interponit quietem: sed inter utrumque factos atque iteratos. Ἀναγωγὴ est *recessus.* Unde sensus abditi, *anagogici.* Dioscorides II. Parab. XXX. & Galenus VII. κατ. τόπ. IV. ἀναγωγὴν αἵματος vocant *eductionem sanguinis* & sursum & iterum iterumque factam. Heic vero ἐξ ἀναγωγῆς est *ex reductione*: sicut respiratio fit ἐξ ἀναγωγῆς, *per vices* ducendo reddendoque spiritum.

§ 50. Alterum commodum, quod ovis adfert atramenti superinfusio, est quod *eo ita racematim cohæreant, ut cuncta uni cuipiam nexu agglomerata, nec quæ facile separari queant.* Græce erat: καὶ ἀλλήλων ἐχόμενά ἐστιν οἷον βότρυς, τὸ πᾶν περιπεπλεγμένα ἐνί τινι, καὶ οὐκ εὐαπόσπαστα. Hoc nemo facile intellexerit nisi ex libro Naturæ. è quo descripsit buxoque inscripsit primum Rondeletius XVII. de Piscib. III. *Seorsum,* inquit, *hic sepiarum ova, qualia à mari rejiciuntur, depingenda curavimus, ut melius intelligant & agnoscant studiosi, quæ de his ab Aristotele literis prodita sunt.* Et postea: *Hæc quæ exhibemus sepiarum ova esse ab Aristotele descripta, aspectus ipse docet. Sunt enim racematim compacta, tamquam à pediculo dependentia, oblonga, initio baccæ myrti, tandem avellanæ nucis magnitudine, folliculo vel membranula contecta, cohærentia; foris affuso atramento nigra, intus alba.* Qui potest & his delectatur, inspiciat figuram vel ibi vel quam rudiore cœlo expressit Aldrouandus p. m. 53. & videbit ova *juxta se invicem posita esse instar botri.* Βότρυς sunt in racemo connexæ plures uvæ. Hesychius: βότρυες τὰς ῥάγας ἔχουσι πυκνὰς καὶ κατὰ συστροφάς· i.e. *botri habent acinos densos & conglobatim.* Glossarium: *Globus,* συστροφή. Ramulus, unde acini dependent suis pediculis, *scapus* dicitur. Sic quoque ova *cuncta undique sunt annexa uni cuipiam* scapo, adeoque tenaciter, ut *non sint avulsu facilia.* Agglutinat enim illa scapo suo gluten atramentarium.

§ 51. Atenimvero, si recte putamus, hoc opus est *humoris masculi* potius. Quasi enim redditurus rationem, quare ova sepiæ suo scapo tam firmiter adhærescant, ut avelli vix queant:

ita protinus subdit: ἀφίησι γὰρ ὁ ἄρρην ὑγρότητά τινα μυξώδη, *emittit enim mas humorem quemdam muco similem.* Ὁ γὰρ ἄρρην τῶν σηπιῶν, ὅταν ἐκτέκῃ ἡ θήλεια, ὑπερραίνει τὰ ᾠά· *Sepia enim mas, ubi peperit femina, irrorat ova,* uti notatum est in VI. Hist. XIII. 143. Quo irrorat, *nova voce,* inquit Scaliger, *sed pulcherrima appellat* ὑγρότητα μυξώδη: quem ille *lentorem venereum* reddit. Galenus III. de Artic. 65. Μυξώδες ὑγρὸν εἴωθεν ὀνομάζειν, τὸ γλίσχρον τι καὶ λιπαρόν· *Muccosus humor consuevit dici, qui albus est & lentus, viscosus, tenax.* Hæc enim omnia significat τὸ γλίσχρον. Illius vero humoris *visciditate adhærescunt, atque augentur.* Legerim itaque: ὅ τῇ γλισχρότητι παρέχεται, καὶ αὐξάνεται. Quam hæc verba fatigarint illustrem Commentatorem, videsis apud ipsum. Quorsum namque velim in alieno labore laborare?

§ 52. Sequitur tandem: ταύτῃ μὲν τὰ ᾠὰ διὸ καὶ λευκά· ὅταν δὲ ἀφῇ τὸν θολὸν, καὶ μείζω, καὶ μέλανα. *Itaque ova statim quidem sunt alba: ubi vero adspersit atramentum, & grandiora, & nigra.* Obscura oratio, si quæ alia. In textu est, θολόν: Scaliger mavult, θορόν. Ego ciccum non interduim (quo de vide Lipsii notam ad Plauti Rud. act. II. sc. VII. 22. exhibitam à Cl. Boxhornio τῷ πάνυ. interim monente C. Barthio XXVI. Adversar. XXVII. ex Hesychio disce *ciccum* esse parvæ & contemtibilis cicadæ speciem. κίκκος, ὁ νέος πτίλος.) utro modo legas: nisi enim commoda accedat expositio, neutra vox quadrat. Neque enim ova ab *atramento* grandescunt, aut nigrescunt à *genitura.*

§ 53. An dicendum ergo? Marem primo quidem adspergere τὸν θορὸν *semen suum*: sed hoc cum album sit, eodem mox instinctu ac fine τὸν θολὸν *atramentum suum* superinfundere, quo suum antea ovis femina. Possis sic quoque accipere: Ova excludi alba: his protinus adesse marem & adspergere semen suum (ὅταν γὰρ ἐκλίκτῃ, παρεπόμενος ὁ ἄρρην ὑπερραίνει τὰ ᾠὰ τὸν θορόν· *Etenim dum parit, sequens mas aspergit ova semine suo,* VI. Hist. XIII. 142.) hinc grandescere: quamvis atramento denigrata. Placet itaque Scaligeri sententia. Non enim genitalia sunt ova, nisi mas semine prolifico irroret, ejusque virtute ani-

animentur ac perficiantur. Possem heic de Seminis genitalis aspersu & effectu non pauca mittere in disquisitionem: inprimis illud, quod Harvejus de Gen. anim. exerc. 49. fin. se alibi uberius explicaturum promittit: *quidnam sit Contagium illud prolificum, aut conceptus primus? num corporeum quid, an incorporeum?* Sed mitto ista in præsentiarum, quo ne nimium nunc abeam à scopo: erit enim, ubi illa debebimus necessario examinare.

§ 54. Utuntur præterea atramento suo Sepiæ, ejusque magna quantitate indigent ad occulendum se, quoties incidit metus, ut ne capiantur. Plinius lib. IX. cap. XXIX. *Sepiæ ubi sensere se apprehendi effuso atramento infuscata aqua absconduntur.* Athenæus lib. VII. c. XXI. διωκομένη ἡ σηπία τὸ ὑγρὸν ἀφίησι, καὶ ἐν αὐτῷ κρύπτεται, ἐμφήνασα φεύγειν εἰς τοὔμπροσθεν. *Fugiens sepia atramentum spargit, & in eo absconditur, simulans fugere antorsum.* Nervose Tullius II. Nat. deor. *atramenti effusione sepiæ se tutantur.* Nobile emblema Algemistæ, auri plaustra promittentis &, decocto quod emunxit, atro se fumo involventis ac per caminum evolantis atque evadentis occulte, relicto nimium credulis fœtore laboratorii, ac dolore conscientiæ ob decocta sibi suisque necessaria ad vivendum, pudoreque magno apud conscios vanissimæ spei & certæ avaritiæ, radicis omnium malorum: 1. Tim. VI. 10. Confer ad Plutarchum l. de Solert. anim. p. m. 978.

§ 55. Quando itaque salutis præsidium in atramento esse Sepiæ Natura voluit, perquam provide magnam ei præ cæteris Mollucis copiam procuravit. De *copia* hac Philosophus in IV. Hist. II. 33. τῶν δὲ [τὸ ὑγρὸν] ὅτι πλεῖστον αὐτὸν ἡ μέγιστον ἡ σηπία ἔχει. Theodorus: *quod plurimum in sepia est.* Ad quæ summi Commentatoris subnotatio est. *Theodorus alterum tantùm & agnovit & recepit & reposuit. Nam profectò videtur abundare τὸ μέγιστον. Nam quamquam cum Herodoto dicas μεγίστας πλαμύς: tamen dubito an dicamus rectè maximum vinum, cum multum valde vini velis intelligere.* Ego licet nescius non sim favere utrique lectionem IV. de Part. V. quam mox proferemus: nihilominus

nihil attinet præsentis vitium causari. Possis enim commodissime sic reddere : *Atramenti hujus plurimum vel inprimis sepiæ habent.* Τὸ μέγιστον sic accipi solitum videre est è Thucydidis loco non uno. Sic lib. I. p. 46. edit. Steph. μέγιστον δὲ, τῇ τῶν χρημάτων σπάνει κωλύσονται, *Inprimis vero, opum penuria prohibebuntur.* Similiter lib. IV. p. 144. 156. alibi.

§ 56 Habent etiam Polypi suum tholum, quin & omne genus Mollucorum, & ad custodiam sui. Ita Philosophus loco, quem dudum producturio. πρὸς βοήθειαν δὲ καὶ σωτηρίαν ἔχει ταῦτα τὸν καλούμενον θόλον, ἐν χιτῶνι ὑμενώδει προσπεφυκότα, τὴν ἔξοδον ἔχοντι καὶ τὸ πέρας, ᾗπερ ἀφιᾶσι τὸ περίττωμα τῆς κοιλίας κατὰ τὸν καλούμενον αὐλόν. οὗτος δ' ἐστὶν ἐν τοῖς ὑπτίοις. ἔχει μὲν οὖν πάντα τὰ μαλάκια τοῦτο τὸ μόριον ἴδιον. μάλιστα δ' ἡ σηπία, καὶ πλεῖστον. ὅταν γὰρ φοβηθῶσι καὶ δεδίασιν, οἷον φράγμα πρὸς τοῦ σώματος ποιοῦνται τὴν τοῦ ὑγροῦ μέλανσιν καὶ θόλωσιν. αἱ μὲν τευθίδες καὶ πολύποδες ἔχουσιν ἄνωθεν τὸν θόλον ἐπὶ τῇ μυτίδι μᾶλλον· ἡ δὲ σηπία, πρὸς τῇ κοιλίᾳ κάτω. πλείω γὰρ ἔχει, διὰ τὸ χρῆσθαι μᾶλλον. τοῦτο δ' αὐτῇ συμβαίνει, διὰ τὸ πρόσγειον μὲν εἶναι τὸν βίον αὐτοῦ, μὴ ἔχειν δὲ ἄλλην βοήθειαν, ὥσπερ ὁ πολύπους ἔχει τὰς πλεκτάνας χρησίμους καὶ τὴν χρώματος μεταβολὴν, ἣ συμβαίνει αὐτῷ ὥσπερ καὶ ἡ τοῦ θόλου πρόεσις, διὰ δειλίαν. ἡ τευθὶς πελάγιόν ἐστι μόνον τούτων. πλείω μὲν οὖν ἔχει ἡ σηπία παρὰ τοῦτο τὸν θόλον. κάτω δὲ, διὰ τὸ πλείω. ῥᾴδιον γάρ ἐστι προΐεσθαι καὶ πόῤῥωθεν ἀπὸ τοῦ πλείονος. *In præsidium vero salutis ista tholum, ut vocant, habent in tunica membranacea contentum, quæ exitum finemque habeat, qua emittunt excrementum alvi per fistulam appellatam. Hæc vero est in parte supina. Habent itaque omnia molluca hanc particulam propriam : maxime vero Sepia, & plurimum. Quando enim terrentur & timent, velut sepem circa corpus faciunt aquæ infuscationem atque turbationem. Lolligines ac polypi tholum in mytide habent superius magis : Sepia vero, inferius ad alvum. Plus enim habet, quia magis utitur. Hoc vero ei evenit, quia littoralem degit vitam, neque habet aliud præsidium, quemadmodum Polypus qui habet brachia accommodata & coloris mutationem, quæ accidit ei sicut & tholi effusio, præ metu. Loligo sola altum mare colit. Illa igitur de causa plus tholi habet Sepia.*

Infe-

Inferius autem, quia plus. Facilius enim emittitur, & longius, qui multus est.

§ 57. Duo in his præcipue notanda: Quod Molluca omnia habeant tholum, & quare. Πολύπȣ θόλον meminit Hippocrates II. de Morb. t. LXXI. hunc Latine *tholum* rectius, quam *atramentum* reddas: neque enim tale est: sed *rubramentum* potius. Deinde neque Athenæo hac ratione contradicimus testanti VII. Deipnos. XIX. ὑπέρυθρον *subrubrum* esse: neque cum Cœlio Rhodigino XIII. Antiq. lect. XXXII. incidemus in dubitationem, satin' recte Polypi tholus atramentum dicatur. *Ruber* dictus color albi & atri exactissima mistura est. *Subruber*, rubor dilutus. Diluit album. Videtur ergo nullum esse Polypis in tholo suo præsidium. Nullum: hoc enim ipsis in brachiis colorisque mutatione datum. πλεκτάναι proprie & ad verbum sunt *amplexabula*. Cæsaris hoc verbum, IV. Hist. 23. Ovidius *flagella* dixit IV. Metamorph. 366. simul ostendens his uti pro armis.

Vtque sub æquoribus deprensum Polypus hostem
Continet ex omni demissis parte flagellis.

Cujus ergo gratia Tholum habent? σημείȣ *notæ*, diceret Philosophus: nempe qua sese probent è genere Mollucorum. Habent enim omnia hanc particulam propriam adeo, ut operæ pretium magis cuculos feceris, quam alio in genere marinorum frustra quæsieris.

§ 58. In sepiis vero vere atramentum est, & maxima copia, & inferius ad alvum. *Vere* atramentum est, & eo aptius infuscandis turbandisque aquis, intra quas velut murum sese subducant. Quibus certe ceu spissis tenebris offusis conspectum dum intercipiunt ingruenti hosti, interim se recipiunt in tutum. *Copia* major est, quia sæpius utuntur. Quia enim πρόσγειοι (hoc est, non *terreni*, ut Plinium l. IX. c. XXIX. secutus male reddidit Theodorus: neque enim dicas piscem terrenum, nisi qui exeat in terram, ut vitulum, hippopotamum, crocodilum, ranam: sed) *accolæ littoris* sunt, in varia vitæ discrimina incidunt. Ad quæ promtum sibi subsidium ut esset,

in promtu atramentum habent, ſcilicet tali loco, unde emitti facile ac longe lateque poſſit.

§ 59. Quæ cauſa ſpargendi vero? metus, an aſtus? Metum heic dicit, & in IV. Hiſt. II. 34. ἀφίησι μὲν οὖν ἅπαντα, ὅταν φοβηθῇ· μάλιστα δὲ ἡ σηπία· *Atque hoc emittunt omnia, cum perterrefiunt: præſertim Sepia.* Quam aſtu id, eoque ſingulari facere ait in IX. Hiſt. XXXVII. 275. Audiamus *jucundiſſimam & melliſluam narrationem,* ut vocat Pluſquamcommentator Ariſtotelicus. τῶν δὲ μαλακίων πανουργότατον μὲν ἡ σηπία. καὶ μόνον χρῆται τῷ θόλῳ κρύψεως χάριν, καὶ οὐ μόνον φοβουμένη. ὁ δὲ πολύπους καὶ ἡ τεῦθις, διὰ φόβον ἀφίησι τὸν θόλον. ἀφίησι δὲ ταῦτα πάντα οὐδέποτε ἀθρόον τὸν θόλον. καὶ ὅταν ἀφῇ, αὐξάνεται πάλιν. ἡ δὲ σηπία, ὥσπερ εἴρηται, τῷ τε θόλῳ πολλάκις χρῆται κρύψεως χάριν· καὶ προδείξασα εἰς τὸ πρόσθεν, ἀναστρέφεται εἰς τὸν θόλον. Pro quibus doctiſſimus Interpres. *Molluſcorum autem aſtutiſſima ſepia eſt. Solaque utitur atramento, non modo ob metum: verumetiam ad latitandum. Polypus autem & lolliguncula, ob pavorem emittunt illud. Verum hæc omnia numquam emittunt univerſum. Quinetiam amiſſum deintegrò augetur. At ſepia, quemadmodum dictum eſt, & atramento ſæpe utitur pro latibulo, & cum ſeſe promota oſtenderit, revertitur in ſuum atramentum.*

§ 60. Heic primum mirari ſubit, quemadmodum *Sepiam* dicat molluſcorum *aſtutiſſimam*, aſtum mox qui maximum narrat de Polypo. Καὶ θηρεύει (inquit t. 280.) τοὺς ἰχθῦς, τὸ χρῶμα μηταβάλλων, καὶ ποιῶν ὅμοιον οἷς ἂν πλησιάζῃ λίθοις· *Venatur piſces colorem mutans, efficienſque, ut quibus hæſerit lapidibus, ſimilis ſit.* Ubi Scaliger: *Mirificam poteſtatem: puto ſubduci ſuccum totius corporis: & transfluere: neque enim alio modo poteſt. Ita inanem chamæleonem tranſmittere ſubjecti ſoli colorem. Sane translucidum corpus Polypi eſt. Neque ſatis mutare. Oportet etiam aſſimilare. Ita etiam in poteſtatibus naturalibus eſt tranſmutans, & eſt aſſimilans, & uniens. Vnum tamen eſſe alibi diſputavimus. Neque enim tranſmutans mutat ſimpliciter, ſed ſic. Non enim genera ſunt, niſi in ſpeciebus: neque ſpecies, niſi in individuis. Mutatio in genere non invenitur in genere, ſed ſeparatur per intellectum.* Habes vero de coloris

in

in Polypo mutatione apud Plutarchum in Quæſt. nat. Problem. xix. p. m. 916. B. Vide & Cardanum vii. De var. rer. xxxvii. & Aldrouandum i. de Mollib. ii. tit. Problemata. p. m. 37. & Dalechampii Annot. ad ix. Plinii xxix. f.

§ 61. Si ab aſtu iſtud eſt, multum eſt. Nam piſces loca non metuunt. Ergo ne id quidem quod eſſe putarunt locum. Ergo πανυργότατος Polypus, qui etiam innoxiam faciem mentiatur: non Sepia, qũæ cum ſe putat latere, prodit ſe ipſo latibulo.

§ 62. Sed ſi verum eſt, quod de Sepia protinus ſubjungit, nulla erit Polypi prærogativa. λέγεται δ' ὑπό τινων, ὡς καὶ ἡ σηπία τοῦτο ποιεῖ. παρόμοιον γὰρ φασὶ τὸ χρῶμα τὸ αὑτῆς ποιεῖν τῷ τόπῳ ᾧ ἂν προσίζῃ. *Fertur à quibuſdam hoc idem facere etiam Sepiam: ſuum enim colorem ajunt aſſimilare loco in quo verſatur.* Ubi cum bis dicat, λέγεται, φασὶ, *fertur, ajunt*: paret, non affirmare: imo aliorum uti teſtimoniis. Quare hoc relinquamus in medio.

§ 63. Dicamus vero comparationem à Philoſopho inſtitutam ſpectare ſolertiam non in quærendo cibo, ſed evadendo periculo. Ubi ὁ πολύπους, ἀνόητον μέν ἐστι· καὶ γὰρ πρὸς τὴν χεῖρα βαδίζει τοῦ ἀνθρώπου καθειμένην. *Polypus ſtolidus eſt: accedit enim ad hominis manum demiſſam.* Ad quæ laudatus Interpres: *Reddit cauſam ſtoliditatis.* βαδίζει, *inquit, quoniam motus animalis debet eſſe ex conſilio & electione. Et dixit* χεῖρα, *quoniam ea capitur. Et dixit* ἀνθρώπου, *quæ eſt peſsima bellua. Et recte* καθειμένην, *quoniam accedit etiam ad fruſtulum panni coccinei. quo capitur à Liguribus.* Sepia cautior. Neque enim adit periculum: cum ſentit, metuit & abjicit atramentum, & fugam ſimulat, & mox *cum ſe promota oſtenderit, revertitur in ſuum atramentum*, ſubiens in infuſcatam turbidamque velut in aſylum. Vide hac de re verſus elegantes Græcos quidem apud Oppianum iii. Halieut. 156 Latinos vero apud Ovidium in fragm. Halieut. v. 19 qui quia breviores ſunt & forte materia illorum, non pigrabor adſcribere.

Sepia tarda fuga, tenui cum forte ſub unda

De-

Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaceis,
Inficiens æquor nigrum movet illa cruorem,
Avertitque vices, oculos frustrata sequentes.

Ubi *tenuis unda* eadem & clara est, qualis esse sub malacia solet, reside limo & arena. Per se marina crassa substantiæ est. Vere autem dictum: latitando latibulum prodere. Emblema peccatoris. Vivum exemplum & primum in primo homine, Gen. III.7.8.9.10. Hodie in quo non est? Peccamus in proximum: negamus peccasse, & dum peccatum peccato latibulum quærimus, prodimur hoc ipso. Virtutum vitiorumque hieroglyphica ista rebus suis à Creatore inscripta utinam haut negligenter inspiceremus, notantesque converteremus in salutares usus! Si quod enim turpe simulachrum vitii est in bruto: quanto ipsum vitium turpius est in nobis? Si quæ virtutis imago pulchra in illo est: quanto ipsa virtus decentior fulgebit in nobis, & allucebit illustrior se componentibus ad ipsam?

§ 64. Cæterum quod Sepia se in effusum suum atramentum recipiat, propterea eam *solam uti atramento* dicit. Polypus & lolliguncula quidem, etiam emittunt illud: sed non utuntur ad tuendam vitam. Commune itaque Molluscis omnibus & habere atramentum & abjicere: at proprium Sepiæ, amisso uti, & salutis habere refugium, quando est in periculo ut capiatur à potentiore aliquo, & præda fiat atque esca piscis alterius. Hujus enim oculis subductus evasit in tutum. Bruta quippe nisi præsentibus objectis non moventur. Quod itaque jam modo dicebamus, Sepiam prodere latibulum in hoc se recipiendo, oportet quoad hominem intelligere. qui etiam, quæ oculus non videt, intellectu prosequitur. In hanc rem variorum collectanea repereris apud Aldrouandum p. 55.

§ 65. Emittunt vero Molluscа omnia atramentum suum Δι' φόβον. Theodorus, *per metum*. Melius, *propter metum*. Elegantius, *præ metu*. Sæpe enim præverbium *præ* causale est, significans aliquid saltem ordine naturæ antegrediens effectum. *Metus* est motus spiritus ad cor, ceu fugientis in arcem.

Ille

Ille vero partem ceu ſtationem deſerens impotentem reddit continendo quod continet. Pulchre illa Philoſophus in IV. de Part. V. ἀναίμων δ' ὄντων, καὶ τούτων καλεψυγμένων, καὶ φοβητικῶν, ὥσπερ ἐνίοις ὅταν δείσωσιν, ἡ κοιλία ταράττεται· τοῖς δ' ἐκτὸς ἐκ τῆς κύστεως ῥεῖ φλέγμα. καὶ τούτοις τοῦτο συμβαίνει μὲν ἐξ ἀνάγκης ἀφιέναι μὲν δηλίαν, ὥσπερ ἐκ κύστεως τοῖς ἐπιρρύσιν. ἡ δὲ φύσις ἅμα τῷ τοιούτῳ φλέγματι καταχρῆται πρὸς βοήθειαν καὶ σωτηρίαν αὐτῶν. *Quoniam exangues ſunt* ſepiæ, *& idcirco frigidæ ac meticuloſæ, velut aliquibus, cum perterrentur, alvus turbatur; aliis foras è veſica fluit lotium. Atque his* (Sepiis nempe) *hoc quidem accidit ex neceſſitate emitti propter metum, velut qui vitio veſicæ urinam faciunt. Natura interim iſthoc excremento abutitur ad cuſtodiam ac ſalutem.*

§ 66. In tranſitu nota, τὸ καταχρῆσθαι *abuti* heic vulgata ſignificatione non venire, ſed philoſophica prorſus. Boëthius ad illud Ciceronis in Topicis, *Vſus enim, non abuſus legatus eſt*, ſubnotat: *Vtimur iis, quæ nobis utentibus permanent: iis vero abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.* Non ſic acceperis heic. Neque enim idcirco effundit atramentum Sepia, ut utatur, licet periturum ſciat. *Tanta ſolertia animalium hebetiſſimus non eſt*, ut mea nunc faciam verba Plinii, quæ contrario licet ſenſu ſunt lib. IX. cap. XXX. *Abuſus* heic idem quod uſus per accidens eſt. Accidit Sepiis atramento uti, quod abjecerunt. Quomodo? Quis dixerit? An ſimile vero eſt: Sepiam, ubi ſe promota oſtenderit, conſpecto rurſus prædone refugere, videntemque turbidam in ea ſe abdere? Audivimus ſupra, *parere inter harundines, aut ſicubi enata alga*, ut Plinius ait lib. IX. cap. LI. Amat itaque obſcura & quærit, & viſis utitur pro latibulo.

§ 67. *Exangues* eſſe Sepias ſæpius Philoſophus dicit: primum I. Hiſt. IV. Ineſt interim humor illis, quo vel natura vel vi ſi priventur, intereunt: ineſt etiam aliud, in quo ille exiſtit humor. De part. IV. c. V. δεῖ δὲ δηλονότι καὶ τὰ ἐναίμοις ὑπαρχόντων καὶ τὸ κύριον τῶν αἰσθήσεων, ἔχειν ἀνάλογόν τι μόριον. τοῦτο δὲ δεῖ πάσχειν ὑπάρχειν τοῖς ζώοις. ἔστι δὲ τοῦτο τοῖς μὲν μελαγχοῖς (rescribe, μελανίοις) ἐν ὑμένι κείμενον ὑγρόν. καλεῖται μύπις ὑπό τινων. ποιοῦσι δ' ἕτερον καὶ τοῖς μελαγχροίαις ἐστὶ, καὶ καλεῖται κἀκεῖ-

νο μύτις. ἔστι δ' ὑγρὸν καὶ σωματῶδες ἅμα τοῦτο τὸ μόριον. ὑπὸ γὰρ τὸν μυτίδα τὸ ἔντερον ἔξωθεν, καὶ ὁ θόλος πρὸς τῷ ἐντέρῳ, ὅπως ὅπ πλεῖστον ἀπέχῃ τοῦ εἰσόδου, καὶ τὸ δυσχερὲς ἄποθεν ᾖ καὶ βελτίονος καὶ τῆς ἀρχῆς. ὅπι δὲ ἐστι τὸ ἀνάλογον τῇ τοῦτο τὸ μόριον, δηλοῖ ὁ τόπος· ἔστι γάρ ἐστιν ὁ αὐτὸς· καὶ ἡ γλυκύτης τοῦ ὑγροῦ τοῦ, ὡς ὅσα πεπεμμένη καὶ αἱματώδης. *Nempe oportet habere ſimilem quamdam particulam ei, cui in ſanguineis ineſt principatus ſenſuum. Hanc enim oportet omnibus ineſſe animalibus. Hæc vero in Mollucis eſt membranâ contentus humor, vocaturque Mytis ab aliquibus. Similis alia eſt in Teſtimollibus, vocaturque & hæc Mytis. Humida vero & corpulenta ſimul hæc particula eſt. Iuxta Mytidem vero exterius eſt inteſtinum, & Tholus juxta inteſtinum, ut ab introitu plurimum abſit, & feculentum procul ſit ab utili & ipſo principio. Quod vero huic illa particula ſit analoga, oſtendit locus (hic enim eſt idem ipſe) & dulcedo humoris, qui & coctus eſt & ſanguilentus.* Habent itaque Sepiæ pro corde Mytidem & humorem in ea ſanguilentum pro ſanguine. Frigidæ ergo præ ſanguineis. Quorum cum δῆλόπερα τὰ λίαν ὑδατώδη *meticuloſiora ſint ea quæ valde aquoſum* habent ſanguinem: oportet ſane meticuloſiſſima eſſe exanguia & quæ vice ſanguinis habent ἰχῶρα.

§ 68. Quæ vox qua altera ſit Latine reddenda, non uſquequaque liquet. Sane ea ſollicitum habuit eruditiorum Coryphæum ad 1. Hiſt. 1. 6. *Exempla fluidarum*, inquit, *facilia omnia, una vox tardat curſum noſtrum*, ἰχὼρ: *ſane ejus uſus non unus. Nam Homerus* Deorum ſanguinem *ſic appellat; quod eſt etiam in hiſtoria Alexandri magni. Eſt &* cruor, *qui in cadaveribus eſt. Eſt &* ſanies *quædam apud medicos. Eſt & id quod pro* ſanguine *datum eſt inſectis. Hic vero nullum horum poteſt ſignificare. Non ſaniem: naturalem enim rem dicit. Non id quod eſt in inſectis: nam hoc eſt analogum, & reſpondet ei parti*, ἔτι ὅσοι ἀνάλογα τούτοις præterea aquæ ſequuntur proportionem horum. *Igitur videtur intelligere quatuor humiditates, quæ aliud à ſanguine apud principem Avicennam exactiſſime digeruntur.* Idem mihi non tantum, ſed ipſi Scaligero non videtur ad 1. Hiſt. IV. 31. *Veteres enim vix videntur agnoviſſe ſecundas humiditates.* Docebo aliquando, ne agnoviſſe quidem, & primum

mum hoc Ibn Sinæ commentum esse, & absque ratione atque usu.

§ 69. Docet deinde Philosophus, qua ratione effluat præ metu Sepiis atramentum suum. Docet autem exemplis: & à nobis quidem. *Velut aliquibus*, inquit, *cum perterrentur, alvus turbatur; aliis urina profluit.* Hujus etiam meminit & causam reddit Alex. Aphrodiseus I. Probl. XIII. Διὰ τὶ καὶ τρέμουσιν [οἱ φοβούμενοι;] ὅτι καὶ ἡ ψυχικὴ δύναμις κατὰ συμπάθειαν τῆς φύσεως φεύγουσα τὰ νεῦρα καταλιμπάνει, ἅπερ ἐφύλαττον τὰ ἄτρομα μόρια. Διὰ τοῦτο δὴ καὶ ἀποπατοῦσι καὶ οὐροῦσιν ἀπροαιρέτως. οἱ γὰρ κλείοντες τοὺς πόρους τῶν περιττωμάτων μύες, νῦν ἀσθενοῦντες ἀφιᾶσι τὰ περιττά. *Quare etiam tremunt metuentes? Quia animalis vis consensu naturæ fugiens nervos derelinquit, quæ membra custodiebant intrepida. Propterea vero etiam ab alvo secedunt & urinam faciunt involuntarie. Qui enim claudebant meatus excrementorum musculi, nunc languentes emittunt illa.* Non est verecundiorum quisquam, qui id in se non experiatur in occasione. His vero αὐτὸς ὁ φόβος ὠφελεῖ, καὶ πρὸς ἀγαθοῦ τοῖς ἀνθρώποις ἐξεύρηται, *ipse timor prodest, quin hominum bono inventus est*, inquit Clemens Alex. I. Pædag. VIII. Cui vero? Ut sit *modestiæ magister.* quem tamen *infidelem* vocat Plinius Paneg. c. XLV. & recte quidem. Solus *fidelis* est timor Domini: hic enim est initium sapientiæ: Psalm. CXI. 10. Prov. IX. 10.

§ 70. Cæterum Alexandri verba, imo rem ipsam ut intelligas melius, meminisse oportet, Ani & vesicæ janitores musculos in officio contineri à gemina virtute, naturali & animali. Non jam distinguo naturalem à vitali. Hujus est motum conferre, quo musculi inflentur & inflati tendantur. At penes Animalem facultatem arbitrium est & jus & norma regendi motum seu impetum illum & dirigendi in officia certa. Nobis in hæc euntem Spiritum cum retinet metus, Sphincteres custode remoto remittunt (imo omnes musculi: hinc enim tremor) contentionem, emissuri certo contenta, nisi protinus ad officium redire cogeret voluntas. Quæ cum desit omnibus infra nos animalibus, eapropter *his quidem accidit ex*

neceſsitate emitti præ metu, quæ ſola vis vitalis retinebat. *Velut*, inquit, *qui vitio veſicæ urinam faciunt.* Quæ illa vitia ſint, à Practicis requirendum, à Paulo lib. III. cap. XLV. fin. aliiſque paſſim.

§ 71. Τὸ ἐπυρεῖν *urinam facere* dixi, auctoritate l. 14. § 4. ff. de Ædil. edicto. Adſcribo verba legis commentarii vice. *Pedius ait, non ob eam rem ſanum non eſſe, quod in lecto, ſomno vinoque preſſus, aut etiam pigritia ſurgendi urinam facit. Sin autem vitio veſicæ collectum humorem continere non poteſt, non quia urinam in lecto facit, ſed quia vitioſam veſicam habet, redhiberi poſſe.* Gothofredus annotat: *hi* ἐυρεῖν *Græcis dicuntur, quibus luxatus cervicis veſicæ muſculus hoc vitium parit. Parit autem frequentiſsime in pueris.* Ubi monendi ſunt Advocati, ſi forte ea lex recitanda coram Medicis fuerit, *laxatus* uti dicere velint, ſi eſſe ludibrio illis nolint. Scio apud noſtros eſſe τὸ ἐυρεῖν familiarius: ſed ideo corrigi iſtud prius non ſiverim. Neque conceſſerim Foeſio τὸ ἐυρέω pro ſimplici ὑρέω accipere: & Hippocratis quod adducit è VII. Epid. XV. ἐυρεῖζη τῇ ἕκτῃ ἐν νυκτὶ ὀλίγον, vertere, *ſexto die noctu paucam urinam reddidit.* Cornarius invenuſtius licet, ad verba concinnius tamen: *Sexta die in nocte ſtratum modice perminxit.* Τὸ ἐυρεῖν Stephanus recte apud Dioſcoridem lib. II. cap. LII. pro *immingere lecto* dici ait. Etiam ne, cum τὸ ἐπυρεῖν *mingere ſuper* aut ſimpliciter *mingere* exponit? Non videtur. Præpoſitio enim heic vult vel *in* vel *ſub*. Itaque vel *immejere* reddam è Perſii Sat. VI. 73. vel *ſubmejere*. Gloſſæ Iſidori: *Submejes, qui ſubtus mejit*, ſive in lectulo mingit.

§ 72. Præter iſta, Philoſophus *duo* notat circa atramenti effuſionem. Alterum, *quod numquam emittant univerſum.* Alterum, *quod amiſſum deintegrò augeatur.* Quibus equidem occurrit dubitationi duplici, ut recte obſervatum eſt à Scaligero. Dicat quis: non ejiciunt totum: quia tandem carerent. Reſpondet: recreſcere. Dicat alter: tandem deficientur, atque ita Natura fruſtrabitur principiis ſuis. Non, inquit, ſed regeneratur. Oſtenſum in præcedentibus fuit, excrementum eſſe

hoc

hoc atramentum: excrementa vero quoniam fiunt ex neceſſitate alimentorum, quibus quodque genus animantium utitur: ſiquidem alimenta non deſint, non deerunt excrementa. Quin ſi verum eſſet, quod Plinius repetito dicit lib. XI. cap. III. *Sepias in mari ſanguinis vicem atramentum obtinere:* regenerari ex alimentis dicendum foret. Nunc hoc nihil eſt: quia illud falſum, vel eodem teſte lib. IX. cap. XXVIII. ubi piſcibus ſanguine carentibus adſtituit Sepiam. Quibus nunc è Franc. Maſſarii Caſtigat. in IX. Plinii, cap. XXIX. hoc addo: *Si ſepia atramentum pro ſanguine obtineret, non effunderet, ſed pro ſui corporis alimento conſervaret: nec tunica illa membranea tantum, ſed aliis quoque partibus contineretur, cum ſanguis ſit nutrimentum & materia ſpiritus, quibus continetur vita & actus omnis. Vnde nonnulli animam eſſe ſanguinem prodiderunt, ſicut Critias, ut traditur ab Ariſtotele* I. *de Anim.* II. 32. *Non igitur atramentum Sepiæ pro ſanguine continetur, ſed humor ſive ſuccus ille in carne ſepiæ contentus. qui ſi exprimatur, non niger, ſed clarus & albicans potius apparebit.* Hic eſt ille humor, cujus ex Ariſtotele ad § 67. meminimus: *mytis* ibi vocatus.

§ 73. Sed ad alia & quæ rem noſtram concernunt propius. Ea quidem duo ſunt: *An* & *quale* alimentum ſit Sepiæ atramentum.

§ 74. Quod ad *prius*, certum eſt venire in cibum non modo Sepiam, ſed & Atramentum ejus. Et *ſepia* quidem eſtur recens, aut inveterata. Recens iterum multimodis præparata menſis infertur: elixa, aſſa, frixa. Quæ ejus partes elixæ apponerentur olim, quæ frixæ, docet Alexis Improbâ, citante Athenæo VII. Deipnoſ. XXI. Recentes nullius eſſe in Oceano pretii ſcribit Bellonius II. de Aquat. II. p. 334. Miratur Aldrouandus, cum à coquis præferantur inveteratis & ſale conditis. Coqui gulæ ſtudent. Oceanum qui accolunt, faſtidientis ſtomachi ac pituita onuſti auxilium in falſamentis quærunt. Enchuſanis meis ἁλιξίκακον Harengus eſt. Quotannis enim in patriam urbem bene ſalitus adveniens incredibile quam brevi tempore quam multis cauſariis cauſationem omnem adimat, & reſtituat valetudini ſperatæ. Vnde

& passim Enchusanorum medicus audit: nullo sane alio suo merito, quam salituræ. cujus quanta dos sit, vel unius Gari frequentatissimus apud Veteres usus docere potest. Atque isthuc respexisse Ioh. Bruyerinum l. xxi. de Re. cib. xii. puto, cum ait: *Recentes fastidium statim pariunt: salitæ jejunia verna egregie solantur.* In Galliæ maritimis etiam vento exiccatis Sepiis vescuntur, ut Græci olim Polypis, & Belgæ Rajis ac Scorpiis, & Asellis Norwegi.

§ 75. Quo vero cumque modo præparetur Sepia, cibus est concoctionis difficillimæ. Interea de eo quoque verum est quod Celsus ait lib. ii. cap. ii. *quo valentior quæque materia est, eo minus facile concoquitur, sed si concocta est, plus alit.* Galenus l de Cibis boni & mali suc. c. iv. & ex eo Oribasius i. Euporist. xix. τὰ μαλάκια καλούμενα, τὰ δὲ τοιαῦτα, ἤ σηπίαι, ἤ πολύποδες, ὅσα τ' ἄλλα τὰ τοιαῦτα παχὺν ἤ γλίσχρον ἔχουσι τὸν χυμόν. *Molluca quæ vocantur, ut lolligines, sepiæ, polypi, & quæ præterea sunt ejus generis, crassum & lentum habent succum.* Neque mirum sane, cum sint duræ carnis & difficilis concoctionis. In his enim facile fatiscit ignis noster, & ante opus absolutum. Quod si fit, crudus manet & imperfectus chylus, & tantum non pituita. Duritiæ carnis Cardanus hanc in com. ad aph. xviii. lib. ii. rationem adfert. *Quæ*, inquit, *Mollia sunt, quoniam cute sola teguntur, ideo durissimam carnem sortitæ sunt: fluctibus enim aliter obtunderentur, & cujuscumque minimi piscis injuriæ expositi essent: ob id durissima sunt carne & difficilimæ concoctionis.*

§ 76. Testatur hoc Galenus iii. de Alim. fac. xxxv. Τὰ μαλάκια σκληρόσαρκά ἐστι καὶ δύσπεπτα, καὶ βραχὺν ἐν ἑαυτοῖς περιέχοντα τὸν ἀλυκὸν χυμόν. εἰ μὲν τοι πεφθείη, προφὼν ὀλίγιστα δίδωσι τῷ σώματι. πλεῖστον δ' οὖν καὶ ταῦτα τὸν ὠμὸν ἐργάζεται χυμόν. *Molluscæ duræ carnis sunt & difficilis concoctionis, & paucum quid salsi succi in se continent. Siquidem vero concoquantur, alimentum non paucum præbent corpori. Plurimum igitur etiam hæc crudi faciunt succi.* Eadem & totidem pene verbis Ægineta lib. i. cap. xcii. & Oribasius ii. Collectan. lv. & ex recentioribus Hugo Fridævallis iv. de San. tu. iv. Simeon Sethi quoque, sed addita

salu-

ſalubrius utendi cautione. Exhibeo totum caput ex mſs. quod ex Vaticana & manu præterea Leonis Allatii, eruditiſſimi Viri, correctum habeo ab Excellentiſſ. D. Johanne Rhodio, amico colendiſſimo. Ἡ σηπία δύσπεπτός ἐστιν καὶ ὀλίγον ἔχει ἐν ἑαυτῇ τὸ ἁλυκὸν χυμόν. εἰ μὲν τοι πεφθῇ, τροφὴν οὐκ ὀλίγην δίδωσι τῷ σώματι. ἀπογεννᾷ δὲ ὠμὸν χυμόν. διὸ δεῖ μετὰ δρομαίων (editus & Reg. cod. δριμέων) ἀρτυμάτων ταύτην προσφέρεσθαι, καὶ οἶνον ἐπιπίνειν ταύτῃ παλαιὸν καὶ λεπτόν. *Sepia difficilis concoctionis eſt & parum habet in ſe ſalſi ſucci. Quod ſi concoquatur, nutrimenti non parum præbet corpori. Generat vero crudum ſuccum. Idcirco oportet cum acribus condimentis eam apponere, & vinum illi ſuperbibere vetus ac tenue.*

§ 77. Quæ vero Sepias condiendi ratio olim, quæ materia fuerit, Cælius Apitius docet in IX. de Re culin. cap. IV. In verbis quia nonnihil obſcuri eſt, libuit ſubjicere & lucem dare. *In Sepia farſili condienda piper Liguſticum, apii ſemen, careum, mel, liquamen, vini condimenta coctiva calefacies, & ſepiam inde apertam perfundes, atque ita farcies coctam cerebellis elixis enervatis cum pipere tritis, quibus commiſceas ova cruda quod ſatis eſt, piper integrum, eſitia minuta & ſicca, ſues & in bullientem ollam mittes, ita ut coire impenſa poſſint.* Quo modo heic primò ſcriptum eſt *piper Liguſticum*, ita paſſim apud eumdem reperias. Ita vero appellabant, partim ob acrimoniam, partim à ſolo nativo. De hoc Plinius lib. XIX. cap. VIII. *Liguſticum ſilveſtre eſt, in Liguriæ ſuæ montibus. Seritur* [*jam* vel *etiam*] *ubique. Suavius ſativum, ſed ſine viribus. Panacem aliqui vocant.* Confer ad Ill. Salmaſii Plin. exerc. p. 1274. & ſeq. *Liquamen* idem quod Garum eſt. Hoc te docebunt ex Caſſiani Baſſi Eclogis de Agricultura excerpta lib. XX. cap. XLV. ubi tamen λικουλμένον pro λικουάμεν corrupte legitur. Quod ex duobus Janis, iiſque Græce Latineque doctiſſimis neutrum, non Cornarium interpretem, non Gruterum ejus interpretationis caſtigatorem animadvertiſſe miror. *Vina* veteres multimodis condiebant. Extat hac de re in eiſdem Geopon. cap. XIII. lib. VII. Ita Plautus Mil. act. III. ſc. II. II. *nardinum* abſolute, pro nardino vino, ſive

ſive nardo condito. ut *murrhinum* pro murrha condito. Confer iterum ad Salmaſii laudatas modo Exerc. p. 466. Hæc tamen deſiderantur in Hiſtoria Vinorum, quam Andr. Baccius egregie alias adornavit. *Coctiva*, ni fallor, erant culinæ parata & cibis condiendis. Veteres enim, ut ex Theophraſto docet Adr. Turnebus II. Adverſ. XXIX. vel in ipſa compotatione ſubito miſcebant unguentum vino, vel jam ante ſic medicatum curatumque habebant. *Eſitia* ſive *hyſitia* (nam utroque modo ſcribi conſtat ex lib. VIII. cap. VIII. qua de Lepore hyſitiato) quemadmodum fierent, docetur lib. II. cap. I. Qua hodie vero Sepias ratione reddant & ſapidiores & ſalubriores, tradidit Bartholomæus Scappus, Italicæ popinæ magiſter, lib. III. de Re coquin. cap. CIV. referente Aldrouando p. 59. Nobis enim videre librum non licuit.

§ 78. Porro, non eſt de nihilo quod Simeon *illi vinum ſuperbibere vetus ac tenue* jubeat. Ὁ γὰρ παλαιὸς οἶνος καὶ τὴν γαστέρα προτρέπει, καὶ τὰς ἐμφράξεις ἀποφράττει, καὶ ὠφέλιμός ἐστιν οἷς ἀθροίζεται φλεγματικὸς χυλὸς ἐν σώματι. *Vetus enim vinum ventrem ducit, & obſtructiones deobſtruit, & convenit quibus coacervatur pituitoſus chylus in corpore:* ut recte noſter, ubi de Vino. Et alvum quidem movet ratione terrei illius, quod *tartarum* nunc vocamus. Hippocrates II. de Diæta XIII. 224. ἔχει δέ τι καὶ καθαρτικὸν ἀπὸ τῆς ὕλης. *Habet vero etiam quid purgantis à materia.* Cætera autem facultate calefacit lentaque incidit & attenuat quæ ſunt craſſioris ſubſtantiæ. Unde ergo conſuetudo oſtreis ſuperbibendi Hiſpanicum dulce & tantum non muſteum, muſtoque aut Syrupis aliiſve neſcio quibus non fucis adulteratum?

§ 79. Si vero ita eſt, ut modo dicebamus, Sepiam eſſe numquam non difficilem concoctu, quid eſt de ſententia Siphnii Diphyli, quam ex ejus l. De his quæ offeruntur ſanis ac ægris, exſcribit Athenæus lib. VIII. cap. XIV. ἡ δὲ σηπία καὶ ἑψομένη μὲν ἁπαλὴ καὶ εὔστομος καὶ εὔπεπτος, ἔτι δ' εὐκοίλιος. ὁ δ' ἀπ' αὐτὴς χυλὸς λεπτυντικός ἐστιν αἵματος, καὶ κινητικὸς τῆς δι' αἱμοῤῥοΐδων ἐκκρίσεως. *Sepia & elixa quidem tenera eſt ac grata ori,*

&

& facilis coctu, quin & alvum laxat. Ejus jus attenuat sanguinem, fluxumque hujus per hæmorrhoides ciet. Ad hæc Jul. Alexandrini animadversio est lib. XIV. Salubr. cap. XII. *Tenellas valde, scilicet minimum adultas esse oportet Sepias, ut vera reperiantur, quæ de his Diphilus scripta reliquit, teneritudinem illis, & concoctionis excretionisque facilitatem tribuens; attenuarique inde sanguinem, & hæmorhoidas cieri scribens. Nam alioqui meliorum Authorum testimonio, illorumque fide, qui frequentius ederint, contraria omnia veriora asseverabimus: alvum tamen inde emolliri, omnium confessione fatebimur, id videlicet præstante salsuginosa illa succi, quem diximus, facultate.*

§ 80. Faciem ista veri, veritatem non habent. Veri similitudo fundata est in canone Ibn Sinæ II. Can. II. 553. *Eligatur,* inquit, *ex piscibus duram carnem habentibus ille, qui minor est: & ex habentibus mollem carnem ille, qui est major, ad terminum aliquem.* Quem canonem Schola Salerna his versiculis inclusit cap. XXX.

Si pisces molles, magno tu corpore tolles.
Si pisces duri, parvi sunt plus valituri.

Rationem subscribit Arn. de Villanova: *Quia mollities provenit ex humiditate, quæ in novello pisce indigesta est, in vetulo vero digestibilior. Quare novelli pisces magis phlegmata generant, quam vetuli. Si vero dura carne conditi fuerint, juvenes erunt saniores, id est, digestibiliores.* Latinitas rudis & seculi balbutientis.

§ 81. Huic canoni suam veritatem constare, non debemus velle alio doctore aliove teste probare, quam qui etiam stultorum magister est. Neque dubium, habere locum in Sepiis. Quæ cum omni ætate sint duræ carnis: procul dubio durioris sunt adultæ. *Quam ob causam etiam cædi antea verberibus solere, quam excoquantur,* Andr. Matthiolus scribit ad Dioscor. lib. II. cap. XX. Mirum vero, cum carne sint adeo firma, ut fustigatione molliendæ prius quam coquendæ veniant, tam cito adolescere & in tantam magnitudinem. Οὐ διελίζεται γὰρ αἱ σηπίαι, ut Philosophus ait IX. Hist. XXXVII. 287. sive ut Plinius vertit lib. IX. cap. XXX. *neque enim sepiis bimatu longior vita.*

Quo ſpatio *binûm cubitorum* evadunt: quin plurimo majores, ſi vera ſunt quæ Trebius Niger è comitibus L. Luculli Proconſulis Bæticæ prodidit, & ex eo Secundus. Hic enim relatâ Polypi monſtroſa hiſtoriâ (cujus tamen etiam Ælianus XIII. de Anim. VI. meminit) adjicit, *Sepias quoque ejuſdem magnitudinis expulſas in litus Carteiæ.* Quanta ea fuerit, non dicitur. Strabo III. Geogr. p. m. 145. C. ibi Polypos, qui talentum pendant, reperiri memorat: ex fide tamen aliorum. *Talentum* Atticum minus (hoc enim intelligendum eſſe, quando Autores ſimpliciter loquuntur, monuit me Scriptor anonymus, cujus Comparationem ponderum, menſurarum, ac monetarum veterum cum hodiernis habeo mſs.) pependit libras Romanas LXII. & uncias VI. ſive Marcas Colonienſes LXXXVII. lotones VIII. momenta IV. & $\frac{21}{32}$ eodem æſtimatore.

§ 82. Ingens ſane pondus, & hoc ipſo ſtupendum magis, ſi intra biennium in id aut Polypus aut Sepia excreſcat. Si hiſtoria vera eſt, malim cum Matthiolo dicere, etiam *denis & bis denis annis vivere.* καὶ δὴ καὶ τὰ μείζω τῶν ἐλαττόνων μακροβιώτερα, inquit Philoſophus l. de Long. & brev. vitæ cap. IV. *Quippe majora minoribus longæviora ſunt* neceſſario in eodem genere. Ita loquor, ut Zoographo reſpondeam, cujus verba recitat Aldrouandus p. 51. *Vitæ longitudo,* ait, *corporis magnitudinem non ſequitur, ut d. l. indicat Ariſtoteles: cujus hac in parte authoritas convelli à Matthiolo non debuit.* Neque convellitur etiam. Hoc enim voluiſſe putò: ſi biennio Sepiæ binûm cubitûm evadant, opus decennio aut pluribus annis eſſe, ut in incredibilem illam molem increſcant. Neque enim piſcis ſalix eſt.

§ 83. Interea Alexandrinæ interpretationis benignitatem vehementer exoſculamur, & agnoſcimus in ea exemplar modeſtiæ & ἀληθείας illius, quæ ſemper & ubique ut deſiderabilis, ita & laudabilis eſt in quovis interprete. Atenimvero ut credamus, fuiſſe hoc propoſitum auctori, à nobis non impetramus. Quare enim non æque heic diſcrimen notat, quod ætas & magnitudo facit, ac mox in Polypo & ante in Torpedine, Squatina, aliis, fecerat? Deinde, ut concepta eſt oratio,

tio, aliud velle non intelligas, quam Sepiam omnem, præcipue vero elixam esse teneram & facilem concoctu.

§ 84. Ergone verior conjectura erit, quæ dixit Diphilus, dicta esse respectu ægrotantis & casus specialis? Namque & Hippocrates inflammato Uteri ore II. de Muliebr. XXVIII. jubet ὀψοῖσι χρῆσθαι πολυποδίῳ ἑφθῷ, ἢ σηπιδίοισι *in prandiis uti parvis polypis coctis, aut sepiolis.* Sic ejusdem operis lib. I. t. LXXIV. Secundis retentis puerperæ vult ea dari, ἐφ' ὧν μάλιστα καθαίρει τὰ λοχεῖα, σίκυοδα ἑφθὰ, ἢ ὀπτὰ ἐν οἴνῳ ἢ ἐλαίῳ μετὰ πολυποδίων, ἢ σηπιδίων· *à quibus maxime purgantur lochia, allia elixa aut assa, in vino & oleo cum parvis polypis aut sepiolis.*

§ 85. Maur. Cordæus in hunc locum com. IV. sent. XVI. lectorem judicare vult, *num σηπιδίων nomine ova intelligi voluerit Hippocrates, num vero ipsasmet sepiolas.* Videtur autem ipsus huc inclinare. addit enim: *Sepiarum ova Plinio urinam cient in cibum assumta & renum lentorem detergunt.* Quando itaque facta nobis judicandi potestas est, promamus sententiam. Dictator cum diserte nominet σηπίης ὠὰ *sepiæ ova* & præscribat variis in casibus, ut videre II. Muliebr. t. c. & XXXI. de Nat. mul. t. XXIX. ac sæpius in iisdem libris: quid causæ esse potest, cur heic velimus aliud illo vocabulo intelligi, quam quod communi usu sit receptum? præsertim cum raro non jungat Sepiam & Polypum, ceu perinde habens, utro quis vescatur, cum alterutro utendum est? Eodem enim loco habere Molluscа omnia, paret non solum è II. de Diæt. XI. quem paulo post adducemus; sed & ex I. Muliebr. LXXXV. fin. qui tamen vetustate morbi faciem gerit adeo collapsam, ut valetudinis videatur prorsus desperatæ esse. Curemus ergo.

§ 86. Quæ publice leguntur, ita habent. καὶ τοῖσι μαλθακοῖσι πρὸς ὕπνον χρήσθω. καὶ πολυποσίη. καὶ τοῖσι ἄλλοισι μαλθακοῖσι. καὶ ὄψοισι θαλασσίοισι μᾶλλον, ἢ κρέασι. Cornarius pro his: *& mollibus ad somnum utatur, & multa potione, & aliis mollibus, & opsoniis marinis potius, quam carnibus.* Hæc & similia fecere, ut Hippocratis medicina hactenus admirationi magis quam quam usui sit. Corrige: καὶ τοῖσι μαλακοῖσι πρὸς ὕπνον

χρήσθω. καὶ πολυποδίω, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι μαλακίοισι. καὶ ὄψοισι θαλασσίοισι μᾶλλον, ἢ κρέασι. Redde: *Mollucis sub somno utere: nempe parvis polypis, aliisque ejus generis & opsoniis marinis potius, quam carnibus.* Huic parallelus locus est l. de Nat. mul. t. II. f. & ad præsentis normam emaculandus. Foesii conatum videsis in Oecon. ad μαλάσσεσθαι & in Notis ad n. 274. Ὄψον *obsonium* quid diceretur priscis ex eadem Oecon. disces aut ex Jul. Alexandrino XVIII. Sal. II. & seq. aut Gul. Stuckii I. Antiq. conviv. VII. & II. ejusd. XI.

§ 87. Quod si neque ista fuit Siphnii sententia, malim cum Mnesitheo Atheniensi facere, cujus ibidem verba ex l. de Eduliis recitantur. τὸ δὲ τῶν μαλακίων γένος, οἷα πολυπόδων τε καὶ σηπιῶν καὶ τῶν τοιούτων, τὴν μὲν σάρκα δύσπεπτον ἔχει, διὸ καὶ πρὸς ἀφροδισιασμοὺς ἁρμόττουσιν. αὐτοὶ μὲν γάρ εἰσι πνευματώδεις. ὁ δὲ τῶν ἀφροδισιασμῶν καιρὸς πνευματώδους προσδεῖται διαθέσεως. βελτίω δὲ ταῦτα γίνεται ἑψηθέντα. τὰς γὰρ ὑγρότητας ἔχει πονηράς. ἰδεῖν γοῦν ἐστιν οἵας ἀφίησι πλυνόμενα· ταύτας οὖν ἡ ὄψησις ἐκκαλεῖται τῆς σαρκός. μαλακῆς γὰρ τῆς πυρώσεως. καὶ μεθ' ὑγροῦ διδομένης οἱονεὶ πλύσις τὶς αὐτῶν γίνεται. τὰ δ' ὀπτώμενα καταξηραίνει τὰς ὑγρότητας. ἔτι δὲ καὶ τῆς σαρκὸς αὐτῶν φύσει σκληρᾶς οὔσης, κατὰ λόγον οὕτως ἔχει γίγνεσθαι αὐτά. Pro quibus Dalechampius. *Mollium genus, ut Sepiæ, Polypi, & ejusmodi reliqui, carnem habet concoctu difficilem, ac ideo convenientem ad irritamenta Veneris, quia flatuosa sit, & flatuoso spiritu coitus egeat. Iurulenta hæc salubriora sunt. Pravo enim humore scatent, qualem videmus, dum eluuntur, ab illis reddi, quem ex illorum carne elicit illa coctura. Igneus namque blandus calor, cum humore adhibitus, illis tamquam pro lotura est. In assis exiccatur vitiosus ille humor, & ideo carnem, quæ natura durior est, durescere magis, est rationi consentaneum.*

§ 88. Quæ vel propterea mihi arrident magis, quod videam esse quam maxime consentanea iis quæ Senex noster scripsit eodem lib. II. de Diæt. t. XI. 177. πολύποδες δὲ, καὶ σηπίαι, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὔτε κοῦφα ὡς δοκέει ἐστὶν, οὔτε διαχωρητικά. διὸ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς βαρύνουσιν ἐσθιόμενοι· πλὴν οἱ ζωμοὶ τουτέων διαχωρέουσι. *Polypi vero, & Sepiæ, & id genus, neque leves sunt,*

uti

uti videntur, neque per alvum secedunt. Quàpropter etiam oculos gravant comesti: nisi quod jura eorum bene secedant.

§ 89. Molluca *oculos gravare* nemo est qui præterea dicit, neque ratio subest. Quamobrem ego quidem non dubito affirmare locum hunc corruptum esse, & pro ὀφθαλμὺς reponere σμάχους. Stant ab hac emendatione, non codices quidem in quois vulgata lectio habetur: sed particula πλεῖω, si volumus ejus vim recta ratione expendere. Sensus verborum est. Putet forte quis Polypos & Sepias leves esse, ideo quod in genere sunt Mollucorum: non sunt. quin contra στερεωτέρων τὴν σάρκα ἔχουσι *duriorem carnem habent* & quæ in ventre hæreat diutius. Hacpropter ventriculum comesti gravant. Alvum tamen cient jura eorum: utpote in quæ elixando deponitur illud salsum quod habent.

§ 90. Τὸ κοῦφον, *leve*, idem Hippocrati quod facile concoctu est. Quod tale sit, oportet esse rarum & nullo negotio penetrabile calori. Noster de petrosis t. c. 171. ὀλίγην τὴν σάρκα καὶ κούφην ἔχουσιν, *raram carnem ac levem habent*. Rarum ut facile admittit ignem naturæ: ita levatur facile. Κοῦφον δέ ἐστι, τὸ ἐξ ἑαυτοῦ φερόμενον εἰς τὸ ἄνω τόπον· *Leve enim est, quod suapte natura fertur in superiorem locum*, inquit Varinus. *Tale vero quod est, minime gravat ventriculum*. Hinc v. Aph. xxvi. ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον· *aqua quæ cito calefit & cito refrigeratur, levissima* dicitur. Ubi Galenus τὸ κουφότατον exponit τὸ μὴ βαρύνον τὴν γαστέρα καὶ διερχόμενον ταχέως, *quod non gravat ventriculum & transit cito*. Noster de Maza h. l. t. vi. 57. μάζα προφυρηθεῖσα, ῥαντὴ ἄτριπτος, κούφη, καὶ ἀφαιρετή, καὶ ψυχή. ψυχή μὲν, ὅτι ψυχρὸν ὕδατι ὑγρὸν ἐγένετο. ἀφαιρετή δὲ, ὅτι ταχέως πίνεται. κούφη δὲ, ὅτι πολλὴ τροφὴ (editi πολλῆς τροφῆς, male) μετὰ δὲ πυθμένος ἔξω ἀποκρίνεται. *Maza pridem subacta* (πάλαι ξηρανθεῖσα vii. Epid. xxxiii.) *cum aqua tantum, sine intritione, levis est, & facile secedit, ac frigefacit. Frigefacit, quia frigida aqua madefacta est. Facile secedit, quia cito coquitur. Levis vero est, quia multum alimenti cum flatu excernitur*. Cujus deinde causam, quam subjungit, considerare velim, qui *Lacteas venas*

Asellio primum appellatas, Hippocrati nostro incognitas putant. Ego enim in hoc me non moror nunc.

§ 91. Quin addo ex eodem locum tertium, qui est t. IX. 140. βόεια κρέα, ἰσχυρὰ, καὶ στάσιμα, καὶ δύσπεπτα τῇσι κοιλίῃσι. *Carnes bubulæ robustæ sunt, & tardæ ac difficiles concoctu ventribus.* Τὸ ἰσχυρὸν Celsus lib. II. cap. XVIII. reddit *valens, validum, robustum:* primo tamen utitur frequentius. Τὸ στάσιμον vulgo quidem significat *stabile, constans, fixum, quietum, tardum, grave,* & si quid præterea verborum habetur ad significandam vel absentiam motus vel impotentiam, aut difficultatem movendi. Hippocrates tamen etiam accipit *active,* de his, quæ sistere motum queunt. Sic II. Muliebr. II. fin. στάσιμα δ' αἱμάτων dicuntur *quæ sistunt sanguinem* profluentem. Sic apud Plutarchum init. l. de Prim. frig. ψυχρὸν στάσιμον *frigidum stativum* dicere malo, quam *statui seu quieti accommodatum* cum Xylandro: opponitur enim, κινητικὸν ἢ τὸ θερμὸν *motivum vero calidum.* Glossæ Cyr. *Stativus,* στάσιμος. Accipio autem heic *stativum* non pro eo quod stat, sed stare facit, sive vim sistendi habet: prorsus ut Scaligero IV. de Caus. Lat. L. XCVIII. *tempestivus* dicitur *non, ut dixere, significasse occultiorem actionem: sed fuisse is, qui tempore temperaret.* Vel ut Veteres dixere *subcisivum* tempus aut operam. *Tempus:* quod operam sibi succideret. *Operam:* quæ temporis succideret portionem. Duco autem *stativum* non à verbo *sto,* sed *sisto.* Diciturque Græce στάσιμον, ut κείσιμον. quod Galenus I. Vict. II. exponit *crisin faciens, eique faciendæ ac promovendæ conveniens.*

§ 92. Quo præhabito dispiciendum nunc est, uter melius, egone qui κρέα στάσιμα *carnes tardæ concoctionis* dixi; an Cornarius & Foesius, qui *alvum sistere.* Hoc si voluit Dictator, cur ordinem Naturæ pervertit, & prius dixit *alvum sistere,* quam *concoqui difficulter?* Si enim bubulæ carnes ventrem durum reddunt, idcirco faciunt, quia non fuere bene concoctæ. Hujuscemodi quippe nec facile devolvuntur ad inferiora, & facile exiccantur devoluta ac compinguntur duranturque: præterquam quod copiosiora suggerant excrementa. Hoc ita-

itaque voluit Hippocrates: bubulas tardare in ventriculo & gravare eum, ac longo tempore multoque labore vix perduci ad finem concoctionis & chyli bonitatem. Par ratio in Sepiis & Polypis omnique genere Mollucorum est.

§ 93. Cæterum gula negat bonum ex Sepiis fieri jus absque *atramento*. Hacpropter *piscatores*, scribit Bellonius, *quoties ad deficientium per senectutem & fluctuantium cadavera Laros turmatim advolantes conspiciunt, eo se conferre & sive vivas sive mortuas reperiant, hoc inprimis operam dare, ut ne, dum extrahunt aquis, atramentum temere diffluat.* Itane, atramentum quoque voluptarium est? & in excremento cupediæ insunt? Ego cum illo fecerim, de quo Antiphanes Piscatrice, citante Athenæo lib. VIII. cap. IV. Inducitur ea in fabula quidam piscem emens à piscatore aut piscario. Ac primum sepias dari sibi postulat, ut more emturientium dispiciat quam bonæ sint. Offeruntur vivæ. prehendit. Illæ atramento suo & ipsum & se inquinant. Ideo increpat emtor venditorem, quod non projecerit in mare prius & abluerit. Nolebat enim videri, non Sepias accepisse, sed fedum stercus.

Ταὶ σηπίας δὸς πρῶτον. Ἡρακλῆς ἄναξ,
Ἀπανθ' ὑπολώκαζιν. ὃ βαλεῖς πάλιν
Εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πλυνεῖς; μὴ φῶσί με
Σκώρ μιαρὸν, ἀλλὰ σηπίας εἰληφέναι.

Sic enim omnino, qui corruptissime extant, restituendi versiculi videntur, præeuntibus mss. & Casaubono, eruditissimo viro. In ultimo erat Δωριακὰς, ἀλλ' οὐδὲ σηπ. & hinc nata Dalechampii nota: δωριακὰς *munera* heic significare *pecuniam & nummos, quorum contactu manus sordent & nigrescunt. Comico autem sale Sepias vocasse munera, quæ accipientium manus inficiunt. Sed*, inquit Casaubonus, *hæc vox corrupta alterius locum occupat. nam interpretum somnia vigilantibus non possunt placere.* Neque etiam libri habent δωρεὰς. Licebat autem poëtæ *stercus* vocare atramentum: est enim revera. Unde & Hippocratem vidimus (§ 9.) homerdam ei comparasse.

§ 94. Mirum itaque, in stercore homines voluptuari, & se

se corrumpere. Abominabile, quod de monstro illo Imperatoris Commodo refert Æl. Lampridius p. m. 50. A. *sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustum, aliis (ut putabat) irrisis.* Ad quæ Casaubonus: *Homo furiosus putabat magnum facere, cum suos convivas ab esu ciborum, quibus ipse delectabatur, hac spurcitie averteret.* Mihi quidem, fateor lubens, atratum Sepiarum jus si apponeretur, nihilominus aversarer, quam Propheta olim placentam βολβίτοις κόπρου ἀνθρωπίνης *fimo stercoris humani* subactam: Ezech. IV: 12. 14.

§ 95. Inquiebam vero, Sepiarum se stercore amatores ejus corrumpere. Hoc vero fidem ut inveniat, citare ad testimonium oportet, qui de facultatibus atramenti hujus testari queunt. Dioscorides lib. II cap. XXIII. Σηπίας ἑψηθείσης τὸ μέλαν βιβρωσκόμενον δύσπεπτον. κοιλίας μαλακλικὸν. *Sepiæ elixæ atramentum comestum difficile concoctu: alvum mollit.* Valde suspicor huic loco subesse mendam, quamvis nullam in libris varietatem reperiam; præterquam quod Saraceni editio expunxerit articulum τὸ, quem Aldina habet ut Ruelliana, Vergiliana vero post μέλαν. Verba prout jacent, vix alio sensu acceperis quam quo Marcellus reddidit: *ægre concoquitur si comedatur decoctæ sepiæ atramentum.* Hoc neque solum estur, neque coquitur cum Sepia. Eximunt crudæ coqui, si adest, una cum mytide sua & servant ad embammata. Ita è Scappo Aldrouandus p. 60. E. *Quod si vero jusculum quis nigrum esse velit, misceat atramentum cum vini modico, aut omphacii, iterumque coquat ad ebullitionem usque: tum inferat super insperssis aromatis dulcibus.* Servit itaque tingendis juribus & ad intinctum. Fortassean scripserat Anazarbæus: Σηπίας ἑψηθείσης τὸ κρέας βιβρωσκόμενον, δύσπεπτον· τὸ ὃ μέλαν, κοιλίας μαλακλικόν. Scripsisse vero, silentibus libris, affirmare non ausim. Mea interim conjectura cui non placet, doceat me quæso veriorem sententiam & conciliet Dioscoridem Hippocrati, quem audivimus dicere, Sepias non movere alvum, quamvis jus earum moveat.

§ 96. Celsus lib. II. cap. XXIX. in catalogo rerum, quæ alvum

vum movent, etiam *sepiarum atramentum* collocat. Gul. Pantinus ad hunc locum ait, *facere id incidendi atque detergendi sua potestate*. Unde hoc hauserit, nescio. Bald. Ronssæus, rogatus de alliis, respondet de cepis. *Sepiæ*, inquit, *salsum quodammodo humorem in se continent, unde & alvo ducendæ accommodæ sunt. Vocat autem sepiarum atramentum, liquorem qui his pro sanguine inest.* Utrumque falsum, nedum ineptum commentario.

§ 97. Hippocrates VII. Epid. XL. Τὰ χολερικὰ ἐκ σηπίης *choleram ex Sepia* concitari scribit. Aretæus II. de Caus. acut. V. ἡ χολέρα παλίνορσός ἐστι φορὴ τῆς ὕλης τῆς ἐν τῷ παντὶ ἐς τὸ στόμαχον, καὶ τὸν κοιλίλιον, καὶ τὰ ἔντερα, ὀξύταλον κακόν· διεκθεῖ δὴ ὕπερθεν μὲν ἔς ἔμετον τὰ ἐν τῷ στομάχῳ ἀλιζόμενα· διὰ δὴ τοῦ κάτω διεξόδου τὰ ἐν τῇ κοιλίῃ καὶ τοῖς ἐντέροις ὑγρά. *Cholera est materiæ, quæ est in toto, vehemens refluxus ad ventriculum & ventrem atque intestina: acutissimum malum. Erumpunt vero, sursum quidem, per vomitum, quæ in ventriculo sunt coacervata: deorsum vero, per alvum, quæ in ventre atque intestinis sunt humida.* Oportet itaque vel suapte natura vel corruptione subita perquam maligna, imo venenata esse, quæ tantam tamque periculosam seditionem concitare queunt.

§ 98. Vallesius VII. Epid. 81. duo in Sepiis causatur: Substantiæ nitrositatem & concoctionis difficultatem. Utrumque id vitii habere ex antedictis constat. Sed vero cum elixas constet salsilaginem deponere in jus, ex quo coquuntur, non videtur illa causa esse: saltem non in edulcatis & tantū non insipidis elixatione redditis. Aetius I. tetr. II. 190. Σηπίας ἀποπνιγείσης ἐν ὄξει, ᾧ ἅμα ἐλαίῳ τὸ ὄξος δώσῃς πίνειν, σώσεις τὸν ἱπποκάμπης θαλαττίας φάρμακον εἰληφότα. *Sepiæ suffocatæ in aceto, si simul cum oleo acetum dederis bibendum, servabis eum qui Hippocampæ marinæ venenum accepit.* De *Hippocampa* videatur Aldrouandus VI. de Insect. XVI. *Venenum* quale & ubi habeat, solus Ælianus XIV. Animal. XX. docet. Veneno hoc potionatos inter multa alia & insolentia, si cum aliorum venenorum symptomatis conferantur, ἐμέτων ἐπιθυμίαν ἐξάπτειν *vomendi cupiditate flagrare* scribit. Huic promovendæ & reddendo per vo-

mitum veneno Sepia quod confert, procul dubio est nitrosum illud, quod suffocata deponit in acetum. Coquendi difficultas etiam cholericæ affectionis causa esse non videtur, nisi quibus nidorosa cruditate onustus jam ventriculus fuerit. Ea quippe à calore, copiosius ad durum cibum concoquendum affluente, magis exusta corruptaque mordicando & rodendo Spiritum ciet ad intempestivam & periculi plenam excretionem.

§ 99. Quando itaque non statim aut necessario causa Choleræ est, quod difficilis est concoctionis: siquidem de Sepiis ipsis, quod Præceptor dicit, intelligendum est, acceperim de τηγανισταῖς, de *frixis in sartagine* inquam. Alexis Improbâ coquum inducit hæc loquentem.

σηπίαι πόσου;
Δραχμῆς μιᾶς τρεῖς. τῶν δὲ τὰς μὲν πλεκτάνας,
Καὶ τὰ πτερύγια συντεμὼν ἑφθὰ ποῶ.
Τὸ δ' ἄλλο σῶμα κατατεμὼν πολλοὺς κύβους,
Σμήσας τε λεπτοῖς ἁλσὶ δειπνούντων ἅμα
Επὶ τὸ τάγηνον σίζον, ἐπεισιὼν φέρω.

quanti Sepiæ?
Tres una drachma. Cape, flagella tu, simul
Et has resectas pinnas elixa bene.
Reliquum minutim corpus in cubos seca,
Tusoque sale perfrica, cœnantibus-
que mox appone stridulum è sartagine.

§ 100. Quare autem sic apparatæ tam valide omnes corporis cardines commovent? An quia salsum, quod habent, non deponunt, sed retinent; quin etiam nitrosius multo ac nidorosius acquirunt, ideoque acrius & ad stimulandum effrenius? Sane hoc quidem sequi videtur ex iis quæ Galenus tradit III. de Alim. fac. II. ὅσα μὲν γὰρ ὀπτῶντες, ἢ τηγανίζοντες ἐσθίουσι, ξηροτέραν τροφὴν διδόασι τῷ σώματι. ὅσα δὲ ἐν ὕδατι προαφεψοῦσιν, ὑγροτέραν. ὅσα δ' ἐν ταῖς λοπάσιν ἀρτύοντες, ἐν τῷ μεταξὺ τούτων ἐστί. *Quæcumque assantes aut frigentes comedunt, siccius alimentum corpori præbent. Quæ vero ex aqua præcoquunt, humidius.*

Quæ

Unable to display this page

xa, non item. Assatæ enim citius crustam inducit ignis, quam evocare omne humidum queat. quod itaque remanet & intra carnem agitatur, velut elixat eam & mire reddit teneram. E contrario bubula, quæ siccior est, etiam siccior fit assatione. Habet enim humidi parum & quod facile ante obductam crustam evaporat urgente igneo & sicco calore. Hoc ipsum tamen aceti irroratione prævenisse celebrem quemdam coquum scribit Alexis Lebete. Et certum est, quod hac ratione

Τὰ κρέα δ' ἔσται οὐκ ἀπεξηραμένα,
Ἔγχυλα δ' ἀτρέμα καὶ δροσώδη τὴν σχέσιν.
Assata caro non fiet retorrida,
Quin succulenta & instar roris tenera.

Vide Athenæum lib. IX. cap. VIII. Et ista quidem maxime obtinent, assatione facta in veru.

§ 103. Quæ autem craticulis imponuntur, aut prunis ipsis, magnam partem cruda manent, aut omnino fiunt retorrida. Deque his potissimum acceperim ista Philochori apud eumdem lib. XIV. cap. XX. τὴν μὲν γὰρ ὄπτησιν ἐλάττους παρέχεσθαι ὠφελείας, τὴν δὲ ἕψησιν οὐ μόνον τὴν ὠμότητα περιαιρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ σκληρὰ μαλάττειν δύνασθαι, καὶ τὰ λοιπὰ πεπαίνειν. *Assationem quidem pauciores præbere utilitates, elixationem vero non solum adimere cruditatem, sed & dura mollire posse, ac reliqua coquere.*

§ 104. Hippocratis vero accipienda esse de forti seu exuperanti humido ac sicco, ex proxime præcedentibus clarum est. τῶν μὲν οὖν ἰσχυρῶν σιτίων, ἑψῶντα πολλάκις καὶ διαψύχοντα, τὴν δύναμιν ἀφαιρέειν, καὶ προστιθέναι δὲ πάλιν χρή. Cornarius: *Fortium igitur eduliorum vim sæpe coquendo ac frigefaciendo detrahere oportet, & vice versa augere.* Frigidum hoc loco est *frigefacere.* Agit enim de correctione ciborum per ignem & aquam. Et apud Thucydidem, coætaneum Hippocratis, τὸ διαψύχειν *exiccare* significat: ceu videre lib. VI. p. 236. Steph. Malim itaque: *Firmorum ciborum facultatem sæpe elixando & exiccando auferre, itidemque augere oportet.* Dicuntur autem *firmi cibi,* qui multum habent alimenti. quod cum extrahere ex iis Natura

non

non poteſt, ſive ob ſiccitatem nimiam, ſive ob humiditatem: oportet hanc quidem corrigere per ignem; illam vero, per aquam.

§ 105. *Frixa* in ſartagine alimentum præbent non modo ſiccum ob humidi abſumtionem ſuæque ſubſtantiæ uſtionem: verum etiam nidoroſum & pronum abire in porraceam, eaque deteriorem æruginoſam bilem, propter oleum nempe, aliudve pingue uſtum, quo ſunt imprægnata. Quando itaque ſalubris eſſe hæc ciborum præparatio non poteſt, proculdubio nocentior futura eſt, ſi adhibeatur piſcibus duris, concoctu difficilibus, ſucco ſalſis, minutim conciſis. Deſinamus itaque mirari, Choleram à Sepiæ frixæ eſu concitari: præſertim, ſi bilioſus & choleræ obnoxius iis veſcatur illa.

§ 106. Tantum vero ſi metuendum eſt malum à Sepia male præparata: quid non ſperandum ab *atramento* ejus? Quod intelleximus eſſe excrementum, terreum, lentum, concretile, difficilis concoctionis, acre, incidens, detergens, alvumque movens, & fortaſſe venenatum.

§ 107. Sepiæ morſum venenatum eſſe Ælianus ſcribit v. de Anim. XLIV. ἔχει δῆγμα ἡ σηπία ἰῶδες, καὶ τοὺς ὀδόντας ἰσχυροὺς ὑπολανθανόντας. ἦν δὲ ἄρα δηκτικὸν καὶ ὀσμύλος, καὶ ὁ πολύπους. καὶ δάκοι μὲν αὖ οὗτος σηπίας βιαίτερον· οὗ δὲ ἰοῦ μεθίησιν ἧττον. *Morſum Sepia venenatum habet, denteſque validos in occulto. Etiam mordent Oſmylus & Polypus. Et hic quidem vi majore vulnerat: ſed minus relinquit veneni.* De *Oſmylo*, qui ſpecies eſt Polypi, videſis ad Aldrouandum I. de Mollib. III. p. 42. G. De *Polypo* & *Sepia* Æliano conſentit Oppianus II. Halieut. 454.

Οὐ μὲν θὴν ἄβληχρον ἔχει δάκος, εἴ τε χαράξῃ
Πούλυπος ἑρπυστὴρ, ἢ σηπίη· ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς
Ἐντρέφεται βαιὸς μὲν, ἀτὰρ βλαπτήριος ἰχώρ.
Non eſt innocuum vulnus, quodcumque momordit
Reptator Polypus, vel Sepia: nam licet ipſis
Sit ſanies non multa, tamen comperta veneni eſt.

Diſerte *venenum* etiam Phile vocat l. de Anim. propr. c. LXXXIII. mutuatus haut dubie ſua ex Oppiano. Cujus mentem quam

non fuerit assecutus Aldrouandus p. 63. B. ista docent. *Oppianus quoque Polypo & Sepiæ venenatum morsum tribuit, sed exigui detrimenti.* Hinc & male reprehendit Edoard. Wottonum, qui x. de Diff. anim. CCXXVI. scripserit: *Morsu non lædit Sepia, sed noxia quædam sanies è corpore ejus effluit.* Quæ sit illa sanies, & qua è parte profluat, non dicitur. Optassem sane, addidissent Auctores, ubi habeat Sepia venenum suum. Nunc nobis conjecturæ gloria relicta est. Non facile quemquam mordebit Sepia, nisi manum persequentem se in latibulo suo & involutam atramento. Unde hoc ipso non potest non infici vulnus, priusquam aquis manus extrahatur. Vulneri atramentum infusum proculdubio pravis suis qualitatibus doloremque & inflammationem ciet vehementes. Quibus quam facile membrum obruatur & oppressum adducatur in periculum gangrænæ, ignotum esse nulli potest, qui modo aliquid aut in ratione videt, aut vidit in praxi.

§ 108. Et de *Sepia* quidem, ejusque *atramento* hactenus, quæ observare in rem præsentem licuit. Reddenda deinceps est ratio mihi, propter quam *Volvocem* appellatim, quo propius hac audita veniam ad examen ejus proprietatis, quam Sepiæ atramento tribuit Aretæus noster.

§ 109. *Volvox* insecti genus est, infestum uvis. Plinius lib. XVII. cap. XXVIII. *Alii volvocem appellant animal prærodens pubescentes uvas.* Inquit, *alii:* quia ipse paulo ante & ante ipsum M. Cato de Re rust. cap. XCV. *convolvolum* nominaverant. Apud Columellam l. de Arborib. cap. XV. *volucra* dicitur. *Genus est animalis*, inquit, *volucra appellatur, id fere prærodit teneros adhuc pampinos & uvas.* Ubi Phil. Beroaldus annotat: *Ex lectione Pliniana commonitus lego volvox.* Quod uti non improbo, ita nec approbo. Cur enim *volucra* non dicatur, ut *involucre* apud Plautum Capt. act. II. sc. II. 17. ubi tamen *involucrum* legi vult Adr. Turnebus lib. XIV. Adverss. cap. VII. & interpretatur linteum illud, quod tondendorum humeris injiciunt tonsores, quo ne inquinetur vestis capillorum segmentis. ὠμόλινον vocant Plutarchus & Pollux lib. X. cap. XVII. quamvis heic libri

bri ὁμόλινον edant, neque corrigant editores. Videatur de illo Casaubonus ad Athenæum lib. III. cap. XIX. & lib. IX. cap. XVIII. Apud Hippocratem l. de Affect. t. XXX. & l. de Int. aff. t. X. τὸ ὠμόλινον est *linum crudum*. Cujus illi ad ustionem & linamenta usum fuisse docet Foesius in Oecon.

§ 110. Quem vero *convolvulum* Cato, eumpse *involvolum* vocat Plautus Cistel. act. IV. sc. II. 63.

L A. *Imitatur nequam bestiam & damnificam.* P H. *quamnam, amabo?*

L A. *Involvolum, quæ in pampini folio intorta implicat se.*

Et hinc Appellationis cujusque ratio paret, & simul Inscriptionis nostræ.

§ 111. *Appellationis* ratio est, quod se intorqueat & implicet folio pampini. Festus: *Involvulus, vermiculi genus, qui se involvit pampino.* Hinc desumsit Georg. Alexandrinus in Enarr. priscar. vocum de Re rust. *Colvolvulus, à convolvendo: & est vermiculi genus, qui se involvit pampino: unde & involutus* (rescribe, *involvulus*) dictus.

§ 112. Est autem ἶψ Græcorum. Quo de Theophrastus III. de Caus. plant. XXVII. παραπλήσιον δὲ τὸ συμβαῖνόν ἐστι καὶ τῇ ἀμπέλῳ. καὶ γὰρ ἐν ταύτῃ τοῖς νοτίοις οἱ ἶπες γίνονται μᾶλλον ἅτε διυγραινομένης, καὶ τοῦ ἀέρος γονεύοντος, εἶτ' εὐθὺς ἐξεσθίουσι τὸ ὁμογενές. *Huic proximum quod vitibus evenit. In his enim, austro potissimum, vermes Ipes vocitati gignuntur: utpote cum istæ humescunt, atque aer fœtificet, tum ii quoque materiem sibi congenerem statim erodunt.* Gazæ sunt hæc. Ad quæ Scaliger lib. III. cap. XXX. Ἶπες *dicuntur vermiculi, quos puto vocatos à Catone convolvolos. frigent hic Grammatici.* quid mirum? dum nemo Physicorum ipsis ignem faciat. Horum vere culpa est: ut nostram esse, non Grammaticorum dixi supra (§ 6.) in iis quæ nos attinent. Nisi enim ad hæc, quæ concernunt Artes, artifices; quæ Naturam, ejus consulti præferant facem: nihil exigere à Vocum interpretibus oportet. Dissimulare non possum mirari sæpe me, hodie poni operæ adeo multum in Terminis scholasticis, adeo parum in Verbis philosophis explicandis. Caruisse enim nescimus

illis Sapientiam priſcam neſcimus? Quid ni vero & nos careamus? Mihi quidem iſta Scholaſticorum figmenta magnam partem ſemper viſæ ſunt araneæ, ad capienda non ſolum ingeniorum imbecillia ſtructæ, ſed & conſcientias infirmorum illaqueandas comparatæ. Neque enim, qui Beſtiæ nomen dederant, occultius deprædari animas potuere quam per philoſophiam & inania rerum verba in illam introducta. A qua ſeductione tamen præmonuit nos Apoſtolus Col. II: 9. Hoc ἐν παρόδῳ. De Ipe ſi quid amplius cupis cognoſcere, apud Aldrouandum require lib. IV. de Inſect. cap. V. Moufetum enim fruſtra adieris.

§ 113. *Inſcriptionis* meæ rationem fundavi in damno, quod facit Sepia atramento ſuo, ſi eſtur cum eo. *Volvolum* namque facit, ſive Inflammationem Iliacam, à qua non tantum inteſtina maximis cum cruciatibus prærodantur atq; intorqueantur, verum etiam ægrotantes adducantur in extremum ac præſens vitæ periculum.

§ 114. *Qua* autem *vi*, Manifeſta an Occulta, volvolum faciat Sepiæ atramentum, videtur dubium facere illud verbum, quo ipſum infamat Aretæus. Recenſurus quippe cauſas Ilei ſeu Volvuli, in primo loco ponit *continuam corruptionem ciborum multorumque & multigenerum, neque conſuetorum:* in ſecundo, *cruditatem, ac aliam ſuper aliam,* μάλιστα δ' ὅτι τοῖσιν εἰλεώδεσιν *maxime vero ſuper volvuloſa.*

§ 115. Τὸ εἰλεῶδες *volvoloſum* nunc reddo, dictante analogia, Græca pariter ac Latina. Quoties namque qualitatem ſub exceſſu quodam notare volebant Græci, è Nomine eſſentiali Denominativum terminabant in ὠδης. Ita οἰνώδης eſt, qui οἶνος *vini* plus appetit, quam par ſit: aut qui plus vini obtinet, vel ejus quod vini eſt; ut puta ſubſtantiæ, aut ſaporis, aut odoris, aut coloris. Ita εἰλεῶδες dicitur, quod eam vim qualitatis habet à natura ſua, ut Volvolum ciere de facili queat. Hoc vero Latinis eſt *volvoloſum*, quaſi multum Volvoli habens, hoc eſt, affectus aut affectionis. *Priore* ſenſu, *volvoloſum* dicitur, quod volvolo, eoque inſigni, laborat. *Poſteriore*, quod produ-

producere hunc affectum potest, seu idoneum est volvulo faciendo. Hanc potestatem quoniam à natura sua habet, eapropter in textu τὸ εἰλεῶδες reddidi, *quod aptum natum est facere volvulum*: paraphrastice magis, quàm verbo ad verbum. scilicet, ibi perspicuitatem sectabar, vim vocis reservans commentario. Eam vero *vim volvulosam* inesse in Sepiæ atramento, frustra quis probari à me petierit: credimus hoc Experientiæ, credimus Aretæo testanti, credimus Hippocrati confirmanti. Non alia enim facultate Choleram ciet, ac Ileum.

§ 116. Eam vero *facultatem* quid opus est arcessere ab Occultis qualitatibus? *quæ*, ut verissime Hofmannus ait in III. Inst. c. XXIX. 3. *solis literis differunt à puræ ignorantiæ*. Sunt in aperto, quibus adscribas. Sane quod tale est, quale Atramentum sepiæ esse audivimus § 106. id satis habet in se, quo omnes Naturæ cardines concutiat, & in Spiritu orgasmum, in Sanguine æstum atque adfluxum concitet ad Membrum illud, quod laborat in liberando se à noxa tam difficili, neque periculosa minus quam laboriosa.

§ 117. Etenim, quod suo corpori est *excrementum*, quei nostro sit alimentum? Quod *terreum* est & cœnosum, quei convertatur in succum bonum? Si non potest, non potest non gravare corpus & fatigare coquum corporis. Quod *lentum* est, quei non lentescat magis, & adhærescat tenacius, & eludat conatum expellentis, & hoc ipso irritet ad expellendum vehementius? *Concretile* quod est, & *acre*, quid obstat, cur non coctione evadat in gypsum? *Cognata enim calci res gypsum est*, ut Plinius recte lib. XXXVI. cap. XXIV. Quod vim habet *incidendi*, habet & incitandi. *Deterget*, sed ita, ut non possit non erodere. *Erodere* enim Galenus V. de Simpl. fac. XIV. docet, quod simul crassarum partium est, & acre ac mordax. Quod denique tale est, quantum à *veneno* abest? Me si audias, nihil prorsus. *Vis venenata* enim ignea est, nostroque Igni insuperabilis, quia à subjecto suo inseparabilis, ob partium sive crassitiem sive lentitudinem.

§ 118. Atramentum itaque Sepiæ comestum *movere alvum*, nemo quisquam mirabitur, qui id ciere Naturam ad sui excretionem intelligit. Ea citatio si concitatior est, fit Cholera quidem, cum mobile venenum est: sin, Ileus. Ubi ubi enim in enitendo Natura laborat, istuc vehementius impulsat Sanguinem, arietem suum: ut impetu hujus obstacula quæcumque removeat. Si non succedat, fit Inflammatio. Quomodo? Exposui ad Aristippum § 23. & sequentibus: nec lubet actum agere, & apponere bis coctam.

§ 119. Oportet vero concitationem istam Naturæ vehementem esse, si sumto Sepiæ atramento Cruditas & corruptio ciborum contingat simul. Sane *corruptio ciborum multorumque & multigenerum, neque consuetorum, ac alia super aliam cruditas*, per se satis sunt adducendo hominem in certum vitæ discrimen. Quid ergo sperandum, si ad causam pessimam pejor accedat? si Sepiæ, inquam, atramento ex se volvuloso seu ad volvulum faciendum propenso superveniat Causa non minus potens in conturbanda Natura & Inflammatione cienda.

§ 120. Ostendimus itaque hactenus, esse in Sepiæ atramento satis *manifestas* & qualitates & causas Ilei: ut adeo necesse non habeamus ad *occultas* confugiendo, inscitiæ simul atque ignaviæ turpitudinem prodere. Quod omnino eos facere mihi persuadeo, qui ad Asylum istud citra necessitatem se recipiunt. Quo de quia paucis dicere non licet, dicere ex professo studebo, & ad hoc captare occasionem. Namque & illa materia, & quidquid eodem facit, meretur e spissis tenebris in lucem dari, & vindicari à tribulis atque spinis, qui inutilem nobis reddidere agrum fertilissimum. Sane hoc exculto fertilior non est aut esse potest in ferenda fruge Salutis ægrotantium & Honoris medentium.

§ 121. Unum addo & abeo ad alia. Sepiæ atramentum, quibus venenum non est (neque enim omnia omnibus venena sunt) tamen fugiendum esse, ob tenebras, quibus impurare & infuscare Sanguinem necesse est, si pervadere ad eum contingat. Si enim lucernis admixtum facere potest, ut nigri videantur qui adsunt;

adsunt: quid ni Spiritui tenebras offundere queat permixtum Sanguini, & causa Insaniæ fieri? Quomodo? inquis. Videbimus, si vult Dominus, ad Alcippum insanientem. De isto autem Plinius lib. XXXII. cap. X. fin. *Sepiæ atramento tanta vis est, ut, in lucerna addito, Æthiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat.*

§ 122. Idcirco usui fuit præstigiatoribus ad illudendum oculis imperitorum. Sextus Empiricus I. Pyrrh. Hypot. XIV. καί γε οἱ γόητες χρίοντες τὰς θρυαλλίδας ἰῷ χαλκῷ καὶ θολῷ σηπίας, ποιοῦσιν, ὁτὲ μὲν χαλκοῦς, ὁτὲ δὲ μέλανας φαίνεσθαι τοὺς παρόντας διὰ τὴν βραχεῖαν ἐμιχθέντος καταφοράν. *Quin & præstigiatores ellychnia ungentes ærugine aut atramento Sepiæ, faciunt uti modo quidem ærei, modo autem nigri appareant præsentes, per exiguum illud quod mixturæ adsperserunt.* Quo è loco desumta, saltem corrigenda sunt, quæ & vitiose & temere exscripta sunt à Sim. Sethi cap. de Sepia: si modo ipsus culpari queat: neque enim in mss. meo reperiuntur. Editi legunt: λέγεται δὲ ὡς εἴ τις θρυαλλίδα σηπίας μέλανι ἢ ἰῷ χαλκῷ ἐγχρίσει, ποιήσει τοὺς μὲν χαλκοῦς, τοὺς δὲ μέλανας φαίνεσθαι, καὶ διὰ τὸ τὴν καταμιχθέντων καταφοράν. *Ajunt vero, quod si quis ellychnia sepiæ atramento aut viridi æris inungat, facturus sit hos quidem æreos, illos autem atros videri, per adjectionem eorum quæ admixta sunt.* Ludicrum hoc plenius explicat Jo. Bapt. Porta Magiæ nat. XX. 9. & ait omni colore id imitari quem posse. Et ne detegatur fraus ac frustretur illusio, jubet noctu quidem aliud lumen non inferri præter præstigio destinatum; die vero etiam omne Solis arcere. Tenebras quippe amant opera tenebrarum. Simile quid in fucinis ait evenire, ubi campanæ conflantur. Apud nos turvarum genus subfalsum est, quod accensum facit, ut quotquot foco adstant aut ab eo illustrantur, colore appareant tam squalido ac morticino, ut mirari satis id peregrini & ignari causæ nequeant. Medemur adjecto sale. certo argumento, Sulphuris esse, quod Salis putamus. *Turvæ* vocabulum si cui insolens in Latinitate videatur, sciat me non ignorare, in Nomenclatore *cespitem bituminosum* & *glebam fossilem* dici ab Hadr. Junio; maluisse tamen nostrate uti nomine, ut res est nostras.

VI.

Stranguria Iliosa.

Hippocrates VI. Aphor. XLIV.

ὈΚΟΣΟΙΣΙΝ ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρησιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

QUIBUS *ex stranguria volvulus supervenit, intra septem dies pereunt, nisi febre superveniente satis urina fluat.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

GALENI *expositio* ad hunc Aphorismum talis est, ut videri possit velut organista cęcus palpasse veritatis tonum potius, quam veram ac genuinam Dictatoris sententiam assequutus. Principio multus est in eo, ut ostendat intelligi de Ileo vero effatum non posse. Deinde, non ausus quidem aperti mendacii arguere Virum à veracitate sibi 1. de Dieb. crit. III. laudatum, erumpit tamen in hæc verba. βέλτιον οὖν ἀγνοεῖν ὁμολογεῖν ὅπως εἴρηται τὰ κατὰ τὸν ἀφορισμὸν τοῦτον ὑφ' Ἱπποκράτους. οὔτε γὰρ ὁ λόγος ἐνδείκνυται τὴν ἀλήθειαν αὐτοῦ, οὔτ' ἡ πεῖρα διδάσκει, τρίτον δ' οὐδὲν ἔχομεν ἄλλο πρὸς πίστιν. εἴγε μὴ ὦπται ποτὲ τοιοῦτος ἄῤῥωστος, οὔτ' ὑφ' Ἱπποκράτους, οὔτ' ὑπ' ἄλλου τινὸς, οὔτε γὰρ εἰ γνήσιός ἐστιν ὁ ἀφορισμὸς, εἰπεῖν ἔχω. *Præstat igitur fateri nos ignorare, quo sensu dicantur ab Hippocrate quæ hoc in aphorismo proponuntur. Neque enim ratio demonstrat veritatem ejus, neque experientia docet: aliud vero tertium non habemus ad fidem. Si vero haut umquam visus est talis æger, vel ab Hippocrate, vel ab alio quopiam, neque, an legitimus sit aphorismus, dicere possum.*

§ 2. Tandem calculum quasi revocans, quo ne ἀσύμβολος huc venisse videatur, sententiam promit, sed adeo defunctorie, ac tanta

ac tanta cum hæsitantia, ut deseruisse causam censeas, non definivisse. Audiamus. πλῆθος οὖν ὠμῶν καὶ παχέων χυμῶν ἅμα σφύξει σφοδρᾷ, βέλτιόν ἐστιν ὑποτίθεσθαι τῶν εἰρημένων συμπτωμάτων αἴτιον. οὕτως γὰρ ἂν μόνος ὅ, τε πυρετὸς ἴαμα γένοιτο τῆς διαθέσεως, ἥ, τε τῶν εἰργομένων οὔρων κένωσις. οὕτως γὰρ εἴωθε παχέα καὶ ἀθρόα κενοῦσθαι πεττομένων αὐτῶν. *Igitur copiam crassorum & crudorum humorum cum frigore vehementi, satius est supponere dictorum symptomatum causam. Sic namque sola febris extiterit, & medela affectus, & prohibitarum urinarum vacuatio. Sic enim consuerunt crassa & multa ac coacervata vacuari, ubi cocta fuerint.*

§ 3. Cardani, stupendo ingenio viri, ad hæc censura est com. in eumdem aphorismum. *Accidit hic Galeno, quod equis & hominibus ociosis, ut, cum exercere se coguntur, mirum in modum torqueantur. Insuetus enim attingere difficultates, quæ in aliis erant aphorismis, atque illorum sensa, non verba exprimere: sic cum nimis turpe esset rem quasi præstigiosam non attingere, delassatur rei magnitudine. Et certe in hoc indulgentia dignus esset, ut qui supra humanas quasi vires sit, si se in aliis virum præstitisset: verum ea dignus non est, cum Grammaticum in aliis agat, non Medicum.* Quod ego judicium licet approbare nec ausim, nec possim: attamen non contineo me, quin heic studiosæ juventuti repræsentem prudens atque utile consilium Fabii, quod est x. Inst. orat. 1. *Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, & nonnumquam fatigantur.* Dabo pro virili operam, ut habeas vivum hujus in Galeno exemplar.

§ 4. Philotheo, qui Græcorum interpretum secundus est, Galenum sibi ducem legenti accidit quod est Matth. xv. 14. Ideo nec exscribo ejus verba. inprimis cum Cl. D. Adolfus Vorstius, publicus Hippocratis & longe doctissimus apud nos interpres, Collega & amicus honorandus, faciat spem Græce Latineque edendi à se Theophili, ut mss. suo codici inscriptum habet nomen.

§ 5. Recentiores itidem ab Antesignano suo deserti, pala-

tum eunt & certi, quod afferant, non inveniunt. Hinc illa in omnium ſcriptis obvia titubatio, & tantum non veri deſertio. Videquos lubet, & annon omnes mihi teſtimonium dicant, verum eſſe, quod de omnibus dico. Ergo & aphoriſmum hunc in ipſo velut funere reddamus luci, & lucem ex eo iis, quæ Exerc. IV. 9. & ſeq. aliquot diximus. Quanto vero integrior eſt & nobilior palma, tanto alacrius humeros ſubjiciamus difficultati, & exploremus, ſint ne ferendo oneri, quod tantus vir ſupra humanas quaſi vires eſſe judicavit.

§ 6. Quemadmodum vero Juris interpretes in rebus facti proponere primo caſum, & ad hunc mox legem exponere conſueverunt: ſic ego noſtræ regioni familiarem valde do in anteceſſum. GALLUS *per Belgium autumno calido ac ſiccoiter faciens ſitienſque, muſteam rure cereviſiam ac leviter aceſcentem haurit indulgentius: oboritur ſtranguria: ſequitur volvulus & vomitus: ſubſequitur febris: fluit urina: liberatur.*

§ 7. Ex iſtis *cauſis* queat ne Gallo incipere Stranguria, ſi dubites, monſtro ipſius Foreſti, omnibus noti, ex Italia & Gallia in patriam reverſi exemplum lib. XXV. obſ. 11. & IV. Queatne vero Volvulus ſupervenire ſtranguriæ, non ſinit nos in dubium vocare auctoritas Hippocratis. cujus certe fidem nemo hactenus elevare potuit. Hominem fuiſſe, quis dubitat? Erraſſe etiam, quis negat? Fatetur ipſe v. Epid. XIV. & laudatur hoc nomine à Celſo lib. VIII. cap. IV. & proficere in virtute volentibus proponitur in exemplum à Plutarcho p. m. 82. D. Annon meminimus quid ſcribat 1. Vet. med. t. XVI. 45. καὶν ἐγὼ τὸν ἰητρὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέσαιμι, τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα. τὸ δ' ἀκριβὲς ὀλιγάκις ἐστὶν καλὸν εἶν. *Sane illum ego Medicum valde laudaverim, qui minimum peccat. Perfectum enim raro videre eſt.* Hæc novimus. Sed erronea tradidiſſe nobis, quis demonſtravit aut demonſtrabit? Sine hoc ſi erit, ut eſt, licebit nobis ſtare auctoritate viri, quem nemo non fecit maximi, niſi qui non intelligit ſatis.

§ 8. Quod ad præſens negotium, mihi quidem vel cogitare nefas, nedum profiteri, *non viſum talem ægrum ab Hippocrate.* Ille non viderit, quod noſtris toties videre datum eſt? An itaque aphoriſ-

aphorismum hunc finxit, & crucem fixit ingeniis? Falsum ergo tuum, Galene, testimonium est. *Verax* enim dici non meretur, qui non vera cum studio consilioque non bono inscribit posteritati. Ergo & tu vehementer falleris Macrobi, qui invidiosissimum Seni nostro, simul & verissimum scripsisti elogium in 1. Saturn. VI. Fuisse enim *tam fallere quam falli nescium*, quei verum est, si experimenti incertus, figmenti certus prodidit quod *ab aliquo visum non est?* Vidisse *stranguriam*, plusquam certum est. Vidisse *conjunctum ei dolorem ventris vehementem atque interdum remittentem*, discas licet ex 1. Morb. mul. t. IV. Si itaque urinæ stillicidio adjunctum ventris immanem dolorem vidit, & putavit hunc iliosum esse, nec fuit, falsus est. Vin' audire, quid in Lege t. III. 43. dicat de Opinione? πολλὰ ἀγνοεῖν *facit ignorare*. aut qui sint Opinionis fructus? Habes l. de Eleg. t. IV. 60. οἴησις, μάλιστα ἐν ἰητρικῇ, αἰτίλιον μὲν τοῖσι κεχρημένοισιν, ὄλεθρον δὲ τοῖσι χρεομένοισιν ἐπιφέρει. *Opinio, maxime in medicina, crimen quidem nitentibus ipsa, perniciem vero utentibus adfert.* Ergo, si se putavit scire quod nescivit, fefellit se: si quod nescivit, ceu certum scripsit, fefellit alios. Hoc in probum non cadit, neque illud in virum prudentem.

§ 9. Porro, ad *casum*, quem præscripsi, accommodabilem esse *aphorismum*, nullus dubito. At ætas Hippocratis ignoravit cerevisiam. Puerilis objectio. Neque lubet nunc hoc saxum volvere. Interim te, qui forte tanti id putas, rogo exponas mihi quid sit II. de Diæt. t. VII. 98. πλύμα τυρὸς ἢ πυέ. aut hoc quid differat ab *extractis farinarum*, è quibus nunc coquunt cerevisiam? Ex vero Marcianus l. Leg. serv. D. de leg. & fideic. III. § 3. *omnes discere possunt & omne artificium incrementum recipit.* Causam reddit Philosophus 1. Eth. VII. πάντες δὲ, προσθεῖναι τὸ ἐλλεῖπον· *cujusvis est, adjicere quod desideratur.* præsertim iis, quibus maxime studemus, quod *humanæ naturæ congrua sint*, ut ibidem JCtus ait. De *birâ* autem, seu, ut posteriora secula appellarunt, *cerevisiâ* vetustissimo usu videsis Casp. Barthium Adversar. XI. 32. & quem ibi laudat Hadr. Junium Animadv. II. 12.

§ 10. Sed esto, non noverit Cerevisiam & fecerit primam ejus mentio-

mentionem Jonas Scotus in Vita Columbani cap. XVI. novit tamen στραγγείης ἁλίσκεσθαι, ὅκως ὕδασι πίνουσι παντοδαποῖσι, καὶ ὁκόσοι ὕδασιν ἐπακτοῖσι χρέονται, *stranguria corripi, ubi aquas bibunt plurimorum generum, & quotquot aquis advectitiis utuntur.* vide l. de Aër. aq. & loc. n. 103. Nihil est apud nos frequentius, quam strangurioſum reddi ex mutatione cereviſiæ, hoc est, potus conſueti, ut aqua veteribus erat, hodieque gentibus est pleriſque. Unde Hippocratis d. l. n. 76. consilium est: ὅστις μὲν ὑγιαίνει τε καὶ ἔρρωται, μηδὲν διακρίνειν, ἀλλὰ πίνειν αἰεὶ τὸ παρεόν. *Qui ſanus est & bene valet, nihil diſcernere, ſed bibere ſemper, quod offertur, debet.* Hoc ipſum Corn. Celſo, ſapientiſſimo medico, in tantum placuit, ut hinc auſpicatus ſit Medicinam ſuam. quòd ante Hier. Rubeum animadvertit nemo, quod ſciam.

§ 11. Impedimentis itaque ſublatis, quæ nobis videbantur obſtitura, deinceps rem ipſam proſequamur. *Aphoriſmum* propoſitum eorum è numero eſſe, qui præſignificant aliquid futurum, ne quidem opus est monito; niſi propter hos, qui in cujuſvis expoſitione *ſcopum* cenſent ante omnia indicandum, ſive ad quam Medicinæ partem pertineat præceptum quod ſuppeditatur, cuique uſui eſſe in facienda arte queat. Verum de hoc quidem aliquid nos ſub finem, & poſt evolutionem genuini verique ſenſus. In præſenti *duo* ſe nobis offerunt potiſſimum examinanda: Morbus & Eventus ejus. *Morbus*, quo de heic agitur, est Volvulus ex ſtranguria. Hunc ait habere *eventum* in omnibus funeſtum, certa tamen ſub conditione. *Quibus* volvulus ex ſtranguria *ſupervenit, in ſeptem diebus pereunt*, niſi *febre ſuperveniente ſatis urina fluat.*

§ 12. *Subjectum* itaque præcepti aphoriſtici, est *Volvulus ex ſtranguria.* Ubi cum Stranguria *cauſæ*, Volvulus *effecti* rationem habeat: oportet ſciviſſe, *primum*, quid *Stranguria* heic, quid *Volvulus* ſignificet: *deinde*, quid notet particula *ex.*

§ 13. *Stranguriam* nuncupant, quum urina ſtillatim guttatimque redditur. Id alias dolore nullo, alias vehementi fit. Utrumque è Galeno didiceris: illud, com. ad aph. XLVIII. lib. VII. hoc, VI. Loc. aff. IV. Quæ nullo fit dolore penis aut veſicæ, eam

nec

nec posse alteri causam esse doloris, per se clarum puto. Quare non alia heic quam ea venit accipienda, quæ cum dolore acri & irritatione fit. Quod bene intelligens Celsus, & aphorismum, qui præ manu est, suum faciens, *difficultatem urinæ* reddit lib. II. cap. VIII. *Denique ipsa febris (quod maxime mirum videri potest) sæpe præsidio est. Nam & ex difficultate urinæ morbum tenuioris intestini ortum, si urinam per calorem movet, levat.* Rectene vero? nam *urinæ difficultas* proprie *dysuria* est. Cælius Aurelianus v. Tard. IV. *Difficultas autem, quam iidem dysuriam appellant.* Recte vero, si recte distinguis inter *difficultatem* quæ Stranguriæ propria est, & *eam* quæ Dysuriæ. Heic *difficultas* significat omnem molestiam, quam quis mingere volens experitur in enitendo reddendove urinam. In *enitendo* difficultas est, cum diu quis conari cogitur antequam profluat urina, quantumvis ipso in fluxu fluat deinde libere ac facile. Novi, quibus hoc familiare est, & sine querela. In *reddendo* difficultas est, cum ardet urina: sive hujus id culpa fiat, sive partium quas transit. Vide Fernelium VI. Pathol. XIII. Dicebam vero, *mingere volens*: neque enim Dysuria fit, nisi plenâ vesicâ: usque eo saltem, ut necesse habeat dimittere quod sollicitat. In *stranguria* tantum non perpetua difficultas est, ob nullius non guttæ huc confluentis asperrimam incessionem atque indicibilem in exeundo laborem. Vesica enim, velut si lupum teneret auribus, ita retinere simul & reddere urinam horret. Dici non potest, quem στραγγὶς τὸ ὄρον, quem *cruciat urina*, quantis ille prematur angustiis, quamque miris miserisque modis contorto corpore velut anguilla se volutare cogatur. Vegetius III. Art. veter. XV. *Vesicæ indignatio hic agnoscitur signis: mingere non potest, omnia crura flectuntur, demittitur venter ad terram.* Venuste *indignationem* vocat, quoties ante tempus & acri stimulo Vesica cogitur summo cum dolore exiguum aliquid eniti. Spiritus hæc indignatio est dolentis & horrentis dolorem. *Stranguria* igitur heic significat stillantem cum dolore urinam. Confer ad Galenum VI. Aph. I.

§ 14. *Volvulum* quod attinet, non tam facile expeditu est. *Verum* intelligunt Victorius, Thriverus, Fuchsius; sive, qui sit

Inflammatio inteſtini. Obloquitur Cardanus & negat *de phlegmone eſſe intelligendum, quod eam ſemper acuta conſequatur febris, ut non ſit neceſſarium ſupervenire.* Veriſſimum hoc, & notatu dignum quod Hippocrates l. de Flat. VII. 83. ait: τοῦτο τὸ νόζημα πᾶζιν ἐφεδρεύειν τοῖζι νοσήμαζι, μάλιζα δ' φλεγμονῇ· *morbum hunc omnibus accedere morbis: numquam autem non inflammationi.* Hinc adeo Martianus in Notat. hoc ipſum notare ſupervacuum cenſet. *Ad veritatem*, inquit, *præſentis aphoriſmi demonſtrandam, non eſt, cur eos Volvulos excipiamus, eaſque Strangurias, quæ ab inflammatione dependent, quando in ipſomet contextu ſatis artificioſe excipiuntur, per illa verba, niſi febre accedente. Cum enim hi morbi ab inflammatione dependere non poſſint, quin febris concomitetur, eamque excludat, dum inquit, accedente: ſignum eſt, eos morbos intellexiſſe, qui ſine febre & inflammatione fiunt.* Valleſius inſuper rationem addit, quare neceſſario debeas de his accipere. *Si ex inflammatione fiunt, nequaquam accedente febre poſſunt curari, neque febris movebit admodum urinam.*

§ 15. Hac ratione Charybdin prætervecti Interpretes, tantum non in Scyllam incidiſſe videntur, quotquot Volvulum *ex crudis ac craſſis frigidiſque ſuccis* urgent. Urgent autem hunc, præter antedictos, cæteri omnes. Dux gregis eſt Galenus: eorum inquam, quos habemus. Nam & ante ipſum multi eadem in ſententia fuere. Videre interim hac ipſa in re Galeni inconſtantiam eſt. Qui enim inter initia commentationis dixerat, δ' πάνυ τι πιθανὸν *non admodum probabile* ſibi videri, ex humoribus craſſis ac viſcoſis ejuſcemodi poſſe alvo anguſtiam oboriri, quæ cauſa ſit Volvuli ſeu regurgitationis ſtercorum ad os: ſub finem, velut oblitus ſui, ad ipſam illam ceu ſacram anchoram ſe confert. Quo nomine tamen laudatur à Braſavolo, ceu *eam expoſitionem aſſignans, quæ vera eſt, ſi quæ altera vera ſit.* Si ita eſt, merito miratur Valleſius, *cur Galenus tantam hujus aphoriſmi difficultatem eſſe putet, ut, quid ſibi velit Hippocrates, neſcire fateatur.* Mercurialis è contrario negat *Galenum voluiſſe ileum ſic fieri. Sed dato*, inquit, *quod fieri poſſit, plane non convenit præſenti aphoriſmo.* Rationem, quam adfert, non examino. Neque enim hoc ago, ut ſingulorum

Unable to display this page

exercit. IV. 9. 12. 13. ostendi. Imo forte ipsissimum illum, quem describit Hippocrates l. de Int. aff. t. XLVII. cuique id nominis convenit non ex vero, sed ob similitudinem quamdam. Placet ibi explicatio Joan. Martini, ad illud καλέει. *Hippocrates l.* III. *de Morb. t.* XV. *& l. de Affect. t.* XXII. *cum de Ileo in propria significatione loquitur, quatenus videlicet inflammatio est, simpliciter appellat εἰλεόν: hic autem appositum verbum καλέεται ostendit ileum in minus usitata significatione usurpari.* confer nos exerc. d. 12. Neque de alio accipi potest, quod est Coac. 106. οἱ πυρετοὶ ἰλιγγώδεες, ἢ ἄνω εἰλέων, ἢ μετὰ εἰλέων, ὀλέθριοι· *Febres vertiginosæ, seu absque volvulis, seu cum volvulis, perniciosæ.* Ubi recte quidem Ballonius I. Consil. LV. *ilei nomen non proprie sumi* ait, *sed pro simili symptomate quale in iliacis passionibus contingit, nempe pro vomitione assidua. Quod notandum*, inquit. Duretus quoque I. Coac. III. ILEOS heic exponit *intestinorum tormina cum cardiogmo, sine ulla dejectione, per ἄνω εἵλησιν*, i.e. *revolutionem ad superiora, vel chyli, vel ipsius fecis alvinæ.* Nobilem præterea locum habes II. Epid. VI. 25. quem proxima exercitatione imus explicatum.

§ 19. Videamus porro, quid velit particula ὅτι. Cujus vim ut intelligamus, meminisse oportet *divisionis* Morborum in Disjunctos & Conjunctos. *Disjuncti*, auctore Fernelio I. Pathol. x. sunt, qui in distantibus sejunctisque partibus consistunt, quarum nec functio nec usus est communis, nec una alteri affectum confert & impertitur. *Conjunctos* idem primus in Connexos & Consequentes digessit, commode; etsi non sine ἐναντιοφανείᾳ offendiculo exposuit. Definiens illos ait: *Consequentes aut Connexi morbi sunt, quorum prior posterioris est causa.* Ostensis deinde & modis & exemplis successionum, tandem subdit: *Qui morbi commutatione quadam succedunt, & quorum prior in posteriorem abit, Consequentes quidem, at raro Connexi dicuntur, quod raro prior sit posterioris causa.* Hoc sane speciem contradictionis habet. Si enim, in consequentia morborum, raro prior est posterioris causa: quei convenit ipsis præmissa definitio? Qua nos accepta dicimus, discrimen in eo esse, quod *Morbo* morbus accedat in *connexis*, succedat in *consequentibus*. Nempe *ibi* prior & causa

manet

manet duratque: *heic*, abit aut cessat. *Hoc* per μεταπτωσιν fit: *illud*, per ἐπιγένεσιν: ceu plene olim in Med. medulla docui. unde repeti poterunt: nobis enim hoc satis in rem præsentem.

§ 20. Quibus præhabitis jam quæstionis est, quo sit præpositio ἐκ referenda, ad Disjunctos morbos, an Conjunctos: eosque Connexos, an Consequentes? Brasavolus de Disjunctis accipit. *Intelligere oportet, vel fieri* ex, *id est*, post *urinæ stillicidium ileum: vel* ex, *id est*, postquam *urinæ stillicidium cœpit*, etiam *fiat ileos. non tamen ratione stillicidii, sed ratione sui ex materia aliqua crassa obstruente, quæ forte etiam urinæ stillicidium facit.* Hæc sententia prius fuerat Hugonis Senensis, ut comperi. Fuchsius de eisdem an Connexis intelligat, non ausim definire. *Nobis sane videtur*, inquit, *particula ἐκ hoc loco idem quod* μετὰ, *id est*, post *significare: ut sit sensus, Quibus post urinæ stillicidium ileos succedit, ii intra septimum diem propter immensos, quos ileos excitat, dolores, & quod urina retinetur, pereunt.* Videtur urgere temporis dumtaxat successionem, seu nolle simultaneam utriusque affectus generationem aut apparitionem. Huic iterum contradicit Mercurialis, & ita vult esse *simul*, ut ordinem originis inter se non habeant. *Certe magna est difficultas, si placeat tueri literam Hippocratis ἐκ στραγγουρίης, quemadmodum in animo habuit Galenus. Verum si legamus, ut habetur in Coacis prænotionibus,* ἐπὶ στραγγουρίῃ, *id est, si in stillicidio urinæ superveniat ileus, id erit quod supra dicebat, scilicet fieri ileum cum stranguria ex pituita crassa non modo ad vesicam, verum etiam ad tenue intestinum perlata.* Hoc si satis clarum non putes, perge ad hæc: *Stranguriam & ileum simul factos ob pituitam viscidam, ante septimam diem interire*, legerim *interficere*. Philotheus idem sentit, sed alium post alium apparere affectum. ὁ δὲ ἱπποκράτης ἐπὶ στραγγουρίᾳ τὸ εἰλεὸν ἐπιτίθεται, καὶ καλῶς. Καὶ γὰρ πρώτῃ (ἡμέρᾳ) οὐκ εἰδοποιεῖται τοῦ εἰλεοῦ. ἐνδέχεται γὰρ μέχρι τεσσάρων καὶ πέντε ἡμερῶν ἐν τοῖς ἐντέροις εἶναι τὴν ἔμφραξιν, καὶ μὴ εἶναι διαφανῆ τὸ εἰλεόν. ἡ δὲ στραγγουρία ἀπὸ πρώτης ἡμέρας διαφαίνεται. *Hippocrates vero ad stranguriam superaddit ileum; ac recte. Prima enim die nullum volvuli indicium est. Contingit enim per quatuor aut quinque dies esse in intestinis obstructionem, nec tamen apparere vol-*

vulum: stranguria autem inde à primo die apparet. Hoc modo *præpositio* fuerit temporis index. Quod alienum à vero. Sed istæ sunt Interpretum næniæ. Res est:

§ 21. Præpositio *ex* semper nota *principii* est: ac sæpe quidem *effectivi*: ut heic. Suo enim impulsu Stranguriosus dolor causa fit Iliaci. Eadem ratio est τοῦ ἐπὶ, quod est Coac. 475. Significat enim non tantum fieri Ileum, qui non erat: sed & fieri occasione Stranguriæ præexistentis. Duretus ad Coac. 100. lib. I. τὸ ἐπὶ *proprie significat fieri per progressum & sympathiam alterius morbi.* Ne longum faciam in re confessa, velim examinari & conferri aph. XXV. lib. VII. cum aph. IV. lib. V. Quod ibi est, ἐκ φαρμακοποσίης: heic est, ἐπὶ ὑπερκαθάρσει. Neutrobi vero vel dubitare ulli venit in mentem, *convulsionem* vel *medicamento poto* vel *immodicæ purgationi* supervenientem non agnoscere hanc causam efficientem. Dederim vel sexcenta ejuscemodi, si opus, loca. Oportuit itaque recedentes à simplicissima & usitatissima interpretandi formula ad contrariam atque insolentem, non sine ratione hanc obtrudere, sed cum ratione persuadere.

§ 22. Obstat præterea novæ isti acceptioni illud, ἐπιγίνεται, *supervenit*, ut recte atque efficaciter redditur à nostris. Quo in verbo triplex emphasis observari debet. Significat enim Affectus ad affectum accessionem, Accessionis occasionem, & Accedentis conditionem. Inquam significare

§ 23. *Primo*, Affectus ad affectum accessionem. De hoc egregius est apud Galenum locus in com. aph. XI. lib. VII. ubi docturus quid intersit inter τὸ μεταπίπτειν καὶ ἐπιγίνεσθαι, inter *succedere* & *accedere*, inter *transire* & *supervenire*, ait: μεταπίπτει μὲν οὖν, ὅταν τοῦ προτέρου παυσαμένου ἕτερον γένηται. ἐπιγίνεται δὲ, ὅταν διαμείναντος ἐκείνου, προσγένηται ἕτερον. *Succedit* affectus, *quum priore cessante alius existit. Supervenit autem, quum permanente illo, accedit alius*, vice velut auctarii. Confer ad Duretum II. Coac. XXIV. I. seu p. m. 375. l. 49. Fernelio *prior*, Consequens: *posterior*, Connexus fuit appellatus: ceu modo monebam.

§ 24. *Secundo*, Accessionis occasionem, sive Causam esse morbum priorem, eumque sua vi ac potestate producere. Iterum

rum Galenus VI. Aph. XXXV. ὑπιγίνεσθαι τοῖς πάθεσιν ἕτερα πάθη τε καὶ συμπλώματα, τοῖς παλαιοῖς ἰατροῖς εἴθισται λέγειν, ὅσα καὶ τὰ αὐτὰ πάθη λόγον αὐξανομένου συμβαίνειν εἴωθε. *Supervenire morbi & ſymptomata morbis* (quot modis id fiat, docet Philotheus ad aph. I. lib. VI.) *dicuntur priſco more, quotquot ipſius morbi aucti ratione accedere conſueverunt.* Unde Foeſius VI. Epid. VIII. 32. (VII. 299. 6) per τὰ ὑπιγινόμενα ait *non ſimpliciter* τὰ συμπλώματα *intelligi, ſed quæ morbis neceſſario, eorumque increſcentium ratione ſuccedunt & accidunt, morboſque neceſſario comitantur.* Rectiſſime. & habes inſignem locum com. ad aph. LVIII. lib. V. οὐκ ἁπλῶς ἕτερον ἑτέρῳ πάθει ὑπιγίνεσθαι πέφυκεν, ἀλλὰ τοῖς ἀξιολόγοις καὶ μεγέθει. *Non ſimpliciter quilibet affectus cuivis ſupervenire aptus natus eſt, ſed magnitudinem ſufficientem adeptis.* Et hæc *prima* conditio ſuperveniendi eſt. *Altera* eſt, ut ſuperveniat κατὰ λόγον αὐτοῦ καὶ πάθους *ſecundum rationem ipſius morbi*: hoc eſt, ut morbus accedens à priore ceu primaria cauſa ſui pendeat, non vero alterius cauſæ externæ aut remotioris efficientiâ exiſtat. Id enim com. ad aph. XXXV. lib. VI. eſt, ὑπιγεγονέναι τι λόγῳ τοῦ νοσήματος, οὐ διά τινας προφάσεις τινας· *ſupervenire ratione morbi, non propter externam aliquam cauſam.* Sic & ad aph. XVI. ejuſdem libri vult διὰ μηδὲν ἄλλο πρόσκαιρόν τε καὶ πρόδηλον ὑπιγεγονέναι τὸ σύμπτωμα· ἀλλὰ τῷ λόγῳ τοῦ νοσήματος. *ob nullum aliud temporarium ac manifeſtum ſupervenire ſymptoma: ſed ratione morbi.* Addit rationem egregiam: ὅσα γὰρ δι' ἄλλο τι, καὶ μὴ διὰ τὸ νόσημα χρὴ κατά τι τὸ σημεῖον, τῷ δηλοῦντι πρὸς αὐτό. *Quæcumque enim per aliud quid, & non per morbum facta ſunt, non poſſunt monſtrare ipſius indolem; ſiquidem oporteat ſignum quadamtenus connecti ei, quod per ipſum ſignificatur.* Quæ loca ut eodem tendunt, ita merentur notari bene.

§ 25. *Tertio*, Accedentis conditionem. De *qua* non convenit tamen Auctoribus: *aliis* ſemper in malam, *aliis* ſæpe in bonam partem accipi aſſeverantibus. Pro *illis* ſunt & Hippocrates & ratio & mille exempla. Hippocratis verba ſunt l. de Affect. t. XXIII. τῶν γὰρ νοσημάτων ὅ, τι ἂν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ γένηται, ὡς τὰ πολλὰ ὀπισθαίνει. *In morbis ſiquidem alius ſuper alium fiat, ut plurimum occidit.*

cidit. Quare vero? ὅταν γὰρ ἀσθενεῖ τῷ σώματι ὄντι ὑπό τ παρόντος νόσου, ἑτέρη νόσος ἐπιγένηται, πρόσθεν ἀποθνήσκει ὑπὸ ἀσθενείας, πρὶν ἢ τῇ ἑτέρῳ νόσῳ, τῷ ὑστέρῳ γενομένῳ, τελευτῆσαι. *Quum enim infirmo corpori à præsente morbo, alius morbus supervenerit, prius præ imbecillitate perit, quam morbus posterior desinat.* Exemplorum abunde est cum aliis aphorismorum libris, tum inprimis novissimo: qui & propterea περὶ τ ἐπιγινομένων quibusdam olim inscriptus traditur.

§ 26. Pro *aliis* & in *bonam* quoque *partem* dici volentibus Galenus esse & exempla quædam videntur. Ille ad aph. XI. lib. VII. φαίνεται νῦν περὶ τ ἐπιγινομένων ὁ Ἱπποκράτης λέγων, οἷς αὐθὺς ἐξ ἀρχῆς καὶ τὸ κακοῦς εἶναι ὑπάρχει, ὥστε κἂν μὴ προσῇ τὸ κακὸν, ἢ τοι γε ἐπακουστέον αὐτὸ, καὶ τ ἀπὸ κοινῆς λεγόμενον τρόπον, ἢ δυνάμει δηλοῦσθαι νομιστέον. ἅπασα γὰρ ἡ τ ὅτως ἐπιγινομένων σύστασις, οὐ σμικροῖς οὐδ' ἐπιφέρειν ἑπτομένοις, ἀλλὰ μεγάλοις τε καὶ κακοήθεσιν. *Videtur nunc de supervenientibus agere, quibus statim ab initio malis esse contingit: adeo ut licet non adjiciatur hoc malum, subaudiendum tamen sit ex more recepto, aut potestate significari putandum. Tota enim eorum quæ sic superveniunt constitutio est, ut non parvos ac benignos sequantur morbos, sed magnos malignosque.* Quo è contextu parere videtur, non semper ἐπιγινόμενα, *adscititia*, hoc habere peculiare, ut pravis, inquiunt, affectionibus adhæreant: quin contingere posse etiam mitioribus. Mutatur status quæstionis. Quæstio non est, an Morbi adscititii semper superveniant morbis magnitudine aut malignitate insignibus: sed, an Morbo morbum supervenire semper malum sit. Hoc ajumus, & evincit vel illa sola ratio, quod nullus morbus alterum sibi adjungit, nisi auctus vi ac potestate ad id necessaria.

§ 27. *Exempla*, VI. Aph. I. XI. XII. XV. XL. XLVIII. & VII. Aph. V. XLIX. & aliis id genus locis proposita, quod attinet: sunt illa, fateor, *eventu bona*. Hoc tamen impedire non potest, quo minus sint & dicantur *mala per se*: quatenus nempe & in natura sua considerantur, & morbis jam existentibus crescentibusque auctario accedunt. Potest interim per se mala res esse signum bonum. V. gr. δυσφορία noctis, quæ præcedit accessionem criticam,

ticam, procul dubio mala est & terribilis, utpote afflictissimis à morbo viribus superveniens. Ea ipsa tamen spem jubet habere bonam: quatenus significat, Morbum jam ultimum sui roboris periclitari. cui si ferendo sit Natura, superesse, ut fatiscat ille & victoriam huic cedat. Sic dysenteriam & hydropem per se malum esse & insaniæ non supervenire nisi auctæ, dubitari nequit. Interea alterutrum superveniens signum edit bonum: quatenus nempe τῷ λόγῳ τ μεταστάζεως, ἴαμα γίνε) μανίας, *ratione translationis materiæ morbificæ, medela sit insaniæ*, inquit Interpres. Nec aliter ac ἐν τοῖς ὀξέσι νοσήμασι τὰ σφοδρότατα τ συμπτωμάτων, κρίσις ἀγαθὰς ἐργάζεθαι, *in acutis morbis vehementissima symptomata, crises bonas facere* ait eodem in commentario Galenus.

§ 28. Addo, lucis gratia & litis, si pote, decidendæ: *Quæ* superveniunt augescentibus morbis, ea considerari ut Effecta vel Signa possunt. Ut *effecta* sunt, semper mala sunt: ut *signa*, sæpe bona. Inquies: quei potest *effectum* malæ rei, *signum* esse bonæ? Annon σωπῆφθαι χρὴ κ' τι τὸ σημεῖον τῷ δηλωμένῳ πρὸς αὐτό, *conjungi oportet aliqua ratione signum rei à se significatæ?* Ita sane recte à Galeno audivimus. Unde ergo *malum* habet, ut significet *bonum?* Accipe. *Quæcumque* ægrotantibus eveniunt, causam habent geminam: Morbum & Naturam. *illum*, proximam: *hanc*, primam. In *morbis* nihil fit, nisi *natura* faciente. Nisi enim *spiritus*, Naturæ accensus, materiam morbificam agitaret, agitando irritaret, irritando exacerbaret: nihil gravius ægrotanti obtingeret, supra quæ comitari venientem consuerunt. Nunc quia necesse est Calidi vitalis in Materiam morbificam actione hanc in conditiones vel meliores redigi vel deteriores adigi: non possumus non quæ accidunt *mala* quidem Morbo, *bona* autem Naturæ acceptum referre. Hinc adeo quicumque *morbus* Morbo supervenit, cum hujus aucti ratione superveniat, *per se* malum est. Quod si boni quid eidem inest, ad significationem eventus sperati, id Naturæ deberi certum est, etiam mala dirigentis ad salutem. Verbo: *supervenientia*, quatenus à Morbo sunt, semper sunt malum: quatenus à Natura, quandoque bonum. Inquam, *quandoque*: non semper enim Natura vincit.

Cum vincitur, malum quoque Naturæ debemus, ſed *per accidens:* quatenus nempe exaſperat & ſæviorem reddit materiam morbificam agendo in illam.

§ 29. Cui minus iſta placent, videat, an Ballonii placeant, quæ dedit in Definit. med. ubi de verbo ἐπιγίνεσθαι. Vult hoc interdum latius ſumi, interdum ſtrictius. *Strictius uſurpato nomine,* inquit, τὸ ἐπιγινόμενον *neceſſario malum ſignificat: nempe quod ſit conſectarium & conſequens morbi ſtatum deteriorem. Sed latius eodem ſumto, morbo manſuetiore reddito, naturaque contra vim morbi erecta, bonum ſignificare poteſt. Quoties enim febrium ratione increſcentium & factarum deteriorum & dyſenterias & alia id genus ſupervenire videmus, tametſi nos ſtatim terrent, felici tamen ſucceſſu & eventu nos exhilarant ac ſolantur.* Quibus ego nunc hoc ſubnoto: *Supervenientia*, quatenus terrent, mala ſunt, utpote à Morbo: quatenus eventu ſolantur, bona ſunt, utpote à Natura. Merito autem terrent, quæ fiunt in Morbo, à Morbo, circa Morbum, tot conditionibus mala. Sincerum vero bonum non eſt, quod malo aſſidet. Si ergo denominari τὰ ἐπιγινόμενα à potiori debeant, *mala* vocabo, quamvis ſperare bonum jubeant. Hæc prolixius quidem, ſed ad uſum, & inſtructionem profitentium.

§ 30. Quando itaque jam evicimus, niſi me fallo, loqui Aphoriſtam de Ileo, qui *ſupervenit* Stranguriæ, & quidem ingraveſcenti: alterum ſit, *qua ratione* Volvulus ſtranguriæ accedat. Galenus omnibus, quotquot ante ſe ad aphoriſmos ſunt commentati, viſum ait, τῆς κύστεως φλεγμαινούσης, στενοχωρίαν ἔν τισι τῶν ἐντέρων ἐκ τῆς παραθλίψεως γενομένην, ἐπιφέρειν τὸ πάθος τὸν εἰλεόν· *Veſicâ inflammatâ, anguſtiam in aliquibus inteſtinorum ex compreſſione factam, adferre ileum.* Sed his experientiam opponit, & argumentum à majori. Illa docet nihil tale prægnantibus, nihil his accidere, qui plenâ veſicâ moriuntur ex iſchuria: quanto minus igitur metuendum id mali ab inflammatione veſicæ? quam conſtat numquam aſſurgere in tantum tumorem, qui comprimere inteſtinum rectum, nedum cætera poſſit. Interea nihil ipſe melioris reponit.

§ 31. Sed nec iſta Thrivero placent: *Demus Galeno,* inquit, *quod*

quod inflammatio, utpote procacior, id facere nequeat, saltem ob aliam causam, forte obstructionem ex grumo aut crasso humore urina retenta, ac præter omnem modum vesica impleta, universum ventrem obstipare poterit. Mirum itaque, quod illi ileus non supervenerit, qui post-ischuriam octo dierum urinæ tandem reddidit libras sedecim. Meminit ejus ex Gesneri schedis Jo. Schenckius l. III. Observ. p. m. 533. Nob. V. Davidi Sweerts d. de Weerdt, Avunculo p.m. vidi ex ischuria à calculo vesicæ in tantam molem intumuisse abdomen diebus decem, ut ascitem jurasses aquosissimum. Remedio ad calculum frangendum ab affine Antonio vander Linden accepto retentoque (sæpius enim ante reddiderat vomitu) uno impetu excrevit, præter calculi fragminum squamarumque & arenarum vim incredibilem, plusquam haustrum urinæ. Quis illi dubitet præter omnem modum distentam fuisse vesicam? Interea volvulus nullus, ac ne suspicio quidem ejus.

§ 32. Pergit opponere Brachelius: *In colicis quibusdam vidimus ad tempus (tanta erat per totum ventrem angustia) vel ipsam urinam retineri. Multo facilius tumor magnus vesicæ ipsum rectum intestinum penitus comprimere possit.* Hoc argumentum ita Liebautius in schol. ad Hollerii com. in aph. exscripsit, ut suum putes. Nulla consequentia est, Coli inflatu fieri ischuria potest, ergo & Vesicæ distentu ileus. Hujus ratio nulla est: illius etiam alia longe. Spiritus dolori intentus, raro non aliqua officiorum negligit.

§ 33. Etiam respondat magistro: *Nec est gravis Galeni accusatio ex iis, quæ in prægnantibus apparent: levius enim fertur uterus, hoc est fœtus in utero, quam aliud malum.* Demus, quod nulla ratio concedit, multo minus experientia quotidiana. Adstiti parturienti, à qua ante partum aquæ profluxerunt haustra minimum quatuor, feliciter partu & puerperio succedentibus. Huic prægnanti nulla querela, nisi de urinæ incontinentia & sarcina.

§ 34. Opponit iterum: *Iam & in prægnantibus aliquando & urinam & alvum difficiliora vidimus: imo suppressis mensibus* VI. *de Loc. aff.* IV. *aliquando urinam difficile reddi ipsemet est testis. Ecquid ergo*

mirum est (licet raxissime eveniat) urinâ retentâ ventrem quoque retineri? Nè momento quidem majoris hæc consequentia est, ac prior. Uterus inter utriusque excernendi cloacam desidens, angustat exitus, ut sine nixu nihil transmittant. Mensibus suppressis sæpe acrius ad renes serum confluens facit illam difficultatem urinæ.

§ 35. Experientiam denique allegat: *Certe nos vidimus in duabus mulieribus ad aliquod tempus utrumque excrementum cum magna corporis anxietate concludi.* Non hoc in quæstione est: sed an à vesica intestinum compressum, & hinc ileum videris. Mirabere lector, scio, quid me moverit tam levibus argumentis tantum temporis dare. Ut discant juniores, non temere quidvis acceptare, sed considerare primum.

§ 36. Proximum est, at sequius, quod causatur Heurnius noster. Vult *ileum* istum fieri *à materia crassa flatulenta; quæ vesicæ collum obstruit: hinc enim turget vesica ab urina, & intestinum opprimit.* Itane? flatus vesicæ possit, quod aqua, quod fœtus non possit? Quis vero vel fando audivit, flatus obstruere collum vesicæ? Per penem pedere quosdam exemplis testatum fecit idem Schenchius l. IV. Obs. p. m. 581.

§ 37. Cardanus magno veniens promissor hiatu, adeo juvenatur, ut pene pigeat referre. Audiamus tamen, & discamus in alterum non dicere, cujus sua quemque culpa redarguit. *Intestinum ileon cum repletur pituita crassa, antequam obturetur, dolorem facit nullum, præsertim si potus sit humor quidam crudus terreus, medius inter pituitam ferme ac melancholiam: in cujus maxima copia pars defertur ad vesicam, & urinæ facit difficultatem. Quod si cum hac affectione totum impleatur intestinum, obturato meatu, & quod in loco calido sit, dolores insurgunt acerbissimi, & vomitus fecis, & reliqua quæ sequi solent talem morbum: unde æger omnino strangulatur, suppressa omnino urina ob dolorem & compressionem intestini: & quoniam totus venter flatu distenditur, & ob vesicæ dolores obstruitur omnino meatus intestini ad inferiora, unde fit morbus valde acutus & pernicioſus, nisi febris valida superveniens dissolvat pituitam crassam utrimque, & urinam multam emittendo, primum vesicæ tumorem dissolvat,*

dissolvat, ut nec comprimat intestina, nec comprimatur ab illis: quo impedimento sublato allevata natura, pars pituitæ à jecore tracta per renes & vesicam expellatur, tenuior scilicet, crassior autem colliquata per intestina descendat, atque tandem cum fecibus compresso à musculis ventre exeat, & plane à morbo æger liberetur. Absurdus sim, si, quæ in his absurda sunt, refellere singula velim. Mihi quidem una litura satis.

§ 38. Duretus II. Coac. XXII. 8. stranguriæ ileum supervenire ait, *non quidem retrogressu pituitæ, in vesicam illapsæ, ad crassius intestinum; nec intestini oppressione à vesica: sed pituitæ illabentis in utrumque alveum propagatione, aut pariter in utroque cumulata congerie.* Qualem vero pituitam intelligat, paulo ante dixerat, Stranguriæ suam originem assignans: nempe *inferri hoc symptoma vesicæ appulsu pituitæ putris & glutinosæ, quæ difficulter & ægre exprimatur, nec liberum habeat exitum suo coactu, sed paulatim destillet.* His & iis quæ supra (§ 17.) adduximus prorsus contraria scribit in Annot. ad I. Holl. de Morb. int. XLVII. p. m. 495. *Non tamen omnis volvulus sit à stranguria, sed is quem facit obstructio crassioris pituitæ, & tenuium intestinorum inflammatio.*

§ 39. Vallesius ex una causa & stranguriam evenire & volvulum supervenire censet. *Cum stillicidium evenit ob crassos & lentos succos, redundantibus plurimum talibus succis, aut in toto corpore, aut in officinis concoctionum, fieri solet etiam volvulus.* Hanc sententiam sequitur Martianus quoque. sed neq; modum & ipse ostendit, quo possit ex hac causa volvulus stranguriæ vel accedere vel succedere. Persuadeo mihi neutrum potuisse, nec posse quemquam. Sed apinarum satis, tricarumque.

§ 40. Desid. Jacotius VI. Coac. II. 54. hactenus Vallesio consentit, quod unam quoque causam agnoscat, copiam crudorum & crassorum humorum in intestino. Ex ea tamen stranguriam atque ileum accersit via alia & plausibiliore. *Ea*, inquit, *copia initio vesicæ molestiam quamdam affert in mejendo, quod pars tenuior pituitæ ad vesicam convertatur, unde stranguria καὶ δηγμὸν, per morsum, eo modo, quo ipsam constat fieri pure ex ulcere, aut abscessu, vel jecinoris urinæ mixto, aut vasis se expurgantibus. Mox gravitas &*

frigiditas ventris superveniunt cum alvi duritie, unde coli dolor, & interdum, quamquam rarius, ileus. In hanc rem adducit ex Hippocrate locum è l. de Gland. quem nos explicavimus exerc. IV. 10. & deinceps.

§ 41. Scopum nemo mihi proximius attigisse videtur, quam Gul. Ballonius, examussitati judicii vir, cuique primum non facile quis dederit. Hujus verbis è 1. Consil. med. XXXI. repræsentatis mox lucis aliquid ab nostro ingenio adferre satagemus. Ait: *Sed sententia Hippocratis ut non est temere pronunciata, ita veritati maxime consona videtur. Fieri enim maxime potest, ut stillicidium urinæ contingat à raptu pituitæ salsæ acidæve ad renes. Quæ si forte, ut fere fit in morborum successionibus, in intestina regeratur, aut in iisdem resistat, paulo vegetiore calore in flatus conversa dolores vix tolerabiles excitabit. Hinc in gyrum intestinum convolvitur, dissolvitur, intumescit. Et ab acerbitate doloris ileos seu rejectio omnium humorum per os vitiato motu peristaltico.*

§ 42. Primo colo tacita quædam responsio ad Galenum est: quem ante lineas non multas dixerat *non velle admittere illum Aphorismum Hippocratis germanum esse.* Hunc ludum lusit Galenus non semel, ut spuria esse diceret, quæ non intelligeret. Habes præterea exemplum v. Aph. LXIII. & VI. Aph. XXVI. Parum esset, si intra paucos aphorismos stetisset censura: quin ausa est totos libros damnare, eosque nobilissimos. Sed non est hic querendi aut disceptandi de his locus. Si quando censebimus censuram librorum Hippocratis, quam suæ editioni præfixit Mercurialis, studebimus studiose hanc rem proferre in apricum.

§ 43. In cæteris exponit, *quæ* sit Stranguriæ causa, *quæ* supervenientis huic Ilei. *Stranguriam* fieri ait *à raptu pituitæ salsæ acidæve ad renes.* Omnino necesse est acre atque aculeatum esse, quod allaturum sit urinæ stillantis molestiam. Salsa acidaque talia esse, nescio an quisquam dubitet. Utriusque generis pituitam de facili in nobis errore victus generari, res est quotidianis exemplis comperta. Sæpe *acida* causam habet debilem calorem: *salsa*, valentem nimis & urentem. Alterutra fœtus ventriculus

potui

potui eam illiquefacit; præsertim si is admittere promtus sit. Chymia enim docuit, non omne, ut vocant, menstruum extrahendis tincturis quibuslibet aptum esse, sed suum cuique tribuendum. Potus illiquefactam sibi pituitam ad vesicam devehens, si illam ibi contingat stagnantem præcipitari, & exeuntem urinam sequi, ac colli plicis infigi atque velut hamulis affigi, non potest non dolore facto ad stringendum se cogere sphincterem, & ad urinam non nisi guttatim emittendum.

§ 44. *Ilei* causam ab eadem pituita repetit, sed regesta in Intestinum, aut in hoc residua. De *hac* concedi potest: cum eo tamen, ut *acidam* scias in *flatum* attenuari copiosiorem; *salsam*, in vehementiorem. *Regestionem* quod attinet, eam sic accipimus, ut pituitæ ad renes delatæ partem saccari & destillari in vesicam putemus, partem redire in venas & Naturæ solicitudine referri, unde venerat. Hoc uti fieri posse non dubito: ita, factum esse, nescio quibus indiciis certo nobis constare queat. Deinde, cum stranguria, protinus; tormina, post tempus appareant: Natura vero succurrere parti laboranti soleat, & in eam humores impulsare: amittere fidem illud de regestione videtur. Accedit, quod Ileus ingravescenti demum & magis ac magis excrucianti stranguriæ superveniat. Ratio autem vult, exacerbari dolores strangurioſos affluxu potius copiosioris materiæ morbificæ, quam partis ejus refluxu à parte, si non affecta, saltem affectæ causam dolendi transmittente.

§ 45. Supereſt, ut & nos sententiam dicamus. Ea est. *Stranguriam se debere affluentiæ salsorum, cinereorum, biliosorum, aut si quid præterea est acrium ac mordacium in sanguine. Quod si illa invadat crudum aliquem, cuique plurima in intestinis pituita, eaque mucosa obhæret: fieri potest, ut irritatus strangurioso cruciatu spiritus & incalescens sanguinem ad intestina impulset fervidiorem, & hinc in flatum pituita resolvatur, atque is torminibus omnia impleat cieatque volvulum difficillimum & periculi certum, nisi è machina adsit Natura, imo naturæ auctor & rector Deus.*

§ 46. Non puto in his esse, quod probatione indigeat apud versatos in lectione auctorum, aut curatione hominum. Quo

ne

ne interim gratis hæc sumere potius mihi, quam docere posse videar, operæ est confirmandæ sententiæ quædam subnotasse

§ 47. *Primum* erat, Stranguriam ab acri urina esse. Ad hoc sisto tibi egregium locum è 1. Epid. II. 41. μᾶλλον ἦ χρηστὸν καὶ μέγιστον τῶν γινομένων σημείων, καὶ πλείστους ἐρρύσατο τῶν ἄλλων ὅσοι τοῖσι μεγίστοισι κινδυνώδεσιν, οἷσιν ὕστερον τὸ στραγγουριώδες ἐτελέσθη. *Vnum fuit utile ac maximum omnium quæ apparebant signorum, quod & plurimos liberavit eorũ qui erant in maximis periculis, quibus in stranguriam se convertit morbus.* Illam vero obortam translatione mordicantis materiæ ad vesicam aperte ostendunt, quæ mox sequuntur. χρόνια ἦ τελέοισι τὰ περὶ στραγγαλίην καὶ ὀδυνηρὰ λίην. οὖρα ἦ τελέοισιν εἴη πολλὰ, παχέα, ποικίλα, καὶ ἐρυθρὰ, μυξόπυα μετ' ὀδυνέων. *Diuturnæ autem his stranguriæ & laboriosæ fuere. Vrinæ vero multæ, crassæ, variæ, & rubræ, muco-purulentæ cum dolore.* In casu quem proposui § 6. in corpore bilioso, quale fere habent ejus gentis homines præsertim juniores, in peregrinante & tali quidem tempestate, an stranguria possit oboriri, dubitare non sinit aph. XVI. & XXII. lib. III. Eidem & à capite submitti causa potuit strangurioſi doloris. Hippocrates II. de Morb. I. οὐρέει πολλὸν ὅταν ὑπερθερμανθῇ ἡ κεφαλή. τήκεται γὰρ ἐν αὐτῇ τὸ φλέγμα. τηκόμενον ἦ χωρέει τὸ μὲν, ἐς τὰς ῥῖνας· τὸ ἦ, ἐς τὸ στόμα· τὸ ἦ, ἀφὶ τῶν φλεβῶν αἱ ἄγουσιν· ὅταν ἦ ἐς τὸ αἰδοῖον ἀφίκηται, ἐνταῦθα καὶ παύεται οἷάπερ ὑπὸ στραγγαλίης. *Mingitur multum, quum valde incaluerit caput. Liquatur enim in ipso pituita. Liquata autem abit partim ad nares, partim ad os, partim per venas* (his περιφάρυγγια habes l. de Gland. t. VIII. tacta nobis exerc. IV. II.) *quæ pertinent ad pudendum. Quo simul atque appulit, mejit, eademque patitur quæ à stranguria.* Si susus & fusione salsior recidere in venas queat, perque eas ad pudendum deferri: quid ni ad renes & vesicam divergere posse credimus? Etenim, ut egregie ex Hippocrate Duretus docet III. Coac. III. 1. *triplex* est omnis Urinæ *materia.* Una quidem, de cruditate rerum earum quæ assumuntur. Altera, de liquore seroso eorum, qui sunt in venis, humorum. Tertia, de humoribus atque corporibus, quæ liquuntur. Confer ad Galenum VII. Epid. V. 15. unde ista sunt desumta.

§ 48. *Alte-*

§ 48. *Alterum* erat, Stranguriam invadere crudum posse. *Crudus* dicitur, & qui non concoxit, & qui ægre concoquit. De eo, *qui non concoxit*, oportet Celsi, quod est lib. II. cap. X. præceptum accipere, quo *minime crudo sanguis mittendus* præcipitur. Sic & M. Tullius usurpat in II. de Finib. *crudique postridie se rursus ingurgitant*. Ubi mihi *crudus* idem, qui *expletus* Celso lib. I. cap. II. in fine. De eo, *qui ægre concoquit*, usurpare Horatius videtur I. Sat. v. 49.

Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Potest hoc sic accipi: *pila ludere inimicum lippis & crudis*. Celsi eodem capite præceptum est: *Qui non concoxit, ex toto conquiescere debet, ac neque labori se, neq; exercitationi, neque negotio credere*. Malim tamen in sensu diviso accipere: *pila lippis, & ludere crudis inimicum*. Quod *pila* etiam oculos exerceat, docet Galen. l. de Parv. pil. exerc. cap. III. Quam vero lippientibus noxia sit exercitatio, videre est apud Celsum lib. I. cap. V. Neque minus noxium est *crudis ludere*, hoc est, operam veneriis dare. Nam & ea vis est hujus verbi. Livius Andronicus: *Adsatim edi, bibi, lusi*. Pro quo Plautus Pseud. act. IV. sc. VII. 35. *Edunt, bibunt, scortantur*. Sic apud Athenæum legimus Sardanapali monumento inscriptum inter alia fuisse: ἔσθιε, πῖνε, παῖζε. Ubi τὸ παίζειν, non aliter ac Latinis *ludere*, sumitur pro ἐρᾶν sive ἀφροδιάζειν, ut Chærilus vertit metrorum legi numerisque adstringens detestandum illud effeminatissimi hominum, nedum regum. Conjunxit ista quoque princeps Poëtarum Odyss. ο'. 372.

Ὧν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ οἰδοίασιν ἔδωκα.

Apostolus impiam hanc Epicureorum vocem ex Jesaj. XXII. 13. redarguens I. Cor. XV. 32. omittit ultimum, ceu minus σεμνὸν καὶ ὄφελιμον: adeoque suo nobis exemplo præit in observationem præcepti Philippensibus à se scripti IV. 8. Cæterum *crudis* obesse veneris usum, facile collegeris ex iis, quæ περὶ τῆς λαγνείης ab Hippocrate dicuntur II. de Diæt. t. XXII. *Gallum* nostrum sequioris generis fuisse *crudum*, mutatio loci & victus, jactatio multiplex, constitutio tempestatis, alia dictant. Quibus vero infelicior concoctio est, simul & copia pituitæ est. Ab hac vero

ſtranguriam fieri cum inculcent Scriptores practici; neque dubium eſt, poſſe etiam fieri crudis.

§ 49. *Tertium* erat, Crudo pituitam converti in flatum poſſe. Ita viſum Galeno fuit II. Progn. 2. πνεύματος φυσώδης τὴν γένεσιν εὔλογόν ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἀπεψίαις. i. e. *Spiritus flatulenti generatio cruditatibus merito tribuitur.* Confer & ad IV. de San. tu. v. init. *Efficiens* calor eſt: ſed is debilior, præut conſumere, quos genuit, flatus queat. Vide ſis iterum Galenum III. de Cauſ. ſympt. III. & XIV. Meth. med. VII. Niſi malis expendere Hippocratis locum I. de Loc. in hom. t. LVI.

§ 50. *Vltimum* erat, Flatum inflantem inteſtina ciere volvulum. Sane, ut flatuum generatio eſt vera ſuboles cruditatis: ſic eorum in inteſtinis detentio ſæpe cauſam habet alvum non ſatis apertam, familiare iter facientibus vitium. Flatu vero exitum non habente, naſcuntur στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, *tormina & partium circa umbilicum dolores*, quos vocat aph. XI. lib. IV. Hinc concitata vis periſtaltica cum deorſum nihil promovere queat, ad motum naturali contrarium impellens inteſtina, facit τὴν ἄνω εἵλιξιν, *revolutionem ſurſum*; unde nominantur οἱ στρόφοι, proximeque abſunt à volvulo. Cujus ut prænuncii eſſe: ita & in eum degenerare conſuerunt, ſi, quæ in inteſtinis delitent, agitari à flatibus contingat, & remeare omnia ſurſum.

§ 51. Hiccine vero *volvulus* ſine inflammatione eſt? Eſt ſane incipiens & ſalutaris. Salutaris vero eſſe non poteſt, niſi qui ſit à flatu humido. De hoc vero accipiendum eſt, quod in IV. Vict. acut. 21. ſcripſit Galenus: οὐδέποτε ἡ τῶν πνευμάτων ἀπόληψις ἐπιφέρει φλεγμονὴν διάθεσιν ἐν ὑποχονδρίῳ. *Nunquam flatuum interceptio adfert inflammatoriam diſpoſitionem hypochondrio.* Flatus enim humidi (in quos converti pituita dulcis ſolet) humectant molliuntque, ut laxari inteſtinorum tunicæ queant, & facilem tranſitum præbere ſanguini ad ſe copioſius citato. Quod ſi ſiccior flatus erit, præcaveri inflammatio non poteſt procedente malo. Nam & vehementior ſub eo dolor eſt, & fervor acerrimus, & impetus major ad inteſtina. Quæ uti per vim viam ſibi faciunt ad inteſtina, ita facile eadem obruunt multitudine.

§ 52. Quan-

§ 52. Quando itaque, ut persuadeo mihi, certum fecimus, loqui Aphoristam de *Ileo*, qui *supervenit* & quidem ingravescenti *stranguriæ*; & generari illum à *flatibus*, citraque *inflammationem*, saltem his, quibus spes esse debet evadendi: examinemus porro *Prognosticum*, quod de *eventu* ipsius tradit. Hoc tale est, ut ostendat, tali in casu *gravem metum, sine certa tamen desperatione esse*, ut Celsi nunc ad hæc applicem verba è lib. v. cap. XXVI. Quantus sit *metus*, ostendunt illa: *pereunt in septem diebus, quibus* ex Stranguria volvulus supervenit. *Conditio*, qua metus iste adstringitur, est: *nisi febre superveniente satis urina fluat*. In *utroque* rursus tria occurrunt spectanda. In *primo*: Eventus, tempus, personæ. In *altero*: Spem evadendi quid faciat, quid augeat, quid denique ratam jubeat.

§ 53. *Eventum* aphorismus præsagit funestum. ἀπόλλυνται, *pereunt*. Ita Leonicenus, primus aphorismorum interpres. Plantius: *moriuntur*. At hoc potius est ἀποθνήσκουσιν. habes aph. x. lib. v. *Perire* nobis dicuntur, qui eunt in declivi umbræ-mortis. *Mori* vero, qui ad umbram hanc jam pervenere. In *illis* symptomata sunt ὀλέθρια ἢ θανάσιμα, *pernicioſa seu lethalia*. In *his* θανατώδη καὶ ἀνέλπιστα, *mortifera & desperata*. *Ista*, imminentem mortem: *hæc*, præsentem significant. Est itaque ὁ ἀπολέθρος ea vis in significando, ut *certam & necessariam mortem denunciet*, sed *certa sub conditione*. Ea conditio *quandoque* salutem adfert, *quandoque* mortem differt. *Illius* exemplum, simile ei quod præsens, proponit aph. LI. lib. VI: *hujus* vero aph. x. lib. v. modo laudatus. Quam misera vero ac miseranda mors immineat ex Stranguria ilioſa aut Ileo stranguriose pereuntibus, conjicere est ex symptomatis. De quibus revise ad Aristippum IV. 69. usque ad finem.

§ 54. *Tempus* contrahit aphorismus in breve. ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, *intra septem dies*. Is terminus multis casibus præfinitus, cum in aphorismis, tum aliis in prognosticis. Exempla extant plura, sed quid attinet referre? imo jam monstravi. Hoc è loco paret, quemadmodum accipiendum sit, quod pro his in Coacis legimus: ἑβδομαίους ἀπόλυσιν. Pro quo Hollerius & Duretus: *septimo die interimit*, ille; hic, *perimit*. Celsus lib. II. cap. VIII.

intra ſeptimum diem occidit: rectiſſime. Neque enim vult Dictator, *ſeptimo die mori*, quibus mortale malum eſt: poſſunt enim illum non attingere: ſed *ultra ſeptimum* non prorogari talibus fatum. Hoc uti clarum: ita obſcurum eſt, quod eſſe debeat *principium numerationis*: ille-ne dies, quo Stranguria cœpit; an ille, quo Ileus ſupervenit. Nihil impedit in ſævioribus ab iſto, in paulo *mitioribus* ab hoc initium facere.

§ 55. *Quæ* vero tam properæ mortis *cauſa* eſt? Valleſius dicit: *cum uterque dolor per ſe ſit graviſſimus, & veſicæ & inteſtinorum gracilium, nulla facultas adeo conſtans erit, ut ambos dolores ferre poſſit ultra ſeptem dies: quare intra id tempus morietur, qui ita laborabit.* Scio, dolore nihil accidere Naturæ ægrius. Scio, ne Herculem quidem adverſus duos. Sed & hoc ſcio, etiam graviores in dyſenteria & cum profuſione ſanguinis viriumque ſuſtineri dolores. Et verum ſæpicule comperi, quod admodum noſtrati vulgo eſſe in ore conſuevit: *nemo moritur ex dolore.* Quo reſpicit forte illud Poëtæ, II. de Ponto VII. 481.

Iam dolor in morem venit meus.

§ 56. Heurnius valde heic mirificus eſt. *Pereunt dolorum acerbitate*, ait, *& excrementorum palindrome ad partes principes. Nam urina etiam refluit ad nobiles partes.* De primo dixi, quod ſentio. Alterum non ſatis, tertium non intelligo. Quæ ſunt illa *excrementa?* an, quæ ſtricte ſic dicuntur, Alvi feces? His neſcio an recte παλινδρομέω adſcripſeris, cum ſurſum revolvuntur. Conceſſero tamen, ſi ita Hippocrates fuit locutus. Extra quem, quam vellem noſtros non loqui! Quæ ſunt deinde *partes principes?* Si cum Sereno cap. XVII. & Priſciano Log. c. XXIX. *ventriculum* dignemur iſto honore, habemus *unam.* Quæ ſunt *aliæ?* Per *urinam* vero quid nunc intelligat, neſcio. Ego didici eam demum appellari *urinam*, quæ collecta eſt in veſica, mictionemque manet. Hæc vero, qua ratione *refluere* ad partes nobiles queat, non capio. Si intelligit *ſerum*, quod ſaccari nequiens redit in venas: ſcire *velim*, quid hinc periculi, tam magni, tam ſubiti?

§ 57. Mihi veriorem cauſam ſuggerit ejus dein doctiſſimi viri obſervatio, quam ſtatim ſubjicit. *Si febris ſine urinæ promotione*

tione accesserit, erit symptomatica inflammationis. Vt vidi in quadam matrona, quæ septimo die ab hoc malo obiit. Nimirum, Volvulo stranguriæ superveniente, aphorismus sperare nos jubet *salutare* Febris. *Illud* vero consistit in profusione urinæ. *Febris* itaque si accedat, neque copiosa mictio succedat, argumento est, *eam* Febrim non Naturæ opus esse, sed Inflammationis succedaneam; atque adeo Volvulum flatulentum in inflammatorium, spurium in verum transivisse. De hoc vero quid sperandum sit, vidimus in Aristippo § 67,68. Quæ si junguntur cum his quæ proposui § 25. non spes erit ulla, sed mors in olla. Etenim (ut Galeni huc ex Aph. 11.26. adferam & accommodem) οὐκ ἀναμένει χρόνον ἡ συντονία τοῦ νοσήματος· ἀλλὰ ἐν τάχει καταλύει μὲν τὴν δύναμιν, ὀξὺν τε θάνατον ἐπιφέρει. *non patitur moram contentio morbi: sed cito quidem exolvit vires, celeremque mortem inducit.*

§ 58. *Personam* aphorismus excusat nullam. ὁκόσοισι, *quibuscumque* supervenit ex stranguria volvulus, ii pereunt intra diem septimum, si longum est, confectum, sæpius non affectum; nisi à periculo Febris vindicet. Quemadmodum vero non *sexus*, non *ætas* excusare à periculo: ita ad remedium, ad febrim concipiendam conferre multum potest. Corpora sane biliosa & juniora de facili in febrim exardescere compertum est: non tam ob promtam biliosi à sanguine secessionem, quam subitam Spiritus iracundiam. Verum hac de re opportunior in doctrina de Febribus disserendi erit locus.

§ 59. *Spem evadendi* è tanto discrimine collocat aphorismus in Febri. ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιγένηται, *nisi febris superveniat.* Admodum solemne est & frequens Hippocrati præsidium salutis à *febri* arcessere, *quod maxime mirum videri potest*, ut à Celso jamante audivimus § 13. Octies minimum id in Aphorismis facit: sæpius alibi. Præ omnibus maxime notabilis est locus 1. de Morb. VI. unde magna ex parte satisfieri potest scrupulo eorum, qui non intelligunt, quemadmodum Malum malo mederi queat. Nos & hoc jam dictæ tractationi reservabimus.

§ 60. In præsenti hoc unum dumtaxat in quorumdam gratiam examinabimus: *Quæ* sit illa febris, quæ superveniens tan-

Unable to display this page

quomodo ſolvitur Stranguria? Si *utrumque*, cur hunc potius rapit in Venas, quam illum exigat per Inteſtina?

§ 64. *Quarto*, obſtat Naturæ conſuetudo. De qua Galenus IV. Vict. ac. 17. ὅτι δι' ἀποσημάτων μᾶλλον ἢ ἐκκρίσεων, οἱ ὑπὸ φλέγματι σηπομένῳ γινόμενοι πυρετοὶ τῇ λύσιν ἔχουσι, πολλάκις δέδεικται. *Quod per abſceſſus magis quam excretiones à pituita putrida factæ febres ſolvantur, ſæpenumero demonſtratum eſt.* Dices ne vero? hoc in caſu non putreſcere Pituitam, ſed eliquari dumtaxat. At negat Galenus II. de Febr. diff. v. ὅταν ὁ φλεγματώδης πλεονάζῃ χυμὸς, ἕπεσθαι πυρετὸν εἰ μὴ σαπείη πρότερον· *quum pituitoſus abundaverit humor, ſequi febrim, niſi putreſcat prius.* Hoc ſi concedis, quei præcavet Natura, ne pituita putreſcens ſalſeſcat & augeat ſtranguriam potius, quam ſolvat? Si non concedis, nominanda febris eſt, quæ ex putredine naſci & ſubito ſuum pariter ac ſtranguriæ ileique fomitem ſecernere & excernere poſſit. Cui iſtæ non ſufficiunt, objiciam plures difficultates. Mercuriali interim aliiſque non licuit aliter loqui. ἑνὸς γὰρ ἀτόπου δοθέντος, τἄλλα συμβαίνει. *Vno enim abſurdo dato, cætera coincidunt*, inquit Philoſophus I. Phyſ. II. 10.

§ 65. Duretus *acutam* quoque febrim urget II. Coac. XXII. 8: ſed *obortam ex collectione, motu, & putredine bilis acerrimæ, quam genuit ſævi doloris acerbitas, cum vacuitate ſomni conjuncta. Nihil enim perinde facit ad corruptionem, unde bilis proventus*, inquit, *ac ſævi doloris cruciatus & fortes vigiliæ.* Redi ad § 61. & 62.

§ 66. Propior vero eſt ſententia Bened. Victorii. *Non dico febrem magnam, cujus calor exardeſcit, ſed illam, cujus meminit Hippocrates aph. LV. lib. IV. cujuſque calor adeo mitis eſt, ut ſpiritum flatuoſum inventum diſſolvat, & vias* affectæ *partis aperiat.* Sane dotes illæ & munera, quæ acceptum Calido aph. XXII. lib. V. refert, non ſunt excedentis immodice, ſed commode, hoc eſt, non ultra quam ſit Naturæ conveniens ad opus operandum. Natura pariter ſuum ignem, ſpiritum influentem aptat rebus à ſe gerendis, majorem modo, modo minorem ſuccendens, & continuans ſuccenſum modo longius, modo brevius, prout neceſſitas flagitat. Non arbitror vero poſſe hanc febrem revocari ad aliquod

quod genus earum, quas Galenus tradidit. Ego suo loco *flatulentam* appellabo, & appellationis hujus rationem dabo.

§ 67. *Spem* factam à febri *auget* Urinæ fluxus. ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου τὸ οὖρον ῥυῇ, *nisi febre superveniente urina fluat*: hoc est, quæ hactenus ægre stillabat, nunc libere proruat. Ubi hoc potissimum in disquisitionem mittendum, *quemadmodum* Febris id beneficii præstet: videtur enim contrarium potius ab illa exspectandum, inprimis si acuta sit, ut volunt plerique. Talis namque, seri quod aquosius, alio digerit: quod crassius, urit. Illud paucioris mictionis: hoc, ardentis causa est non raro. Ego mihi persuadeo: Febris, ad præsens opus moderatæ, beneficio attenuari in intestinis reses chyli crudum & pituitam huc congestam, eamque una cum flatibus sibi permixtis attrahi in venas & hinc ad renes deductam præstare materiam copiosiori urinæ. Nisi fallor, huc nos ducit paralysis succedens colicæ. Etiam magnum est quod suggerit aph. LXXIII. lib. IV. ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φύσαι καταῤῥέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα. *Quibus hypochondria sublata murmurant, lumborum dolore superveniente, alvi iis humectantur, nisi flatus prorumpant, aut urinæ multitudo prodeat. In febribus autem hæc.* Nos hæc, in gratiam eorum quæ diximus, breviter pensiculemus. Paret autem conferenti cum iis quæ II. Progn. 25. & II. Coac. XI. II. 21. leguntur, hinc quidem esse transumta, heic vero concinnius atque explicatius proposita ab eo qui Aphorismorum fuit collector.

§ 68. *Hypochondria* μετέωρα, *sublata* eadem & πεφυσημένα *inflata* esse, è Galeni commentario constat. *Inflatio* autem cum desubito soleat existere, paret hinc, quid in Coaca sint τὰ πρόσφατα τῶν ἐπαρμάτων. quæ nempe in Prognostico dicuntur νεαρὰ κυρτώματα *recentes tumores*, sive qui à nuperrima occasione sint oborti. Oboriuntur autem Intestinis inflatis sublatisque & simul in altum hypochondria tollentibus, hoc est, eam epigastrii partem quæ non tam subjacet interius, quam adjacet inferius cartilaginibus notharum costarum. Sic enim cum Galeno vocem heic

heic accipimus è Medico cap. x. Velim & Brasavoli commentarium huc conferas.

§ 69. Dicuntur autem Διαβορβορύζειν, quoties in iis frequens murmur seu, ut Græci, βορβορυγμὸς auditur. καλεῖται δ' ἔτι ὁ ψόφος ὁ πνεύματος, ὅταν μὴ μέγας ᾖ, μηδὲ πολὺς, σὺν ὑγρότητί δέ τινι μετρίᾳ κινούμενος ἐπὶ τὰ κάτω. *Borborygmus vero dicitur sonus flatus, qui neque vehemens sit, neque multus, sed cum humiditate quadam moderata impulsus ad alvum.* Ἐπὶ τὰ κάτω, *ad inferiores partes* reddidit Celsus lib. II. cap. III: obscurius. Nos clarius. Nam *alvum* significare, recte Foësius in Oecon. probat è IV. Epid. t. XX. ceu monui ad Aristippum, IV. 12. Hinc καθαρτικὰ Galenus VII. Meth. med. XXIII. appellari ea ex Purgantibus scribit, quæ per alvum subducunt. Interpres *dejectoria* reddidit. Ad alvum vero impelli flatus nequit, nisi ipsis in intestinis fuerit conceptus. Neque enim arbitror, aliquem cogitare heic de flatu, qui vel intra omenti alas fluctuet, vel eo in cavo quod Lienem inter & Ventriculum interjacet. Alterutro in loco enim si est, qua ratione impelli ad alvum potest? Mihi ne dubitandum quidem videtur, in summa mediaque Coli parte contineri istos flatus, qui & tumere hypochondria & murmurare faciunt. Cum enim *hypochondria* dicit, plurium numero, intelligi haud dubie vult, totam Epigastrii regionem inflatione tolli. Certe hoc quotidiani experimenti est, præsertim in feminis crudis. Eodem nos Coli & situs & abusus vocant. Quid si vero Epigastricæ tumorem dicamus esse à Ventriculo flatibus distento? In illo flatus concipi, in Colo colligi, verissime Fernelius dixit II. Path. XIX.

§ 70. *Lumborum dolor* qua de causa *supervenit*, non satis in aperto est. Quod enim Galenus ait, nescio quid habeat veri simile. Ait: συμβαίνει τῷ τοιούτῳ βορβορυγμῷ καθιόντι τὸν ὀπὸν ὑποχονδρίων ὄγκον εἰς τὰ καλὰ τῷ ὀσφύϊ ἅμα ἑαυτῷ καταφέρειν, ἐφ' ᾧ πόνους τ' ἐνταῦθα μορίων, ἄλγημά τι γίνεσθαι καθ' αὑτό. *Accidit ejusce modi borborygmo devoluto, ut hypochondriorum tumorem ad lumbos una secum deferat, & inde tensis, quæ ibi sunt, partibus, dolor aliquis fiat in ipsis.* Meræ tenebræ! Quibus lucem dare Mercurialis conatus, tantum non causam reddit desperatam. *Lumbos*

esse super intestina sitos ex ipsa anatome non est difficile perspicere. Itaque ubi flatus à superioribus partibus ad ea feruntur, dolorem tendendo ipsis lumbis ingenerant,

§ 71. Plausibilior sententia Hollerii est, modo si faveret anatome. *Flatus*, inquit, *in tenuibus & flexuosis intestinis, ad hypochondria & ilia sitis inclusi, post longum murmur tandem si eruperint ad lumbos, ubi sunt crassa intestina, cæcum & colon, illic sit distentio & dolor.* Plausibilior rursus Cardani est. *In febribus si tumeant hypochondria, & murmurent, humores cum flatu contineri in ventre decernitur. Nam si humores soli, nec dissoluti, murmur non aderit. Sin flatus soli, etiam non murmurabunt, verum à febre solventur. Si ergo lumbi doleant, materia descendit. Vnde alvi humectantur, si crassior illa fuerit: si tenuior, conversa à calore febrili in aqueam substantiam per urinas educitur, non per sudores, cum nimis in profundo decumbat: si tenuissima sit, per flatus erumpit. Causa diversitatis ergo est quadruplex: Agens, & est calor febrilis: Materia crassa, tenuis, vel tenuissima: Locus, & est tensio hypochondriorum cum murmure in eisdem: & Motus ad inferiora, scilicet ad lumbos.* In talibus commentariis secure Slendrianus dormire solet. Neque miror. Facile est, fidem commodare dictis: verum rectumque perspicere, hic opus, hic labor est. At in labore, præsertim animi, fatigatio est: in fatigatione, dolor. Quæ cum frangant corporum robora, & fumare culinam non faciant: mavult ille videri doctus, quam esse. Si operæ pretium foret, mitterem in vannum rationis, & ventilando docerem, meras paleas esse.

§ 72. Nostra conjectura est: *dolorem* hunc Lumborum prorsus esse similem ei quem patiuntur Feminæ menstruum brevi soluturæ; fierique à tensione Arteriæ per lumbos descendentis. *Tensio* autem à Sero turgente est, aut à Sanguine fervente. *Serum* quod turget, plerumque biliosum, quandoque aquosum est. Si *biliosum* fuerit, exspectare oportet, ut *alvi humectentur*, hoc est, diarrhœa obveniat. confer aph. xx. lib. IV. Si fuerit *aquosum*, prodibit potius *urinæ multitudo*. Quam augeri ab humidis intestinorum, & calore febrili dissolutis ac raptis in venas, prorsus est rationi atque experimentis consentaneum.

confer

confer aph. LXXXIII. lib. IV. Quod si à *fervente sanguine* est, facile est, ut intestina incalescant, & hinc *flatus* attenuati *prorumpant*. confer rursus quæ Ballonius ad hunc aph. scribit 1. Cons. LXIII. Sed redeo ad propositum. In quo

§ 73. *Spem* denique *ratam* esse jubet *quantitas* Urinæ exeuntis. *ἐὰν μὴ ἅλις τὸ ἔρον ῥυῇ, nisi satis urina fluat.* Ita Leonicenus: quem sequebamur. Alii: *nisi copiosa urina fluxerit.* Non statim copiosum multumque est, quod satis. Sæpe, quod satis est, parum est. *Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri*, inquit Chremes Andr. act. v. sc. 1. 32. Sic & in politicis obtinet, *in auctores criminum vindicari: ut metus ad omnes, ad paucos pœna perveniat*, uti Vegetius III. de Re milit. IV. notat. Sic Tacitus de Puteolanis, XIII. Annal. XLVIII. *Paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.* Etiam *Natura* observat, & sæpe Tertianas exactas solvit excretione tantilli bilis circa os: sæpe à Peste liberat uno anthrace. Unde illud aph. XXIII. lib. 1. *Excreta non copia sunt æstimanda, sed si exeant qualia oportet, & ferat facile.* Hoc *satis* est, quod sufficit liberando à morbo. Hoc vero quandoque multum est, quandoque modicum. Videre hoc optimæ Hesychii glossæ. Ἅλις· ἱκανῶς, πλήρες ἢ αὐτάρκες· ἔστι δὲ καὶ μετρίως. Quomodo etiam Latini accipiunt. Nota est elegantissima gnome: *Quod satis est, cui satis non est; ei nihil satis erit.* Nec aliter præsenti in aphorismo acceperim. Confer aph. LI. l. II. & XXXIV. lib. V. & vide quantum distet τὸ ἅλις ἀπὸ τοῦ πολλοῦ, *satis à multo.*

§ 74. Atque hactenus spero me Aphorismi veritatem asseruisse, ac difficultatem sustulisse. Si *istud*, benigne lector, mecum judicas, jubeamus valere Stupanum cum hoc suo judicio, quod promit p. m. 407: *Aphorismum hunc spurium esse, & nec in experientia, nec in ratione ullum habere fundamentum.* Quod ad *alterum*, ne quid omnino dubii in mea expositione superst, & ut expungam nomen, quod apud te contraxi § 11. hujus, sisto locum è 11. Epid. VI. 25. supra promissum, & vel propterea dignum commentario, quod *pulcherrimam & sibi experimento probatam docere curationem Volvuli* dicat Franc. Vallesius, magnæ eruditionis majorisque nominis interpres Hippocratis.

VII.

Volvulus Colicus.

Hippocrates II. Epid. VI. 25.

Ἐ'ΙΛΕΟΥ̃ λαπάρης ψυχρᾶ [ἐπιγιγνομένης,] οἶνον πολλὸν ἄκρητον κατὰ λόγον διδόναι, ἕως ἂν ὕπνος, ἢ σκελέων ὀδυνὴ γένηται. λύει δὲ καὶ δυσεντερίην ἄνευ ὀδύνης.

VOLVULO *inanium frigido* [*oborto,*] *vinum multum meracum secundum rationem dato, donec somnus, aut crurum dolor fiat. Solvit vero etiam febris, & dysenteria sine dolore.*

COMMENTARIUS.

§ I.

CONTINGIT *vere* mihi, proverbio quod dici solet, μετὰ Μαραθῶνα μάχη, *post Marathonem pugna.* Exercitatione enim tota nupera colluctandum mihi cum Interpretibus fuit, inde à capite ad calcem usque. Ista lis hanc litem sevit. Coëgit certe ad proposita Hippocratis verba provocare: coëgit explicare, quod nihilo amplius lucis acceperint à commentatoribus. Quod uti sine cujusquam injuria dictum volo: ita non desinam suum cuique tribuere, & quod quisque dixit bene, referre probe. *Habet autem hæc sententia miras speculationes,* inquit Mercurialis: & vere, ut videbimus. Unde tantum abest, ut videri debeamus laborem adire supervacaneum, quod multa jam de Volvulis prodiderimus: ut è contrario ausimus cum eodem *& fructum & voluptatem* promittere ad eam attendentibus.

§ 2. Εἰλεῦ. Lib. de Crisib. t. XII. ubi hæc sententia repetitur, scribitur εἰλεῦ. utrobique recte: alia licet atque alia aborigine sit & hæc & illa scriptio: ceu ostendimus in Aristippo, IV. 2. 4.

Exscribo

Exſcribo vero locum, quem indigitavi: quia etiam poſtea ſæpius erit cum propoſito conferendus. Εἰλεοῦ ἐπιγενομένου, οἶνον ψυχρὸν δίδου πίνειν πολὺν ἄκρατον κατ' ὀλίγον, ἕως ὕπνος ἢ σκελέων ὀδύνη γίνεται. λύει δὲ καὶ πυρετὸς ἢ δυσεντερίη. *Volvulo oborto, vinum frigidum da bibendum multum meracum paulatim, donec ſomnus aut crurum dolor fiat. Solvit vero etiam febris aut dyſenteria.*

§ 3. Quod ad *rem*, protinus dubium eſt, *uter* Volvulus ſit intelligendus, tenuioris an plenioris inteſtini. Foëſius in com. VII. 140. D. εἰλεὸν *tenuioris inteſtini morbum cum Celſo dicimus, alii volvulum.* Si recte, male nos inſcripſimus. Sed diſerte Celſus: Tenuioris inteſtini morbum *acutum* eſſe, imo *inflammationem* dicit lib. IV. cap. XIII. At hoc convenire *epitheto* non poteſt, quod præ ſe codices ferunt, & ſine hæſitantia acceptat Foëſius. Multo minus convenit curationi, quam præſcribit noſter. Quis enim auſit *acuto* morbo, quantumvis levi, dare vinum, multum, meracum? Convenit utrumque, ſi eum morbum intelligimus, *qui inteſtino pleniore eſt*, & *vehemens inflatio* dicitur capite ſequenti. Hic eſt, quem jam ætate Celſi κολικὸν nominabant medici: non κόρδιον, ut libri, aut χόρδιον, ut Foëſius corrigit in Oecon.

§ 4. Λαπάρης. Sic quidem nullus librorum legit: omnes, λαπαροῦ. Neque meminit Foëſius variantis lectionis: utut ipſe ſcribat λαπαρου. Quæ ſcriptio ſi fidem mſs. ſequitur, & propior eſt noſtræ correctioni, & favet non parum. Sit correctoris, nihil refert: noſtræ aliunde ſuum momentum eſt. Foëſius reddit, *non intenſo ſed levi*: ſuo more, hoc eſt, non verbo ad verbum, ſed quoties non ſatis aſſequitur mentem auctoris, παραφραστικῶς libereque additis quæ ſibi videntur ad ſenſum plenius declarandum aut exornandum facere. Quo nomine mihi quidem laudandus non venit. Subnotat deinde: *Mollem vero hic dicit levem nec dolores intenſos excitantem, qualis eſt qui inflammationem ſecum non habet,* ἐπιεικῆ *Aretæus* (II. de Cauſ. acut. VI.) *vocat.* Jam hæc conciliare cum prioribus nequeo, ſiquidem pergit ex Celſi ſententia loqui. *Primum*, Ileum eſſe tenuioris inteſtini morbum acutum & dolores intenſos non excitare. *Deinde*, Ileum fieri inteſtino inflammato & inflammationem ſecum non habere. *Prius* utriuſ-

que coli membrum Celsus expressim ex Hippocrate, ceu ostendimus exerc. IV. 12. 17. *Posterius* interim requirit τὸ λαπαρῷ, sirectum est. At rectum non esse arguit, quod Ileus nullus *mollis* aut *levis*: omnis è contrario *acutus* & *gravis* sit.

§ 5. Non satis enim considerate Aretæus in partes vocatur. Cui ὀπτικὸς εἰλεὸς, non est *levis ileus*: sed *incipiens* & intra prima mitioraque symptomata adhuc consistens. Cui mox insequente colo opponit eum, qui ὅλῃ πᾶσιν ἴσχῃ *in totum habet* ægrum. Operæ fuerit inspicere textum, & vel ex uno symptomate discere veritatem, quam urgeo. *Inseparabile* Ilei symptoma, & vere umbra, est Dolor. Ἐνπέροισι γίνεται μὲν φλεγμονὴ, ὀδυνῶν ὀλεθρίων ἐμποιέουσα. *Intestinis oboritur inflammatio, dolorem funestum inducens.* Repetitur II. Cur. ac. v. *Dolor* hic initio levior, postea gravior est. *Levior* nostro πόνος ἐλιασόμυος: *gravior*, πόνος πικρὸς dicitur. Quæ redditurus Jun. Crassus, pro isto dixit, *dolor oberrans:* pro illo, *acerbo dolore cruciantur.* Hoc quidem vere; haut scite tamen: illud etiam insscite. Πόνος πικρὸς nunc dicitur, qui initio capitis τρόφοι καρπροὶ, *tormentum acutum*, ut vertit Cæl. Aurelianus III. Acut. XVII. Hesychius: πολὺ, ἀντὶ τοῦ μέγα. Exemplum est aph. LXVII. lib. VII. Phavorinus: πολὺς, σφοδρός. Maluissem ergo: *dolor vehemens*, hoc est, magnus & velox. Πόνος ἐλιασόμυος proprie est, qui facit *ut intestinum verti* videatur, ut eleganter Celsus lib. IV. cap. XIV. *Videtur* autem *verti*, quod torminibus ceu tumultuantibus undis urgeri videtur. Possis ergo *torminosum* reddere, seu plenum torminibus. At *dolor oberrans* est, qui nulla in parte diu est, sedemve figit: sed in aliam atque aliam iterumque mox aliam transit, an transilit? vulgo, *vagus.*

§ 6. Quando igitur non quadrat, quod libri præ se ferunt, nihil occurrebat Scripturæ vicinius eo quod restituimus. Ἡ λαπάρη quid sit, ex ipsa experientia atque ex usu cum Hippocratis tum Poëtæ se didicisse scribit Galenus II. de Fract. 70. nempe quod est μεταξὺ τοῦ πλευρικοῦ ὀστῶν, καὶ τῶν ἰδίως καλουμένων λαγόνων ὀστῶν, *inter thoracis & quæ propria vocantur ilium ossa.* Progn. II. 1. λαπάρας nominari ab Homero ait, quos Hippocrates ibi

&

& sæpe alibi κενεῶνας; Plinius, *ilia*; vulgo, *inania* vocant. Sub istis situm esse Colon intestinum, autopsia ostendit. Hoc afflicto, dolere sibi homines ajunt, quod alterutro in latere abdominis coxas inter & costas interjacet. Quandoque dolor eam Coli partem occupat, quæ Ventriculo adjacet. A quo non rectius ille distinguitur, quam designatione partis quam cruciat.

§ 7. Colicorum frequentissimus *dexter* est: adeo etiam, ut Galenus VI. de Loc.aff. II. scribat quosdam negasse fieri in sinistris. De isto Celsus: *Is autem morbus, qui intestino pleniore est, in ea maxime parte est, quam cæcam esse proposui.* Cæcum colo appendet, qua oritur ab ileo. Oritur autem dextra parte, prope summum inguen. Sub illam originem Valvula est, quam Coli appellant sectionum magistri. Hanc ibi flatibus reprimendis, non fecibus præstructam monuimus II. Physiol. IV. 73. Cæteris in partibus Coli non facile flatus inclusus detinetur. Quod ego considerasse arbitror, quos modo dicebamus non admittere Colicum sinistri coli. At facile est, ut exitum, qua oportet, non inveniens revolvatur ad superiora, & sistatur à valvula. Cum fit, *intestinum vi distendit atque divellit, magno certe & immani cruciatu, magnoque sensu doloris,* inquit Fernelius VI. Path. X.

§ 8. Ψυχρῶ. Libri ψυχρὸν legunt, & connectunt cum sequentibus. Alter locus expresse, οἶνον ψυχρὸν: quasi locum dubitationi non relinquens. Quo minus mirere, Interpretes ad unum omnes sequi. Quo magis mirere, Foësio venisse in suspicionem, & tantum non aperte damnatum. Laudato enim Vini usu &, quare heic conveniat, ostenso, mox addit: ψυχρὸν *cur adhibeat, non est facile consequi. Quoddam exemplar* ψυχρῶ *legit, ad superiora referens, ut ad causam intendisse videatur. Calvus hanc dictionem omnino neglexit, codicum fide forte adjutus: neque enim magnum momentum habet.* Habet certe, quod naturam morbi ostendit.

§ 9. *Morbus*, quo de heic agit, Volvulus est. At ille *varius* est, *qua* Partem, *qua* Materiam. Qua *partem laborantem*, alius Iliacus est, alius Colicus. Qua *materiam morbificam*, alius ab Humore est, alius à Flatu. Volvulum faciens *humor* omnis est calidus:

calidus: Sanguis quippe, aut Bilis. Quorum respectu *flatus* frigidus dicitur. Simpliciter enim nihil est in vivente frigidum, excepta specie quadam Pituitæ vitreæ. Cujus memini vidisse dejectum ab alvo frustum instar pugni. Quamdiu hærebat in sinistro colo, & cum inde propelleretur ope purgantis, qua transibat, velut à glacie frigus sentiebatur. Vidi hoc Amstelædami in viro mercatore famoso. Vidi & Franekeræ in Imkia Horatii, abumbilico excretos aliquot centenos ex eadem pituita factos globulos magnitudine lusoriorum & minores eosque pellucidos instar crystallini Oculorum cocti, & frigidos instar crystalli

§ 10. *Volvulo* itaque remedium vinum præscribens, necesse habuit definire, cui conferat. Definit à parte: *inanium*. Definit à materia: *frigido*, hoc est, à frigida materia nato. At talis nulla est, quæ facere Colicum possit immediate, præter flatum. Fuerit ne Colicus, quem se passum à *Vitrea* Praxagoræ dicta *pituita* scribit Galenus 11. de Loc. aff. v. ipse dubitat: quare nec objici nobis heic ille potest. Nobiscum est doctissimus Vallesius: *docet curationem volvuli; non omnis (neque enim ejus, qui ob inflammationem fit, & quem acuta febris comitatur) sed ejus, qui à flatu crasso distendente aut feces duras ad intestina gracilia efferente, aut à à succo frigido impacto.* De hoc quid sentiam, exposui præcedente exerc. VI. 17.

§ 11. Neque puto fore qui objiciat è l. de Affect. t. XLVII. Qui fecerit tamen, ostendat in eo mihi symptomata Ilei, & ostendam ipsi non nisi à Flatu esse. Accedit, quod *actu* Frigida augendis doloribus magis, quam discutiendis flatibus, causæ doloris, serviant. Celsus κολικὸν Cassii, medicamentum egregie calidum, *ex aqua calida sumi* præterea jubet. Consule practicos, & inprimis Lud. Septalium Animadv. VII. 82. Concludo igitur: Affectum, quo de heic agit Præceptor, esse *Colicum à flatu*. Quod & curatio ostendit. ad quam mox transeo.

§ 12. Ἐπιγνομένων. In textu proposito verbum hoc non est: supplevimus ex parallelo, perspicuitatis gratia. Quid significet in Semeioticis, nuper docuimus. Heic simpliciter accipio pro *oborior*, *existo*. Reddere vero etiam *supervenire* licet, hoc est, subito

subito atque inopinato venire & sanitatem invadere. Nam ut indigitato mihi loco (VI.21.) monui, τὸ ἔπι significat fieri quod non erat. Confer ad Duretum 1. Coac. 100. Cornarius ibi loci, unde transumtum est id verbum, reddidit, *si accedat*, & conjunxit cum præcedentibus præpositâ copulâ, cujus libri neque editi neque manu exarati meminere. Ea interim copula occasionem Prosp. Martiano dedit abeundi à sententia priorum interpretum. Meretur vir doctissimus & bene de Hippocrate meritus, ut ipsius commentum examinemus quoque, eoque magis, quo speciem veri habet majorem. Videamus autem primo verba Hippocratis, prout ea Latio donavit is quem laudavi, quemque nimium securi sequuntur passim commentatores. Videamus deinde, quid subnotarit Prosper, & quam prospere.

§ 13. Hippocratis verba sunt: *Qui ab alvi profluvio multo tempore detinentur una cum tussi, non liberantur, si non dolores vehementes in pedes inciderint. Si vero vult commutatio ac correctio naturæ fieri, postquam non amplius alvus profluit, aut inanem omnem egestionem habuerit, flatus foras prodeuntes accidunt. Nullum itaque humorem manifestum habent. Quare ei qui ita habet, secure exhibere scies ea quæ conveniunt: & si volvulus accedat, vinum frigidum*, &c. Habes fundamentum: videamus, quid superstruxerit Martianus. *Præsentem curationem non omnibus volvulis convenire certum est, sed illi tantummodo, qui diuturno alvi profluvio una cum tussi sedato succedit: idque copula* [&] *manifestum facit, quæ à principio apposita est, nec rationi aliena est hæc curatio. Nam cum diuturnum alvi profluvium cum tussi ortum ducat à materia pituitosa à capite ad ventriculum & intestina prolabente, cujus portio exigua in asperam arteriam dilabatur, unde tussis excitatur, his sedatis volvulum fieri, est rationabile. Fit enim quando, fluore alvi sedato, materia pituitosa in intestinis retinetur, quæ intestinis adhærens, naturam stimulando inanes ad egerendum conatus faciat, cum nihil præter flatus excernatur, quisi tandem retineatur ob feces intus conglobatas, tunc volvulosam affectionem faciunt.*

§ 14. Ego dicentem isthæc, non probantem audio. quale hominum genus Ars nostra magno numero habet. *Dicit*, intel-

Unable to display this page

buit. Tertia: *Flatus, soli exire soliti, retinentur.* Quemadmodum? Pituita enim usque & usque stimulat, stimulataque Natura conatur eam egerere: conatu in pituitam irrito, erumpunt flatus tamen. Quarta: *Retinentur tandem ob feces conglobatas.* Feces *durantur* siccatione aut mora. *Siccatio* fieri obsitis pituita intestinis an possit, dictu promtius, quam doctu. *Mora*, ignavorum est. *Ignava* intestina sunt, quoties non stimulantur: urgente stimulo egerunt, quod præ manu est; si non humorem (diserte autem in textu, οὐκ ἔχουσιν ὅδεν, *non habent ullum*) saltem *flatum*, quo nunquam non intestina plena sunt, præsertim infirma ex longo profluvio. *Retenti* volvulosam affectionem faciunt. Absque hoc sæpicule *flatus* (præsertim humidos & quales à superstite pituita fieri putamus) retineri, vix ulli incompertum est. Non statim, si quæ tormina etiam graviora oboriuntur, Volvulus existit.

§ 16. Sed esto, iterum concedimus Notatori omnia ista; sed cum eo, ut demonstret singula in Hippocraticis contineri. Quam petitionem æquissimam esse discimus ex Galeno ad III. Epid. 1. 4. *In commentationibus*, inquit, *propositum est noviſſe sententiam scriptoris. Oportet itaque non prius se ad eam accingere, quam præhabitâ exactâ singulorum notitiâ. Ac primo quidem scire, quemadmodum scrutanda sit mens auctoris: deinde, quid recte aut secus dictum sit. Hoc facientem vero meminisse, demonstrationes esse adhibendas in tractatione cujusque ad medicinam attinentis theorematis. Quotquot vero interpretum demonstrare dicta sibi nequeunt, circumveniunt auditores & abducunt à sententia scriptoris, existimantes, quæ dicunt, ea propter credi.* Nisi itaque, quæ sunt à Martiano dicta, demonstrentur esse in præmissis Hippocraticis, conclusionem ipsi nunquam largiemur.

§ 17. Cæterum, quid sit de *affectu*, ex *curatione* liquebit uberius. *Eam* Præceptor geminam proponit: ab *Arte* & à *Natura*. *Illam*, loco priore: *hanc*, sequiore. Eccur vero, cum sit *Natura* dignior, ejusque cura optabilior atque opera præstantior? & *Ars* non aliam sibi vindicare laudem queat, quam obsequii promti & ministerii fidelis? Factum id non sine causa fuit. Quamvis

enim *Natura* ſit morborum medicus, non ſemper tamen quod faciundum eſt, ſe ſola poteſt. Quin & cum ſpes eſt poſſe, præſtat tamen juvare, juxta illud Celſi lib. II. cap. XIV. *Poteſt enim morbus, etiam qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli.* Cauſa potior: *Artifex* inſtruitur & jubetur ſuum agere. *Non eſt* artificis, negotium omne in Naturam rejicere, & interea ægrotantem in incerto habere. *Medico* laboranti *Natura* allaborat & benedicit labori *Deus*, largitor Artis & auctor Naturæ.

§ 18. Potuit itaque in *præcepto* ſubſiſtere Dictator. Non ſubſtitit: gemina de cauſa. Noluit *primo* Medicum, non ſuccedente cura, deſperare: quod experientia oſtenderit ſupereſſe ſpem in Natura. Voluit *deinde* Materiæ, remedio præſcriptæ, bonitatem confirmare ex ſimilitudine ejus, quod Natura invenit rebus etiam deſperatis. Examinemus ſingula. Artificem jubet οἶνον πολλὸν ἄκρητον κατὰ λόγον διδόναι, *vinum multum meracum ſecundum rationem dare.*

§ 19. Διδόναι. Lucis cauſa verbum hoc huc tranſtuli. Frequens noſtro infinitivus pro imperativo venit. Grammaticis id in elegantiis eſt. Exempla ſunt Aph. II. 19. & ſeq. Hoc loco dubium eſſe non ſinit, quod locus, exhibet parallelus: δίδου πίνειν, *da bibendum.*

§ 20. Οἶνον. *Vinum* etiam alibi in Volvulis præſcribit Hippocrates: ſed aliud atque aliud, & alio atque alio tempore. Lib. III. de Morb. t. XV. etiam in *vero* Ileo offert vinum, ſed ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ *in progreſſu temporis.* Tempore enim vincuntur Morbi, à Natura pariter, ac Arte. Ergo eo tempore, quo dolor remiſit.

§ 21. Idem velle videtur Aretæus II. Cur. acut. v. ἢν δὲ ἄπυος ἔῃ, καὶ οἶνος ἔς τε τὴν τῶν ἐντέρων θέρμην, ἀτὰρ ἠδὲ ἐς ἀνάκλησιν τῆς δυνάμιος. *Si abſque ſuppuratione erit, etiam vinum confert, non ſolum ad inteſtinorum calorem, ſed & ad inſtaurationem virtutis.* Pro ἄπυος alii legunt ἄπονος: haut equidem male. Malim tamen prius, & explicare ſecundum illud, quod Alexander ſcribit lib. X. cap. I. p. 591. οἴνου δὲ τῆς μὲν φλεγμονῆς ζεούσης ἔτι, καὶ τῶν πυρετῶν ἐπικρατούντων, ἀπεχέσθωσαν. πέψεως δὲ σημείων φανέντων, ἐὰν

καὶ

καὶ τὰ τῆς δυνάμεως ἀσθενῆ σοι φανείη, ἄδεν ἄτοπον αὐτοῖς τοῖς λεπτὸν καὶ ὑδαλώδη οἶνον προσφέρειν. *Vino autem, adhuc fervente inflammatione, & febribus invalescentibus, abstineant. Coctionis autem signis apparentibus, siquidem viribus imbecillus tibi videatur, absurdum non est ipsis tenue & aquosum vinum offerre.*

§ 22. Hisce contrarius videtur Celsus lib. IV. cap. XIII. *Vbi dolor & febricula quierunt, tum demum uti cibo pleniore, potui vero nihil præter quam puram aquam. Nam sive quid vinolentum, sive acidum est, id huic morbo alienum est.* Recte quidem: at à morbo vinum viribus reficiendis dare, alienum non est. *Neque* enim *viribus corporis utilius aliud,* inquit Plinius lib. XIV. cap. I. Et lib. XXIII. cap. I. *Vino aluntur vires, sanguis colosque hominum.* Quin ipse Celsus *vinum* lib. II. cap. XVIII. facit *valentissimi generis*, seu *in quo plurimum alimenti sit:* id enim *valentissimum* se vocare initio monuerat.

§ 23. Πολὺν. *Multum*, non simpliciter, sed quantum sufficit conciliando somno. Hic enim scopus, in quem oportet intendere. Cui assequendo uti *vinum* non est, si intra modum bibitur: ita adducendo in periculum est, si majore copia & amplius justo. Ἐκ πολυποσίης quid sperandum sit, Aph. VII. 7. & V. 5. abunde docent. Quamvis autem non semper invehat graviora ista: semper tamen οἶνος ἄκρητος πολὺς πιθεὶς, ἀσθενήσαί πως τὸν ἄνθρωπον ἀσθενέα, *vinum merum liberalius bibitum reddit hominem infirmum,* inquit Hippocrates l. de Vet. med. t. XXXVII. 133.

§ 24. Ἄκρητον. Latini *immixtum* aut *merum* reddunt. *Illud* fere, cum adjectiva forma venit: *hoc*, cum substantiva, ut IV. Epid. t. VII. & V. Epid. t. XXXII. Iisdem varie τὸ *merum* usurpatur. Primo, pro *quovis vino.* Ita enim accipere Horatii oportet, quod I. Epist. XIV. 11. est:

Nocturno certare mero: putere diurno.

Iste mos esse ebriosorum solet. Apostolus I. Thess. V. 7. οἱ μεθυσκόμενοι, νυκτὸς μεθύουσιν· *ebriosi, noctu se inebriant.* Fructus est, *putere*, h. e. pessime fœtere & putrescere. Putor enim & putredo sunt comites individui. Secundo, pro *vino immixto*, seu aqua non diluto. Hippocrates III. de Morb. t. XV. f. αὐτίτλω vocat,

ab ea significatione vocis αὐτὸς, qua ponitur pro μόνος: ut Latinis *ipse* pro *solus*. Casauboni ista observatio est ad Athenæi lib. I. cap. XXIV. Festo *merum* exponitur solum ac purum. Andr. Baccius ergo II. de Nat. vin. XII. recte observat, verbum hoc *non tam significare robur in vinis, quam puritatem*. Tertio, pro *vino sincero*, hoc est, non fuco, non unguento, non medicamine ullo adulterato. Quod tale est, *innocens* dicitur Plinio lib. XXIII. cap. I. Ausonius utrumque conjungit Epigr. XIX. 12.

Potare immixtum sueta merumque merum.

Quarto, pro *vino vinoso* & nobili, quodque aquam ferre & ætatem potest. Cos vocant hodie: quod se colore, odore, sapore probet. Alii passim *theologicum*, ex Arnoldo de Villanova. quem vide in Enarrat. ad Schol. Salernit. cap. VIII. § penult. De hoc accipi puto locis, quæ ex Epidemiis modo citavi.

§ 25. Quibus è *significationibus* præsentis loci *novissimam* esse arbitror. Cum enim *indicatio* sit calefaciendi, & caloris beneficio coquendi cruda, ac discutiendi flatus conceptos: paret offerendam materiam esse, quæ id possit. Celsus lib. II. cap. XXVI. *calefacit vinum, & quo meracius est, eo magis*. Dioscorides lib. V. cap. XI. speciatim merum & id liberalius potum commendat πρὸς ἐμπνεύματωσιν χρονίαν *ad inflationem diutinam*. Exscripsit Plinius laudato loco. Hollerius I. de Morb. int. XLI. *Colicis vina optima, quæ tenui sunt substantia & odorifera*. Idem & aliis non paucis placuit. Licet consulere medendi magistros. Verbo: *dederim* Vinum album, tenue, odoratum, ac dulce.

§ 26. Κατὰ λόγον. Quid hoc hoc in loco significet, ex parallelo forte cognoveris. Legimus ibi, καὶ ὀλίγον. Pro quo Vallesius in com. κατὰ μυκρον. vitiose, & unde? Suspicio est, è Latino reddidisse, originali non inspecto. Κατὰ μικρὸν repereris in Coacis sent. 293. proque eo, κατὰ μικρὸ, I. Prorrh. III. 54. Ammonius l. περὶ ὁμ. καὶ διαφ. λέξ. differre ait, ὀλίγον & μικρὸν, *paucum & parvum*. Τὸ μὲν γὰρ Ὀλίγον, ἐπ' ἀριθμοῦ τὸ δὲ Μικρὸν, ὑπὲρ μεγέθους κεῖται. *Paucum, numero: Parvum, magnitudini debetur*. Ita si est, neutrum quadrat. Etenim, τὸ μικρὸν *parce* dat, qui per partes &, data parte, partem reservat in alios usus. Καὶ ὀλίγον *sensim*

sim dat, qui ita paulatim ut sentias, imo ut accepisse non sentias. Cum isto non convenit *multum:* neque cum illo *frequens:* neque cum utroque *ratio*, quam attendere heic jubemur.

§ 27. Vallesius: *detur multum merum, sed paulatim, crebro scilicet & exiguo haustu. Ita enim paulatim retinebitur, & coquetur, & coquet, & reliqua præstabit bona. Hoc docuit Hippocrates, dicens, vinum multum paulatim date. Et hoc idem est, quod nunc intelligit, dicens,* κατὰ λόγον *secundum rationem. Nimirum illud datur ad hanc passionem secundum rationem, quod datur frigidum, multum, merum, & paulatim. Reliqua quidem, ob causas dictas: frigidum vero, ut ita quoque minus evomatur.* Hoc ultimum si ita est, videri non debent in ægros suos peccare, qui purgantia & alia revomitioni, ob nauseosum saporem, obnoxia medicamenta concedunt frigida bibere. Non patitur tamen Septalius III. Animadv. 13.

§ 28. Mercurialis istam rationem neq; probat, neq; improbat. Quærens enim, *cur frigidum vinum det?* Resp. *nonnulli existimarunt consuluisse hoc Hippocratem, ne vomerent: quia, qui volvulo morbo laborant, valde propensi sunt ad vomitum, vinum autem calidum facillime vomitum excitat: hinc veteres ad provocandum vomitum utebantur vino tepido, non secus atque nos tepidis aquis. Ego non damno hanc rationem: puto tamen aliam etiam referri posse. Quæ est, vinum immense frigidum extinguit calorem nativum: quod moderate est frigidum magis calefacit, quia frigus cogit & auget magis calorem. Quare puto ego etiam frigidum vinum dari voluisse, ut majorem calorem faceret, qui facilius materiam frigidam, fomitem morbi, dissiparet.* Ego examini ista non gravarer submittere, nisi jam docuissem ψυχρῷ legendum, non ψυχρὸν; & ad *Volvulum* referendum, non *vinum* esse. Quare potius institutum prosequor.

§ 29. Mercurialis: *Aliqui putarunt hanc rationem esse, ut detur* paulatim, *ne vomitus excitetur. Imo recte vult dari* multum, *ut depellat à loco ad locum.* Hoc uti plenius intelligas, redire debes ad hæc: *Videamus jam qua ratione Hippocrates vult dari vinum multum & merum. Potest hic morbus solvi dissipatione, vel potest finiri, quia materia potest transmutari ab uno loco ad alium. Finitur per dissipationem, cum à calore nativo humor convertitur in vaporem: per transmuta-*

mutationem, cum à re tenui, velut à quodam vecte, depellitur ab uno loco ad alium. Adeo ut, sive velimus dissipare hunc humorem frigidum, sive ad alium locum depellere, conveniat vinum multum & merum. Nam id debet Medicus semper studere, ut remedia adhibeat, quæ si non uno modo prosint, alio modo conferant.

§ 30. Quei fieri id possit, ego sane non intelligo. Doctus sum, & in hoc confirmor per experientiam, *Medicamenta* omnia certo modo agere, non alio atque alio. Purgandi causa si quid dederis, frustra exspectes ut urinas sudoresve cieat, si spem fefellerit. Deinde, cum non ab *humore* hunc Volvulum, sed *flatu* esse docuerim; non est, quod heic hæreamus. Nobis id satis est, Viro docto doctum opposuisse, Italum Hispano: scilicet, ne cujus autoritas præponderaret, faceretque glaucoma alterutri adhæresce cogitanti.

§ 31. Καθ' ὁλόγον itaque, non κατ' ὀλίγον & heic & l. de Judic. legendum. Quemadmodum vero accipiendum sit, non aliunde melius perceperis, quam ex aph. LII. lib. II. Ubi κατὰ λόγον *secundum rationem* facere omnia dicitur, qui ex certa Rerum notitia depromtæ *indicationi* innixus, talem remedii materiam administrat, quæ satisfacere intentioni potest & satisfaciet, suas modo partes Natura peragat. Λόγος enim, seu *ratio* Hippocrati eadem est, quæ ἔνδειξις *indicatio* dici Galeno consuevit. Lib. IV. Meth. med. cap. VI. Hippocrati tribuit hanc laudem, quod omnium, quos novit, primus invenerit *indicationem*: per quam sit omnis methodus medendi, II. M. m. VII. Ex vero esse hoc testimonium, non facile quisquam negarit, qui Rationalis audire gestit. At quotusquisque est, veramque rationem medendi Hippocraticam novit? Mihi haut difficile foret & hoc & illud ostendere, nisi longius abeundum à proposito esset. Nobis nunc sufficiet, illam *rationem* monstrasse, *secundum* quam *Vinum multum merumque* præscripsit Dictator: quo omne ejus artificium liqueat, simulque ei consentaneum esse, quod hactenus commentati sumus de *natura* Volvuli propositi.

§ 32. *Volvulus* hic, inflatio coli est. Morbi *genus*, Inflatio dicit: *speciem*, Colon determinat. *Inflatio*, morbus, Remedium indicat:

indicat: *Colon*, pars affecta, Materiam remedii monstrat. *Remedium* est Discutiens flatus. *Materiam* flatibus discutiendis aptam suggerit tam Diætetica, quam Pharmaceutica aut Chirurgica. Heic è prima petit. optimo consilio: non tantum, quia nulla jucundior; sed &, quia nulla aut efficacior aut tutior. *Colon*, pars est, ob naturam membraneam, valde sensilis: ob copiam vasorum, egregie calida: ob sensibilitatem, admodum dolorifica: ob caliditatem, obnoxia inflammationi. Quando itaque inflari Colon non potest sine dolore, neu dolere sine æstu, neu æstuare sine periculo inflammationis, neu inflammari sine periculo mortificationis: paret, ejuscemodi requirendam esse Materiam, quæ & Spiritum mulcendo leniat dolorem, & Partem humectando temperet æstum, & Fuligines emittendo præveniat inflammationem ac mortificationem.

§ 33. Quæ tot beneficia cum universa simul insint *mero*, ac præterea nulli uni rei: recte quidem & ex arte illud præscribit. Vinum *calefacere*, præsertim generosum, nemo dubitat. Vinum *humectare*, præsertim hornum, ratio docet, quam suggerit aquea ejus natura. Confer ad Andr. Baccium II. de Nat. vin. II. & Hofmannum v. Instit. XXV. 3. 4. Vinum *nutrire* negabat Mercurialis: quo præmio, dicet Hofmannus ibidem § 2. Vinum *lenire* dolorem, cum animi, tum corporis, omnibus notissimum est. confer ad Psalm. CIV. 15. Prov. XXXI. 6. Luc. X. 34. Vinum *digerere* flatus & humores aqueos, experientia satis testatur. vide & Dioscoridem lib. V. cap. XI.

§ 34. Vallesius aliter: *Vinum multum paulatim datum potest facere febrem & dysenteriam: omnes ergo bonos Volvuli exitus, qui numerantur quatuor, somnus, dolor artuum, febris & dysenteria sine dolore, facere solet vinum. Quare volvulo admodum salutare sit.* Optandum esset in arte, Vino succendi febrem posse, qua accensa toties est opus. *Est enim* (inquit Celsus lib. III. cap. IX. fine) *circumspecti quoque hominis & novare interdum, & augere morbum, &* [nota] *febres accendere.* Persuadeo mihi, si mero ceu vero ὑπερκαύματι noster Calor regi, ut à Chymico suus, posset, Morbum non fore incurabilem, maxime eo in genere, qui diurnare solent,

& sæpe ξυναποθνήσκειν *commori*, ut dicitur aph. XXXIX. lib. II.

§ 35. Ἐστ' ἄν. Pro hoc est ἕως in parallelo, pari sensu. Definit enim *quantitatem* Vini sumendi. Nam pro lubitu ægrotanti vel dare vinum vel potare non licet. Nempe si in secunda valetudine, maxime in adversa verum est, quod Mnesitheus ait, adferre vinum,

τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις
Ἀγαθὸν μέγιστον· τοῖς δ' ἀλλάκτως, τἀμπαλιν.
non parvum bonum quidem
Sumentibus esse: perperam vero, malum.

Sed quare non potius id ab Hippocrate, & plenius audimus? Verba sunt l. de Affect. t. LII. fin. οἶνος καὶ μέλι κάλλιστα κέκριται ἐν ἀνθρώποισιν, ἰῶ πρὸς φύσιν καὶ ὑγιαίνουσι καὶ ἀσθενέουσι σὺν καιρῷ καὶ μετριότητι προσφέρουσι. *Vinum & mel optima judicata sunt hominibus, siquidem naturæ convenienter tam sanis quam infirmis cum tempore & modo offerantur.*

§ 36. Illapropter Eubulus apud Deipnos. II. 2. Bacchum fingit dicentem:

Τρεῖς γὰρ μόνας κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς σῶφρονεῖν. Τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα,
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· Τὸν δὲ δεύτερον
Ἐρωτος, ἡδονῆς τε· Τὸν τρίτον δ' ὕπνου.
Ὃν ἐκπόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσ'.
Prudentibus non misceo plures tribus
Calices. Sit unus sanitatis pharmacum:
Amoris alter & jucunditatis: at
Somni dator cum tertius processerit,
Citra moram domum petat, quisquis sapit.

Hoc si saperet sæpe studiosa Juventus, non promoverentur in illum locum, unde exire non datur, nisi ultimo quadrante persoluto. Ægrotantes vero vel imprimis hoc sapere debent; neque persuadere sibi, facta licentia bibendi vinum, multum non nocere, si parum juvat. Ut enim temporibus medicina valet: ita & dosibus seu quantitate definita. Omne nimium vertitur in vitium.

§ 37. Cæ-

§ 37. Cæterum, cum experiantur Medici, ſibi tam prudenter præſcribentibus, quam convenienter concedentibus *uſum* Vini, ſæpe ægrotos εἰκότως ἀδυνατέειν πείθεσθαι, μὴ πειθομένους δὲ περιπίπτειν τοῖσι θανάτοισιν, *ut oportet non poſſe dicto audientes eſſe, non obedientes vero incidere in mortem,* l. de Arte, t. XII. 52: idcirco eſt, quod multi longe malint in totum abſtinere ægros à vino, quam concedentes ſubire ſpeciem alicujus, ut occiſi, quem intemperantia ipſius peremit. Unde videas, etiam dictante ex occulto Natura ac nocte dieque Ægris flagitantibus hauſtum vini, imperare tamen Medicos non dari, etiam ſub pœna capitis.

§ 38. Ergone ignorant, quam familiare remedium Hippocrati fuerit vinum, non jam dicam in Morbis frigidis, ſed in Febribus ipſis, & quidem acutis? In *febre Ardente* dari jubet vinoſum, album, aquatum, II. de Morb. t. LXI. Ut & in *febre Bilioſa,* ibid. t. XXXVI. dulce autem, III. de Morb. VI. In *febre Interficiente,* album aquoſum, II. de Morb. LXV. Ut & in *febre Singultiente,* ibid. t. LXII. Quod certe genus omne Febrium eſſe graviſſimum, Symptomata loquuntur. Heic vero ſi licet, quid ni liceat in *Mitioribus*? In quibus quoties non iſti moroſuli Imperatores in ruborem dantur etiam hodie ab Ægris, non ſuſtinentibus obluctari tacito Naturæ dictamini, & clam vinum ſæpe ad ſatietatem bibentibus? Mater mea, SARA SWEERTS *dicta* DE WEERDT, ex nobili & antiqua Bruxellis familia HOSPITUM ſive GLADIFERORUM oriunda, moratiſſima & abſtinentiſſima alias femina, abſtineri à vino non potuit etiam in acutiſſimis febribus, imo curari nunquam ſine vino. Verum hac de re alibi latius. Sunt enim exempla mihi vel centum in promtu. Et medicus non eſt, cui non idem contingat videre in praxi: ſed facit glaucoma, quod præjudicium oculis ſuffudit, ut velut noctuæ cæcutiant in clara luce.

§ 39. Ὕπνος. *Somnum* à vino conciliari multis in locis Galenus oſtendit. Vide licet IV. Sanit. tu. IV. & I. de Cauſ. ſympt. VIII. ac alibi. Inde Dioſcoridi οἶνος ὑπνοποιὸς, *vinum ſomniferum* dicitur lib. V. cap. XI. Verum quid attinet τὸ ὅτι probare, præſertim apud eos, qui ſe dormire negant, niſi mero perma-

duerint. Videamus potius τὸ διότι, sive *quemadmodum* Somnus à vino fiat. Ut hoc intelligamus, exponere *ortum* primo Somni oportet. De hoc Hippocrates III. de Diæt. IX. ὁ δὲ ὕπνος γίνεται τῆς σαρκὸς ὑγρανθείσης, καὶ χεῖται τὸ αἷμα, καὶ γαληνίζει διαχεομένου τὸ πνεῦμα. *Somnus vero fit carne humectata, spargiturque sanguis & sparso quiescit spiritus.* Verum est, dici hoc de *somno*, quem plenitudo facit, nata tunc cum labores superantur à cibis: sed nihil refert, pari modo etiam *naturalem* Somnum fieri si dicamus. Incipiente enim plenitudine somni sunt æque ἡδεῖς *jucundi* atque grati, ac maxime naturales: hoc solum ab his diversi, quod & longiores sint, & diu quoque obrepant.

§ 40. *Vina*, præsertim dulcia tenuia, ὑγραίνειν τὸ σῶμα *humectare corpus*, diserte Hippocrates dicit II. de Diæt. t. XIII. 232. Eadem carnibus implendis spiritibusque sufflaminandis esse idonea, cognoveris ex eodem lib. t. XIX. 366. Τὰ γλυκέα, πληρωτικά ἐστι, διότι ἐξ ὀλίγου ὄγκου, πολύχοά ἐστι. θερμαινόμενα δὲ καὶ διαχεόμενα, πληροῖ τὸ θερμὸν ἐν τῷ σώματι, καὶ γαληνιάζειν ποιέει. *Dulcia replent, quia ex parva mole multum diffunduntur. Calefacta vero & diffusa replent calidum in corpore, & quiescere faciunt.* Quod sit illud *calidum*, cognoveris ex I. de Diæt. t. XIII. 145. illud nempe, quod *medio circuitu* à Corde per arterias & venas in cor circumfluit. Vide nos II. Physiolog. XV. 48. 49. Quo ne dubites, ait: ἐν τούτῳ, ὕπνος, ἐγρήγορσις· *in hoc, somnus, vigilia.*

§ 41. Quomodo autem *repletur* Calidum à dulcibus calefactis & diffusis? Mutantur in vaporem, quovis rore suaviorem. Ros hic cum surgit & diffunditur in omne corpus, tument venæ, turgent carnes. αἱ δὲ φῦσαι, προσπεσοῦσαι τὰ ἐναιμότατα τοῦ σώματος, ἔψυξαν· *Flatus autem, cum in ea corporis incidunt, quæ sanguinis sunt plenissima, refrigerant:* l. de Flat. t. X. 110. Sic & αὐτόματος ὁ ἀὴρ εἰσελθὼν εἰς τὰς φλέβας, στενοχωρίην ποιήσῃ τοῖσι τοῦ αἵματος διεξόδοισι· *Sponte sua aër ingressus in venas, angustat meatus per quos transire sanguis debet:* d. l. XVII. 179.

§ 42. Unde jam tandem intelligi potest, quod legimus l. de Affect. t. XXXV. f. ὅσα δὲ ὕπνον ποιέει, ἀτρεμίην δεῖ τῷ αἵματι παρέχειν· *Quæ somnum faciunt, quietem debent sanguini conciliare:* non sim-

ſimpliciter, ſed à labore circumeundi ad Habitum corporis in gratiam converſationis cum rebus externis. Galeni de *ſomno* ſomnia ſtudioſe collegit Vid. Vidius I. de Tu. valet. memb. VII. Secundum quæ velle Hippocratem explicare, eſt ab officio interpretis aberrare: cujus eſt obſcura Auctoris ex ipſomet, non alio illuſtrare.

§ 43. Ἐς τ' ἂν ὕπνος γένηται, *uſque dum ſomnus fiat.* h. e. Bibendum vini, quod ſufficit conciliando ſomno: una vice, an pluribus, nil refert. Bibendum *calidum* potius, quam frigidum. Omne enim *calidum* ἀνώδυνον καὶ παρηγορικὸν *dolorem lenit mitigatque:* v. Aph. XXII. Cui *bono* vero ſomnus? Ut

Detur quieti tempus, & ſomno gravis
Vis victa, morbo pectus oppreſſum levet,

reſpondeo nunc Senecæ verbis ex Herc. fur. act. IV. 1042. Certe ὕπνος ἰητρὸς, *ſomnus medicus* eſt, ſicut eum Sophocles Eriphile appellabat, teſte Clem. Alexandrino VI. Strom. p. m. 621. B. *Medetur* vero Spiritui ſimul & Parti laboranti. *Spiritui:* dolore furentem tranquillando, & labore defectum reficiendo. *Parti:* ſanguinis ad eam irruentis impetum ſuſtinendo, & flatum humectando, denſandoque.

§ 44. *Confert* vero Somnus cum aliarum Partium morbis, tum Viſcerum inprimis. In hoc notabilis aphoriſmus eſt VI. Epid. v. 10. Πόνος, τοῖσιν ἄρθροισι· σαρκὶ, σῖτος· ὕπνος, σπλάγχνοισι· *Labor, articulis: carni, cibus: ſomnus, viſceribus* eſt neceſſarius, plurimumque confert. Prorſus enim aſſentior Valleſio, ſic verba concipienti & exponenti. Expoſitio ejus hæc eſt: *Commendatur præcipue labor ad articulos, cibus ad carnes, ſomnus ad viſcera: quia exercitatio præſtat habilitatem ad motus, qui in articulis aguntur: cibus nutritionem, qua carnes maxime augentur: ſomnus concoctiones, quæ in viſceribus maxime vigent.*

§ 45. Ἢ σκελέων ὀδύνη. Mercurialis: *Dixi hunc morbum vel diſſipatione vel tranſmutatione finiri. Vbi finitur diſſipatione, elevantur vapores in cerebrum, qui occludentes meatus inducunt ſomnum.* Neque verba hæc, neque rationem verborum ſatis capio. *Finiri* morbus nequit niſi diſſipatione ejus, quod morbum facit. *Facit*

autem flatus, ceu ostensum est antea. *Flatus* vero, sicut est pituitosæ cruditatis suboles: ita nec attenuatus gignere vaporem potest, idoneum faciendo somno naturali.

§ 46. Sed sit Volvuli præsentis causa *humor frigidus, viscidus & crassus*; quod Mercurialis ait: qua ratione demonstrabit, ejus dissipatione fieri somnum naturalem? quem ὑπὸ πλήθους ὑγρᾶς χρησᾶς, *à copia humidi utilis*, recte Galenus arcessit Prorrh. 11. 29. At aliud in nobis esse *humidum utile* conciliando somno præter *alimentum*, nescio num quis docuerit aut docere possit. Persuadeo mihi, idem heic Galenum voluisse, quod Aristoteles l. de Som. & vig. cap. III. ἐκ τοῦ περὶ τροφὴν ἀνυδρώσεως γίνεσθαι τὸ πάθος τοῦτο. *Hunc affectum fieri ex evaporatione quæ accidit alimento dum coquitur.* Ita enim verto potius, quam cum Gaza, *ex evaporatione circa alimentum:* nam hoc, si non falsum, obscurum reddit.

§ 47. Sed neque *rationem dicti* intelligo. Quemadmodum enim, si *dissipatur*, hoc est, digeritur foras humor frigidus, vapores ascendunt in cerebrum? Aut si huc pervadunt, *soporem* non faciunt pro somno? Hoc enim Galenus vult, & eo, quem citavi, loco & multis aliis. Ut jam de viis, quibus in cerebrum ascendant vapores ab intestinis, controversiam ipsi non faciam. Hoc sentientibus feci Disp. Physiol. LIV. § 5.

§ 48. Pergit: *Fit etiam transmutatione humorum, ut huc illuc ferantur, & cum coxa sit locus proximus intestinis, facile fertur humor in coxam & dolorem infert.* Hoc si, quam facile dictu est, tam facile probatu esset, nemo non homo acceptaret. Nunc *primo* dubium est, quid sit *huc illuc ferri.* An humores quoque frigidi & viscidi, ac intestinis detenti, turgent? Quid enim aliud est *turgere*, quam *huc illuc ferri*, sive ut Galenus exponit IV. Aph. X, ἄλλεσθαι κατὰ τὸ σῶμα, *vagari per corpus?* Quæ *deinde* major vis sequelæ est in hoc argumento: Coxa est locus proximus intestinis, idcirco facile in eam humor fertur & infert dolorem? quam in hoc: Baculus stat in angulo, ergo cras pluet? Vidit, credo, hanc inconsequentiam noster Hieronymus: eapropter fidem uti dictis conciliet, τὸ ὅτι primum ex Paulo probat: ac triplici

mox

mox ratione comprobat τὸ διότι. Has primum excutiamus: nam isti locus deinceps erit, & opportunior.

§ 49. Quærit ergo: *Sed quæ est ratio propter quam possit humor depelli ab intestinis ad articulos?* Hoc quærere annon est fatentis difficultatem rei, & incertitudinem rationis? *Quæstio*, inquit Tullius IV. Acad. quæst. p. m. 37. *est appetitio cognitionis, quæstionisque finis inventio.* Quæstioni propositæ respondet hunc in modum. *Fit*, inquit, *tribus modis. Unum est, quem Hippocrates nobis proponit* VI. *Epid.* V. 2. *scilicet quod Natura prudens sæpe sponte nobis reperit vias arcanas, ita ut non sint quærendæ viæ apud naturam. Alius modus est, quia eadem materia, quæ à capite delabitur ad intestina, præcipitari potest ad articulos. Tertius, quia in dolore ilei exagitantur articuli, & incalescunt: hinc fit, ut humor attenuatus feratur in jecur, & deinde in articulos.*

§ 50. De *primo* res cum sit altioris indaginis, expediri certe tribus, quod ajunt, verbis nequit. In præsenti hoc unum sufficit: Ubi quærendæ viæ apud Naturam non sunt: ibi nec speranda ab Arte est transpositio materiæ morbificæ ad locum naturaliter inaccessibilem. In *secundo* est ignoratio elenchi. Quæstio de alliis est, responsio de cepis. Non quæritur an à Capite ad intestina simul & articulos delabi eadem (non numero, sed genere) materia possit? Sed, qua ratione humor frigidus & viscidus ab intestinis transferatur ad articulos? *Tertius* æque aberrat à scopo. Si verum est antecedens, Articuli jactatione calent præ doloris impatientia. Jactatione etiam humor si attenuetur, non id adscribi vino potest. At huic debet. Vult enim dari *merum*, donec somnus aut crurum dolor fiat. Humorem attenuatum ab intestinis ferri in jecur, à dogmate Galeni est. Quod cum sequitur, vitio non damus. Nam & nobis id persuaderi sivimus, quamdiu Ductum chyliferum ignoravimus. Humorem in jecur receptum, quibus viis Natura transferat in articulos, Galenistarum nemo dicere potuit.

§ 51. Non minus vacillat τὸ ὅτι: videlicet, An humor frigidus & viscidus ab intestinis feratur in coxam, & dolorem inferat. Concesso priore, *posterius* tamen falsum est. Frigida dolere

non

non faciunt, nisi agant vehementer, XII. Meth. med. VII. hoc est, qualitate sua excedant: ac neque tunc per se, sed per accidens, ceu alibi ex Hippocrate demonstramus. At humor frigidus quantum attenuatur, tantum remittit de frigore & virtute huic adsita. Attenuari autem necesse habet, ut transmittatur per angustias viarum ad coxam.

§ 52. Sed neque *prioris* ulla est observatio. At Paulus narrat lib. III. cap. XLIII. vagasse sub ditione Romana tempore suo Morbum quemdam colicum, qui aliquibus in Comitialem morbum, aliquibus in Artuum resolutionem vertebatur. At *colicus* ille ab humoribus erat non frigidis & viscidis, sed calidis & acribus, imo malignis. Ostendit, præter alia, curatio. De qua nobile est, quod observat ipse Ægineta. *Ex illo laborantes medicus quidam Italus curavit* ἄπιστόν τινα ψυκτικὴν ἐπιτηδεύσας καὶ τολμεροτέραν τὴν δίαιταν, *adhibens diætam supra fidem refrigerantem & mira præstantem.* Sic enim reddere me (non cum Andernaco, *curavit victus quadam ratione infideli refrigerante & maxime temeraria)* jubet cum ratio, tum eventus. *Ratio* fundata est in axiomate recepto: Contraria contrariis curantur. De *eventu* Paulus post expositam illam diætam, καὶ πλείστους οὕτω κατὰ τὸ παράδοξον ἐξιάσατο· καὶ τοὺς εἰς ἐπιληψίαν ἢ παράλυσιν ἤδη τινὰς ἀρξαμένους μεταπτώσεως, *atque plurimos sic præter opinionem personavit: imo aliquos qui jam in epilepsiam aut paralysin cœperant labi.* Quæ ergo ista doctissimi viri παραβλεψία fuit? Plenius de his videsis apud Franc. Citesium in doctissima diatriba de Novo & populari apud Pictones dolore Colico bilioso. Zacutus etsi historiam è Paulo recitet II. de Med. princ. hist. LXXXIX. nihil tamen ad eam memorabile attulit.

§ 53. Sed & præterea error huic expositioni subest, isque geminus. *Vnus*, quod τὸ σκέλη de *coxa* vel *articulis* interpretatur: cum constet ita dici *totum* membrum, *pedem* totum, ceu ostendimus II. Physiolog. XIV. 104. *Totum* dicens intelligi velim, non Ossa tantum, aut Commissuras ossium; sed organum totum. *Alter*, quem & inprimis notasse Mercurialem decuit, hic est: Hippocratem jubere eousque vinum dari, donec fiat *crurum* non reso-

resolutio, sed *dolor*. Atenimvero non *dolorem* cruribus adfert, sed *sensum* aufert Paralysis.

§ 54. Prosp. Martianus, noviſſimus horum verborum interpres, ita ad hæc scribit. *Ex hoc textu colligimus, pituitam crassam & viscidam in intestinis & circa naturales partes consistentem à medicamentis attenuatam facile ad crura & ad articulos impelli. Quod etiam experimento cognovit Hippocrates illius, cui intestinum in dextra parte dolebat, & arthritide correptus quietior erat, postquam vero hic curatus fuit, magis dolebat:* VI. Epid. IV. 7. O quam est ἡ κρίσις χαλεπὴ, *judicium difficile!* I. Aph. I. Plane alius iste casus est.

§ 55. Egregia ad eum Foesii notatio est. *Satis*, inquit, *constat istud de Coli intestini dolore intelligi, in morbo articulari obveniente eumque allevante ex humoris transpositione quadam. Quod etiam apertius indicat lectio l.* περὶ χυμῶν *in fine: quam & secutus est vetus interpres* (is Fab. Calvus est.) *Hac autem sententia innuit Hippocrates, eos qui articulari morbo conflictantur, sæpe intest. ni coli dolore & distentione vexari, quod sæpius in artis operibus experimur. Humoribus igitur ad intestina depositis, mirum non est aliquantum articulorum dolores allevari, ut & iis curatis iterum articulorum dolores ingravescere.* Præsens itaque casus Arthritici est, cui Dolor colicus superveniat ἐκ μεταστάσεως humoris morbifici ad intestinum: non vero Colici, cui Arthritis ex simili causa obtingat: multo minus Colici, cui Dolor crurum eveniat ex felici curatione, qui noster est. Totum locum doctiſſime explicuit Hier. Reusnerus l. de Scorb. exerc. I. p. 86, & deinceps. Confer & Vallesium VI. Epid. IV. 3.

§ 56. Quid ergo heic est σκελέων ὀδυνῶν, *crurum dolor?* Non repeto, *Crura* heic significare pedes totos. Accipio autem potiſſimum de Carnibus. Quas illapsu humorum subito minus magis dolere posse, nemo expertus negaverit. *Doloris* varias esse species, & alias aliis molestiores, observatiſſimum est. Non statim ergo, qui *dolorem* dicit, *acutum* intelligit. *Generis* pro *specie* usurpationi ea plerumque emphasis inest, ut quod in illo maxime est remissum vel intensum significet. Utrum vero, ex *causa dolendi* æstimandum est. Eam præsenti in casu *flatum* agnovimus supra. *Is-ne* ergo vi Vini transfertur ad crura? Hoc fateri

nihil vetat. Neque *flatui* materiæ tenui ac mobili audent eam translationem negare, qui *pituitæ*, quamvis attenuatæ, nihilominus lentæ ac tenaci, tam liberaliter concedunt.

§ 57. Quemadmodum vero Flatus *dolorem* carnibus primo, ac mox *hydropem* inferat, docet Hippocrates l. de Flat. XVIII. 186. ὁκόταν ὑπὸ βίης διαστέωσιν αἱ σάρκες ἀπ' ἀλλήλων, εἰς ἣν τιὼ διάστασιν ὑποδραμὴ πνεῦμα, τοῦτον [malim τοῦτο, ut Aph. II. 17.] τὸν πόνον παρέχει. ἰὼν ἢν διὰ τῶν σαρκῶν αἱ φύσιν διεξιοῦσιν, τοὺς πόρους δὲ σώματος ὑγροὺς ποιήσωσιν· ἕπεται ἢν τῇσι φύσεσιν [lege, φύσησιν] ὑγρασίη, ἧς ἡ ὁδὸν ὁ ἀὴρ ἀπεργάσατο. διαβρόχεος ἢν γενομένου δὲ σώματος, ὑποτακήκοντα μὲν αἱ σάρκες, οἰδήματα ἢν ἐς τὰς κνήμας καταβαίνει, καὶ λέγεται τὸ πιοῦσον νόσημα ὕδρωψ. *Quum prævi divelluntur carnes à se invicem, divulsionem vero hanc subintrarit spiritus, dolorem id exhibet. Si vero per carnes flatus pertranseuntes, poros corporis rarefecerint, sequitur flatus humectatio, cujus viam aër jam fecerat. Madido autem facto corpore, subextabescunt quidem carnes, œdemata autem in suras descendunt, diciturque hic morbus Hydrops.* Explicationem repete à Zuingero p. 305. aut Alemanno ad t. XXXIV. Hoc vero symptoma novum Volvulo non esse cognoveris ex l. de Aff. int. t. XLVII. ubi τὰ σκέλεα βαρέα, *crura gravia*, nihil admodum differre autumo ab eo, quod heic σκελέων ὀδυνη *crurum dolor* dicitur. Nam & inter species dolorum censeri *gravativum* quoque, Galenus auctor nobis Aph. V. 5.

§ 58. Fuit *remedium* Artis: sequitur, Naturæ. *Notate* (ait Mercurialis, & merito) *mirabile artificium. Prius dixit, qua Arte sit curandus hic morbus: nunc dicit, quomodo Natura curet.*

§ 59. Λύει ἢν καὶ πυρετὸς, καὶ δυσεντερίη ἄνευ ὀδυνης· *Solvit vero etiam febris, & dysenteria sine dolore.* Hujus coli *geminum* Scopum agnovi supra. *Alterum*, faciendi spem salutis à Natura. Sæpe enim, Artis operâ neglectâ aut irritâ, aliam Natura & ex insperato præstat. *Alterum*, faciendi fidem remedio ab Arte. Quod enim remedium operatione convenit cum eo, quod Natura pro se molitur: id non potest non tuto atque cum successu adhiberi. Non errat Ars in quibus imitatur Naturam. Natura quippe monstratrix agendorum est optima: Arti nostræ non modo

modo ad imitandum proposita, sed & præposita ad imperandum. Artis itaque auxilium probum est, si probatum Naturæ. Natura *flatum* attenuando sæpe condensat in fluorem, ut egerat commodius. Alterutro etiam Ars habet opus facto, Colicum uti dolorem remolliat. Aptum ad ea *vinum* esse, visum fuit. Nunc consideremus Naturæ munera.

§ 60. Λύει. Dici verbum hoc de *Morbi solutione* consuevit, ac sæpius ea *quæ* Naturæ beneficio, quandoque & Artis auxilio obtingit. *Naturæ beneficium est*, ad quam nihil confert Ars. Dici & de *plena solutione* consuevit. *Plena* est, quæ morbum omnimodo sive *ex toto tollit*, ut Celsus loquitur lib. II. cap. VIII, reddens Aph. XXVI. lib. II. Neque refert, *subito* ea solutio fiat, an *paulatim*. Præsenti in casu, si per *febrem* Natura flatum digerat, *subita*: si per *dysenteriam*, solutio fit *paulatina*. Galenus scribit in com. ad Aph. modo laudatum, consuevisse Hippocratem dicere: Ταῦτα ἐπιγινόμενά τισι λύειν αὐτῶν τὴν κατασκευὴν, ὅσα τελέως ἐκθεραπεύει τὸν ἄνθρωπον, οὐχ ὅσα γεννᾷ πάθος ἕτερον, οὐδὲν ἧττον τοῦ πρόσθεν ἐπικίνδυνον· *ex his quæ aliquibus superveniunt, ea solvere illorum apparatum, quæ integre percurant hominem, non quæ generant affectum alium, non minus priore periculosum.* Recte equidem, si *solutio* tam Ægri respectu, quam Morbi diceretur. Considerari *morbus* sequens ut remedium prioris debet. *Remedium* inquam, quod Natura invenit. Hoc si *morbum*, cujus gratia fit, ex toto tollit, *vere solvit*, quamvis in totum *æger* non sit liberatus.

§ 61. Meretur his subscribi, quod recte quidem consideratione dignum censuit Mercurialis: nempe *cur Hippocrates, quando proponit auxilia Artis, dicat, dare oportet vinum: ubi autem proponit remedia Naturæ, dicat, solvit febris & dysenteria.* Respondet: *in facienda medicina nihil præstat Medicus: sola Natura curat: adhibet Medicus tantum remedium. Præterea, ubi loquitur Hippocrates de Medici munere, inquit, dare oportet: quando autem Natura curat, non potest hæc dici adhibere remedium, sed solvere maxime proprie.* Quam vellem & ipse proprietatem loquendi servasset! Improprie, *Natura curat.* Naturæ est *sanare*, hoc est, sanitatem præstare: Medici,

dici, *curare*, hoc est, omnia apposite facere ad sanandum, ut bene Fernelius 1. Therap. 1. Quod si unum est & verum Medici officium, falsum est, *nihil ipsum in facienda medicina præstare*. Si voluit, *nihil sanitatis præstare Medicum*, recte hoc quidem, attamen obscure: fortean nec recte. Vide nos 1. Physiolog. III. 24. 26. 41. & IV. 29. 30.

§ 62. Αὐτὴ ἡ χ. Conjunctivæ istæ, *vero etiam*, ostendunt non minus præsidii ad salutem in Natura, quam Arte esse. Digitum deinde intendunt in similitudinem, quam habet Remedium artificiale cum naturali. Hæc nescio an assequuti sint interpretes, qui reddiderunt, *Solvit autem & febris & dysenteria*. Possit enim hoc sic accipi, quasi Febris & Dysenteria medelę sint Dolori crurum, in quem transivit Colicus: quo tamen nihil est huic loco inconvenientius.

§ 63. Πυρετὸς. Celsus lib. II. cap. VIII. *Febris (quod maxime mirum videri potest) sæpe præsidio est*. Hujus tot sunt exempla apud Hippocratem, ut satis mirari nequeam esse etiam hodie, qui Campanellæ id commentum autument & uno novitatis nomine damnent, ceu profectum ab homine non Medico. Contendit Campanella, & multis, lib. VII. Medicinal. cap. II. art. 1. *nullam Febrem esse morbum, sed remedium contra morbos*. Ejus sententiam sequutus est & brevibus proposuit Joan. de Mey in Comm. phys. cap. v. loc. v. ad Deut. 28. v. 22. Nobis uti hæc ipsa non displicet: ita nec placet absolute. Nam & Hippocrates l. de Flat. VII. 83. diserte Morborum in censu Febrem habet. Habebimus vero de hoc differendi & locum aptum & campum latum in lib. de Febrium natura, quem paramus. In præsenti vidisse rationem sufficit, qua Febris solvit Colicum.

§ 64. Qua de Mercurialis: *Febris dissipat suo calore hunc morbum, ut vinum merum*. Obscura iterum oratio. Neque enim *Vinum* suo calore agit in morbum: sed *Natura* suo, sed aucto & roborato adjectione *meri*, habentis in se plurimum recreando cordi idoneum. Dicamus ergo, *Naturæ* opus esse calore igneo ad resolutionem & discussionem flatus multi, crassi, frigidi. Illum caloris gradum Ars præstat *mero* dato; nec alio remedio citius,

tius, tutius, jucundius. Absque hoc accessu si est, nihilominus Natura, nunquam non studiosa sui, sua sponte accendi materiam aptam corripit & flammam suscitat majorem, qua flatus non aliter attenuat ac dissipat, ac flatum matutinum Sol æstivus ad meridiem vergens. Ut autem in ira Sanguis exæstuat præ indignatione: ita in febri præ dolore & inquietudine, qua afficitur Spiritus.

§ 65. Καὶ. Hoc & *connexive* redditum, & *disjunctive* reperio. *Illo* modo apud Vallesium & Mercurialem: *altero*, apud Cornarium & Foësium. *Vnde* gemina nobis dubitatio se objicit. *Vna*, rectene *aut* pro καὶ reddatur. *Altera*, utrum heic rectius, *aut* an *&*. Satisfecere jamdudum *primæ* Grammatici, productis locis, ubi aliter non possis. Exemplis non immorabor alienis: sisto tibi Aph. XLVI. lib. VII, conferendum cum XXXI. lib. VI. Quod ad *secundam*, in textu jam prætuli τὸ *&*. Quod non ita tamen accipiendum censeo, quasi Volvulus iste non solvatur nisi à Febre & Dysenteria simul. Sola enim Febris sufficere potest: neque opus adjungi huic Dysenteriam. Quæ idem an queat, non comite, nedum duce Febre, credo definiri citra experientiam non posse. Quam quia præ manu non habeo, ἐπέχω. Tu autem, qui definire id voles, memineris ejus quod est II. Prorrh. t. XXX. αἱ δὲ δυσεντερίαι ξὺν πυρετῷ μὲν ἦν ἐπίωσιν, πονηραί· *Dysenteriæ vero cum febre quidem si accesserint, pravæ.*

§ 65. Δυσεντερίη ἄνευ ὀδύνης. *Dysenteria sine dolore* num quæ sit, merito ambigunt Interpretes. Videtur enim implicare contradictionem, *dysenteriam* esse & *sine dolore* esse. Diserte Hippocrates l. de Affect. t. XXIV. δυσεντερίη ὅταν ἔχῃ, ὀδύνην ἔχει κατὰ πᾶσαν τὴν κοιλίην, καὶ στρόφος· *Dysenteria quum habet, dolorem habet* æger *toto ventre, & tormen* adest. Dolere ægrum haut equidem mirum est, quando τό, τε ἔντερον ξύεται καὶ ἑλκοῦται *intestinum raditur & ulceratur*, ut noster iterum loquitur III. de Diæt. t. XII. Illapropter est, quod quidam, referente Vallesio, censuerint hinc delendum illud, *sine dolore*, ut codicis corruptione interjectum: præsertim cum l. de Judiciis non reperiatur. Verumenimvero placet mihi judicium eorum, qui hoc in loco simpliciter *diar-*

rhœam intelligunt, seu id Profluvii alvini genus, quod neque sanguinolentas habet excretiones, neque dolorem, nisi forte tolerabilem & fugacem. Etenim ὀδυνη *cruciatum* proprie significat, ceu videbimus in Oeniade. *Dysenteriæ* quoque distinctionem, quod ad *vocem*, dabimus alibi latiorem.

§ 66. Sed quomodo hoc in casu *diarrhœa* sive *dysenteria* & fit & solvit Colicum? *Fieri* puto agitatione ichorum seu colluviei in mesenterio delitentis. *Solvere* vero, colluvie hac in intestina prorumpente & humectante illa & urgente excretionem sui. Qua procedente, quid miri erit, illi flatum involvi, & simul exire? Hoc voluisse Vallesium autumo, cum *dysenteriæ* voce heic intelligi censet *perturbationem alvi*, hoc est, subitam ac liberalem profusionem. Videsis etiam Foësii Oecon. in ταράττειν.

§ 67. Antequam hinc abeamus, occurrendum necessario & *apertæ* Criminationi & *apparenti* Contradictioni. *Illa*, Artis operam: *hæc*, Naturæ concernit. *Illa*, à Cælio Aureliano profecta est: *hæc*, ab Hippocrate ipso. *Hanc* nobis, quia & momenti est levioris & expeditu facilioris & affinis proxime dictis, præmittere visum.

§ 68. Hippocratis ἐναντιοφάνεια putatur esse iis in verbis, quæ leguntur III. de Morb. in fin. t. XV. Ubi hæc repereris: ἰὼν δὲ τοῦ εἰλεοῦ ἀφέντος, πυρετὸς αὐτὸν ἐπιλάβη, ἀνέλπιστος. ἴσως γὰρ καὶ ἡ κάτω κοιλίη λυθεῖσα, ἀποκτείνειεν ἄν. Pro quibus Cornarius: *Quod si volvulo amoto, febris ipsum corripiat, desperatus est. Fortaßis enim & inferna alvus soluta ipsum occiderit.* Si enim ita est, quei aut *Febris* sperabilis, aut *Alvi profluvium* salutare est? Non est, si idem utrobique casus est. Non est: sed alius heic, alius ibi. Ibi de *Volvulo* agitur, quæ sit Inflatio: heic, de *Volvulo*, quæ sit Inflammatio. Quæ *inflatio* est, ei & Febris & Diarrhœa convenit, quam Natura facit. Quæ *inflammatio* est, ei nec Febris nec Diarrhœa convenit, quam Morbus non facit. Inflammatio sine febri non est: imo inflammatio est febris, ut dixi ad Arist. IV. 17. A qua diversa est, quæ corripit εἰλεοῦ ἀφέντος *cum Volvulus abit* vel *abiit*. nihil enim vetat utrovis modo interpretari. Inflammatione sedata, quæ denuo invadit Febris, haud dubie fundatur in colluvie prava mesenterii: quæ torquente Volvulo & æstuante Spiritu moveri

moveri potuerit, non promoveri. Quæ curationi ad tempus concedens, si ad indolem deinde redeat, novamque febrim suscitet, *desperatus* æger est. Fractus enim viribus tolerare furorem morbi gravioris nequibit. Dum interim & ab hoc discrimine se studet Natura vindicare, fieri potest, ut *alvus solvatur* quidem, moriatur tamen æger, dum una profunditur vis vitalis, juxta illud effatum Aph. aut XXVII. lib. VI. aut XIV. lib. V. Quorum rationes vel in totum vel magna ex parte dependent ex Aph. II. 51. Tetigit hanc difficultatem Martianus quoque. quem vide licet.

§ 69. Cælii Aureliani III. Acut. XVII. p. m. 215. *criminatio* ista est. *Secundo libro epidemion multum vini meraci, atque frigidi dari jubet, donec somnus, vel dolor fiat crurum, suspicione causarum sollicitatus: existimat enim vel constituit fieri passionem incendio superiorum, & frigore inferiorum. Contrarias igitur virtute materias adhibendas judicavit, non intuens passionem ex tumore fuisse confectam.* Egregie fallitur Methodicus ille Siccensis, & non in una re. *Caput* erroris est, quod confundat Volvulum sanguineum & flatulentum, inflammationem cum inflatione. De *hoc* agitur II. Epid. De *illo* in III. de Morb. *Hunc* ait fieri τὸ μὲν ἄνω κοιλίης, θερμαινομένης· τὸ δὲ κάτω, ψυχομένης. Quæ debuit Cælius reddere, non, *incendio superiorum, & frigore inferiorum*: sed, *superiore ventre calefacto, inferiore autem refrigerato.* Quis heic *superior venter* dicatur, facile intelligitur ex eo, cum statim initio curationis præcipit καθαίρειν τὴν ἄνω κοιλίην ὡς τάχιστα *purgare ventriculum quam citissime.* Unde intelligere eum oportuit, principium mali esse à Maligna Cruditate intra Ventriculum stabulante. Ad cujus incitationem cum inflammatur ventriculus, & calor omnis huc convertitur, necessario ἡ κάτω κοιλίη *inferior venter* refrigeratur, sive id de Abdomine intelligas quod umbilico subest, sive, quod malo, de Intestino colo: nam & hoc illa appellatione venisse priscis ostendi II. Physiolog. IV. 71. *Denique* dari vult, *non* Vinum frigidum, *sed* Volvulo frigido, ceu evicimus ab initio. Et in hoc nimis equidem inconsiderate sequutus est fidem codicis corrupti, & aliis auctor extitit errandi.

VIII.

VIII.

Tisameni Colica.

Hippocrates III. Epid. II. 6.

Ἡ παρὰ πτερμῷ γυνὴ κατέκειτο, ἧς τὰ εἰλεώδεα δυσφόρως ὥρμησεν. ἔμετοι πολλοί. τὸ ποτὸν κατέχειν οὐκ ἠδυνάτο. πόνοι περὶ ὑποχόνδρια. καὶ ἐν τοῖσι κάτω κοιλίῃσι πόνοι. τρόφοι ξυνεχέες. ὑπὸ διψώδης. ἐπεθερμαίνετο. ἄκρεα ψυχρὰ μέχρι τέλεος. ἀσώδης. ἄγρυπνος. οὖρα, ὀλίγα, λεπτά. ἀφικχωρήματα, ὠμὰ, λεπτὰ, ὀλίγα. ὠφελέειν οὐκ ἔτι ἠδυνάτο. ἀπέθανεν.

APUD *Tisamenum mulier decumbebat, cui volvulosa moleste concitabantur. Vomitiones multæ. Potum retinere non poterat. Dolores circa hypochondria. Et in inferioribus secundum ventrem dolores. Vermina perpetua. Non siticulosa. Incalescebat. Extrema continenter frigida. Anxiosa. Pervigil. Vrinæ, paucæ, tenues. Excreta, cruda, tenuia, pauca. Iuvare non amplius poterant. Mortua est.*

COMMENTARIVS.

§ I.

NOMEN *morbo*, quem proponit historia, Colico præscripsi: non ex seculi more, sed amore temporis antiquissimi. Quod quoties respicio, fateor, suspicio: veneratus quidem illius σοφολογίαν, detestatus autem nostri λογοσοφίαν. Non possum aliter vocare studium, quod docentium hactenus nonnullos, discentium tenet plurimos, excolendi imo excolandi Verborum subtilitates, Rerum vero veritates

tates atque utilitates aut negligendi aut deglutiendi. Quantum abſimiles ſunt illi gemmariis, qui emtori incauto pro adamante arnhemium, pro vero ſpurium obtrudunt? hi pueris, qui longo & difficili itinere ad littus excurrunt, concharum teſtulas collectum, quas abjiciant à triduo? Mirum! non tandem illis contingere, quod pueris in Euangelio (Lucæ VII. 32.) ut canant tibiis, & nemo ſaltet: non hos intelligere, quam operoſe & ſumtuoſe nihil agant. Imo nec mirum. *Verba*, ait Symmachus Epiſt. IV. 7. *rebus ſunt faciliora.* Facilitatem omni in re amamus omnes. Doctori quid facilius quam nectere nodos, & ambiguam ſignificationem verbis alligare, deinde diſſolvere? Sed hoc revera quid eſt, niſi ſedere volentibus officioſe ſubſellia ſupponere & ſubtrahere furtim? Audi juventus: cujuſcumque ſermonem videris circa terminos, rejectaneos rerum cortices, ſollicitum accuratumque, ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. In arduis virtus liquet. Debes illa ſequi, ſi hanc vis aſſequi. Vetus ſapientia in oculis habenda. Illa verbis, ut occaſione, utebatur: inepta ad fallendum ſciens, niſi inter diſputandum: ſciens, *ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri:* ſciens, *nihil iſtas cogitationes ad medicinam pertinere*; & id *eo diſci, quod qui diverſa de his ſenſerint, ad eamdem tamen ſanitatem homines perduxerint*, ut recte apud Celſum in proœmio ſentiunt Empirici. Priſcis cura verborum, rerum erat ſollicitudo. Nec alia intentione nos de Nomine verbum præmittimus, niſi ut conſtet de Re.

§ 2. Quemadmodum igitur Inteſtinum re unum, appellatione eſt geminum, ob propria quædam utrivis: ita Affectio, qua de nunc & in quarta egimus, una eſt, ſed facimus geminam, cum ob Partem cui inſidet, tum ob Curam qua indiget. Ibi cura erat non diffamandi præſidia, quæ multis fuere ex uſu: heic erit monſtrandi illa, & uſum rectum. Ibi pars laborans, Ileum: heic, Colon eſt. Licet enim (quod & ante monui) fieri non poſſit, ut non aliquid mali propter vicinum malum patiatur alterutra; Tenuioris inteſtini inflammatio, inquam, non ad Plenius propagetur, neque hujus ad illud: multum tamen intereſt, utra in parte morbus inceperit. Quem uti ab ileo Iliacum, ita Colicum à

colo vocamus. Quid ni liceat enim hoc ex mente eorum, unde rem accepimus? Nam *colicum*, quem nunc appellamus, Tiberii edicto innotuit primum, ut è Plinii lib. xxvi. cap. 1, constat. Hoc ipsum tamen si se probare consuetudini nequeat, & ad vitandam homonymiam, nominetur *Volvulus colicus*. Habeat *nomen* à Symptomate: *cognomen*, à Parte affecta.

§ 3. Cæterum intendenti ad scopum *duplex* obtentum velum cerno, quodque necessario ante mihi submovendum, si ferire velim. *Alterum* à Pragmaticis est: *alterum*, ab Interpretibus.

§ 4. De *Pragmaticis* Salii verba sunt l. de Aff. part. cap. xi. *Omnes scribentes ex Galeno lib.* vi. *de Loc. aff. cap.* ii. *&* in vi. *Aph.* xliv. *& aliis locis habent, hanc affectionem intestinis tenuibus (ex quibus præcipue in hoc morbo intestinum ileon patitur) propriam esse: cujus ratione hic morbus à læsa parte nomen desumens, ut habetur* ii. *Meth. med.* i. *dictus est ileos. Huic sententiæ non acquiesco, quoniam video, omnes prædictas causas, quæ in intestinis tenuibus ileum, eamdem in crassis etiam producere posse.*

§ 5. Alterum contra nos præjudicium fecere *Interpretes*, qui in hoc conspirant omnes, *Volvulum iliacum* esse, qui describitur hoc casu. Me, quam vellem κακὸν ὀχεύμενον μὴ κινέειν *malum bene positum non movere!* quam vellem videri non altius sapere! Sed sicuti athletarum bonus habitus non est à Natura: sic neque omnis interpretatio ab Arte. Et sicuti plenitudine speciosus ille videtur, periculosus est: sic interpretatio quæcumque mala in arte, quo plurium suffartum est consensu, eo plura ægrotantibus damna creat & irreparabiliora. Quare sicuti illum solvere haud cunctanter jubemur, quo rursus initium novæ nutricationis corpus sumat, Aph. i. 3: sic professis artem, qua nulla magis confert ad vitæ usum, quæque ad salutem humanam ut inventa est, ita exerceri debet, hæc cura atque necessitas incumbit, ut palam & intrepide, auxilio Dei freti, eamdem purgent à commentis speciosis, fermentis noxiis. Quod & nos dum intra modestiæ limites conamur, nihil equidem præsumimus, quod ad nostrum non pertinet munus.

§ 6. Quod ergo ad *primum*, pedibus eo in sententiam Diversi,

versi, diversam à vulgi: vel hoc nomine; & quod hic soleat εἰς δόξαν μᾶλλον, ἢ τἀληθὲς ἀποβλέπειν· *opinionem magis, quam veritatem spectare*, ut ex vero notat Manuel Imp. cap. LXXXIX. Quam cum neque heic ille videat, quamvis à Salio monitus, age excitemus argumentorum stimulis è veterno.

§ 7. DEFINITUR Definit. Auctori εἰλεὸς, φλεγμονὴ ἐντέρων, ὥστε μήτε φύσας, μήτε διαχωρήματα διεξιέναι, στροφοὺς δὲ ἰσχυροὺς παρακολουθεῖν καὶ ἀλγήματα ὑπερβεβηκότα. *Volvolus* est *inflammatio intestinorum, quæ neque flatus, neque excrementa pertransire sinit, quin tormina valida doloresque excessivos excitet.* Adeo certum ab omni ævo fuit, *intestinorum* in censu *crassum magnumque*, quod κόλον eapropter vocant, haberi, ut easdem ob causas, ceu prærogativas, ἔντερον simpliciter Hippocrates vocarit VI. Epid. IV. 3. Huic etiam accidere *inflammationem*, expressim docent quæ supra IV. 36, citavi è l. de Affect. t. XXII. *Volvolus fit quando confertum stercus comburitur.* Inquies: hinc probari quidem, *Scybala* esse causam volvoli: sed incerte, utrius. Ergo perge ad hæc: καὶ τὸ ἔντερον, ἅτε τούτων ἀθρόων ἐνεσκληκότων, περιοιδέει. *Et intestinum, quippe his confertis inobduratis, inflammatur.*

§ 8. Sed neque scio quemquam esse inter eos qui ante Galenum & post ipsum aliquot seculis vixerunt, qui Colicum ab inflammatione non agnoverit. Videsis ad Aretæum II. Caus. acut. VI. & II. Curat. ac. V. Celsum l. IV. c. XIII. Cælium III. Acut. XVII. Aëtium tetr. III. s. IV. c. XXVIII. Trallianum l. X. c. I. init. Actuarium l. IV. c. VI. Nonum c. CLXXI. Quin Salius de Aff. part. c. XI. ipsum Galenum scribit Ileum VI. Aph. XLIV. & VI. Loc. aff. II. tribuere Intestinis tenuibus non ex propria sententia, sed antiquorum, & hoc patere consideranti loca. Imo III. Epid. II. 7. non acceptasse hanc, sed clare asserere, Ileum etiam in crassis fieri intestinis. *Cui opinioni*, addit, *ultra ea quæ nos vidimus & notavimus, adstipulatur historia à Ioanne Famelio enarrata de eo, cui intestina, ex copia pituitæ obstructa, ileon & omnimodam fecum retentionem induxerunt. Hoc enim secto, inventum est colon ipsum, non intestina tenuia, hac materia oppletum & obstructum.*

§ 9. Habemus textum expressum in Medico, cap. XIII. εἰλεὸς

Unable to display this page

quæ sine dubio è mss. fuit fideliter adornata. Faciundum id propterea fuit, quia recentiores videri volunt emendasse primum colon. Noviſſimæ edunt: *videmus hominem doloribus cruciatibusque alvi, quod Græci calon dicunt, & febri simul adrapida afflictari*, &c. Consentienter iis, quæ sunt lib. XVII. cap. XI: *aridiora ex iis recrementa in alvum convenire, quod Græce κῶλον* (non κῶλον, ceu ostendimus II. Physiol. IV. 72.) *dicitur.* Critici viderint, & quibus ad membranas datur aditus, an non scriptum fuerit: *videmus hominem doloribus cruciatibusque alligari, quod Græci κωλικὸν dicunt, & febri simul adrapida afflictari, spirituſque & anhelitus è pectore ejus evadere, gemituſque ex eo compreſſos erumpere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam adverſus dolorem.*

§ 12. Frequens apud Latinos occurrit *alligari* pro haberi obnoxius seu adeo adstrictus alicui rei, ut cedere aut concedere ad aliam non liceat. Heic Agellium respexisse ad Medicorum loquendi modum, verisimile est: quibus *haberi à morbo*, est in potestate ejus esse. Sic *alligari doloribus & cruciatibus* est miserrime & crudeliſſime ab his haberi & pati. Non aliter Belgæ: *hy is deerlijk aen 't kolijk vaſt.* Hoc enim Græci κωλικὸν πάθος: unde Medicinæ restauratores semibarbari, *colicam paßionem* dixerunt.

§ 13. Cum vero Philosophum dicit *febri simul adrapida adflictari*: ostendit clare, laborasse Inflammatione coli. Huic enim, non ei qui ex flatu est dolor, *febris* adjungitur *adrapida*, hoc est, valde acuta & vehemens vireſque rapiens sævitia cruciatuum. Videturque morbi vis tanta fuisse, ut *spiritum* fecerit *turbidum.* Videbant enim spiritum è pectore evadere. In febribus vero videri spiritus nequit, nisi turbidus. Hippocrates πνεῦμα θολερὸν vocat ter: l. de Humor. p. 115. l. 2. & 1. Prorrh. 1. 4. & Coac. 49. *Qui* quid sit, non vidi qui docuerit. Nostro olim è conceptu, eoque juvenili, non pœnitendo tamen, qui conatus est dicere, non potuit, non exercitatus satis in Hippocraticis.

§ 14. Quamvis vero tanta esset & vis morbi & anxietas cordis, tantum tamen abfuit, ut quid Stoica patientia indignum admitteret, aut impatientiam voce aliqua significaret, ut ipsi *gemitus* in pectore *compreßi, ex eo erumperent*, non emitterentur.

§ 15. Atque hoc modo quidem si verba Auctoris & concipiantur & accipiantur, magnum quid faciunt ad αὔξησιν roboris animi, quo se ille Stoicus induebat, aut potius induere studebat supra naturam humanam, imo & *contra voluntatem, contraque judicium animi*, ut bene judicabat quisquis ille juvenis è sectatoribus Tauri.

§ 16. Quanto fortius qui Christo nomen dedimus, sensu dolorum, & recordatione ac pœnitudine peccatorum, cujus illi sunt merita, Naturæ liberum facimus suos gemitus emittere, ut simul Spiritus sua suspiria adjungat & amittat ad Illum, qui lubenter nostros gemitus audit suspirantes & rogantes, *Quousque, Domine, oblivisceris mei etiam atque etiam: quousque occultabis faciem tuam à me. Aspice, responde mihi, Domine; Deus mi, Illumina oculos meos, ne dormiam mortem:* Psal. XIII. 1. 3. Christiani est, *gloriari in infirmitatibus suis*, II. Cor. XII. 15, non in *carnificina sui*.

§ 17. LOCUS *dolens* porro si sit is, ubi situm est Colon, quis hoc laborare neget? Hippocrates III. de Morb. XV. ᾧ ἔχει ὀδυνᾶται μάλιστα μὲν περὶ τὰ ὑποχόνδρια· *Habetque dolorem maxime quidem circa hypochondria.* Ad quæ repositum esse utrumque Coli flexum ignorare non potuit, qui hominem τὰ κόλα ἔχειν οἷα κυνὸς, μείζω δέ· *Crassa habere instar canis, sed majora* scivit: VI. Epid. IV. 6. & de Nat. oss. VI.

§ 18. CAUSAS vero quod attinet, cum totum Intestinum ab iisdem ramis habeat Arterias, ab iisdem Venas: quid impedit, cur non æque ad inferius quam superius irruere exæstuans fonte suo sanguis possit? inprimis si quæ causa dolendi est in hoc intestino, immuni altero?

§ 19. SIGNA denique sive *symptomata* evincunt veritatem quam profitemur. Colon inflammatum ὅτε τὰ ἄνωθεν πινομένων φαρμάκων δέχεται, ἀλλὰ ἀνεμεῖ, ὅτε τὰ κάτωθεν προσφερομένων κλυσμάτων δέχεται· *neque per superiora assumtum medicamentum recipit, sed revomit: neque ex his, quæ per inferiora subduntur, ullum admittit*, ceu notat Hippocrates ibidem loci. Ut brevis sim, quia multa restant, adscribo iterum Salii verba. *Vomitus secum in omni ileo exitiali superveniens, potius attestatur, crassa intestina in eo affici*

quam

quam tenuia: in tenuibus enim materia succosa & coctioni & distributioni & alimoniæ apta, in cujus gratiam hæc condita sunt, contimetur: at in crassis materia vere stercorosa coadunatur, in hisce alvi feces speciem primum & nomen habent. Huic sententiæ adstipulatur Galenus III. *Fac. nat.* XIII. *ubi docebat, in ileo stercus à loco infra ileon intestinum existente, quod erit crassum, ascendere ad partes superiores, & hinc vomitum causare.*

§ 20. Ex hactenus dictis paret, quam vere dictum sit ab Aretæo: ἀτὰρ ἢ κήλῳ τὰ αὐτὰ πάθεα γίγνεται, ἢ ἡ αὐτὴ συμμορφή. *Sed & in Colo eadem passiones fiunt, omniaque similia adsunt, & eadem facies rerum est.* Quarum? ἃ μὲν τοῖσι λεπτοῖσιν ἐντέροισι ξυνεμπίπτει, *quæ tenuibus intestinis coincidunt.* Ratio est in substantia & structura. In quibus cum intestinum crassum à tenui non differat, quei non iisdem affectibus utrumque sit obnoxium? Vide nos in II. Physiolog. IV. 55.

§ 21. Quando constat igitur ex istis cum rationibus tum auctoritatibus experientia subnixis, & quas plures adferre possum, *dari* Volvulum colicum: sequitur, ut & alterum dubium submoveamus atque ostendamus, *Colicum* fuisse, ex qua obiit, cujus propositum imus historiam quam miserabilem tam *admiratione & discussione dignam*, judicio Mercurialis Præl. Pis. ad Epid. hist. XXIII: *non modo propter morbi acutiem ingentem, verum etiam quia Hippocrates de ætate nil dicit; de vita anteacta, minus; aut de quoquam alio, ex quo possimus colligere aut saltem conjicere, quæ faciunt ad universum morbi statum.* Hoccine judicium Practici est? Ego ne quidem in Cathedrario toleraverim, quique medicinam fecisset nulli. Non decebant Virum nugæ: dixit quod dicendum, quod sciendum erat. Nostræ curæ erit, ut liqueat.

§ 22. *Apud Tisamenum.* Editi legunt: ἀπὸ ποταμοῦ, *à Tisameno*, scilicet *veniens*, ut II. Epid. II. 7. Prætuli, ἀπὸ ποταμοῦ: tum quia codices plurimos ita habere testatur Foësius: tum quia id placere omnibus Interpretibus video: tum quia magis est ex Usu loquendi passim, nedum medicis recepto. Illud ἀπὸ verò significet ne *apud*, id est; domi, an *prope* seu in vicinia Tisameni, nihil interest ad rem. Me in prius inclinare rubrica ostendit, & facit.

facit usus quem dixi: & in hoc satis præsidii est mihi contra Mercurialem. qui τῷ *apud* admisso, hoc tamen negat indicare, *quod in domo Tisameni esset, sed quod domus, ubi erat ægrotans, prope domum ipsius Tisameni esset.* Festus: *Apud, mutuam loci & personæ conjunctionem significat: ut cum dicitur cœno apud amicum.* A qua phrasi quid differt hæc, *decumbebat apud Tisamenum?* Grammaticis *apud* est ab *apo*, comprehendo: quia *apud* notat comprehensionem & contactum rei. Scaliger de Caus. LL. cap. CLVII. *Apud, fuit, ad pedes.* Haut ergo dubium, decubuisse in domo Tisameni, non viciniæ ejus. quod Hippocrati est κατά. ut videre IV. Epid. t. XXIV. ubi ὁ κατὰ μηδοσαδέω recte exponitur, *qui prope Medosadam* habitabat aut decumbebat.

§ 23. Quis fuerit *Tisamenus*, tam bene Hieronymus novit, acsi habitasset, ubi decubuisse ægram somniat. *Tisamenus Eleus erat ex gente Iamidarum, qui & ipsi medici erant, & artem aruspicinam callebant, ac ob alia clara facinora omnibus notus.* Nota sunt hæc ex Herodoti Call. l. IX. p. 229. Sed unde constat, *nostram* apud *hunc* decubuisse. Cum enim τὸ Τισάμενος sit ὄνομα κύριον, ut Suidas notat: unde constat ita fuisse huic *proprium*, ut præterea homini non sit impositum? Quia *illud certum est, Tisamenum, de quo Herodotus, vixisse Hippocratis ætate, ut is fuisse facile potuerit.* In scholis ajunt: *A posse ad esse non valet consequentia.* Hæc sunt otiosorum.

§ 24. *Mulier.* Rursus ille: *utrum virgo, an nupta, an alterius conditionis esset, non dicit Hippocrates, vel ob modestiam, vel quia ignoraret. Ignorasse* quis credat? inprimis cum *conditionis* notitia plurimum conferat ad notitiam causæ, & ipse hanc jubeat ἀνερωτᾶν αὐτίκα ἀτρεκέως *interrogando protinus bene exquirere*, l. de Morb. mul. t. LXVII. fin. unde & ipse repetis in com. ad Progn. t. I. p. 111. 576. *Modestiam* vero non servet, qui præcipit aliis l. de Med. t. II. 24. *Pudicitiam* non servet, qui in castitatem jurat l. Jur. t. II. 25? non servet in dictis, qui vetat in factis, ibid. n. 30? Sed ecquid vel *immodestiæ* est in virgine, devirginata, nupta, prægnante, pariente, puerpera, aut cujusvis alius conditionis, vel in muliere simpliciter appellanda *honestatis majoris?* ut ais ad Melideæ

lideæ hist. XIV. p.102. Imo, dicis, *debent medici, qui curant mulieres, non tam oculos & manus, quam animum habere castos, ut vix, quas curant, cognoscant & nomina propria ignorent.* Prius certe juramus & rogamus Deum, det nobis *fedus pangere oculis nostris*, Ijobi XXXI.1. Absit vero, ut cognoscamus, quas curamus. Harum vero nomina ignorare, nescio quid honesti habeat: nisi forte ubi in pretio lenonia est, & claustris serisque opus habet facile expugnabilis pudicitia. Sed videamus, annon expresserit ægræ conconditionem noster.

§ 25. Γυνὴ scriptoribus Græcis, ut *mulier* Latinis, pro *conjugata* aut *marita* dicitur proprie. Musæus v.287. Παρθένος ἡμαπάτη, νυχίη γυνή· *Virgo diu, noctu mulier.* Confer ad Theocritum Id. XXIII.65.& Aristænetum Epist.II.7.& Longum l.III.Pastor. Quinctilianus Inst.VI.4. *Cicero objurgantibus quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset, cras mulier erit, inquit.* Ulpianus l.alioquin. D.de contr. emt. *Quid si ego me virginem emere putarem, cum esset jam mulier.*

§ 26. Hinc vero est, quod sæpe pro *uxore*, interdum & pro *sponsa* accipiatur. Pro *uxore* sumit Homerus Od. ζ.183: versibus cedro dignis.

Ἢ ὃθ' ὁμοφρονέον τε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή. πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' ἀμφιέπησι· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.
Cum bene conveniunt animis, cum pace fruuntur
Vir mulierque domi, tristique dolore fatigant
Invidiam, exhilarantque bonos, & nomen honestum
Acquirunt sibi.

Uxoris est & Virum vitæ societate exhilarare, tanquam adjutorium ei datum divinitus, & Prægnatem fieri ac parere, liberisque domum implere, ac civibus rempublicam. Unde haut dubie Socrates apud Platonem in Cratylo p. m. 284. B. γυνὴ δὲ, γονή μοι φαίνεται βούλεσθαι εἶναι· *mulier vero, mater mihi videtur esse velle.* Imo vult: ut & *vitis fructifera* (Psal. CXXVIII.3.) laudem & pariendi fructum consequatur *salutem æternam*, promissum sibi 1.Tim. II.15, *si maneat in fide & charitate ac sanctificatione cum*

modestia. Reddebam vero τὸ γονὴ, *mater*, præeunte Hesychio, & Γονὴν, γένεσιν, μητέρα, καὶ τὸ σπέρμα, *genituram, matrem, ac semen* exponente. Pro *sponsa* sumit Matthæus Euangelista cap. 1. 20. 24. Ignatius in Fabulis:

Ἀνὴρ γαλῶ γυναῖκα πρὸς δόμους ἄγει·
Sponsam maritus mulierem ducit domum.

§ 27. Non memini, ubi γυνὴ pro *virgine* simpliciter dicatur. Hoc me Mercurialis si docuisset, habuissem ei gratias. Inquies: Servator mundi, in secula benedictus, maledicto è ligno alloquens adstantem matrem appellat γύναι, Joh. XIX. 26: at hæc procul dubio *virgo* fuit. Sic pie credimus, fuisse intaminatam, imo intactam viro. Similis compellatio Joh. II. 4. Dices, compellasse heic ceu *feminam*: nam sic quoque ea vox accipitur. Non puto tamen hoc significatu heic accipi, quod Mater Domini publice haberetur *mulier*, atque *uxor* Josephi, Matth. I. 20. sive *vidua* jam iis in nuptiis esset, quod verisimilius, sive sola sine marito illis interesset. Neque obstant mihi Aph. V. 32. 33. & qui præterea sunt tales loci, quibus tales traduntur casus, in quos virgo æque ac devirginata potest incidere. Γυνὴ heic, ut ante, *sexus* nomen, non *conditionis* ejus est.

§ 28. At apud Latinos etiam *virgo* dicta fuit *mulier*. L. 13 ff. de Verb. sign. *Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur.* Jurisconsulti similiter accipiunt § 7. l. quæritur. ff. de Ædil. ed. *Mulierem ita artam, ut mulier fieri non possit, sanam non videri constat.* Video heic discrimen: at, quod prætendunt lexica, non video. Primo loco *mulier* dicitur, cujus naturam vir exploravit, si non penetravit. Etiam commissu fit mulier, non tantum admissu viri. *Virgo* non est, quam vir cognovit, quæque didicit verba nupta. Tanta floris virginei teneritudo est, ut ne primoribus quidem digitis libari se patiatur, quin auditu ipso contaminetur, ut apud Heliodorum IV. Æthiop. p. m. 180, Chariclea respondet patri. Cyprianus de Hab. virg. p. m. 154: *Virgo non esse tantum, sed & intelligi debet & credi: ut nemo cum virginem viderit, dubitet an virgo sit.* Ergo ne *virginem* quis suspicetur, quæ viri venit in domum ac potestatem?

§ 29. Ex

§ 29. Ex istis certum puto, *maritam* fuisse, de qua in præsens sermo est Hippocrati: non tamen *uxorem* Tisameni. *Nomen* ignorasse credo. Nam appellare suo quemque solet, cum novit, & à marito aut hero uxor aut ancilla dici non posset. Medicis quidem haut quidquam est familiarius, quam ignorare nomina mulierum. Etiam meminisse eorum sæpe non solemus, licet audiamus. Nam cui bono vel hoc vel illud? An verisimile est, *hospitem* fuisse apud Tisamenum? Talium raro nomina, nisi magna sint, novimus aut noviſse desideramus.

§ 30. *Decumbebat.* Hoc dicere Græci Latinique solent de eo, qui valetudine impeditur suis negotiis interesse. Verum enimvero cum multa habeam circa eam rem notanda, & mereantur illa observationem singularem, dicam hac de re ex professo. Sed *cur decumbebat?* quærit heic Phrygius. *Quia*, inquit, *detinebatur volvulo. Neque enim sunt ex iis morbis, qui dant inducias: sed ex iis, qui statim, ac invadunt, ægrotantes decumbere cogunt.* Hoc peracutorum est. Quo in genere haud dubie Coli quoque inflammatio est. *Cujus* hanc historiam esse non dixissem, si mihi æque ac Phrygio liquerent heic *apertissima inflammationis intestinorum tenuium indicia.*

§ 31. *Cui volvulosa molestè concitabantur.* Mercurialis de hoc ne gry: sollicitus interim ex qua causa ortum sit malum. Etiam Vallesius præterit pede sicco. Foësius hoc annotat: *Certas quasdam morborum affectiones & notas, quæ affectum ipsum circumscribunt, & ex quibus vera morbi natura elicitur, sic sæpe proponit Hippocrates.* Ego ad *causam & modum invadendi* refero. *Volvulosa* enim dicuntur quæ apta nata sunt volvolum facere, ceu monui exerc. v. 115. Clarum hoc ex Aretæo: quem morbi causis adstituere εἰλεώδεα, ante vidimus. Ista cum primum inciperent, *molestè concitabantur*, h.e. cũ omnis generis afflictione invadebant & invalescebant. *Omnia enim nomina quibus fastidia cordis & corporis explicantur;* ἄσση, ἀλυσμὸς, ἀπορία, ῥιπασμὸς, ἀδαιμονία, βλησεσμὸς, μελεωδεσμὸς, *nausea, tædium, anxietas, jactatio, desperatio, inquietudo, exsurrectio; omnia*, inquit Duretus 1. Coac. 2. p. m. 4. l. 10, *sub nomine continentur* δυσφορίας, *non solum in idea symptomatum prædictorum, sed in ip-*

ſorum cauſa; ut ſiti, dolore, cordis morſu, ardore, dyſpnœa, oppreſſione viſcerum, corporis gravitate, & cæteris, quæ moleſtiam ægris pariunt intolerabilem. Statim igitur ab initio apparuit, quanto hæc mulier malo corriperetur, & quam evaſu difficili. Unde pene certum mihi, originem habuiſſe ex *ſanguinis maligne putridi* ſive *corrupti* fervore & exæſtuatione in has partes. *Morbus* itaque morbo *connexus* fuit, Volvolus colicus Lipyriæ febri.

§ 32. VOLVULUM fuiſſe, ut nemo dubitat, ſic neque dubitare ſinunt, primò, quod adeſſent

§ 33. *Vomitiones multæ.* Mercurialis: *ſiquis vomit, non protinus eſt Iliacus: ſed qui multos vomitus habet, hoc eſt, frequentes copioſos atque varios, de eo dubitari poteſt.* Merito. Quia enim ventriculo ſubjuncta inteſtina ſunt, paret conſenſus neceſſitas. Quod ſi vomitiones iſtæ nulla fere arte compeſci queant, & alvus adſtricta eſt, de eo jam dubitari vix poteſt. Secundò, quod

§ 34. *Potum retinere non poterat.* Τὸ ποτὸν quidquid potui datur: *ſive* Potus vere; *ſive* Cibus ſorbilis, quo ſemper ægros, præſertim acuto quopiam morbo detentos, alebat Hippocrates; *ſive* Potio medicata. Quale quale eſſet, *retinere non poterat.* Impletus quippe eo ventriculus preſſit inteſtinum: hinc doloris exacerbatio: hinc irritatio Naturæ ad excuſſionem moleſti.

§ 35. COLICUM fuiſſe probant mihi, primo, quod eſſent

§ 36. *Dolores circa hypochondria.* Autopſia oſtendit, Colon è dextris inanibus ſe elevare ad cava Hepatis & contactum Veſiculæ, hinc ſub Ventriculi fundo tranſverſim pergere ad confinia Lienis, & hinc deorſum, iterumque ſurſum ad Renem, tandem ad Rectum deſcendere. Satis ergo *ſitus* Doloris demonſtrat affectum Craſſum fuiſſe inteſtinum, non Tenue. Hoc enim laborans prodit ſe locis ſupra & infra umbilicum. Hoc ipſum ſignum habuimus ſupra ad cognitionem Volvoli propoſitum; heic exemplo confirmatum. Secundo, quod ſentirentur

§ 37. *Et in inferioribus ſecundum ventrem dolores.* Iſta quid velint, non intellexeris, niſi expoſitis pene ſingulis verbis.

§ 38. *Ventrem* intelligo non totum, ſed Ventriculum. Quamvis enim ita ſit, ut Mercurialis ait, *cum inteſtina ſint ſibi ipſis continua*

tinua vix unam partem ipsorum affici posse, quin simul & aliæ afficiantur: hæc ratio tamen non cogit sic interpretari, & quidem invitis quæ adduntur. Nam si in toto fuere dolores, quid vult *secundum ventrem?* quid *in inferioribus?* Τῆς κοιλίας vocabulo interdum *ventriculum* venire, præter Celsum testis Philotheus in com. aph. XV. lib. I. & Erotianus in κοιλίη. Utriusque verba reperies in Oecon. Hipp. si neutrum habes. Mecum heic Phrygius est in Hist. Epid. part. II. ægr. IX.

§ 39. *Secundum*, heic idem, quod juxta vel prope est. *Prope* enim, quod positum loco secundo. Ventriculo proximũ Colon: illud nempe, quod hypochondria interjacet, cuique ille ceu *inferiori* insidet. Curatio docet, in Colica Tiberiana quandoque dolores in dextro, quandoque in sinistro hypochondrio, quandoque *in inferioribus secundum ventrem* magis excruciare. Ne quam suspicionem igitur dolores circa hypochondria facerent Jecoris & Lienis vel solum vel primario affecti, addit etiam fuisse ea in parte Intestini, quæ prope ventriculum inferius est.

§ 40. Phrygium miror, apprehendisse hanc veritatem & sivisse de manu tamen elabi. *Quod scribit secundum ventriculum, id est, post ventriculum: quod idem est, ac si diceret, inter umbilicum & ventriculum, qui locus est præcipue* [nota] *patiens.* Viden' tenere verum? At, quam non retinet! *Etiam dici posset infra secundum ventriculum, id est, post secundum ventriculum. Nam & intestina dicuntur quodammodo ventriculi, propter ipsorum cavitatem, quod videtur Galenus confirmare* IV. *de Usu part.* XVIII. *Tota etiam cavitas per ventrem intelligitur, quæ est infra thoracem, & includitur etiam venter qui coctioni inservit, uti Galenus habet* VII. *Aph.* LV. *Ergo, cum dicit infra secundum ventriculum, aut intelligit totam cavitatem, aut dicitur de tenui intestino, quod secundum est post ventriculum, cum succedat jejuno: idque mihi magis probabile videtur, cum gracilia intestina præcipue affici ex omnium consensu habeamus.* Absque hoc præjudicio si fuisset, pedepressius verum fuisset persecutus, neque tam facile ad inania dilapsus.

§ 41. Tota illa expositio niti videtur ignorantia linguæ. Ne trivialis quidem ἐν τοῖσι κάτω τῇ κοιλίῃ exposuerit *in his quæ*

infra secundum ventriculum sunt : id enim Græci dicerent, ἐν τοῖσι κάτω τ δωδεκέος κοιλίης. Ecquis vero umquam *Intestinum tenue* dixit *secundum* h. e. *alterum ventriculum?* Fieri potuit, ut aliquis eorum qui Duodenum soliti erant ἔκφυσιν τ γαστὸς *processum ventriculi* appellare, Intestinum tenue *secundum* à ventriculo dixerit. Quod si & istud concedamus, *Intestinum tenue* heic per *secundum ventriculum* venire : major existit difficultas. Quæ enim sunt illæ partes, quæ *infra secundum ventriculum*, seu *infra intestinum tenue* sitæ, pati, quæ dicuntur, queunt ? Neque enim illud, ἐν τοῖσι, vacat in textu. Tertio, *colicum* fuisse probant

§ 42. *Vermina perpetua.* Spectat hoc ad *proprietatem* Doloris, à qua non parvum indicium inter alia Partis affectæ capere Galenus jubet 1. Loc. aff. v. Hoc dictu facile : non item, quid audire per τρόφους oporteat. Lepidum caput, qui dubites ! Quid aliud quam *tormina?* Annon ita omnes acceptant? Celsus aph. XI. lib. IV : reddens lib. II. cap. VII, *ubi circa umbilicum intestina torquentur,* τρόφον *Græci nominant.* Non possum diffiteri. tamen non placet. Si enim per *tormina* intellexit, cruciatus & dolores intestina torquentes ac velut divellentes laceranteque : quorsum tertio repetivit? Non ille mos Hippocrati, non ob singularem rationem idem dicendi in historia. ubi revera emphasin suam habere singula debent.

§ 43. Placet *vermina.* Festus : *Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi à vermibus scindatur. hic dolor Grace* τρόφος *dicitur.* Hoc vidisse Bened. Victorium & ninihilominus *vermina* exponere (com. ad Aph. VI. 44 :) *vehementes dolores & fortes cruciatus*, mirum est. *Vermina* continentia sunt, non vehementia. In his insignis *proprietas* est. Familiaris & communis *utrique intestino* est dolor torminosus. *Colo* proprius & rarus, verminosus. *Torminosus* excruciat magis membranea : *verminosus* in carne est, quæ plenior Crassis. *Ille,* raro non à flatu : *hic,* numquam non ab acri humore. Talis fuit, qui huc confluerat Sanguis maligne putridus, & putredine fervoreque bilioſus. Sic reddere etiam Aph. IV. 11, oportet, non *tormina* cum interpretibus. Casus quippe est Mesenterii leviter inflammati,

mati, sive potius igneſcentis uredine quadam fecis melancholicæ huc depoſitæ. Matth. Martinus refert ad *prognoſtica* Colici doloris nothi: non recte. Namque dolor hic ut ſymptoma illius ponitur aperte ſatis in aphoriſmo.

§ 44. Cæterum vermina iſta *perpetua* cum dicit, bis autem *dolores* cauſatur: ex eo, hos quidem per intervalla repetiviſſe & torſiſſe vehementius, non citra cauſam quis exiſtimet. Argumento mihi, quod *ſubinde incaleſcebat*. Quo autem tempore videbantur quieſcere *tormina*, aderant *vermina*. Ut enim *illa* à Sanguinis pravi & efferi ad inteſtinum confluxu: ita *hæc* fiebant ab eo, qui cumulatus in Colo firmiterque fixus inceſſanter creberrimis punctionibus ſic lancinat, ut arrodi videatur velut à vermiculis. Furoris illius & languoris quaſi in ſanguine vices cauſam habent malignitatem.

§ 45. FEBRIM, quæ aderat, *lipyriam* fuiſſe arguunt, primo illud

§ 46. *Incaleſcebat*. Τὸ ἔνδον addit heic ſignificato, dicitque vim caloris exurentis internas corporis partes, & quidem magis magiſque. Secundo, quod eſſent

§ 47. *Extrema continenter frigida*. Hoc ſignum eſt Cauſi malignisſimi, inquit Galenus IV. Aph. XLVIII. Hic eſt, qui λιπυρείας dicitur ὅτι τὸ λείπειν τὸ πῦρ ἐν τοῖς ἄκροις, *ab eo quod deficit calor in extremis*. Scilicet inteſtino bello ardens Natura potiores omnes copias in vitæ præſidia contrahit, omnino pauciſſimis ad limitum tutelam relictis. Sicuti vero populus graviſſime efferatur, cum uritur annona: ſic incendio viſceris quod ſubminiſtrare toti alimoniam debet, comes eſt ſingularis δυσφορία & moleſtia atque anxietas incredibilis, quamvis ex parte ſpectabilis in jacendi habitu, omnis figuræ & loci & ſitus impatientiſſimo, inque difficili tolerantia omnium ſymptomatum, quæ inferuntur ab illa inflammatione & interceptione officii ad vitam tuendam neceſſarii. Hanc enim eſſe Lipyriæ cauſam docet Galenus l. de Criſ. II. 7.

§ 48. Quod ad verba notandum, primo, *aliud* eſſe τὰ ἄκρεα, *aliud* τὰ ἔξωθεν. Sub *illis* continentur, præter manus ac pedes, frons, nares, auriculæ. Sub *his* etiam univerſitatis ſuperficies, excepto

excepto thorace seu ventre medio imoque. Deinde, *aliud* ψυχρὸν esse, *aliud* περίψυχρον. *Frigidum* dicitur, quod segne est & pigrum in movendo. *Perfrigidum*, quod velut gelu obriguit & factum est immobile. *Vtrumque* ejuscemodi est *vel* Firmiter fixo & stabili frigore, *vel* Tali quod subinde permutatas cum calore fugaci gaudet habere vices. Denique, *aliud* περιοδικὸν, *aliud* esse συνεχὲς frigus. *Periodicum* familiare febribus est intermittentibus. *Continens* semper est *vel* à Systrophica viscerum phlegmone, *vel* à Causo, *vel* à Lipyria febre. Huic mulieri ab omnibus fuit. Tertio, quod esset

§ 49. *Anxiosa*. Qualem se proculdubio prodidit fastidio & contumacia miserabili in eos qui præsto erant; quin & omnium rerum impatientia insolenti, more illorum quos præ animi occulto dolore etiam in secunda valetudine tædet subinde eorum quæ prius placuerant. Quarto, quod esset

§ 50. *Pervigil*. Sperabilis somnus non est, ubi Spiritus furit & urit tanto æstu sanguinem: ubi deinde, ad illum exstinguendum, nihil adfertur.

§ 51. MALIGNAM fuisse indicio fuit, quod *non sitiret*. Ubi enim gravis sitiendi necessitas est, ubi tantum in parte ventriculo contigua incendium est, ubi tam vehemens in sanguine æstus est, omnino sitim oportet esse inextinguibilem. Nullam esse, malignum est. Soboles quippe pessimæ cacochymiæ & proxime ad pestilentem accedentis. Quod vero prius dicatur *Non siticulosa*, quam *incalescebat*: id extra omne dubium ponit *malignitatis* argumentum. Si enim eodem ordine nobiscum illud Hippocrates recensuisset, videri poterat à Magnitudine morbi profectum, quod *vel* nulla sensio causæ sitiferæ excitata *vel* resoluta esset vis cupida potionis. Illud in delirantibus, hoc in morientibus frequens admodum. Historiæ itaque convenientior ordo Naturæ: doctrinæ, Methodus prudentiæ.

§ 52. Quæ ab *urinis* & ab alvo *excretis* signa sequuntur, *communia* sunt omnibus enumeratis, quamquam non eâdem efficaciâ significent singula, sed certius alia, alia incertius. De *urinis* admonitio Galeni est in comment. *Memineris eas inspicere in omnibus ven-*

ventris, thoracis, pulmonis, ac nervorum affectibus. Nam bonæ si videntur, magnum præbent momentum ad salutem: sin pravæ, adjiciunt & ipsæ ad ægrotantis periculum.

§ 53. In hac muliere *Vrinæ* erant, primo, *paucæ:* tum ob exhaustam omnem sanguinis rorulentam humiditatem, à febris æstu quo incanduit: tum ob defectum potus, isti fervori imò furori sanguinis necessarii. Potus autem heic deficit, quia sitis non est. Sed & alibi cum assumitur, vel absumitur in intestinis & ab horum incendio flagrantibus viscеribus, vel in siccos flatus resolvitur, vel cum bile revomitur. Atque ita nihil non eorum significarunt, quæ ista in muliere erant scienda.

§ 54. Deinde, *tenues:* cum ob consumtionem pituitosi illius, quod aquosis seri partibus permixtum confert ad corpulentiam urinæ plurimum: tum ob facultatem coquendi collapsam. Et hanc ob causam quis arbitretur factum, quod *coloris* nulla mentio. Non ita tamen est. *Tenues* Præceptor *urinas* appellat, quæ revera sunt tales, aquosas, crudas, decolores. Unde simul quandoque jungit λεπτὰ, καὶ ἄπεπτα, καὶ ἄχροα, II. Epid. I. 25. Quales uti nullum præsentis, sic neque futuræ coctionis signum præ se ferunt, ut bene subnotat Vallesius. Ubi vero sperabilis non est coctio, nec est evasio.

§ 55. Urinis respondent *Excreta, cruda, tenuia, pauca.* Ubi protinus se magna difficultas ingerit contra nos. Si enim ita est, ut audivimus exercitatione quarta affirmare Galenum & suo infortunio confirmare Aristippum, proprium esse atque inseparabile Ileo, nihil deorsum excerni: quei dici mulier ista potest laborasse Ileo? Ista difficultas Mercuriali expressit ista: *certe hoc non est facile intellectu, nisi dicamus id ipsum dixisse de dejectionibus, quæ ante morbum factum exibant, quasve fuisse tales consonat rationi.* Nihil æque dissonat rationi, ac interpretatio hæc menti Hippocratis. Cujus mos non est antegressa morbum novissimo referre loco, nec indicatâ memorandi causâ.

§ 56. Vallesius eumpse nodum ense rescindit, non solvit arte. *Mirum,* ait, *quod volvulo tanto laborans, dejectiones habuerit. Nam, ut diximus, nihil omnino solent per sedem emittere. Sed neque hic fuit*

pars quæpiam excrementorum, expultricis facultatis vi præcipue pulsa, sed tenue quiddam & crudum, ut quidam ichor, calore hepatis & mesenterii liquescens. Atque ita fuerit ἐκ τῶν ἐπιγινομένων κακοηθευομένῳ τῷ πάθει, *ex his quæ superveniunt malignescenti affectui*, ut Galenus loquitur in commentario.

§ 57. Sed, meo judicio, quod cum meliori tamen lubens commutavero, fuere *excreta* Signum morbi per se minus gravis. Verissime Hofmannus III. Inst. CXLVII. 13: *In leviori malo etiam fluidior est alvus.* (vidi in Sibrando Petri ter.) *Nihil descendere est signum morbi desperati.* Ergo soluta huic alvus spem præbuit evadendi à volvolo, si modo abfuisset malignitas, soboles latentis alicubi cacochymiæ pravæ. Quam cum mitigare non posset, conaretur tamen Natura, quædam *excreta* sunt, sed *cruda, tenuia, pauca:* qualia esse solent, ubi vel prærepta occasio coquendi est, vel collapsa virtus. Nunquam vires sunt debiliores, quam cum sanguine putrido. Nunquam citius deficiunt, imo ruunt in perniciem, quam illo insuper incenso. Abs quibus heic si fuisset, sperabilis salus fuisset. Nam revera Volvolus colicus, comparatus cum Iliaco, non tantum non est lethalis, sed & sanabilis, non tantum in initio, sed & in progressu. Nam & cum sedem fixit, ob loci conditionem transire in abscessum potest. Nec dubium mihi, quin isthuc tendant novissima verba, licet alio trahant Interpretes.

§ 58. *Iuvare non amplius poterant.* Galenus in comm. legit, ὠφελέειν οὐδὲν ἠδύνατο. Huic consentire duos codd. mss. ait Foësius. Sed reapse non interest, οὐκ ἔτι an οὐδὲν legas. Interest, quomodo accipias. Foësius scribit: *Nil amplius juvare poterat.* subscribit: *quæ desperatam ægram nullisque evictum remediis morbum cedere potuisse significant.* Vallesius vertit: *non erat remedio locus.* quod in com. repetens ait: *Tantus erat morbus, ex quo tam cito mortua est, ut nullus fuerit remedio locus.* In eumdem sensum Mercurialis: *Hippocrates cum dixit urinas & excretiones alvi fuisse tenues & crudas, quis non videt hæc signa necis futuræ suspicionem? ita ut merito statim subjunxerit nullũ remedium sibi contulisse, atq; ipsam interiisse.*

§ 59. Atenimvero, si hoc modo exponenda verba sunt, dicere

cere debuit, ὠφελέεσθαι οὐκ ἔτι ἠδυνάλο *juvari non amplius poterat.* Nunc dixit, ὠφελέειν, active. Quo verbo se suamque operam si intellexit, quare dixit ἠδυνάλο, in tertia? Mihi hic sensus verborum videtur. Quibus in volvolo nihil deorsum exit, ii pernicioſe laborant. Quibus autem alvus aperta est, licet in discrimine versentur, desperandi tamen causa non est. Si enim exeant, quasi a oportet, confert & facile ferunt: sive à Natura ista educantur, sive ab Arte. Si vero Excreta non substantia, non quantitate, non qualitate faciunt spem coctionis, nec spes esse salutis potest. Sola namque coctione Morbi acuti viam, duce Natura, inveniunt ad crisin. Quamvis igitur mulier hæc non incideret in illud *Miserere mei* quod vocant barbari nostri, in vomitum stercoris inquam: quod alvi apertæ beneficium est: *excreta* tamen nihil amplius juvare poterant, aut conferre quidquam ad causam morbi principalem demendam corpori. Ergo

§ 60. *Mortua est.* Non tam Volvoli acerbis cruciatibus devicta, quam Causi maligniſſimi circumventa fraude. Quoto die autem? Nil refert scire. Ideo nec subnotavit Dictator. Nam hoc malo; quam dicere cum Mercuriali, *oblitum fuisse, vel non habuisse otium:* scilicet, ad unum verbum adscribendum! Non male tamen ille contra Vallesium negat, ita statim mortuam esse, ut vix dies interfuerit. Nec improbo hactenus rationem, quam adfert ex Aph. XLIV. lib. VI. Ubi Hippocrates: *quibus ex stranguria volvolus supervenit, in septem diebus moriuntur, nisi febre superveniente abunde urina fluxerit.* repetitur in Coacis sent. 475. Hinc infert: *ileus suapte natura est exitialis; multo exitialior est, si alteri superveniat: si igitur ileus, quando exitialior est, non interimit statim prima die: multo minus potuit ileus hujus miſellæ prima die eam interimere.* Nec solet fere, ante tertiam quartamve: etiam quando Volvolus est iliacus & vehementiſſimus. Verum hanc miſellam repentinus Virium collapsus præcipitavit in exitium. Unde mirum videri non debet, si obierit secundo aut tertio summum die: quod Galenus suspicatur. Aphoriſmum laudatum nuper exposuimus.

§ 61. Hactenus, ni fallor, subductis velis, omnium ante oculos exhibui veritates, quas ab initio proposui. Tempus est, ut

Methodum *curandi* Volvolum ſanabilem proſequar, & in totum me data fide liberem. *Sanabilem* dico, reſpiciens ad Naturam, cujus opus eſt *ſanare* ſeu ſanitatem redintegrare & velut reddere ægrotanti. *Curabilis* enim omnis morbus eſt, quamvis ſanari nequeat. Artis eſt *curare*, ne quid Naturæ, morborum medico, deſit eorum, quæ indiget ad ſecretionem & excretionem cujuſcumque rei corpori alienæ atque noxiæ. Morbi *curabilitas* à cognitione dependet. Hippocrates l. de Arte xx. 96. ὅδ' ἦν μὲν ἀρκέσῃ πρὸς τὸ ὀφθῆναι, ἐξαρκέσει καὶ πρὸς τὸ ἰαθῆναι. *Quiſquis fuerit par cognoſcendo, erit & abunde curando.* Morbum quem novi, ſi curare non poſſum, oſtendo Artem me vix ſemidoctum. Artis nobiliſſimæ partes ſunt, Methodus cum inveniendi tum adminiſtrandi remedia, quibus acceptis Naturam ſuperare Morbum poſſe ſpes eſt, niſi jam ante ſuperata ſit à morbo. Hoc caſu enim nihil non fruſtra fit à Medico: quare nec oportet apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti: II. Meth. med. IX.

§ 62. *Methodum* quia profiteor, hoc eſt, certam, tutam, brevem viam reducendi Volvoloſos ad ſanitatem priſtinam: hujus vero carceres ſunt Indicationes: oportet has indicare primum. Quod ita conſtitutum eſt facere, ut præliminio pauca quædam de *illis* in genere dicam, atque *fontes* oſtendam unde promanant, & deinde veniam ad rem, quam ago.

§ 63. *Indicatio* eſt monſtratio juvantis. Si hoc eſt *officium* Indicationum, *monſtrare juvans*: non merentur equidem hoc nomen, quotquot *inutiles* habemus in arte. *Tales* vero ſunt cujus cujus generis Genericæ omnes. Præter quas tamen earumque nuda nomina, vix aliquid docetur hodie Juventus noſtra. Sub examine rogatus, *quot* ſunt Indicationes? magiſtraliter reſpondet, ſi dicat, tres: *Conſervatoria*, quæ à Viribus; *Præſervatoria*, quæ à Cauſa morbi; & *Curatoria*, quæ à Morbo ipſo deſumitur. Sed ecquid majus reſponſio talis dicit, *quam quod ſit cuilibet ex plebe notum?* diceret Galenus VI. Meth. med. II. *Non enim ſcire, quid fieri oporteat, id magna res eſt, cum hoc omnibus hominibus natura inſit: ſed, quibus rationibus id efficias, id vero ſcire artificum eſt.* Certe eſt, & quidem unice neceſſarium, *quid* Morbus hic, & *in hoc*

Ægro,

Ægro, & *hoc* Tempore requirat. Nam, ut bene Celsus lib. III. cap. I. monet, *illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt.* Quod vero *huic* conveniat, id est quod scire nemo nisi per Indicationes potest. Empirici habent sua *secreta*, quorum si nullum respondeat, exhausta ars est. At quanta res sit Rationalis indicatio, & quam dives ad medicamentorum copiam parandam, non tantum Galenus VI. κ. πόπ. I. dicit: sed & ostendit III. κ. γόν. II.

§ 64. *Iuvans* dicitur, quo auxiliamur Naturæ: hoc est, vires ejus augemus, excitando aut confirmando, donec expulerit hostem Morbum & amicam Sanitatem redintegrarit.

§ 65. In *juvante* quolibet tria nobis occurrunt distincte cognoscenda, perque Indicationes investiganda: *videlicet*, Remedium ipsum, Materia remedii, & Rectus usus materiæ. E *quibus* Principale primum est: cætera, Minus-principalia. *Principale* dicimus, ratione non sui, sed fundamenti quo nititur, seu Indicantis quod suggerit. Nam *indicata* si conferas inter se, & æstimes ex se, nobilissimum est noviſſimum. *Rectus usus* enim est & anima Materiæ & vita Remedii & forma Utriusque. Quod enim *hæc* Materia remedium, *hoc* Remedium auxilium, & vere existant & recte dicantur, hoc totum habent ab Usu recto. Non interim heic executionem spectamus, sed inventionem: non rem, sed originem: non Indicatum, sed Indicans.

§ 66. *Indicans* quippe seu fundamentum *principalis* Indicati, seu potioris partis Juvantium, est Essentia rei nocentis: *minus-principalium* vero, Connexa essentiæ.

§ 67. *Essentiam* docere definitio debet. Profecto, qui sic Morbum quemcumque definiunt, ut non singula verba præbeant *Indicationem* eamque *utilem*, Principalem vel Minus-principalem: magno suo immerito Rationales medici audiunt: Empirici sunt, non ex ratione medicinam invenientes; verum, post inventam medicinam, rationem quærentes. Cæterum *essentia* Morbi indicat *Remedium*, seu Quid agendum.

§ 68. *Connexa essentiæ* sunt duûm generum: τὰ Ἐπιπρώδη nempe, καὶ τὰ Περιστατικά. *Priora* rursus sunt duplicia: Conjuncta

essentiæ, vel Adjuncta. *Conjuncta* morbi, quæ quidem ab *essentia* ipsius sunt inseparabilia, ut Magnitudo, motus, mos, indicant *Materiam remedii*, seu Quo agendum. *Adjuncta* morbo sunt Causæ vel Symptomata: *hæc*, Antecedentia; *illa*, Consequentia. *Neutra*, qua talia, indicant. Non *causa*, qua causa: quia egit, non agit. At non agens, non nocens, non indicat. Manifesta res in Causa procatarctica est. quam recte negant indicare: quia affecit & abiit. Non *symptoma* deinde, ut symptoma: quia tantum est umbra morbi. Nam ut umbram dimovere frustra laboramus, corpore non remoto: ita & symptoma. *Vtraque* rursus indicant, quatenus nimirum aut Morbus sunt, aut Morbi vices gerunt. *Morbus* est re ipsa, quæ, ratione effectus, dicitur Causa conjuncta aut antecedens interna. *Morbi vicem* gerit Symptoma quodcumque habet aut speciem Morbi aut efficaciam Causæ. Istis ergo casibus, non aliter ac Morbus ipse, cujus sunt vel Causa vel Symptoma, indicant Remedium quoque, aliud tamen & contra se dirigendum.

§ 69. Supersunt denique τὰ Περιστατικὰ, *circumstantiæ*. Quarum appellatione nos comprehendere solemus *quidquid* ad Indicantis principalis neque Essentiam, neque Essentiæ connexa pertinet. Hujus generis sunt in *Rebus* vulgo *naturalibus* dictis, Proprietas cum Hominis tum Partis laborantis, Vires, Ætas, Sexus, Vitæ genus, & Consuetudo: in *præter-naturalibus*, Morbi tempora, paroxysmi, numerus, & symptomata: in *non-naturalibus* denique, Cœlum & Solum. Hæc sunt, quæ *Rectum usum* moderantur, seu Quomodo agendum indicant. *Rectus usus* vero consistit in *Materiæ* cum *adhibendæ* Forma & Quantitate, tum *adhibitionis* Tempore ac Ordine, si multiplex requiritur.

§ 70. Hoc vero singulariter de *Partibus affectis* notandum, indicare variis modis. Quatenus enim *Partes* sunt, indicant Remedium: quatenus *tales* sunt, puta nobiles vel ignobiles, Materiam remedii. Quatenus vero *affectæ* sunt, indicant Locum adhibendi auxilii. Quod non ita accipiendum, acsi *præcise* Partibus affectis debeant auxilia applicari: non, sed fundamentum sunt prudenti conjecturæ ad Remedii materiam adhibendam iis locis,

qui

qui maxime juvando ſunt; ſive ſint Affecti ipſi, ſive in Vicinia poſiti, ſive Longe remoti. Obſtrigillatorem audio: *Vnum, qua unum.* Novi optime. Nolo tamen nunc reſpondere, vel ulterius mihi dicta proſequi. Scribimus hæc doctis: tirones lacte fovendi. Hiſce igitur in tranſitu præhabitis, rem noſtram deinceps agamus, &, quas ſuggerat Volvulus indicationes, videamus. Interim rogo te cum his, quæ dixi, quæque ſum dicturus, conferre Jul. Guaſtavinium 1. Loc. de Med. ſelect. XIX.

§ 71. Cæterum, ut oſtendam, quemadmodum *Indicationes* contineantur in *definitione* Volvuli, repetam hanc & in ſua elementa, hoc eſt, in *indicantia* reſolvam. *Volvolus eſt inflammatio inteſtini.* Logicis canonibus (ſupra quam fert uſus medicus & hinc dependens τρόπος ἐπιστήμης) adſtricti mallent, credo, per *phlegmonen* definiri, vocem ambiguitati non obnoxiam. Namque *verbalia* iſta apud Latinos ſignificant & *Motum* qui fit & *Terminum* qui factus eſt; videnturque incertum facere, utro modo accipere debeas. Sed hoc ipſo conferunt plurimum noſtris rebus. Nam & Morbum comprehendunt, & Cauſam morbi. *Morbus* eſt Sanguis ſtagnans in inteſtinis. *Hunc* morbi Cauſam continentem vocant fautores ejus. Revera eſt Morbus ipſe, præbens Indicationem curatoriam, non præſervatoriam. Intemperies quippe, in qua vulgo collocant Principale morbi, merum Symptoma eſt, cum Sanguine accedens & recedens. *Cauſa* morbi eſt Spiritus & Sanguis fervens in Vaſis majoribus & hinc in Partem affectam nunc majore nunc minore impetu ac copia impulſus & magis illam magiſque afficiens. Hæc Conjuncta cauſa eſt ſeu προηγουμένη proxima. Nam remota ſeu Antecedens eſt, quæcumque iſti fervori fermentum ſubminiſtrat, Dolor & doloris auctor.

§ 72. Viſis indicantibus, videamus *Indicationes* à ſingulis illorum profluentes. *Inteſtinum*, pars affecta, poſtulat Roborationem. *Sanguis* in eodem *ſtagnans*, Fluxionem liberam. *Spiritus fervens*, Tranquillationem. *Sanguis* fontibus ſuis *exæſtuans*, Refrigerium: *impetu magno* in partem laborantem *ruens*, Revulſionem; *minore* quidem, ſed immodice adhuc *influens*, Averſionem.

nem. *Dolor*, Mitigationem. *Doloris auctor*, Remotionem sui.

§ 73. Indicationibus inventis, etiam *Indicata*, hoc est, Remedia & remediorum Materiam è triplici sylva, Diætetica, Pharmaceutica, Chirurgica, legendam ostendamus atque operi nos accingamus.

§ 74. *Removendo* auctori doloris sua cuilibet remedia debentur: de quibus mox, quantum hæc tractatio requirit.

§ 75. *Incipienti* inflammationi an repellentia & refrigerantia conveniunt? Sic censet Salius de Aff. part. XI. Mihi & ratio & experientia persuasit, vix aliud damnosius consilium esse, etiam in externis inflammationibus, inprimis si quid ἐρυσιπελατῶδες subsit. Interim non nescius, ita præcipere & Medicos passim eorumque ministros Chirurgos.

§ 76. *Mitigando* dolori serviunt Clysteres, fomenta, insessiones, balnea, sacculi, cataplasmata, emollientia & humectantia. Galenus Med. c. XIII. τὰ πολλὰ ὑ ἐξιπίαις ϗ καταπλάσμασι τοῖς ἀνιεῖσι ϗ λύουσι τὰς φλεγμονάς. Interpres: *plerumque abstinentia, & cataplasmata mitigantia & inflammationem discutientia* sunt auxilio. Rana cum grillo. Quid enim *abstinentia* & *cataplasmatis*? Græcum ne est, ἐξιπία? Non certe. Legam, donec aliud docear, ἀξυγίαις: ac reddam, *Sæpe vero axungiis ac cataplasmatis mitigantibus & solventibus inflammationes* curandus. Quem ἀξυγία offendit, ceu æque barbarum; ei monstro ad Galenum VII. κ. χρόν. V. ὀν παλαιᾶ στάτου δ καλεμένε πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφήνως ἀξυγία, *ex veteri sevo, quod ab omnibus nunc usitate axungia dicitur*. Glossarium vetus: *Axungia*, λίπος ἐν ᾧ τὰς ἄξονας χρίουσιν. Isidorus XX. Orig. II. *Axungia, ab* [axis] *unctione vocata*. Cæterum *veteri sevo* plus esse efficaciæ ad mitigandas inflammationes, ex eo Galenus de Simpl. fac. XI. 3, qua de Pinguedine, docet, quod χρονίζον ἅπαν στέαρ ἑαυτῷ γίνεται θερμότερόν τε καὶ λεπτομερέστερον, ὥστε καὶ διαφορητικώτερον, *inveterascens omne sevum seipso fiat & calidius & tenuiorum partium, ut & resolventius*. Axungiæ vero usus est non per se, sed in cataplasmatis. Galenus ibidem loci cum dixisset, *Pinguedinem* καθ' αὑτὸ ἐνέργειαν ἐγγὺς ἐλαίου τοῦ δυνάμιν, μαλακτικώτερον μέλιτος ἐλαίου, καὶ πεπτικώτερον εἶναι, *in operatione proxime oleum posse, sed magis*

magis oleo emollire ac maturare: protinus ſubdit, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς πρὸς φλεγμονὰς ἀφιστᾶσιν καταπλάσμασι μίγνυται, *& hac propter his quæ inflammationibus congruunt cataplaſmatis miſcetur.* Supra omnia eſt *Omentum* è bene pingui ac vivo vervece extractum & ventri quam calidiſſime impoſitum. Celſus jubet *demittere totum hominem in oleum calidum. Si dolor non quieſcit, etiam in alvum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos calidi olei dare.* conſulte.

§ 77. *Averſioni* conveniunt cum in pede Vena ſecta, tum Cucurbitulæ abdomini admotæ. Celſus: *Remedium eſt ſanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute inciſa. Id enim duobus aut tribus locis ſatis eſt.* De *loco* Venæſectionis Alexander lib. x. cap. 1. p. m. 589: *Porro ſi ſupprimi contingat præ magnitudine inflammationis, etiam urinas, non eſt inſolens ſecare venam in malleolo aut circa tarſum. Sæpe enim nobis ſic facientibus, & alvi excretio, & urinarum facta eſt.* Recte quidem, ſed ſubducto prius Venis, quod abundabat. Præcedere enim debet ἐξ ὅλου τοῦ σώματος καὶ μετὰ μικρὸν ἡ κένωσις, *ea vacuatio quæ ex toto corpore & paulatim* ſanguinem auferat, & impetus vehementiam retundat.

§ 78. De *cucurbitulis* Aretæus: *Cucurbitulæ parvæ quidem ſint, ſed crebræ, aliæ juxta alias admota ad epigaſtrium, ad ilia, inguinibus tenus: quin poſterius ad coxas uſque, ad renes & ſpinam.* Salius male ſentire ait, qui Cucurbitulas *abdomini* applicant: male ſentiens ipſe, hinc attrahi materiam ad læſum membrum, ideoq; *artubus* admovendas eſſe. Recte interim Petr. Fr. Phrygius in Hiſt. Epid. p. 11. ægr. 1x. ſub finem admonet adoleſcentes, *ne præcipitanter in hujuſmodi caſibus Cucurbitulis utantur: quia, etſi ex Alexandro ſit veluti incantamentum cucurbitula ventri admota* (in Colica quidem inflatione, non inflammatione: vide p. 581.) *animadvertere oportet ſæpiſſime contingere, ut repleto corpore, magna admota cucurbitula major humoris quantitas trahatur, & ſæpe non exiſtens inflammatio concitetur. Eſt enim validiſſimum remedium ad attrahenda ea, quæ intus ſunt, ad extimas partes. Et propterea, ſi corpus ſit plethoricum, eſt id remedii genus ſuſpectum. Et vidi ego bis ægrotantes graviſſime affectos ex cucurbitulæ admotione, & alterum mortuum* (cujus hiſtoriam narrat ſub finem, mox ante Curationem.) Facile autem credo vidiſſe:

Unable to display this page

quierunt, tum demum uti cibo pleniore, sed neque inflante, neque duro, neque valido, ne intestina adhuc imbecilla lædantur, potui vero nihil præter puram aquam. Nam sive quid vinolentum, sive acidum est, id huic morbo alienum est. Ac posteà quoque vitare oportet balneum, ambulationem, gestationem, cæterosque corporis motus. Nam facile id malum redire consuevit, & sive quem frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur. Omnibus *victus* ab initio sit tenuis, refrigerans, emolliens.

§ 84. Sed roget forte tiro, Unde *incipiendum* in tanto concursu rerum poscentium Medici operam? Respondet Galenus Meth. med. aurei operis lib. VII. cap. XII. *Vbi ab aliquo affectuum haud parvum periculum est, præferendum indicatum quod urget (ubi aliud Efficiens postulat, aliud Effectum) tum quod Causam respicit. Vbi vero non interest curari hoc ante illud, quod Ordo dictat. Et in eo quidem indicato, quod urget, spectanda est magnitudo affectus. Magnitudo autem triplex est: Vna, ex Functionis læsæ præstantia: altera, ex Propria affectus essentia: tertia, ex Facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. In eo autem indicato, quod Causam respicit, considerandum, quodnam ex his, quæ inter se implicata sunt, aptum natum sit augere aut gignere reliqua, quodve rursus ortum suum vel augmentum ab illo accipiat. In eo denique quod Ordo dictat, quid ante quid, aut quid cum quo, aut quid post quid possit sanari.* Quorum sane nullum latere potest ei, qui legitimas è rebus Indicationes eruere novit, & collocare ordine.

§ 85. *Secundo* sciendum, Non in omnibus ægris omnibus remediis esse locum, sed *delectum* instituendum, atque aliis & aliis pugnandum, prout cujusque ægrotantis res & circumstantiæ postulare videbuntur. Hoc vero est, quod non potest dici, sed debet disci. Disci inquam marte magis suo & ducibus natura, doctrina, exercitatione; quam magistris quantumvis fidis. Ut interim viam præmonstremus, Cynosura nobis erunt Causæ, à quibus nasci primum malum solet. Causæ inquam antecedentes & sua præsentia morbum augentes foventesque.

§ 86. Quotquot enim è longinquo dumtaxat concurrunt, ut *Ætas, Sedis refrigeratio, Anni tempus, Aëris contagium*, non nisi

περιφάσεις sunt vel ἀφορμαὶ, neque quidquam indicant. *Obesitas* extenuationem licet requirat, non patet tamen subitis remediis & huic tanto malo necessariis. Nam, ut bene monet Aretæus II. Cur. acut. v. χρὴ ὧν μήτε σμικρότερόν τι γίγνεσθαι τοῦ ἰητροῦ τὸ πάθος, μήτε βραδύτερον· *Oportet neque minorem in ullo reperiri medicum morbo, neque tardiorem.* Hæc est illa ἀκρίβεια, quam Præceptor exigit Aph. 1. 6.

§ 87. Si itaque morbum *Corrupti cibi* accersunt, *Venæsectione* Aretæus abstinere suadet: *Vomitu* autem, ex aqua & oleo, frequenter uti. De *Vomitu* consilium placet. Ratio placendi, quam Celsus habet lib. 1. 3: *Vtilis est vomitus plenis & bilio sis omnibus, si vel nimium se replerunt, vel parum concoxerunt. Nam sive plus est, quam concoqui possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet. Si vero corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via expelli primum potest, ejicere.* Placet & de *Materia vomendi.* quia revera hoc in casu *satis est ea vomitus causa sumi, quæ sanis quoque sumenda essent,* ut iterum Cornelius ait lib. II. cap. XIII. Aretæus: ἐμέειν δὲ ὑδατος θερμοῦ, συχνὸν πίνειν ἔλαιον, εἶτα αὖθις ἐξεμέειν· *Vomendum ab aqua frequenter, bibendum multum olei, iterumque revomendum.* Cui ergo vomuisse proderit, si ex facili vomit, aquam tamquam tepidam ante debet assumere: si difficilius, aquæ vel oleum adjicere vel ex Aceto syrupum, vel Asari pauca folia incoquere.

§ 88. Circa *Venæsectionem* cauto opus est. Non differenda enim, si à vomitu dolores non sensibiliter remittant. Mittatur interim sanguis parcius, & iterato potius.

§ 89. Postea subducantur *Enematis*, quæ inter vomendum ad inferius intestinum descenderunt, aut pridie erant congesta. Sint illa emollientia valde, doloremque mitigantia, nihil aut parum irritantia. Egregium Hadr. Mynsichti est sect. XXVI. 29.

℞. Decocti hordei,
Lactis, ana Lib. semis.
Succi Plantaginis Unc. unam.
Sævi hircini Unc. semis.
Philonii Persici Drachm. unam.
Sacchari rubri Unc. unam & semis.

Olei

Olei rosacei Unc. tres.

M. f. Clyster.

Aëtius ante cibum, per ampliorem fistulam & copia pro ratione corporis largiore, etiam ad duas heminas infundi jubet. Observavit Forestus XXI. 16. Foris *fomenta* atque *inunctiones* conveniunt, & *balnea* aquæ dulcis. Vide sis ad eumdem & ad Ballonium I. Cons. LXIII. Intus *oleum* Forestus ex Amygdalis dulcibus & recens dat.

§ 90. Concedente morbo, quietis humoribus, ad *purgationem* reliquiarum, Mannam. Notatu dignum præceptum est quod Alexander inculcat lib. x. cap. I. p. 569, & 589. *Si affectus colicus cum inflammatione fiat, omnino non audebis purgans dare, præsertim non in initio. Qui enim id ausi sunt, periculorum autores ac mortis facti sunt agrotantibus.* In fine morbi, ante somnum & ad Ἀναφόρησιν, Theriacam. *Alimenta* sint jusculata temperata & insulsa.

§ 91. Si aut *Venenata* aut *Venena* noxam hanc crearint, *Vomitoria* maxime conveniunt ex cerevisia cum butyro oleove aut amygdalino multo. Post hæc *Antidota*, præsertim appropriata.

§ 92. Si *Refrigeratio subita* fuerit in causa, *Sanguinis missio*, ait Ægineta lib. v. cap. ult. *protinus adhibita imminens periculum dissolvit.* Inprimis si & *enema* subdatur ex oleo Napi silvestris, & pro *fomento* omentum sit. Calidorum usus, quem aliqui suadent, merito suspectus est. Ego non facile dedero aromatis conditos potus, aut alliata brodia, aliave id genus.

§ 93. Si à *Fecibus* factus est venter durus & nihil excernit, & dolor inferius totum ventrem habet, monet Hippocrates l. de Affect. XXII. *Lavare multa ac calida. Tum bibere quæ alvum movent, & urinam subducunt. Ac clysterem subdere, si recipiat. Si vero non admittat clysterem, fistula alligata collo vesicæ inflare flatum multum. Cum elatum fuerit intestinum à flatu & venter, exempta fistula, injicere protinus clysterem. Quod si recipiat, dejiciet & sanus erit.*

§ 94. *Balneæ* quia digerunt, sedant ebullitiones sanguinis.

§ 95. Cum *bibere quæ moveant alvum* jubet, bibenda cave *purgantia* putes. Celsus lib. II. c. XII. *dejicienda alvus est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua: si leni, ex aqua, in qua fœ-*

num græcum, vel ptisana, vel malva decocta sit. Horum loco nos cum fructu damus *serum lactis* quam recentissimum.

§ 96. *Clyster* subdendus fiat ex Malvis, Violaria, Mercuriali, dulcibus oleis, præsertim Napi silvestris, aliisque similibus blando calore præditis rebus. Quæ si non sufficiant, addatur quod & *scybala* fundat. Hoc præ aliis facit Gemmæ sal. Etiam probata mihi Rulandi formula Cent. x. 99.

℞. Ol. sem. Lini Uncias sex.

Troch. Alhandali Drachm. unam & semis.

Bulliant leviter. Parum ejus umbilico inungatur: reliquum per siphunculum injiciatur.

§ 97. Si infundi clyster nequit ob nimis confertum stercus & refertum intestinum, num hoc *insiandum* prius est, quam injiciatur enema? Ita jubebat Hippocrates. Cujus mentem, additis cautionibus necessariis, exponit Trallianus lib. x. cap. 1. p. 582. edit. Guint. Non intellexit Fr. Sanchez De Morb. III. int. XIII. ideo contradicit: sed rationibus non momentosis. Usos se cum successu scribunt Amatus 1. Obs. c. & Zacutus II. Prax. admir. XXVIII. Illi Salius non multum fidit: nec ego huic. novi virum & venalem plumam. Paschalius 1. de Cur. morb. XL. monet vesicam debere geminam habere fistulam, ut alterâ quidem clysma subeat, alterâ flatus exeat. Hoc si negem me intelligere, non mentior.

§ 98. Quod si æger obstinate nolit clysterem accipere, substituatur *Glans* ex Hieræ Gal. pulvere, ex Troch. Alhandali, ac Sale gemmæ, exceptis melle. Si nihil aut non satis illa possit, ausim cum Rulando, si inter initia malum est, Spiritum vitæ aureum dare, toties ipsi laudatum. Describit Hartmannus in Praxi Chymiatrica, ubi de Ascite.

§ 99. *Cibus* omnis fugiendus non liquidus aut crudus. Potus sit arte calidus, non potentia. Nihil enim utilius humido calore ad emolliendas concretiones.

§ 100. Si à *Flatu* est, discutiendus. In hoc genere laudat Hartmannus *mixturam* ex Spirituum Vini & Salis ana Drachma semis vel Scrupulis duobus, in aqua communi tepida. Laudat Mynsichtus hunc haustum sect. III. 11.

Cons.

℞. Conf. Roſarum rubr. Unc. unam.
Rad. Zedoariæ Drachm. unam.
Aquæ Chamæmeli Unc. quatuor.
Coque q. ſ. & in colaturæ claræ unciis duabus diſſolve
Laudani opiati (ſect. III. 2. deſcripti) gr. ſex.
Specifici colici ſui (ſect. III. 5.) Scrup. ſemis.
Syr. Aurantiorum Drachm. tres.
Olei carminativi ſui (ſect. IX. 2.) gutt. unam.
Spir. Salis nitri q. ſ. ad gratiam.
M. f. Hauſtus.

Ubi & alia vide. Sed patiens quieſcat, ait, licet id ei difficile. Zacutus II. Med. Princ. hiſt. obſ. XVI. mirifice commendat *enema* quoddam. Quod quia revera egregie reſpondet indicationibus, adſcribo formulam pro junioribus.

℞. Vini Canarini,
Urinæ impubis, ana Unc. quinque.
Spiritus Vini Unc. duas.
Balſami Peruviani,
Stercoris caprini, ana Drach. duas.
Sem. Aniſi,
Cumini,
Dauci,
Feniculi,
Seſelios,
Caſtorei, ana Drachm. unam.

Bulliant parum in diplomate & vaſe diligentiſſime obturato. Colaturæ adde

Olei rutacei Unc. duas.
M. f. Clyſter.

Scribonius Largus de Comp. med. cap. 118. præſcribit *in oleo domeſtico incoquere rutam quamplurimam, & hinc caldam heminam adjicere priori aquæ* (nempe cui bene incoctum ſit fœnum græcum) *& utriſque admiſcere aphronitri triti ſeſcunciam, & per clyſteria caldam immittere. Hoc ego*, inquit, *jam ſtercus per os dejicientem ſanavi unguentarii cujuſdam ſervum.* Ego, alterutro clyſtere infuſo,

infuso, suaserim simul *omentum vervecinum* abdomini imponere. Dici non potest, quantum hoc demulceat æstuantia viscera.

§ 101. Si à *Lochiis* retentis est, è vestigio *Sanguis mittendus* è pede, etiam utroque, iterumque. Abdomini *omentum* superponatur. *Enema* injiciatur pure pute emolliens, vel ex solo Amygdalino dulci oleo.

§ 102. Si ab *Hæmorrhoidibus* suppressis est, *Sanguis mittatur* è brachio, bis, ter. *Hirudines* ano admoveantur, aliaque agantur, quæ fluxum earum revocare queunt.

§ 103. Si ab *Ira* inceperit, etiam è brachio *Sanguis* detrahendus, etiam sæpius. Quid si plethorico accidat, num ad animi usque defectionem educere expedit? Forte quis putet ex Aph. 1. 23: quod æger par esse videatur. Postea Syrupus detur è Papavere. Foveatur *omento* abdomen. Subjiciatur simul Mynsichti *enema* sect. xxvi. 28.

℞. Olei Amygdalor. dulc.
Sem. Lini, ana Lib. semis.
Mucag. sem. Cydoneorum cum lacte extractæ Unc. iv.
M. f. Clyster.

Cum stitit fervor sanguinis, nec dolor amplius inquietat, depuretur & depurgetur sanguis à biliosis, quæ concepit.

§ 105. Si præcessit *Intemperies calida*, eodem modo curatio molienda. Sub finem ea ipsa corrigenda remediis propriis.

§ 106. *A Scirrho* malum incurabile est. Etiam ab *Abscessu*. Quei enim tantus effectus tolli queat manente tanta causa? Recte Salius de Aff. part. xi. *Si ex scirrho, cancro, vel consimili tumore evenerit, non recipit curationem, quoniam res eo ducta est ex his, ut ars medica nihil polleat. Hi enim affectus dum ad omnimodam occlusionem intestinorum deveniunt, vel ex se curationem non admittunt, vel si admitterent, hoc diuturno tempore esset peragendum. at morbus hic celeri indiget medicatione.*

§ 107. A *Lumbricis* si forte erit, occurrendum primo venienti inflammationi. Mox illis abigendis studendum. Quibus remediis? Pleni eorum sunt Practicorum libri. Vitanda interim calida.

§ 108. Quid si ab *Ingressu intestinorum mutuo* est, an ex usu esse

potest

poteſt è plumbo globulus deglutitus? Satius eſt & heic & alibi communibus uti & expertis remediis, dubia vero & calumniæ obnoxia circumforaneis relinquere, ut bene ſuadet Sanchez l. l. Qui fallitur, cum hoc remedium recentes nonnullos excogitaſſe putat. Niſi eo in numero habeat Alexandrum quoque, & Cælium Aurelianum. Quorum ille, loco quem citavi, ita ejus meminit, ut appareat vetuſtioris uſus fuiſſe. *Quoniam*, inquit, *nonnulli uſi ſunt καταποτίοις ἀπὸ μολύβδε pilulis è plumbo, neceſſe eſt de hoc quoque nonnihil dicere.* Dicit autem poſtea, *licere iis uti: ſed cum nulla inflammatio infeſtat, & præcipue inter initia.* Cælius III. Acut. XVII. p. 217: *Adjuvat etiam plurimos plumbi catapotium tranſvoratum. Impellit enim pondere, & excludit obtrudentia:* lege, *obſtruentia.* Nam & Alexander non laudat, niſi in Colicis ex duri ſtercoris obſtructione. Quin & ipſe Aurelianus (p. 218.) improbat. *Plumbum vero tranſvoratum premit quidem, atque impellit pondere, ſed tactu neceſſario frigidat, atque inteſtina denſitate coacta vexatione diſtendit.*

§ 109. Si ab aliqua *Hernia* eſt, recte quidem *Venæſectio* inſtituitur, revulſionis gratia: curatio tamen potiſſima conſiſtit in reſtitutione elapſi inteſtini in locum &, ne elabantur iterum, retentione faſcia, funda, cingulo ferreo, prout ſolent qui hernia laborant. Qua de re vide Paræum lib. VII. cap. XV. Rouſſetum de Part. cæſ. l. III. c. III. Francum de Herniis c. XVI. XIX. Hildanum cent. I. obſ. LXXII. Frambeſarium lib. v. Can. tit. VI. diſt. III. conſ. I. Aquapendentem de Oper. chir. p. I. cap. LII. LXXII. LXXIII.

§ 110. Si denique à *Vulnere* eſt, Medici eſt, quamprimum inflammationem omni modo ſedare præſcriptis remediis: Chirurgi, vulnus curare. Quemadmodum vero Inteſtinorum vulnera tractanda ſint, diſcere licebit à Paræo lib. IX. cap. XXXIV. Peccettio lib. II. cap. 80. p. 374. Magato lib. II. cap. LXIX. Foreſto VI. Obſ. chir. VII. Aquapendente Oper. chir. p. II. lib. II. cap. XLVI. aliiſque.

IX.

Cappadox Hepaticus.

Plautus Curc. act. II. sc. 1, 15.

PALINURUS. *Qui hic est homo,*
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?
De forma novi, de colore non queo
Novisse. jamjam novi. leno est Cappadox.
Congrediar. CAP. *salve Palinure.* PAL. *ô scelerum caput,*
Salveto. quid agis? CAP. *vivo.* PAL. *nempe ut dignus es.*
Sed quid tibi est? CAP. *Lien necat, Renes dolent,*
Pulmones distrahuntur, cruciatur Iecur,
Radices cordis pereunt, Hiræ omnes dolent.
PAL. *Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*
CAP. *Facile 'st miserum irridere.* PAL. *quin tu aliquot dies*
Perdura, dum intestina exputescunt tibi.
Nunc dum salsura sat bona 'st, si id feceris,
Vænire poteris intestinis vilius.
CAP. *Lien dierectu 'st.* PAL. *ambula, id lieni optimum 'st.*

COMMENTARIUS.

§ I.

MORTALIUM *sapientissimus* animadversu dignam admodum posteris gnomen reliquit Prov. XIV. 31. Ὁ συκοφαντῶν πένητα, παροξυνεῖ τὸν ποιήσαντα αὐτόν· ὁ δὲ τιμῶν αὐτὸν, ἐλεεῖ πτωχόν· *Qui irridet pauperem, contumelia afficit factorem ejus: at qui honorat ipsum, miseretur mendici.* Nihil vetat *pauperis* appellatione quemcumque miserum intelligere. *Miseria* est, carere animi, corporis, fortunæ dotibus & ad vivendum, valendum, sapiendum necessariis. Sed *ego*, ait Teucer apud Sophoclem Ajace flagellif. v. 1051,

ηγὼ

καὶ ταῦτα καὶ πανθ' ἀεὶ
Φάσκομ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς.
& hæc & semper omnia
Censeo mortalibus molirier deos:

aliis in bonum nempe, in malum aliis. Triclinius ibi: καλῶς τὸ φάναι πάντα κατὰ γνώμην θεῶν γίγνεσθαι. εἰσὶ γάρ τινες ἐπιδοξάζοντες. *Pulchre dictum, omnia ex mente deorum fieri. sunt enim qui dissentiunt.*

§ 2. Hæc si ut sciebant Gentiles, ita considerassent bene, non adeo faciles fuissent in irridendo miserum, imo miseriæ auctorem. Nunc quia γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ἐδικαίωσαν, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, καὶ φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν· *noscentes Deum, non ut Deum glorificarunt, neu gratias ei egerunt, vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est insipiens eorum cor, & putantes se esse sapientes, facti sunt stulti*, inquit Apostolus ad Rom. I. 21.

§ 3. *Stultitiæ* hujus præsigne argumentum passim exhibent Comici scurræ & quotquot plebis aucupio studebant, atque abusui. Quam ut naso velut adunco suspensam circumducerent pro lubitu, nihil non exprimendo risui excogitabant. Hinc non modo jocos undiquaque, sed & dicteria captabant, sic ut sæpe maxime, cum minime expectaret theatrum. Nam somnum spectatores non tenebant, nisi diffluerent risu, & inopinatis salibus excitarentur. Hacpropter, quidquid in mentem poëtis, etiam in buccam veniebat &, licentia quadam intolerabili (præsertim in bene constituta republica) effutiebant omnia, inusitata dicta & obscœna, optimorum cavillationes, singulorum contumelias, sententias perversas, ideoque inexpectatas, aliaque id genus innumera. Neque enim, quod alias divinitus ab Aristotele dictum est l. de Poët. c. v. δ αἰσχρὸν εἶναι τὸ γελοῖον μόριον, *partem turpitudinis esse* volebant *id, quod ridiculum est*. Rationem puto in Quinctiliani dicto esse VI. Inst. orat. III. *quod à derisu non procul absit risus.*

§ 4. Sed ne præfando rem trahamus, videsis Palinuri in persona, quam *procax natura multorum sit alienis in miseriis*, ut ait Plinius l. XXVI. c. I. Vide etiam, quam facile, sed quam turpe sit *mi-*

ſerum irridere, quem *gratioſum reddere miſeriæ* debebant, ut ex vero notat Valerius v. Memorab. III. 3. Denique quam miſerum ſit, *miſeriæ* illum cùm *fructum*, quem propoſuit Apoſtolus Hebr. XII. 11, tum *auctorem* ignorare, quem Parœmiographus monſtravit, & illum juſtificare & laudare in omnibus judiciis atque operibus ſuis. Et hic eſt ille fructus, quem nos decet ex talium lectione nobis fenerari.

§ 5. Cæterum invenit & *Medicus* heic, in quo induſtriam ſuam atque diligentiam exerceat. Hoc fine *hiſtoriam* hanc è Plauto, urbaniſſimo ſcurrarum, recenſemus, ut & Grammaticis præeamus ad intellectum eorum quæ medice in ea dicuntur, & Medicis ad pedes apponamus ignem æmulationis ac merendi laudem non unam in illuſtrandis bonis Auctoribus, quorumque lectu ipſi atque intellectu proficere ſua in arte queunt.

§ 6. HISTORIA, *Hepatici* eſt. Auctori Defin. med. (p. 398. l. 18. Gr. Iſag. p. 47. E. Lat. edit.) dicuntur ἡπατικοὶ, οἷς ἥπατος πόνος παρακολουθεῖ χρόνιος, μετ' ἐπάρματος καὶ σκληρίας, καὶ ἀχροίας τοῦ σώματος· *Hepatici, quos diuturnus jecoris dolor habet, cum tumore & duritia, & pallore corporis.* Iſtis tantum non contraria ſcribit Galenus VIII. κατὰ τόπ. VII. *Hepaticus proprie dictus affectus, ſine præternaturali circa particulas tumore fit, Medicis inflammatione hepar aut abſceſſu laborare aut ſcirrho dicentibus, aut quid aliud tale pati; non tamen Hepaticum vocantibus illum hominem, cui accidit aliquid eorum. Sed quum, citra manifeſtum aliquod in viſcere malum, circa proprias actiones debilitatur, tunc ægrum appellant hepaticum.*

§ 7. Galeno rurſus contrariatur veterum Medicorum & lector diligentiſſimus & cenſor liberrimus Cœlius Aurelianus III. Tard. IV. qua *de Iecoroſis, quos Græci Epaticos vocant, & Lienoſis, quos Splenicos dicunt. Vtraque*, inquit, *paßio à locis patientibus nomen accepit. Siquidem eſt in jecore, vel in liene conſtituta, tumore ſcilicet effecta, ſive collectione, vel duritia, atq; ſaxitate, quam ſcirrhoſin vocant.*

§ 8. Idem, ſi attendimus, Celſus dicit lib. IV. cap. VIII. *Alterius quoque viſceris morbus, id eſt, jecinoris æque modo longus, modo acutus eſſe conſuevit*, ἡπατικὸν *Græci vocant.* Ubi haut dubie *acuti* appel-

appellatione intelligit Inflammationem: *longi* vero, Abſceſſum & ſcirrhum. Confer ſequentia, non dubitabis. Minus, ſi & Priſcianum adeas II. Log. XXVI. Minime vero, ſi Hippocratem ipſum l. de Int. aff. t. XXX. & duobus ſequentibus. Certum quippe agi in illis de Hepatis inflammatione varia. Quod & doctiſſimus Joan. Martinus obſervat in Explic. ad textum priorem, ſibi XXVIII. Neque diffitetur Galenus VIII. x. πόπ. VII. *Primum igitur omnium diſcernendum eſt, num debilitas quædam viſceris adſit, aut alia quædam affectio ipſum apprehenderit, aut citra debilitatem affectum ſit inflammatione, aut induratione, aut abſceſſu, aut obſtructione: quemadmodum &, an eryſipelatodem habeat affectionem, aut ulcus, aut corruptionem aliquam: nam & in hoc* [nota] *Hepaticam affectionem dicunt.*

§ 9. Fallitur ergo Hofmannus III. Inſt. XXXI. 1. cum ſcribit, *antiquitus non quovis modo affectum hepar habentes,* ἡπατικοὺς hepaticos *dici ſolitos, ſed eos tantum, qui frigida hepatis intemperie laborant.* Intemperies iſtæ quod in pretio nunc tanto ſint, id Galeno debent. Hippocrates enim l. de Vet. med. t. XXII. & deinceps, ceu inutiles arti juſſerat exulare. Neque quem monſtraverit quis, qui ante Galenum appellarit *Hepaticum* eum, qui jecore frigido eſt.

§ 10. Circumſpectius eam vocem Gorrhæus definivit. Ἡπατικοὶ *generaliter quidem dici poſſunt omnes qui ex jecinore quovis modo affecto laborant: nunquam tamen tam late ejus vocis ſignificationem Medici extenderunt, ſed Veteres quidem ſic appellarunt eos qui propter jecinoris inflammationem febricitarent. Recentiores vero non ita, ſed ſi tumor aliquis in hepate eſt, hepatis inflammationem, vel abſceſſum, vel ſcirrhum, vel aliter morbum ipſum appellant, non autem hepaticam affectionem: cum vero citra manifeſtum aliquod jecinoris malum imbecillitas ſola acciderit, tum ægrum hepaticum appellant.* Viden' *recentioribus* adſtitui Galenum? Nec equidem injuria: conſtat enim ſex pene ſeculis fuiſſe juniorem Hippocrate. Quem propterea *vetuſtiſſimum medicum* vocat I. Progn. I. 25. *veterem magiſtrum*, l. adverſ. Lyc. cap. I. *auctorem antiquum*, I. de Criſ. V. Ego etiam *neotericis* auſim adſcribere, ceu qui veterem veramque Medici-

nam adeo difformavit, ut quis non agnoscat illam hodie.

§ 11. Ergo in gratiam juventutis nostræ sic definiamus hanc litem. *Hepatici* appellatio alia vetus est, alia nova. *Vetus* iterum propria & impropria. *Proprie* sic dicebantur, quibus Hepar esset inflammatum: *improprie*, quibus Inflammatio transiisset in abscessum aut duritiam & scirrhum. *Nova* est, quæ solos jecore debiles, non ex materiata quidem intemperie, sed nuda vocare hoc nomine dignatur. At quo de *Hepatico* noster? Procul dubio, veteris notitiæ. Neque enim somniare Plautus potuit, quid post annos quasi quadringentos somniaturus esset Galenus. Chronologi inter Hippocratem natum & Plautum mortuum numerant ad secula duo duodena lustra.

§ 12. Nec dubium est agi heic de PURULENTO *hepate*, atque adeo secundæ appellationis *hepaticum* designari, more vulgi: cui se Comici, ut modo audivimus, impendio accommodabant. Id vero dubium non esse, *symptomata* loquuntur. Quæ ut sunt *effecta* Morborum, ita & *indicia*. In quibus explicandis quid ni vestigia Poëtæ legemus? cujus tantum est in disponendis illis artificium, ut Artifex ipse majus quid heic nequeat præstare. En ἐν τύπῳ.

§ 13. Novisse morbum, *primæ* curæ est: *deinde*, Quid ex eo sit sperandum. *Notitiæ* morbi, *rudiori* quidem serviunt *Pathognomonica* duo, Collativus venter & Oculi herbei: *pleniori* vero, *Diagnostica* sex; Dolor nempe lienis, renum, pulmonum, jecoris, cordis, hirarum omnium. Ex his, ubi *cognovit* Morbum hepaticum esse, *præsagit* fore, ut Intestina exputescant. Tandem, ne quid facetiis desit, *consilium* dat putanti Lienem dierectum esse. Adeamus singula.

§ 14. PAL. *Qui hic est homo, cum collativo ventre.* Festus: *Conlativum ventrem, magnum & turgidũ dixit Plautus.* At quæ ratio dicendi? *quia in eum omnia edulia conferuntur.* Si de aliquo mensarum assecla sermo esset, suspicari liceret, turgere homini ventrem à satietate. Sed ecquis tantus est lurco, cui pleno venter protenso sesquipede extet? Turget edonibus & bene onustis: non adeo tamen, neque totus, & ad breve tempus. Lambinus: *Ego puto lenonis ventrem*

trem collativum *eo esse dictum, quod propter vitium corporis & viscerum omne alimentum, quod deberet in omne corpus distribui, in eum conferatur: & hoc pacto visceribus omnibus vitiatis, venter intumescat.* Vulgi ista opinio est, tumescere ventrē cum suo partes alimento fraudat.

§ 15. Nobis certum, designari *hydropem* quem ἀσκίτην Græci nominant. An quia καθάπερ ἐν ἀσκῷ τινι τῷ περιτοναίῳ καταπεκλεῖσθαι τὸ ὑγρόν· *Velut utre aliquo peritonæo concluſus est humor?* Ita Galenus ad Aph. XI. lib. IV. Melius, qui nomen hoc à similitudine *utris repleti* ajunt impositum. Excipiendo quippe humori fiebant olim utres. Fit autem, cum *intus in unum aqua contrahitur*, inquit Celsus lib. III. cap. XXI. Crescentibus aquis, tumet venter.

§ 16. Tumorem hunc *collativum* vocat, ceu collatione factum. Ut enim, Eustathio ad Il. π'. p. m. 1085. l. 47. auctore, τὸ ἀπὸ συμβολῆς δεῖπνον *collativa cœna* dicitur, ἐν ᾧ συνέβαλλον ἕκαστοι τὸ πρὸς ἰσχὺν εἰς χρείαν συνδείπνου συμβολιμαίου, *in qua quisque conferebant pro sua facultate ad usum convivii collatitii:* ita *venter* seu tumor ventris *collativus* appellatur is, qui surgit Visceribus ichorem pro sanguine accipientibus à Corde, eumque ceu inutile pondus in cava Abdominis exudantibus velut in cisternam. Viscera aquis extillare, didiceris ex Aph. LV. lib. V. At quomodo? Non est hic locus dicendi.

§ 17. *atque oculis herbeis.* Foësius in Oeconomia, ad χλωρὸν: *Herbeos oculos dicit Plautus Curc. hoc est, herbacei coloris & virides, quales in magna viscerum obstructione & insigni cacochymia conspiciuntur, quod est argumentum bilis. Vnde idem Menæchmis* [act. V. sc. II. 76.]

Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur color
Ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant! vide.

Non arbitror, *virentes* oculos & *herbeos* eosdem esse heic & ibi. Heic de *insania* sermo est. Cui quis *herbeos oculos* tribuerit, nondum scio. Quare pedibus eo in expositionem Ill. Salmasii. cui heic *virere* est *lucere*. Hoc vero Hippocrati Coac. 351, est ἐκλαμπύνειν, & in notis non solidæ mentis. Nec alius *viridis color* est, ex *temporibus atque fronte oriens*, quam emicans furoris flamma in vultu, seu

vultus

Vultus flammeum intendens jubar,

ut Seneca Troadibus loquitur, qua de Hectoris umbra, v.449.

§ 18. At vero *herbeus* est, quem ὠχρὸν Græci: vulgo *olivastrum* vocant. Est vero idem, qui *pallor luteus* Horatio, Epod. x.16: qui *luror buxeus* Apulejo, IX. Metam. p. m. 393. *Ictericis* proprius iste color est, præsertim quibus τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν, *dextrum hypochondrium durum* est: Aph. IV. 64. & VI. 42. Celsus lib. III. cap. XXIV. *Color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum.* Sic & apud Hippocratem ὀφθαλμοὶ χλωροὶ *oculi lutei* inter Icteri signa, & primo loco sunt II. de Morb. t. XXXV. & seq.

§ 19. *De forma novi.* hoc est, de *facie* Corporis, eaque peculiari, ceu proprio charactere. *Character* enim etiam à compositione membrorum, à conformatione lineamentorum, à figura, statura, habitu, incessu, voce suus cuique est. Terentius Hecyrâ act. III. sc. IV. 25.

PAR. *At non novi hominis faciem.* PA. *at faciam ut noveris:*
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
Cadaverosa facie.

Graphice hanc depingit Hippocrates I. Progn. I. 6. & Coac. 212. *Hepaticis* corpus sera macie collabitur, ut mirum non sit, diutius ex mole agnosci. *Novi*, inquit: ut solemus cum quem novisse nos putamus adventantem. Nam dubitationem involvit isthæc affirmatio. Paret ex eo, quod evestigio subdit:

§ 20. *de colore non queo Novisse.* Nam ἡ χροιὴ διαφέρει τῆς πρόσθεν· σιδιοειδὴς γὰρ ἐστίν· *color differt à priore: malicorio enim similis est:* l. de Aff. int. t. XXXI. Celsus l. III. c. XXIV. *ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit.* Dum enim non coquitur Sanguis, neu defecatur, necesse est abire verum colorem, buxantemque pallorem succedere. Est enim consentaneum, ut color humori similis efflorescat.

§ 21. *jam jam novi.* Quia vel propius ille accederet, vel propius ipse attenderet. Quum enim

In vultu color est sine sanguine,

ut Naso canit Metam. VI. 304, considerare characterem reliquum con-

consuevimus, in mole corporis, in figura, lineamentis, aliisque pridem notis vestigiis. Quæ cum in oculos atque memoriam venirent Palinuro, statim nominat hominem, &

§ 22. *leno est Cappadox*, inquit. Glossæ: *Leno*, πορνοβοσκὸς, sive *qui scorta alit*. Flagitiosum genus hominũ, peccantium & peccare facientium, *pernicies communis adolescentium, perjurum, pestis*, ut ipse de se ἐπαφείζων τὰς ἑαυτῦ αἰσχρὰς despumans sua probra Leno testatur apud Terentium Adelph. act. II. sc. 1. 34. Peior lenone *productor* est. Leno est, definiente Ulpiano, *qui quæstuaria mancipia habet*, l. 4. ff. de his qui infam. sive *qui mulieres quæstuarias prostituit*, l. 43. § 7. ff. de ritu nupt. *Productor* vero, Pædiano autore, *qui ad stuprum conciliat personas invitas, & in quibus stupra exercita legibus vindicantur*. Nam in scorta stuprum legibus non vindicabatur. videsis l. 22. & 29. C. ad leg. Jul. de adult. Æschines in Timarchum p.m. 289. A, etiam eos vocat προαγωγὰς, οἱ τὰ ἐξαμαρτάνειν ὑπηυμένων, ὀκνέντων [δ'] καὶ αἰσχυνομένων ἀλλήλοις ἐντυγχάνειν, αὐτὼ αὐτῶν ἀναίδειαν παρεχόντες ὑπὲ μισθῶ, τὸ πρᾶγμα εἰς ἀφορμὴν καὶ λόγον καθιστᾶσι· *Productores, qui, quos libido ad peccandum impellit, timor autem & pudor retinet à congressu, ipsi pro illis impudentiam mercede sumentes, rem ad tentamen atque sermonem deducunt*. Hæc alludit Naso III. Amor. XI. 682.

Vendibilis culpa facta puella mea est.
Me lenone placet: duce me productus amator:
Ianua per nostras est adaperta manus.

Rectius & plenius Socrates Theæteto p.m. 111. B. τὴν προαγωγείαν appellat πᾶσαν ἀδικίαν τε καὶ ἄτεχνον συναγωγὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, *omnem illegitimam & amoribus non conciliatam adductionem viri ad mulierem*. Interpretes *lenocinium* vertunt & heic & ibi & apud Aristotelem Eth. v. 5. cum *introductionem* deberent cum Cicerone ad Attic. I. 15: aut *productionem* ex ejusdem Verrinar. III. confer ad Cæl. Rhodiginum Lect. antiq. XIV. 8. Τὸ ἄτεχνον cum commutare cum Latino non possem, per ambitum verborum rem tamen enuntiandam censui.

§ 23. *Congrediar*. CA. *Salve Palinure*. Laudabile prorsus humanitatis officium salutatio est. Hoc enim superiores suam in-

ferioribus benevolentiam testantur: inferiores autem superiorum sibi favorem conciliant: pares denique æqualitatem servant. *In ritibus* (inquit Alexander Genial. dier. II. 19.) *longe præstantissimum semper fuisse, suo quemque nomine salutare, & salutem reddere salutanti.* Ovidius de Arte II. 53.

Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta.

Crassium Plutarchus p.m. 544. D, refert nulli civi Romano occurrisse tam obscuro, vel abjecto, quem salutantem non nomine suo resalutaret. De Octavio Suetonius c. 53: promiscuis salutationibus admisisse & plebē, & in senatu nominatim singulos salutasse.

§ 24. PA. *O scelerum caput, Salveto. quid agis.* Servus lenonem quo loco habeat, paret. *Salvere* ergo cur jubet? Quia, non impertire resalutatione salutatorem, insolentiæ est immodicæ, aut incivilitatis plusquam rusticæ. Videas eam tamen sæpe in Crassulis primæ plebis, cum supra sortem elevantur, præsertim si imponantur pulvinari. Velut enim in alium terrarum orbem delati, ita exuunt omnium, etiam eorum quibuscum sunt educati, notitiam: quosque pridie salutando præveniissent, his salutem salutantibus reddere mutuam negligunt securi: quibusque genua occurrentibus tetigissent, his pileum ad genua demittentibus nudare caput non dignantur: multum est, cum primoribus digitis tollere se velle simulant: at quantum est, si detegant eatenus, ut perspirare vento liceat. O quantum est in rebus inane!

§ 25. Post datam & acceptam salutem vulgare erat, *Quid agis?* Confer ad nostrum Aulul. act. I. sc. II. 39: ad Horatium I. Serm. v. 4: ad Plinium Epist. III. 20: & aliorum loco ad Brissonum VIII. de Form. p.m. 744. Martialis Epigr. II. 67, facete in quemdam enecantem se hac interrogatione:

Occurris quocumque loco mihi, Postume, clamas
Protinus, & prima est hæc tua vox, QUID AGIS?
Hoc, si me decies una convenieris hora,
Dicis: habes puto tu, Postume, nil quod agas.

§ 26. CA. *Vivo.* Multimodis hoc verbum & sumitur & pronunciatur. *Vivit*, qui spirat, qui sanus est, qui bene valet, qui jucunde agit. Qui *spirat*, inquam. Seneca Troad. v. 955. *Spirat. revixit.*

vixit. Qui ſpirat, ægerrimo corpore, cum de ſe dicere minus non poteſt, *vivo* ait, ſubmiſſa voce & teſtatrice dolorum. Alter gradus eſt, *ſanitate frui illibata.* Martialis Epigr. VI. 70.

Non eſt vivere, ſed valere, vita.

Non vivere autumat, qui ſane non vivit. Sic & Ovidius III. Amor. VI. 414, cum ab amica receptus gaudio frui non poſſet:

Sed neque tunc vixi: nec vir, ut ante, fui.

Plus eſt, *bene valere.* Celſus lib. I. c. I. *Sanus homo, qui & bene valet.* Tullius IV. Acad. p. m. 33. *Ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi & ſani ſunt, & valentes.* Ubi *valere* eſt vigere & vegete ac fortiter agenda perficere. Denique eum *vivere*, qui in ſumma eſt lætitia, ſuo ævo dictum perhibet Marcellus in *Vitulantes.* Quo de verbo adi ſis ad Gulielmii notas ad Plautum Perſa act. II. ſc. III. 2. Seneca Tragicus Herc. fur. v. 177. *Dum fata ſinunt Vivite læti.*

Ita capienda quoque hæc verba ſunt apud Largium Deſignatianũ Epiſt. ad Valentinianum his elegantiſſimis verbis: *Nec mare ſemper poteſt eſſe tranquillum, nec unus in diem venti ſpiritus durat, nec ſecurus nauta ratem poteſt ſcandere, quum æquor mole fluctuum tollitur: ſic neque mortales poſſunt ſemper eſſe validi aut viventes, ſed, pro ætatis & temporis varietate, diverſis morborum aguntur incommodis.* An, *malorum*, ſcripſit? Malim. quippe aliud validi, aliud experiuntur felices. Illi morbis aguntur: hi, calamitatibus. Subnotandum & hoc, *in diem* ſignificare, perpetuo, tenore non interrupto.

§ 27. PA. *nempe ut dignus es.* Eia, lapſis ſufficiat ruina ſua. An neſcis, miſeris ultimum eſſe, miſerationem quoque perdere? Miſericordiam qui non dat alteri, tollit ſibi. Semper autem in aliis hominibus nos ipſos cogitare debemus, & meminiſſe ejus quod Sophocles Philoctete monet v. 520:

Χρὴ δ' ἐκτὸς ὄντ' ἂν πημάτων, τὰ δ' ἐν' ὁρᾶν·

Expers calamitatum cogitet mala:

imo alterius è malis diſcat miſereri prius, quam rogare miſericordiam cogatur. Quid autem eſt *miſericordia*, niſi alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua utique, ſi poſſimus, ſubvenire compellimur. Neque enim miſerebitur tantum miſericors, ſed ſuccurret, ſed proderit. Videſis Auguſtinum

de Civit. IX. 5. & Senecam de Clement. II.6. & fusius ante 5.

§ 28. *Sed quid tibi est?* Medicorum hæc formula est. Hippocrates l.de Affect.t.XXXVI. ὅταν δὲ ἐπὶ νοσέοντα ἀφίκη, ἐπανερωτᾶν χρὴ ἃ πάσχει. *Quum ad ægrotum inviseris, interrogare oportet quæ patiatur.*

§ 29. CA. *Lien necat.* Tristis res est sine dubio dolor, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum tolerandumque difficilis. At ni esset (ut Ciceronis nunc mihi verba assumam è II. Tusc.p.m.358.) *in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo & languidum:* non adeo protinus nostris querimoniis initium à dolore faceremus. Dolor est, quidquid heic Cappadox causatur.

§ 30. *Lien necat*, ait. *Necat*, i.e. mori facit, magnitudine sua & doloris. Tumere lien sine dolore potest. Dolere lien sine tumore non potest. De *tumore* nobile est Hippocratis indicium II. Prorrh.t.XLII. οἷσι δὲ τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπαίρεται ἰσχυρῶς, τούτους σπλῆνας μεγάλους εὑρήσεις ἔχοντας. *Quibus oculorum subcava attolluntur valde, hos lienes magnos deprehendes habere.* Quæ dicantur *subcava* Oculorum, exposui II.Physiol.x.85. *Causa* tumoris ὕδρωψ. Qua voce Parenti medicinæ *serum* venit IV.de Morb.t.IX: maxime cum *abundat* in venis, Aph.VI.14. Sæpius autem cum tumore *dolor* est. Ita Lycino σπλὴν μέγας ὀδυνώδης *lien magnus dolorisque plenus* fiebat VI. Epid.VI. fine. De aff.int. t.XXXIV. qua de Scorbuto: ὁ σπλὴν οἰδέει, καὶ σκληρός ἐστι. καὶ ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τὸν σπλῆνα. *Lien tumet ac durus est. & dolores acuti incidunt in lienem.* Quorum causam reddere non est difficile scienti visceris naturam, structuram, usuram. Natura, sensilis: structura, tantum non invius: officio denique lien sequester est excrementi aquosocrassi. Iterum ad nos, si placet, revise II. Physiol.v.25.26.86.

§ 31. Lenoni tumuisse splenem, & magnum atque molestum in modum, satis eo apertum est, quod prodiens in scenam dixit:

Valetudo decrescit, accrescit labor.
Nam jam, quasi zona, liene cinctus ambulo.

Aquis ponderosus lien, & pondere suo præceps degravat thoracis septum, nec sinit ad obsequium Naturæ duci. Factus hinc

πυκνο-

Unable to display this page

cor æstu turget & de labore pectus tundit. Arbitror ergo *cor lienosum* dici, quod fuliginibus oppressum palpitat, perinde ac sanguinis æstu obstructior lien.

§ 35. *Præcordia* eidem dicitur *occupare* Lien, *cum extenditur ab hypochondrio sinistro in dextrum, cinguli modo.* Quis umquam medicus sic fuit locutus? Vereor interim, ne huic locutioni occasionem præbuerit Serenus, ita orsus cap. XXII.

Quando lien tumido circumligat ilia vinclo.

Sed id fieri retractione Septi & constrictione zonæ, certius est. Ex Celsi l. IV. c. I. discere est, *præcordia* dici, quod hypochondria interjacet. In quorum sinistro cum *longitudinis craßitudinisque modicæ paulum à costarum regione in uterum*, i. e. imi ventris cavitatem, *excedere* ejusdem Celsi monitu debeat: siquidem tumescit, etiam ad præcordia vergit, iisque magnam partem occupatis exprimit hanc, quam audivimus, querelam; maxime in cursu.

§ 36. *Perii! animam nequeo vortere.* Quid heic significet *anima*, vel ex uno Plinii loco perceperis. Is est lib. XI. cap. XXXVII. *Sub corde* (i. e. circa cor) *pulmo est, spirandique officina, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus ac fistulis inanibus cavus.* Ut nihil heic sit *animam vortere*, nisi spiritum seu aërem attractum pulmonibus reddere. Recte vero pulmonibus reciprocans spiritus Latinis *anima* dicitur ex Græco antiquo ἀνέμη, quæ idem est quod ἄνεμος. Hæc prima querela est. Altera:

§ 37. *Renes dolent.* Partim compressu tumentium viscerum: partim acrimonia affluentis seri. De *primo* nemo dubitat, nisi qui posituram partium ignorat. Prætulerim vero *alterum*, & retulerim ad *quartum* Renum morbum, Hippocrati propositum l. de Aff. int. t. XVIII. In quo ista patiuntur. ὀδύναι πιέζουσιν αὐτὸν εἰς τὴν λαπάρην, καὶ ἐς τὴν κενεῶνα, καὶ ἐς τὴν ὀσφὺν, καὶ ἐς τοὺς μύας τῆς ὀσφύος, καὶ πάσχει ὁκοῖα γυνὴ ὠδίνουσα. καὶ οὐκ ἀνέχει ἐπὶ τοῦ ὑγιέος κατακεῖσθαι, ἀλλ' ἄγαν πονέει. καὶ τοῦ κενεῶνος δοκέει κατακρεμᾶσθαι ὡς ἀπορησσόμενα. *Dolores affligunt ipsum qua Ilia, qua Inania, ac Lumbos, lumborumque musculos, & patitur qualia mulier parturiens. Neque sustinet in sanum* latus *decumbere, sed amplius dolet. Atque Inanibus videntur appendi velut dilaniata.* Ubi igitur omnia circum-

cumcirca renes dolent, quid mirum hominem rudem & qui se non novit, causari renes. Sed & partitudinis velut labores se experiri, questus initio erat:

Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

scilicet ut feminæ parientes solent. Geminorum *alter* Lien, *alter* est Iecur. De *illo* vidimus: de *hoc* videbimus.

§ 38. Morbus iste fit ἀπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, *à bile & pituita*, inquit Hippocrates. Obstructus tumidusque Lien neque facere fermentum potest, neque transmittere ad Portam & hinc per jecur in venas. Absque quo tamen si est, neque Bilis sequestrari à sanguine, neque Chymus ex debito præparari intra ipsum potest. Unde & acrius necessario fit Serum, & pituitosius quod ad Renes secernitur. Hippocrates diserte in signis: τὸ δὲ οὖρον μόλις προέρχεται ὑπὸ φλεγμασίης καὶ παχύτητος ἢ ὀρρώδεος. *Vrina vix procedit ob ardorem aut crassitiem seri.* Libri legunt in fine ὄρεος. Sed legendum ut rescripsi, modo si verum est, ὀρρὸν non dici ὄρεον nisi saccatum. Quod tamen ex vero docere autumo Duretum 1. Coac. 5. & 11. Coac. XXII. 5. 7. & eodem opere sæpius alibi. Cum hoc summo Medico facit summus Criticus & seculi phænix Salmasius Interpr. Aph. LXXIX. sect. IV. de Calculo, p. 22. & postea.

§ 39. *Pulmones distrahuntur.* In hoc mihi videtur imitatus Sophoclem Trachiniis v. 787.

καὶ διώδυνος
Σπαραγμὸς αὖτε πνευμόνων ἀνῆψατο·
ac perdolens
Ejus prehendit cruciatus pulmones.

Interpres & separavit cohærentia & πνευμόνων vice *viscera* reddidit, sine exemplo ac necessitate & cum manifesta jactura sensus. Quo de non potest non constare consideranti. *Distrahi pulmones* ægri queruntur, quoties ulcerantur & cum stertore respirant.

§ 40. Non occurrit alius ad hæc intelligenda locus aptior, quã qui est 1. de Morb. t. x. Ubi de Empyis ἀπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, *à bile & pituita* factis, sic scribit: Διαφθείρει, ἐνισταμένου τε καὶ σηπομένου

πομφώξ [ἢ φλέγμα] ἐλκεῖταί τε ὁ πλεύμων, καὶ διάπυος γίνεται. καὶ οὐκ ἔτι ἔστω ἕλκει ἐς ἐαυτὸν, ὅτι καὶ ἄξιον λόγου τροφῆς, ὅτε τὰ ὑποκαθαίρεται ἀπ' αὐτοῦ ἄνω ἰόδεν, ἀλλὰ πνίγεταί τε καὶ δυσπνοεῖ ἀεὶ ὅτι μᾶλλον. καὶ βέγχει ἀναπνέων, καὶ ἀναπνεῖ αὐτόθεν ἄνωθεν ἐκ τῶν φθέων. *Corrumpitur, intus remanente ac putrescente pituita, ulceraturque pulmo, & purulentus evadit. Ac neque deinceps intro trahit ad se quod effatu dignum sit alimenti, neque prorsus quid repurgat à se sursum, sed suffocatur & spirat semper difficilius magis ac magis. Et stertit respirans, & respirat deinde è summo pectore.* Modo dixi, ob fermenti inopiam non secerni bilem, & pituitescere sanguinem. Inde fit, quod (dicam Herculis Oetæi verbis apud Senecam v. 1219.) *Sanguinis quondam capax*

Tumidi jecur pulmonis arentis fibras

Distendat: ipsum interea ardens felle siccato: ceu quarto loco queritur Cappadox, egregio morborum agmine circumseptus.

§ 41. *Cruciatur jecur.* Non id vel concesserint, qui omnem sensum Nervis deferri, his autem carere Viscus ajunt: vel explicaverint, qui Vitam ignorant sine Sensu non esse, utut esse sine exaltato possit. De hoc abunde egimus in II. Physiolog. XVI. 95, & deinceps. Noster etiam *cruciari* seu dolore tantum non intolerabili ob irrequietum rodentis fellis morsum affligi *jecur* ait. Inquies: Nescire vulgus quid doleat, etiam cum dolet. Hinc quidvis causari impatientia doloris potius: nempe, quo ne videantur dolere minus, & minus condoleat ipsis alius. Jurisconsultos etiam stare peritis & probatæ artis, ceu paret l. 1. ff. de insp. ventre: multo magis fas esse, ut heic summorum Medicorum judicio stemus. Galenum vero de Loc. aff. II. 4. *gravitatis* dumtaxat *sensum* tribuere jecori cum tumet præter naturam. Hepar autem huic homini tumidum fuisse, ex propria confessione satis liquere.

§ 42. Quando enim dicit,

Geminos in ventre habere videor filios:

id non sic intelligendum, ut Lambinus explicat: *quia utrimque & à dextra & à læva cingit me lien, venterque, eo tumidiore & majore facto, mihi distenditur, proinde ambulo ac si geminos in utero filios gerem:*

ram: ſed quod ita hinc Jecur hinc Lien tumentes impleant atque diſtendant ventrem, perinde ac mulieris ventrem occupare & gravare gemelli ſolent.

§ 43. Ad quæ paucis: Nihil horum me fugere: interea credere Plautum ſequutum veſtigia incorruptæ Medicinæ, ceu qui Hippocrate ducentis admodum annis poſterior, Galeno trecentis minimum prior vixit. Audi vero quid de Hepaticis ab atra bile dicat Dictator noſter in l. de Aff. int. t. xxx. ἐς τὸ ἧπαρ ὀδύνη ὀξείη ἐμπίπτει αὐτῷ· *in jecur dolor acutus incidit ipſi.* Deinde, etiam remittente morbo, ἐν τῷ ἥπατι ἡ ὀδύνη μούνη λείπεται. καὶ αὐτὴ ποτὲ μὲν ἰσχυρὴ, ποτὲ δὲ ἥσσω διαπαύσουσα. ἐνίοτε δὲ ὀξείη λαμβάνει. καὶ πολλάκις ἐξαπίνης ἀφῆκε τὴν ψυχήν. *In hepate dolor ſolus relinquitur. & is quandoque vehemens, quandoque nonnihil quieſcens. Aliquando vero acutus præhendit: ac ſæpe derepente aufert animam.* Conſidera & textum ſequentem.

§ 44. Sed video quid reſponderi poſſit (neque enim eam laudem mereri cupio, quam Chryſippo tribuit Galenus de Decr. III. 7. *laudandus eſt*, inquit, *quod de induſtria ſubticuerit ea quæ opinionem ſuam evertunt.*) nempe ſic ſe rem habere in Hepate, ut ſcribit Galenus ad Aph. 5. lib. VI. τοῦ ἥπατος τοῦ μὲν σαρκώδους φλεγμαίνοντος ὀδύνη γίνεται βαρεῖα. τοῦ δὲ περικειμένου χιτῶνος ἢ τῶν ἀγγείων, ὀξεῖα. *Hepatis caro quidem ſi inflammetur, dolor fit gravis: ſi vero veſtiens eam tunica aut vaſa, acutus.* Atque de hoc accipiendum eſſe, quod Serenus canit principio cap. XXI:

Si molles jecoris fibras dolor hauriet acer,

h. e. vehemens, fortis & urgens. eſſe enim ſæpe idem τὸ δριμὺ quod ὀξὺ, *acre & acutum,* docet Galenus ad VI. Epid. I. 29. Verumenimvero in quacumque demum libræ lance pono allatam diſtinctionem, ſive phyſica, ſiva medica, deprehendo non habere id ponderis, quod ſibi imaginantur ſequaces. Rotunde: *Diſtinctio* iſta nec vera eſt, nec utilis.

§ 45. *Vera* non eſt: quia impoſſibilis eſt Inflammatio aut Membranæ ſolius aut Vaſorum tantum. *Inflammatio* eſt tumor à Sanguinis immodici influxu: operoſe hoc demonſtrante Galeno l. de Tum. pr. n. c. 11. Sanguis etſi fluidus ſit, ſponte tamen

ſua non influit in membra. Galenus de Fac.ſimpl.III.25. trahi à carnibus,ut ferrum à magnete,ait. Mira res! Fiat tamen à ſanis. At ſanæ non amplius juſto trahunt. Unde igitur influxus immodici? Vulgus, *à dolore*, ait. Sed vero, dolet ne Pars antequam doleat? etiam ne, cum dolet, dolere vult magis? Dolendi cauſa ſi calor eſt, putat ne flammam ſe, infuſo oleo, extincturam? Si materia moleſta quæpiam, eam ne non poteſt expellere niſi attractâ moleſtiam daturâ majorem & ſe in periculum gangrænæ? Cui ergo bono Excretrix facultas? Tantum ne, ut expellat excrementa naturalia? non item, ut quæ vitium cepere? Perſolæ nugæ! diceret noſter heic act. I. ſc. III.36. *Dolorem* in cauſis eſſe inflammationis, ad Ariſtippum dixi § 23. At dolor aliam ſemper agnoſcit, rem acrem & continui ſolutricem. Hanc ut è parte, cui inſidet, amoliatur ſui ſemper ſtudioſa Natura, ſpiritum iſtuc ac ſanguinem impulſat, quibus ceu vectibus impellat & protrudat è ſede ſua materiam morbificam.

§ 46. Scio non accepturos hoc, quotquot in verba Galeni jurant. Etiam ne, ſi ſtitero Pythagoræ ſui verba, admittent? Fore credo, qui ſcripta nolint. Legant ergo vel invitiſſimi. κοινός τις ἐστὶν οὗτος ὁ λόγος ἐφ' ὧν ἡ φύσις ἐκκρίνει τὶ μετὰ βίας, ὡς τὴν ῥοπὴν ἐκεῖσε γίνεσθαι τοῦ τε αἵματος καὶ τοῦ πνεύματος, οἷς ὥσπερ τισιν ὀργάνοις χρωμένη, διωθεῖται τὰ λυποῦντα βίᾳ. κατὰ τοῦτο γοῦν καὶ τοῖς ὀδυνωμένοις μορίοις ἐπιγίνονται φλεγμοναὶ, τῆς φύσεως μὲν ἐκκρίναί τε καὶ διώσασθαι σπευδούσης τὸ τὴν ὀδύνην ἐργαζόμενον, ἵνα δὲ τοῦτο πράξῃ, πληρούσης αἵματός τε καὶ πνεύματος αὐτό. Quæ reddidiſſe mihi ſi non verba verbis, fideliter tamen atque efficaciter, ſufficit. *Naturæ uſitatum eſt, quotiens aliquid valide excretum contendit, ut eo impetum conciat cum Sanguinis tum Spiritus; quibus ceu machinis uſa cum robore expellat ea quæ infeſtant. Eumdem in modum Partibus dolentibus obtingunt Inflammationes: feſtinante ſcilicet Natura ſecernere & excernere id quod dolorem facit, utque id obtineat, implente Partem ſanguine ac ſpiritu.* Sunt vero hæc (nam & futuros credo, qui cognoſcere volent, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως *num ita ſe hæc habeant.* à quo ſtudio in ſacris laudantur Berœenſes Act. XVII.11.) deſcripta ex com. ad Aph. LIII. lib. V.

§ 47. Po-

§ 47. Posuimus fundamentum, quod impudens ipsa inscitia non revellat. Inædificemus deinceps Veritati palatium. *Influentis* in membrum sanguinis *principium* & *causa* est Natura: *castellum*, Cor: *canalis*, Arteria. Quorum prius ut est à Galeno, ita & sequentia; ceu evici apertis itidem locis in II. Physiolog. VI. 139. & seq. Ejusdem confessione (IV. de Usu part. XIII.) παντάπασι μικρὰ ἡ ἀρτηρία *perquam parva arteria* est, quæ hepar subit: satis interim opportuna subministrando materiam inflammationi, si qua necessitas huc Naturam impellat. Ab illa una igitur & Carnem & Membranam oportet habere quas habent arteriolas. Sane nemo Anatomicorum una plures deduxit ad jecur, licet intra viscus unam in plures diducat. Per unam ergo omnis est à Corde ad hepar influxus Sanguinis, cum vivificantis tum inflammantis. Sub judice lis est: in Carnem se demittat, an subsistat in Membrana potius. Sed hanc definivit Cl. Walæi observatio apud Bartholinum I. Anat. ref. XIV. Altera lis est: Sima tantum, an etiam Gibba adeat. Hoc malo: saltem concedo. Quæ enim vel particula partis carere Arteria aut beneficio ejus potest?

§ 48. Quotiens igitur exundans æstu Sanguis irruit in Hepar, necesse ad Portas primum subeat & hinc in Membranam penetret. Qua inflammata & negante iter sanguini, necesse impleri etiam Vasa citeriora, vasisque excidere sanguinem in parenchyma. Neque enim dubium, ad dolorem dolore addito concitari affluxum majorem. Neque dubium, Sanguinis irruentis copiam neque Membrana recipi neque Vasis retineri posse, ita ut in Carnem non simul prorumpat. Quæ nobis persuadebit ratio, rationem esse in Visceribus aliam, aliam in Artubus? In summum digitum si incidat inflammatio, acciente sanguinem infixa spinula, quam brevi manus intumescit tota? Oculus cum inflammatur, ardet Adnata primum tumentibus & in conspectum se dantibus alias inconspicuis ipsius arteriolis: nisi occurras, quam subito etiam extra orbitam extumescit? Ita est, ut à Galeno audivimus, Natura noxam amoliri gestiens impulsat eo sanguinem, ubi sedes est mali: at sanguinem mittendo, nec recipiendo, noxam adsert periculosiorem.

§ 49. Sed esto, sit *distinctio* vera: ecquam *utilitatem* habet? Nullam certe. Ne quidem Galenus, si vivat, docere nos *indicia* possit, quibus Membranam solam, sola Vasa inflammari cognoscamus. Agedum, periclitetur quisquis Magistri consulendum honori putet. Sed vero ne vereor quidem, ne quis heic se discipulus supra magistrum efferat. Ipse l. de Loc. aff. v. 7, quam laborat, ut discrimina nobis Hepatis & Musculorum, illiusque Gibbi aut Simi inflammati suggerat! Quibus ipsis in signis quanta nobis dubitandi materies sit relicta, ostendi poterat, nisi receptui esset canendum nimis haud dubie longum extra oleas vagato. Quid si & illam distinctionem admitti posse concedamus? Admissa, dic quæso, quid ad praxin, quid ad remediorum cum inventionem tum applicationem confert? Si quis vel unum hoc ostenderit, non pudebit manum dare, victumque fateri. Vincar: triumphabo de errore tamen.

§ 50. *Radices cordis pereunt.* Velut canis è Nilo bibit & fugit, ita hunc in transitu locum tetigi nuper in 11. Phys. VI. 138. Nunc urgeor pedem figere & immorari. Quid sit *cor*, nisi excors nescit nemo. Quæ sint *radices cordis*, qui dicere sit ausus, vidi neminem. Tentavi primum laudato loco, & ostendi ab Hippocrate phrasin esse & significare, *Fontes* sanguinis & interiores cordis recessus exiccari & totum corpus hinc fraudatum genio emaciari. A cordis enim marcore marcorem corporis pendere difertissimis dicit Galenus l. de Marcore c. 1. εἴπερ ὁ μαρασμὸς ὅλου ἐστὶ παθήματος, οὐκ ἄνευ τῆς ἀρχῆς τοῦ ζώου παθόντος γίνεται. ὥστ' ἀνάγκη τὸ σῶμα τῆς καρδίας ξηραινομένης τοῖς μαρασμώδεσι. *Siquidem marcor totius corporis est affectus, non sine principio animalis affecto fit: ut necesse sit corpus Cordis exiccari marcescentibus.* Notari in transitu potest, quam facile fit hoc è loco evincere, Cor esse non tam Principem partem totius, quam Principium nutritionis, si bene; sin male habeat, marcoris in toto.

§ 51. Nostræ autem, quod ad rem præsentem, expositioni favere non parum videtur, quod apud nostrum occurrit in Mercatore act. 1. sc. 11. 91. *Cor miserum meum,*

Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem.

Ubi

Ubi *contabescere* est quod Hippocrati φθίνειν l. de Loc. in hom. t. XXXVI. ὅτε σπλὴν θάλλει, τὸ σῶμα φθίνει· *Quum lien floret, corpus tabet.* Dicitur vero φθίνειν, Galeno expositore in Glossis, quidquid σωτήκεσθαι, ἰσχναίνεσθαι, μικρύνεσθαι, ἀτροφεῖ· *Colliquescit, extenuatur, minuitur, non nutritur.* Etiam *phthisin cordi intus inhærere* Plinius ait in Ægypto compertum regibus corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecantibus, l. XIX. c. V. Ex quo exscripsit Juniore illo magis junior Plinius Valerianus de Re med. IV. 1. Phil. Melanthon l. de Anim. p. m. 540. refert Marchioni Casimiro adeo præ mœstitia contabuisse Cor, *ut simile fuerit pyro tosto.* Hoc ipsum vidi & vidit mecum nobilis Studiosorum corona in cadavere Eliæ Raes, quod secui VI. Oct. M. DC. LIII. in Nosocomio hujus urbis. Mortuus ex multorum mensium esurie erat. Esurire & sitire coëgerat Ulcus cancrosum, horrendum, ingens. Quod cum totam Gulam, qua Arteriæ adjacet mox sub Larynge occupasset, novissimis vitæ diebus liquidi cujuscumque ne guttam quidem transmittebat. Non illa mihi dicendi copia est, quæ vel adumbrare queat aut corporis maciem aut viscerum & intestinorum omnium tabem. Cernere ibi erat, quam miserrimum mortis genus sit fame perire. Mirabilius longe est, quod Bern. Telesius de Rer. nat. V. 18. memorat de illustri quodam Romano, cujus Cor diuturnitate morbi ita defecerat, ut præter tunicam nulla cordis portio reperta fuerit.

§ 52. Vere igitur & venuste Charinus, cum *guttatim* sibi cor præ dolore ait *contabescere*, hoc est, adeo paulatim parvisque momentis, ut contabuisse citius deprehendatur, quam contabescere. Talibus non modo non nutritur Cor: sed & colliquescente Humido extenuatur: sed & extenuato Solido minuitur. In quibus cum sint retinacula Calidi, vitæ auctoris, non potuit eorum solutionem significantius exprimere, quam dicendo, *radices cordis pereunt.* Sensit vero *perire*, partim ex Virium decremento, partim ex Abdominis incremento, conjunctis haut dubie cum ardore doloreque cordis. Sanguine enim in ichorem colliquato & in abdominis uterum destillante, guttatim licet, immensum tamen in tumorem venter excrescit.

§ 53. *Hiræ omnes dolent.* Veteres libri *chiræ* legunt. At *hiræ* repoſuere dudum Adr. Turnebus Adverſ. xi. 7: & Luc. Fruterius Veriſimil. 1. 3. Quid autem *hira* ſit, è Feſto primum eruerunt Critici. *Hira*, ait, *quæ diminutive dicitur hilla, quam Græci dicunt νῆστιν, inteſtinum eſt, quod Iejunum vocant.* Unde Papias: *Hira, jejunum inteſtinum.* Nonius tamen *hillas* etiam de aliis inteſtinis dixiſſe Veteres docet cap. 11. 410. Macrobius in Somn. Scip. 1. 6: *Ad cibum & ſpiritum accipiendum reddendumque ſunt deputata, guttur, ſtomachus, alvus, veſica, & inteſtina principalia tria: quorum unum diſſipium vocatur; quod ventrem & cætera inteſtina ſecernit: alterum medium, quod Græci μεσέντερον dicunt: tertium, quod veteres hiram vocarunt; habeturque præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi retrimenta deducit.* Ubi ſi *præcipuum* idem quod *maximum* eſt, quemadmodum Terentius accipit Adelph. act. 11. ſc. 111. 5: procul dubio *colon* venit intelligendum. Hoc enim & maximum præ cæteris eſt craſſitie atque amplitudine, & intra ſe cibi retrimenta deducit atque educit in tempore foras. Quod vero *diſſipium* Inteſtinorum in cenſu habeat, in hoc conſentientem ſibi Iſidorum habet xi. Orig. 1. *Diſſeptum, inteſtinum quod diſcernit ventrem & cætera inteſtina à pulmone vel corde.*

§ 54. Cæterum quia in criticas amœnitates laxare animum cœpimus, etiam evagemur ulterius paulo. In verbis Macrobii facile patior doctiſſimum Fruterium reſcribere *diſſiptum*, & hoc ſequi Pontanum, & dici pro *diſſeptum*, ut *conſiptum* pro *conſeptum* Ennio apud Pompejum. Interea diffiteri nequeo, hujus me neceſſitatem non videre. Nam ut à conjungo *conjugium*, à diſcindo *diſcidium* (quæ tamen vox apud omnes bonos auctores depravata dicitur Gifanio in Conlect. ad Lucretium.) recte habent: ita *diſſipium* à diſſipio pro diſſepio. Hoc vero ne toleraverim quidem, quod *imum* pro *unum* ſupponit. Cujus enim reſpectu dicatur Septum *imum*, quod & ordine ab Auctore & loco à Natura ponitur *ſummum* inteſtinorum? Dixerat, *inteſtina principalia tria* eſſe. Quæ ſint illa tria oſtenſurus enumerat & deſcribit potiſſimum ab officio, quod ſpectabat. *Vnum*, inquit, i. e. primum *diſſipium vocatur.* Sic & in 1. Acad. Cicero p. m. 12. iiſdem verbis

bis *partes* Philosophiæ ex sententia Platonis recenset. Quorum hoc studii est, plura dabunt exempla. Τὸ μεσέντερον rectum est. Ita & Ruffus 11. de Part. XI. Hippocrates μεσεντέριον scribit l. de Oss. nat. t. XVI. & 11. Epid. IV. quem sequimur hodieque omnes.

§ 55. Ad propositum revertentibus pretii erit etiam Arnobium adiisse & simul ei medicinam fecisse. Locus est lib. VII. p. 230. edit. noviss. cujus verba in prioribus hoc modo concepta fuere: *Non similiter fendicas, quæ & ipsæ sunt diræ, quas plebis oratio illa solet, cum eloquitur, nuncupare.* Stewechii conjectura, quæ pro *diræ* restituit *hiræ*, & *hillas* pro *illa*, fuit proba & probata Elmenhorstio & Heraldo. Quid ergo causæ fuit, quod vir doctissimus, qui novissimam editionem apud nos procuravit, *ilia* reposuerit in locum illius *illa*? Quid enim ilibus cum hillis? Leves istæ: turpior est in *fendicas* menda. Quid sunt *fendicæ*? Nemodum vel dicere tentavit, vel reponere melius. Ex lectionibus, quas Jos. Scaliger ad oram sui libri adscripserat, disco in Mss. Regio legi *pendices*. Unde certum est mihi in autographo fuisse *pantices*.

§ 56. Qui vero *pantices* dicantur, intellectu est non admodum difficile ex Plauti illo, qui est Pseud. act. I. sc. II. 51:

vino modo cupidæ estis:
Eo vos vostros pantices usque adeo madefacitis, cum
ego sim hic siccus.

Etenim *intestina* heic significari, prorsus credo Ill. Salmasio, sic exponenti ad Capt. act. IV. sc. II. 116. & hinc esse *panticinari* seu ventrem saburrare, collurconum more. *Pantices madefacere* est, quod nostrum temporum bibones dicunt, *de darmen spoelen*, intestina eluere. Scilicet, nolentes clysteris egere, malunt per priora infundere quod lubricet alvum. Cui usui musteam hodie cervisiam habent. *Pantices laxi* è contrario apud Martialem VI. Epigr. LXIV. 19, dicuntur repurgatione vacui: ut *cibi vacivitate laxi lactes*, id est, minime distenti, sed flaccidi & collapsi, Curculioni act. II. sc. III. 40.

§ 57. Porro quæ de *hira* diximus hactenus, ea jam dudum à præstantissimis viris occupata sunt omnia. In quibus acquiescere si velim, habebo forte plus honoris, Plautum tamen non ju-

vero.

vero. Apud quem *hira* neque Iejunum inteſtinum, neque Colon ſignificare poteſt. Queritur enim Cappadox de *hiris omnibus*, non de *una* tantum. Nullus dubito, *hiras* heic ſignificare *inteſtina* ſive *interanea* dicta: non tam Plinio XXII. 18; quam Columellæ de Re ruſt. IX. 14: *Quidam exemtis interaneis occiſas aves intus includunt.* ubi intelligendum eſſe quidquid eſt viſcerum in ventre imo, res loquitur. Hoc ſignificatu pluribus in locis venit apud Plinium Valerianum. (quo de vide quæſo ſis quantum abeat *judicium* Caſp. Barthii, ſummi critici, à *cenſura* Hier. Mercurialis, inſignis medici. *Illud* invenies Adverſ. VI. 17: *hanc*, Var. lect. II. 1.) Ecce unum & apprime noſtræ rei ſervientem lib. IV. cap. III. ubi de Ruta prædicat, quod *Matricis & omnium interaneorum dolorem ſtatim mitigat cum butyro & oleo decocta.* Ergo *matrix* etiam in interaneis ſeu inteſtinis eſt? Sane eſt: quamvis peritonæi diſſipio ſecreta ab iis quæ utero continentur. *Vterum* nunc è Celſi III. 1, & III. 21, appello cavitatem abdominis. Nos præterea juvat Onomaſticon vetus, cui omnis doctorum chorus plurimum tribuit: *Hira*, ἐγκοίλιον. At ita dicitur quidquid illa cavitate recipitur, hepar inprimis & lien. Pollux II. Onomaſt. IV. 38: Τὰ ἐνιδρυμένα ταῖς πλευραῖς σπλάγχνα, ἐγκοίλια καλεῖται· *recondita coſtis viſcera, hira vocantur.*

§ 58. Ergo ut finem meis nugis imponam, ſic ſentio. *Hira* quandoque ſtrictius ſignificat, quandoque laxius. *Hoc* modo, Jejunum inteſtinum: *illo*, inteſtina dicta omnia, quod corporis interiore parte cohibentur, inquit Iſidorus XI. Orig. I. Phavorinus: ἔνπεξ· οἱονεὶ ἐνδότερά τινα ὄντα. Huc nobis Gloſſæ præeunt: *Hira*, ἐγκοίλιον, νῆσις. Cappadox itaque cum queſtus eſſet de Viſcerum principalibus & quæ ſola fere vulgus vel noviſſe ſolet vel cauſari: quo ne vel longum faciat ſuis querelis (facile enim ad eas hebetantur aures) & tamen ipſis ſimul ingerat paſſionum ſuarum magnitudinem, ait, *hiræ omnes dolent.* Ita noſtri: *al mijn ingevvanden doen my ſeer*; h. e. nihil intus eſt in corpore, quod non doleat. Non poteſt aliter, ubi ſeroſus, ſalſus, acris ichor pro ſanguine influit in partium ſenſibiliora.

§ 59. Olim ſi lenonum, ut cauponum hodie lenocinantium, vita

Unable to display this page

nius reddi: *qui prudentiæ pharmacum expetunt aquam: fugiunt vero quam longißime vinum ceu ignis gloriam.* Varinus: ἀπειλὴ, τὸ καύχημα λέγεται. *Ignis gloriam* ergo vocarit id, in quo velut gloriatur & exultat ignis: sive omnem materiam facilem ad exardescendum, & in qua ut citissime concipitur, ita & ardet singulari cum vigore tumoreque. Nescio, an hinc sit Belgarum *glory.* ita appellant vividam & fugacem flammam, è virgultis ad repentinos usus excitatam, aliisque id genus cremiis. εὔφλεκτα vocant Græci.

§ 62. Quidquid sit, vel hoc certissimum est, in his quæ data homini in cibum sunt, aut ad voluptatem, non reperiri supra Vinum aptius quid vel Ignem ipsius incendere, vel οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιπλᾷν *arrogantia mentem implere*, ut è Platonis Cratylo (p. m. 279. D) recitat Athenæus II. 1. Homo si *vini* parũ infundit in cordis lampada, recreatur: si parum addit, roboratur: si pergit, exhilaratur: postea si non abstinet, inflammatur, tumultuatur, furit. Esse illam Pædagogi mentem, liquet ex sequentibus.

§ 63. Quæ quia præceptum habent notatu & observatu dignum, merentur & heic legi. ἀρέσκει οὖν τοὺς παῖδας, καὶ τὰς κόρας ὡς ἐπιτοπλεῖστον, ἀπέχεσθαι τοῦ φαρμάκου τούτου. οὐ γὰρ καταλλήλον ζεούσῃ ἡλικίᾳ τῶν ὑγρῶν τὸ θερμότατον, ἐπεγχεῖν τὸν οἶνον, οἱονεὶ πῦρ ἐποχετεύοντες πυρί· ἐξ οὗ ὁρμαί τε ἄγριαι, καὶ φλεγμαίνουσαι ἐπιθυμίαι, καὶ διάπυρον ἦθος [alii, εἶδος] ἐκκαίεται. *Placet igitur pueros, & puellas utplurimum, abstinere hoc pharmaco. Non enim convenit, ferventi ætati vinum superinfundere, humidorum calidißimum, velut ignem adjicientes igni: ex quo feroces impetus, & inflammantes appetitus, & igneus mos agendi* [aut *vultus*] *exardescit.* Confer ad Platonem de Legib. II. p. 796. A. unde hæc transumta videntur.

§ 64. Dixi me *scirrhum* Iecoris intelligere: non quemlibet tamen; sed qui consectariam habet Hydropis illam speciem, ubi *intus in unum* [forte rectius legas, *uterum*] *aqua contrahitur, & moto corpore ita movetur, ut impetus ejus conspici poßit*: quæ sunt Celsi III. 21. Quæ uti occasione *durati* Hepatis & biliosum fervidumque sanguinis non defecantis: ita fit effectione *igniti* Cordis & chylosum fibrosumque sanguinis in ichorem colliquantis. Cordi igniendo nihil est idonius, quam Ardens-vinum: præsertim medi-

medicatum & jejuno sumtum. Huic proximum Apsinthites est, & quæ præterea esse in delitiis matutinis solent.

§ 65. Veteres etiam mane *merum* non sumere tantum, sed & bibere solitos, prorsus ut nos hodie, certum est. *Sumsisse* docet ἀκρατισμὸς idcirco dictus: nempe, ut Athenæus Deipnos. 1. 9. ait, Διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν καὶ σπογγίζειν ψωμούς, *quod mero immacerarent aut intingerent bucceas.* Βύκκας è Latino vocarunt Græco-barbari: & hinc Dorothæus doct. XVIII, βυκκάκρατον *bucceam mero intinctam* ad jentandum. Vide sis ad Glossarium Meursii. Athenæo consentit Theon apud Plutarchum Symp. VIII. 6. Φασὶ γὰρ ἐκείνους ἐργαλικοὺς ἅμα καὶ σώφρονας ὄντας ἔωθεν ἐσθίειν ἄρτον ἐν ἀκράτῳ καὶ μηδὲν ἄλλο. i.e. *Hi docent, illos cum & laboribus dediti & temperantes essent, mane panem edere mero intinctum, aliud nihil.* Quo præcepto aliud dari talibus non potuit insalubrius. De isto autem copiosius Gul. Stuckius Antiq. conviv. 1. 7.

§ 66. Theocriti scholiastes Idyll. 1. 51. etiam seorsim aliquid edisse panis & superbibisse vini solitos scribit. οἱ μέλλοντες πολεμεῖν, πρωΐας ἔτι οὔσης, ὀλίγον τινὰ ἡθιον ἄρτον, καὶ ἄκρατον οἶνον ἔπινον, ὡς θερμοὶ ὦσι, καὶ μὴ δειλιῶσι, ὃ καὶ ἀκρατισμὸν ἐκάλουν. *Ituri in prælium, cum mane adhuc esset, nonnihil de pane comedebant, & vini meri bibebant, ut calidi* [h. e. audaces] *essent, neque metuerent. Quod & jentaculum vocarunt.* Unde cum diluceat, non omnes intinctum jentasse; sed quosdam voluptati suæ gratificantes seorsim de pane gustare & vinum solitos: vix dubitandum fuit, quin modum non raro excesserint.

§ 67. Certe etiam tunc se largius invitare solitos vinulentiores, satis ostendit χλεύασμὸς iste, quo quam poterant contumelioſissime Judæorum quidam deridebant Apostolos Act. 11. 13. quum recepissent virtutem Spirit. S. secundum promissum Domini jamjam ascensuri in cœlum, Actor. 1. 8. Dicebant enim, ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Quibus è verbis quemadmodum inferam quod intendo, exponã exercitatione proxima. Invitat enim me τὸ γλεῦκος, ut plenius & seorsim de toto hoc loco dicam.

§ 68. CA. *Facile est miserum irridere.* Facile quidem: pudendum tamen. Si enim, uti ex vero Quinctilianus Inst.

orat. v. 3. ait, *adversus miseros inhumanus est etiam jocus:* quanto est inhumanior, valetudinis insectatio, præsertim si culpa caret. Certe potuit hic leno non sua culpa incidisse in illud malorum agmen. Potuit miser fieri magnitudine morbi. Potuit imperitiâ medici. Cujus utinam essent exempla infrequentiora! Sed hæc est dicacitas illa scurrilis & scenica, tota ad risum & irrisum comparata. Sæpe miror, qui nominant nomen Christi, ejuscemodi scholas lubenter frequentare, ubi ab hominum quisquiliis irrisi & ridentes audiunt, quo de ne intimum quidem amicum paterentur se monere. Miror alios & probos etiam ab talibus magistris discere velle ridendi cum materiam tum modum. Certe nimium ubique risus pretium est, si probitatis impendio constat.

§ 69. PA. *Quin tu aliquot dies Perdura, dum intestina exputescunt tibi. Nunc dum salsura sat bona 'st, si id feceris, Vænire poteris intestinis vilius.* Ita est, ut Turnebus notat Adversar. xxvii. 27: *Hic plane lascivire Poetam quadam gari & liquaminis imagine, quæ ex intestinis piscium putridis quadam tabe & salitis fiebant, careque vænum ibant.* Universum *gari* seu *liquaminis* conficiendi modum, eumque non unum Cassianus Bassus tradit in Excerptis Geoponicis lib. xx. cap. ult. Huic usui maxime erant τὰ ἔγκατα τῶν ἰχθύων *intestina piscium*, sive quidquid horum alvo continetur, viscera omnia. Ea solebant ἁλίζεσθαι καὶ ἐν ἡλίῳ τήκεσθαι, πυκνῶς δονούμενα, *saliri & in sole liquari, sæpius agitata.* Liquatio ista sane nihil nisi putredo erat. Plinius lib. xxxi. cap. vii: *Aliud etiam num liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, ceteriisque quæ abjicienda essent, sale maceratis, ut sit putrescentium sanies.* Quomodo recte appellatum puto, quod subrubicundo vulnerum ichori esset non absimile. Cassianus: τὸ δὲ κάλλιον γάρον τὸ καλούμενον αἱματῶδον· *Optimum garum est, quod vocatur hæmatium; quasi sanguiculum dicas*, inquit Dalechampius in Annot. ad Plinium xxxi. 8. b. At *sanguinculum* Plinius *sanguinem hædi in cibum formatum* vocat l. xxviii. 14. Is αἱματίας dicebatur Græcis. vide Cæl. Rhodiginum Antiq. xiv. 56. De *garo* plura quisquis cognoscere desiderat, adi fis ad Marc. Donatum Dilucid. in Æl. Lampridii Heliogab. § Rom. ducum primus. Nobis, quod dixi, satis est in præsenti.

§ 70. Ve-

§ 70. Verosimile vero spectasse Poëtam ad dejectiones Hepaticis & hepatis vitio Hydropicis familiares. De quibus Galenus in v. de Loc. aff. VII. *Ita si velut sanguini fecem videritis per sedem excerni, scite & illud esse Hepatici indicium. Itaque si, quod excernitur, tenue & ichori-simile fuerit, indicium est visceris ad sanguificandum impotentis. at quod velut fex* est, nota est *superassantis sanguinem. Namque & hoc sæpe videntes memineritis eos qui in initiis ichores sanguinolentos, successu temporis crassum ac melancholicum sanguinem excernere: tandem vero etiam exacte atram bilem.* Quibus subjungere lubet nobilem Hollerii observationem, quam memoriæ prodidit de Morb. intern. I. 39. in scholiis. *Hospiti leonis argentei in vico D. Iacobi inventa sunt siderata intestina & omnino corrupta, quasi sugillata, humor plurimus cruentus, & loturæ carnium saturatæ sanguinesimilis.* Atque hæc videtur Palinurus leoni præsagire, cum *perdurare* jubet vitamque trahere *dum intestina exputescant sibi*, atque in saniem colliquescant assimilem *pretiosæ malorum piscium saniei*, quam vocat Seneca in Epist. XCV. De *pretio* videre est apud Plinium XXXI. 8. initio.

§ 71. CA. *Lien dierectu'st.* Hoc verbum excellenter exercuit Criticos, & forte etiam nunc esset in obscuris, si non explicasset admirandissimus Salmasius, quo majorem promtioremque secula non viderunt in talibus Oedipum. Docet ad nostri Captiv. act. III. sc. IV. 103. esse Græcum latinissans. Græcum est Διάῤῥηκτος. Hinc Latinum *dierectus*, id est, disruptus. *Disrumpi* lienem posse, duobus exemplis testatum fecit Amplis. D. Tulpius Observ. II. 29. Cum quibus nihil assimile habet, quod Hier. ab Aquapendente refert de Operat. chir. c. LI. Ibi enim sine vulnere externo lien diruptus fuit percussu scipionis: heic securis acies sub valentiore percussione chartam & abdomen & lienem uno ictu præcidit. Nempe erat Patavii vir alicujus nominis, qui profitebatur excisionem lienis scirrhosi hoc modo. *Charta supra lienem obduratum, & supra chartam acie securis imposita, tum malleo securim percutiebat valide, & ita dimittebat patientes, ceu curatos.* Quos vidit D. Tulpius, uterque mortuus est brevi. Et omnis deinde ratio demonstrat, vivere neminem cum splene

rupto posse. Neque persuadeo mihi voluisse Poëtam id in rigore intelligi. A vulgo est hæc phrasis. Is, cum quod membrum misero modo cruciatur, solet dicere id sibi disrumpi. Ita *dierectum cor* loco, quem laudavi, dicitur id, quod præ anxietatum magnitudine velut dilacerari videtur. Hodieque familiare id genus loquendi est nostratibus: *mijn hart berst my*. Ita mori non credunt ante dierectum cor, queis fauces præcludit filia restionis. Cappadocem supra audivimus de liene querentem, ceu de fonte omnis, quod pateretur, mali. Perstat in opinione: non obstante, quod agitari ab hepatario morbo diceret Palinurus.

§ 72. PA. *Ambula, id lieni optumum'st.* Janus Gulielmius Quæst. in Curcul. c. III: *Censebimus ne temere à servo ludibundo, an vere dictum, & lienosos juvari moderata ambulatiuncula?* Et vere hoc dictum est, & de ambulatione ampliore. Celsus lib. IV. cap. IX. qua de tumore lienis: *Hoc vitium quies auget. Itaque exercitatione & labore opus est.* Quod ab Hippocrate consilium esse docent quæ leguntur l. de Int. aff. t. XXXIII. qua de primo Lienis morbo: ἢν δὲ δυνατὸς ᾖ, ἀναγκάζειν αὐτὸν πρίειν ξύλα τριήκοντα ἡμέρας. καὶ ἀπ' ἄκρων τῶν ὤμων παλαιέτω. καὶ περιπατεέτω δι' ἡμέρης. καὶ ὄψιος εὐδεέτω. πρωΐος δὲ ἐγειρέσθω. *Quod si sufficiat, cogendus est secare ligna per triginta dies. Et summis humeris se exerceat: & obambulet de die: & sero dormiat: ac mane surgat.* Sic & l. d. Affect. t. XXI. consulit Lienem habentibus magnum, ξηραίνειν τὸ σῶμα καὶ ἰσχναίνειν σιτίοισι καὶ ποτοῖσι, καὶ ἐμέτοισι, καὶ γυμνασίοισιν ὡς πλείστοισι, καὶ περιπάτοισι· *Siccare corpus & extenuare cibis potibusque, & vomitionibus, atque exercitiis quam plurimis, ac deambulationibus.*

§ 73. Viden', non velle in quiete esse Lienosum? Quies enim augendis obstructionibus servit, sicut labor deobstruendis visceribus. Etenim ῥαθυμίη ὑγραίνει καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει. ἀτρεμίζουσα γὰρ ἡ ψυχὴ, οὐκ ἀναλίσκει τὸ ὑγρὸν ἐκ τοῦ σώματος. πόνος δὲ ξηραίνει, καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει· *otium humectat & infirmum corpus reddit. Quiescens enim anima non absumit humidum è corpore. Labor vero siccat, & corpus firmat:* inquit Præceptor II. de Diæt. t. XXIV. Quæ quia notissima sunt Medicorum filiis, cesso hæc protendere.

X. *Vini*

X.

Vini Pleni.

S. Lucas Actor. II. 13.

Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί.	ALII *vero* *ſubſannantes dicebant, Quia vini pleni ſunt.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

ASSEREBAM *pronuper* Veteres etiam mane *Merum* non modo guſtare cum buccella panis *ſolitos*, ſed & *bibere* ſeorſim, & quidem *liberalius*, ac ſæpe ad ebrietatem uſque. Cui aſſertioni fidem uti apud te facerem plenam, poſt varia à Gentilibus mutuata loca produxi inſuper hunc, quem propoſui. Qui quia intentioni meæ directo non favebat, promiſi conſequentiæ rationem me proximo in diſcurſu demonſtraturum. Quod ita nunc conſtitui facere, ut *primo* Argumentum exponam, ſeu rationem, qua abutebantur Judæi ad calumniam, quam evomebant in Apoſtolos. *deinde* Argumentationem, ſeu modum potius, quo illam profitebantur & objectabant.

§ 2. *Argumentum* erat, Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Pro quibus Vulgata & Eraſmus reddidere: *Quia muſto pleni ſunt.* Summus vir D. Heinſius Exerc. ſacr. p. m. 269: *Hoc in loco recentioribus vox* muſti *non placet. Et certe cum primitiarum feſto, muſtum proprie ſic dictum, nondum eſſet, cujus menſe Tiſri, ſive vindemiæ, qui & ab eo dictus, primus uſus; vix potuiſſe fieri videtur, ut muſto eſſent pleni: ſive γλεύκους potius, ut ipſam vocem ſervemus.* In recentioribus illis vel primi nominis eſt magnus Beza noſter. qui notationibus in eumpſe locum ita ſcribit. *Muſtum fateor à Græcis γλεῦκος dici: ſed quum hæc geſta ſint ipſo die Pentecoſtes, quo tempore nullum*

nullum est mustum malo in genere pro vino dulci & præstanti accipere: præsertim cum mustum raro & multo minus quam vinum inebriare testentur Philosophi. De hoc problema habet Plutarchus Sympos. III. 7. quod examinat Andr. Baccius in Hist. vinor. l. 18.

§ 3. Itaque apparet dubium esse, *quid* γλεῦκος significet. Si enim *mustum* seu Vinum novum dicas, major existit difficultas. Quei namque *mustum* Vere fuerit, quod Autumnus vel dederat vel daturus erat? De *hoc* quidem cogitari non potuit. *Illud* vero quemadmodum in septimum mensem servaverint, ut etiam tunc fuerit in delitiis & quidem matutinis seu incorrupti palati, nec non aptum inebriando, non dicitur. Sin *vox*, non Mustum significet, sed aliud quid, quid fuerit, dicendum erat. Nescimus fecisse hactenus quemquam. *Theologos* non miror hoc sui studii non facere. Non facit enim ad fidem historiæ. Referebat, ebrios esse, aut non: non, si essent, quo vino. Quare autem *Physicus* nihil heic, nihil *Medicus* tentavit? cum *illius* sit Veritatem scutari; *hujus* ad Utilitatem omnia dirigere? Criticorum nonnemo tentavit: sed quam feliciter, malo te instituta collatione discere, quam dicendo videri cornicum oculos confixisse. Nostræ curæ erit, miscuisse utile dulci.

§ 4. *Vinorum* genera numero comprehendi posse, nemo facile existimet: sunt enim innumera atque infinita. Quamobrem nec omnia dicentur, sed quæ à *sapore* sumuntur tantum: nec omnia rursus, sed ad rem facientia: *quippe totidem pene sunt, quot agri*, inquit verissime Plinius XIV. 2.

§ 5. Hippocrates II. de Diæt. t. XIII, *triplex* Vinorum genus à Sapore agnoscit: dulcia, austera, acida. E quibus nunc non nisi *primum* considerabimus: cætera enim non esse ad voluptandum, facile quis experiatur. Medicinæ loco quod quis sumit, eo se nemo inebriabit.

§ 6. De *acidis* quid exspectes Hippocrates dicit eodem t. XIII. 237. οἱ ὀξιωπῶοι οἶνοι, ψύχουσι, καὶ ἰσχναίνουσι, καὶ ὑγραίνουσι. ψύχουσι μὲν καὶ ἰσχναίνουσι, κένωσιν δὲ ὑγρὸν ἀπὸ δὲ σώματος πιδύμενοι. ὑγραίνουσι δέ, ἀπὸ δὲ ἐστόνος καὶ ὕδατος σιὼ τῷ οἴνῳ. *Acida vina refrigerant, attenuant, humectant. Refrigerant quidem & attenuant, vacua-*

vacuationem humidi à corpore faciendo. Humectant vero per subeuntem cum vino aquam. Sunt enim aquosa valde. Hoc vero visum est dignum addi ad ea quæ habet Hofmannus v. Inst. xxv. 3, disputans, Num quod vinum refrigeret. Si enim Baccio Hist. vin. II.2. licuit Galeni verbis, quæ sunt l. de Cibis XII. in fine, uti tamquam decisoriis: quanto amplius ponderis inesse putabimus his, quæ ratione stabiliuntur, eaque infallibili? Tale autem ad nos raro non Mosella mittit, nisi uvam Sol continuus & ardentior excoxerit valde.

§ 7. Quod ad *austera*, præterquam quod nulla se gustui probent, etiam raro se sanitati commendant. Si enim simul *nigra* fuerint, ξηρότεροι, καὶ οὐ διαχωρεῦνται, οὔτε οὐρέονται, οὔτε πτύουσι· *sicciora sunt, & non secedunt, neque mejere faciunt, neque sputare.* Sin *alba*, θερμαίνουσιν, οὐρέονται δὲ μᾶλλον ἢ διαχωρέουσιν· *calefaciunt, reddunturque per urinam magis aut per secessum*, inquit Hippocrates t. eod. 225.228. *Vtraque* adstringunt: sed potentius *nigra*. Unde iterum noster l. de Hum. usu t. IX. 10. ὅσα δὲ ψύξιος [lege, στύψιος δέονται] ὁ μέλας οἶνος καὶ εἰρία καταρῆναι· *quæ vero adstrictione indigent, nigro vino cum lana irrigare oportet.*

§ 8. Igitur ad *dulcia* adeamus, quo nos ipsa *vox* vocat, cujus in gratiam hoc omne scribimus. Est autem *dulcium* Vinorum duplex genus: *unum*, quod Natura tale: *alterum*, quod Arte est.

§ 9. Quod *natura* Dulce vinum est, *vel* Excellenter tale est, *vel* Remisse. *Illud* genus propter excellentiam puto simpliciter οἶνος γλυκὺς *vinum dulce* Græcis vocari solitum. Etiam de *illo* Galeni accipio quod scribit cum alibi tum l. de Att. vict. XII: *nullum album dulce reperiri.* Nisi enim hanc παραμυθίαν admittimus, non potest exculpari. Quæsivit mantelum tamen Andr. Baccius in Hist. vin. II. 7. Vult de Italiæ vinis Galenum loquutum. Mirum, cum ea regio nunc *alba* multa habeat, eaque generosa simul & egregie *dulcia*, quæ gustavi non semel, quin & ante paucos dies, unde illa? Quemadmodum vinum nigrum mutetur in album, & vicissim, modum unum Varro tradit in Geop. VII. 21: alium Apitius II. de Re cul. I. 7. Sed vitem nigram in albam quemadmodum mutes, docet nemo: nec verisimile est

posse id natura vel arte fieri. De *capnia* Theophrastus testatur de Caus. plant. v. 2, uvas ferre quandoque albas, quandoque nigras. Sed hoc ita refert, ut videatur ipse dubitasse. Itaque dixit, καθάπερ φασὶ, *ut ajunt.*

§ 10. Sed neque hoc prætendit Baccius: sed esse advectitia. Ergo, si alibi fuere, nimis liberaliter fuit loquutus. Hippocrates l. de Affect. c. XLIX: γλυκὺς οἶνος, κομιστικὸς, καὶ διουρητικὸς, καὶ φλεγματώδης· *Dulce vinum refectivum, diureticum, & pituitosum est.* Quæ conditiones certe non cadunt in dulce nigrum. Quod cum, fatente Galeno, omne sit crassum: quænam sunt *tenuia dulcia*, λεπτοὶ γλυκέες, II. de Diæt. XIII. 232, si *alba* non sunt? de quibus sermo tamen est in proxime præcedentibus. Sed, ut concludam, nullius momenti istam esse causationem, nemo non perspiciet, cui modo vacat inspicere loca, quæ ipsus profert ex Galeno. Imo, si placet, confer auctorem sibi ipsi lib. V. p. 224. D. & vide quam fuerit antea scriptorum non satis memor.

§ 11. Cæterum *absolute* Dulcia dicuntur vina, quæ istuc maturitatis pervenere, ut controversiam quasi facere videantur his, quæ ars fecit ex musto dulci dulcissima. Hæc esse arbitror, quæ Poeta in Georg. I. 241. vocat *mollissima vina*. Nam *molle* idē quod *maturum* esse, notius est, præut moneri debeat. Nostrates etiam, si quod se vinum amabile gustui præbet, id hac fere consuerunt laude prosequi, *'t is een mollige vvijn*, molle vinum est. Ea autem mollitudo, ut maturitatis, ita & ætatis argumentum est. Sic *merum molle* dicitur Venusino I. Carm. VII. 19, quod quamprimum bibendo est. Alias quippe merum, & omne vinum generosum, acre fit & amarum ab annis.

§ 12. De *illo* Hippocrates II. de Diæt. XIII. 252: ὁ δὲ γλυκὺς οἶνος, διαχωρέει μᾶλλον τοῖσι φλεγματώδεσιν· *Dulce vinum alvo promtius secedit pituitosis.* Quamobrem Galenus ergo de San. tu. VI. 2, biliosis ventribus præscribit? præsertim si sitim facit, ut ipse dicit de Vict. acut. III. 2.

§ 13. *Alterum* genus est *remisse* Dulcium. Id οἶνος γλυκάζων, *vinum dulcescens* Dioscoridi dicitur in VI. 17. ubi ei, qui Mandragoram bibit, præmisso vomitu conferre ait nitrum & apsinthium

σὺν γλυκεῖ ἢ οἴνῳ γλυκάζοντι: *ex vino dulci aut passo*, Ruellius: *cum passo aut vino dulci*, Cornarius. Neuter recte: minus tamen ille. Nam neque γλυκὺς *vinum dulce* significat: neque οἶνος γλυκάζων, *passum*. Ad verbum: *cum dulci aut vino dulcescenti*. De *isto* mox. Vinum *dulcescens* autem non id dicitur proprie, quod suavitatem tempore acquirit: sed quod, suo licet in genere sit optime à sole & solo coctum, attamen non pervenit ad illum dulcoris excessum, quem in alteris agnovimus. Hujuscemodi sunt, quotquot ex albis meliora nobis Gallia mittit.

§ 14. Quæ *arte* Dulcia sunt, eorum duplex quoque genus est: *unum*, Vinum est revera: *alterum*, Mustum sive ex musto potius.

§ 15. *Vinorum* si quod olim non satis esset sapidum, conditura dulcabant. Hanc aromatis alii, alii musto aut ex musto coctis faciebant. *Aromatis* condire vinum Pamphilus docet in Geop. VI. 20, & ibidem Cassianus VII. 13: ut & Columella XII. 20. 28. A *musto* Vinum dulce faciendi modum ostendit Didymus in eisdem Excerptis Geop. VII. 19. Sed & quæ fiebant *ex musto*, dulcandis vinis serviisse cognoveris ex his quæ postea adducemus è Columella. Hoccine vero sit, quod à Lxx. interpretibus redditur γλυκασμὸς apud Ioelem III. 18, aut γλύκασμα dicitur Phavorino, ex origine vocum suspicamur quidem, sed affirmare non possumus.

§ 16. Hodie in hunc usum fere *Saccharum*, & quæ è saccharo, veniunt. Oenopolæ vinorum acidiuscula & aquosiora facere dulcia & pinguia solent syrupo, quem post se relinquit Saccharum, cum crystallizatione fit κανὸν ἢ κανίον, *angulosum*. Quod verbum medii seculi Græcorum esse, seu à puritate veteris elegantiæ abeuntium, Salmasius te Exerc. Plin. p. 1022. D, & Meursius in Glossario docebunt. Meminerint ergo Medici, *primum*, in suis Recipe scribere *Saccharum* non *candum* aut *candidum*; sed *cantum* aut *cantium*. Quemadmodum scriptum est in Pharmacopœa Amstelædamensi, & ut sic scriberetur obtinui in ejus olim confectione ab Clariss. Medicis, quibuscum fui ad hoc negotium deputatus. Meminerint *deinde* Belgæ mei, queis adeo est or-

thographia curæ, uti deinceps quoque ſcribant *Suiker-kant-ys*. Quo aliud rei vocabulum convenire magis non poteſt. Eſt enim, quod dicitur, inſtar glaciei & mire anguloſum.

§ 17. Ad *extemporaneos* in menſa uſus plerique utuntur Saccharo puriſſimo & in panes, quos vocant, formato. Delicatiores etiam nobile vinum & fere ultima menſa edulcant *Saccharo* quodam *ſpumeo*, cui *canto* noſtri nomen, cognomen autem dederunt à parte, qua ſedemus. Ecce, quam iniqua gula in Naturam, ſerva in dominam ſit. Miror ſæpe in conviviis, cum quotidie nos ipſa Natura cujuſque noſtra admoneat, quam paucis, quam parvis rebus, quam vilibus egeat ad vitam atque ſanitatem: niti interea homines non quo Natura aurigatur, cui ſe ſapiens accommodat; ſed quo gula, ſanitatis corruptrix & interemtrix vitæ. Quot enim quotidie non necat? Plures certe, quam gladius.

§ 18. Ex *muſto* Dulcia multa ſunt, & multivaria. Quæ commode ad *duo* itidem genera reducimus: *unum* eorum, quæ ad Potandum parantur: *alterum* vero eorum, quæ ad Uſus præcipue alios. De *his* dicam primo loco, quia abeunt ab intentione noſtra longius: de *cæteris* deinde.

§ 19. *Hujus* itaque generis fiebant Carœnum, Defrutum, & Sapa. De *quibus* Palladius Octobr. XVIII: *Cum omnia uno genere conficiantur ex muſto, modus his & virtutem mutabit, & nomina.* Hoc eſt, quod alias diximus, & firmiter tenendum eſt: In *artibus*, quæ differunt ſubſtantiæ modo, differre ſpecie. *Speciem* quippe forma conſtituit. At *forma* quid aliud quam ſubſtantiæ modus eſt? Quo variato variari *virtutem* ſimul neceſſe eſt. Hanc *varietatem* Artifex ut dignoſci faciat, *nomen* rei à ſe factæ aliud atque aliud imponit.

§ 20. Sed *quomodo* Virtutem variat Subſtantiæ modus? Diſpoſitive. Quatenus nempe ἡ δυνάμις ἔνυλος, *poteſtas materialis*, non ſe poteſt exerere aliter, quam permittit materiæ diſpoſitio. *Diſpoſitio* autem hæc in particularum minimarum inter ſe coordinatarum figura conſiſtit potiſſimum. Quid enim, ſi partium ſenſilium figuram variare diſpoſitionem corporis ceu inſtrumenti concedimus, non idem fatebimur de figuris particularum inſen-

insensilium? præsertim cum ἐκ τ ἐλαχίσων τὰ μέγιστα, *ex minimis maxima* fiant?

§ 21. Quæ vero isthæc nova Philosophia est? inquis. Falleris, amice. Doctrina est ipsius Hippocratis l. de Vet. med. xxxix. 146. En! δεῖν δέ μοι δοκέει καὶ πᾶσι εἰδέναι, ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ἀπὸ δυνάμιων ἔρχεται, καὶ ὅσα ἀπὸ σχημάτων. λέγω δὴ τὸ τοῦτο. δυνάμιν μὲν εἶναι, τὰ χυμῶν τὰς ἀκρότητάς τε καὶ ἰσχύς. σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἔνεσιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. *Oportere autem mihi videtur & hæc novisse, qui affectus homini à facultatibus veniant, & qui à figuris. Quod dico hoc est. Facultatem scilicet esse humorum summas vires. Figuras vero intelligo, quæ insunt in homine.* Exemplis deinde aliquot dilucidata hac propositione, tandem concludit t. XL. 157. f. ταῦτα δὴ πάσχει διὰ τὴν φύσιν τὸ σχήματος· *Hæc vero patitur ob naturam figuræ.*

§ 22. *Cujus* varietatem quoque esse causam varietatis in effectibus, etiam cognoveris ex his quæ scribit Plinius XXII. 24. *Est & ratio subtilitatis immensæ à Platone descendens: corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse. Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & insiti: ergo & hæc animi asperitas, seu potius animæ, dulciore succo mitigatur.*

§ 23. Quæ ego non ideo tantum adscripsi, quia de consensu antiquorum in hoc placito testantur: sed vel inprimis, ut discant præcipites quidam non statim ceu nova damnare quæ in suis libris non legunt: quin scrutari Veteres primum, & ex his cognoscere, quam vere cecinerit Caspar Barthius, ille Varro Germanus, Zod. Christ. x. p. 224.

eadem toto diludit fabula mundo.
Immutata parum persona, sed immutata
Orbe redit patulo: scena una est, histrioque idem:
Gens eadem: casus iidem. Variabile saltim
Effigies alternat opus. Nil fingere factu
Aut dictu valeas mirum invisumque.

Si feceris, etiam hæc vetera esse perspicies, quæ hodie Cartesio auctore reddita luci aspicis ut nova, & despicis propterea, quia

intuere illa per conſpicilium præjudicio viridicatum. Sed ſatis, ſi forte non nimium de re aliena, non tantum ab inſtituto, ſed & communi ſenſu.

§ 24. *Carœnum* Palladius ſcribit, itemque Marcellus Empiricus cap. XXVI, circa finem: at *carenum* Iſidorus Orig. xx. 3, & Cæl. Apitius IX. de Re cul. VIII. 3, ac ſæpe alibi. Sed pro illis eſt origo vocis. De qua Adr. Turnebus Adverſ. XIII. 23: *vocabuli origo ita obſcura eſt, ut à Grammaticis nullis ſit perſcripta. Ego autem vinum velut caricum eſſe fere crediderim: etſi nihil præter conjecturam adferre poſſum.* Ac mox *vinum caricum* dictum opinatur, *quod primi id Cares decoxere, & nomine de ſe affecere.* Sed iſta quidem vere conjectura eſt: & hac ineptior Braſavoli; qui in Syrup. exam. *calenum* dici à Caleno oppido contendit. *Vini caleni* Deipnoſophiſta meminit in I. 21, & præfert Falerno, toties auctoribus laudato. vide Plinium XXIII. 1. Iſidorus veroſimilius forte: *Carenum, eo quod fervendo parte careat.*

§ 25. Sed miror, neque huic, neque Turnebo, viris Græce doctiſſimis ſuboluiſſe, *vocem* Græcam eſſe τὸ κάρηνον: præſertim cum Turnebus meminerit extare apud Nic. Myrepſum de Antid. I. 5: & Fuchſius in Notis jam id monuiſſet.

§ 26. Videtur autem *nata* Vox ex effectu & modo ſubſtantiæ. Conficiebatur quippe *carœnum*, Palladio auctore, *cum, tertia perdita, duæ partes remanſerint.* Iſidorus: *Tertia parte muſti amiſſa, quod remanſerit carenum eſt.* Quæ amiſſio non tanta eſt, ut propterea vinum non ſit, quod ſupereſt. Hoc ipſum tamen τὸ κάρος καρῆν *caput gravare* magis quam vinum merum, ratio & in ſimili experientia docent.

§ 27. *Ratio* primum, quia vinum muſteum eſt. *Muſtum vero inflat & fervet in ventre*, inquit Hippocrates II. de Diæt. x. III. 233. Perinde *vinum muſteum* venis & ſanguini infuſum. Inflatus vero fervenſque ſanguis non poteſt non gravem capiti dolorem adferre, dum in tranſitu exilia vaſorum, per meninges diſcurrentium, diſtendit & craſſæ membranas velut à ſe divellit. Iſta cum ſurgit nebula, *ebrietas* primum: mox cum urget, *ſopor* obrepit. Hîc eſt, quem *proprie* Græci κάρον nominant. Nam & *improprie* Medici

Medici appellant *carum*, qui isti omnia similis est, excepta causa. Mecum facit Casaubonus ad Athen. XI. 9. Verum de hoc alias.

§ 28. *Experientia* deinde ostendit in Vino novo & vetere saccharato. *Novum vinum* Dioscorides V. 7, δυσόνειρον dicit, seu quod quietem inquietam reddat & perturbet insomniis dirisque visis. Pro quo Hippocrates dixit l. de Vet. med. XIX. 55, δυσκοιτέειν καὶ ἐνυπνιάζεσθαι τεταραγμένα καὶ θορυβώδεα. Pro his Celsus II. 2, in notis adversæ valetudinis futuræ: *si gravior somnus preßit, si tumultuosa somnia fuerunt, si sæpius expergiscitur aliquis, quam assuevit, deinde iterum soporatur.* Vide quam multa Anazarbæus uno verbo comprehenderit. Similiter qui *Vinum saccharatum* bibunt insueti vel aliquanto largius, vix dici potest quanta ipsis obveniat καρηβαρία sive *gravatio capitis*, ut appellat Cæl. Aurelianus Tard. IV. 3.

§ 29. Quemadmodum vero rari usus Carœnum erat: ita è contrario vulgatissimi, quod ἕψημα Græci, *defrutum* Latini nominabant. In quibus *primum* Vocabulis quædam necessaria annotabimus, *antequam* Rem definiamus.

§ 30. Quod ad *nomen* Græcum, scire licet, *primum*, Non esse confundendum ἕψημα cum οἴνῳ ἑφθῷ, *Hepsema* cum *Vino cocto.* Dalechampius, quod mirere, facit tamen apud Athenæum I. 24. Dicit hic: ἄπυρον δὲ εἶπε, τὸν οὐχ ἑψημένον. ἐχρῶντο γὰρ ἑφθοῖς οἴνοις. Vertit ille: *ἄπυρον autem is vocat, quod decoctum non est. Nam sapa etiam ac defruto quondam usi sunt.* Reddendum erat: *Crudum dicit, quod non est coctum. Nam & coctis vinis utebantur.* Τὸ ἄπυρον id dicitur proprie, quod est expers ignis sive hujus vim non sensit. Ita Hesychius ἄπυρα σκεύη interpretatur τὰ οὐ παρέχοντα χρῆσιν ἐν πυρὶ, *quæ usum non exhibent ad ignem.* Sic & apud Suidam, ἄπυρος τροφὴ, ἡ δι' ὀπώρας καὶ λαχάνων· *Crudus victus* dicitur, *qui intra poma & olera est.* Hæc enim igne non indigent, quo coquantur ante quam edantur. *Cruda* quippe sumere ea licet. Talibus victitasse Zenonem memorat Laertius p. m. 452. D. Sic quoque *crudum vinum* est, quod super igne non fuit. Solebant quippe veteres, cum pluviosus annus aut alias mustum esset à vin-

vindemia imbecillius, decoquere aliquatenus vinum. Democritus in Geop. VII. 4, scribit feciſſe id alios uſque ad vigeſimæ partis, alios ad quintæ conſumtionem. Haut dubie ut arte vino ſapiditatem atque durabilitatem conciliarent, quæ Natura dare nequiverat.

§ 31. *Deinde*, Ἔψημα *ſtrictius* quandoque, quandoque *latius* dici. *Hoc modo* ἑψήματα appellabant Cocta olera aut legumina vel alia. Clem. Alexandrinus Pædag. II. 1. p.m. 148. c. inter tenuis menſæ cibos enumerat ἑψήματα παντοδαπὰ, ζωμῶν ἄνευ· *pulmenta omnigena, ſine juribus.* Dicit, *omnigena*, reſpiciens ad *materiam*, ex qua coquebantur. *Forma* quippe uniuſmodi erat.

§ 32. *Materiam* præbebant fere *legumina.* vide ad Theophraſtum Hiſt. IV. 5. Etiam *fructus* alii. Ariſtoteles de Part. II. 7: τὰ τῶν χερσόπων ἑψήματα καὶ τῶν ἄλλων καρπῶν. *pulmenta leguminum aliorumque frumentorum.* Heſychius: καρπὸς, σῖτος. In his & *milium* erat. è quo hodieque nobile fit pulmentum. Heſychius: κεγχρίνη, τὸ ἐκ κέγχρου ἔψημα. *Cenchrine, pulmentum de milio.* Dicebam vero etiam ex *oleribus* fieri, & frequenter admodum ruri. Plato de Republ. II. p.m. 601. A: καὶ λάχανα, οἷα δὴ ἐν ἀγροῖς, ἑψήματα ἑψήσονται· *aque olera, quemadmodum ruri, in pulmenta coquent.* Hippocrates ea ξύμφορα εἰς ἄφοδον *mollire ventrem* ait I. de Aff. t. 1. Hæc *materia* fuit.

§ 33. *Forma* vero, ut coquerentur tamdiu, donec frigeſcentibus ſuperficies in tenuem cruſtam concreſceret. Cognoveris è Philoſopho de Gen. anim. II. 3. f. τοῖς δ' ὑγροῖς μὲν, σωματώδεσι δὲ, θερμαινομένοις πεπήγασι, καθάπερ ἐν τοῖς ἑψήμασι ψυχομένοις τὸ πέπηγεν. *Humidis quidem, ſed corpulentis, ubi incaluere, in ſuperficie concreſcit, velut in pulmentis frigeſcentibus cruſta quædam.* Ea γραῦς Græcis dicitur, quaſi dicas *anum* aut *vetulam.* vide Galenum de San. tu. IV. 4.

§ 34. *Strictius* vero ἔψημα vocabant Muſtum decoctum ad conſiſtentiam, minorem majoremve. Hoc me credere facit, *primum*, Quod lexica videam promiſcue τὸ ἔψημα interpretari *defrutum* & *ſapam.* Gloſſarium: *Defrutum*, ἔψημα. Iterum: *Sapa*, ἔψημα. Similiter Onomaſticum & alii. *Deinde*, Facultatum, quas

Unable to display this page

pulmentum eo devenit, ut istum edat sonum, dicere solent, *de bry pruttelt*, q. d. pulmentum defrutat, seu sono ostendit usque quo sit coctione redactum.

§ 37. Inde *pruttelen* nobis est γογγύζειν, *murmurare*. Quod ipsum verbum fictum est ad imitationem soni, quem murmurantes ita proferunt, ut loqui audias, verum quid dicant non intelligas. Hoc enim *murmurantium* est, indignationem neque premere, neque promere. Premere eam non potentes loquuntur, quæ non audent promere. Loquuntur ergo, sed verbis obscuris, sensu presso, nec impresso voci vestigio iræ, nedum execrationis. Hoc vero est efflare verba potius, quam pronuntiare.

§ 38. Perottus à *fruor* deducit, cujus præteritum sit *frutus*. Sed *frutus* non dicitur, inquit pure dicendi maximus auctor Vossius de Arte Gramm. III. 32. Est vero, addit, *defrutum* ex *defruitum*: quia ex eo omnis musti fructus percipitur. Nam, ut Festus ait, *Defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere.* Si ista negem placere mihi, audiam fortasse, Sus Minervam. Nego tamen, & tamdiu donec ostendatur, quemadmodum omnis musti fructus percipiatur in defruto. Etiamne dotes Vini habet, seu musti defecati, quod secum plus quam vini habet? Verosimilius Isidorus Orig. xxx. 3. *Defrutum dictum est, quod defrudetur, & quasi fraudem patiatur.* Non credo.

§ 39. Quod ad *usum* Vocis, quandoquidem non ad eamdem semper spissitatem decoquere Mustum solerent, sed aliquando ad dimidiam, aliquando ad tertiam: hinc est, quod *defrutum* significaret *modo* quodvis Hepsema, *modo* quod esset maxime decoctum. Apud accuratiores *proprie* dicebatur *defrutum*, quod ad tertiam: *sapa*, quod ad dimidiam decoctum erat. Quid ergo ista Plinii volunt? *quod alii Hepsema, nostri sapam appellant, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.* Error memoriæ est, quæ amanuensi *tertiam* dictavit, ubi *dimidiam* debuit, & contra *dimidiam* ubi *tertiam* dicere oportebat. Hoc vero dilucebit clare ex consideratione singulorum.

§ 40. *Defrutum* Latinis *à defervendo dictum, ubi ad spissitudinem forti-*

fortiter despumaverit, effectum est, inquit Palladius Oct. xviii. Nota, cum *defrutum* ait à *defervendo* dictum, respicere ad originem rei potius, quam nominis. Præterquam enim quod *deferbitum* non dicatur: etiam violentum esset hinc *defrutum* formare.

§ 41. In *re ipsa* non modo consentit Columella in xii. 20: sed & quo spissius fuerit decoctum, eo melius ait. *Si natura tenue mustum erit, cum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & fornax protinus aqua refrigeranda: quod si fecerimus, nihilominus defrutum infra tertiam partem vasis consedit. Sed id quamvis aliquid detrimenti habeat, prodest tamen: nam quanto plus decoquitur (si modo non est adustum) melius & spissius fit.*

§ 42. Quibus è verbis observes, primum, *Mensuram decoquendi.* Ea erat vel ad tertiam vel intra. Si mustum decoqueretur ad tertiam, refrigescens considebat infra eam. Quamdiu enim calet decoctum, plenum vaporibus tumet: quibus evanidis sidit. Qui considere ad tertiam volebant, ad dimidiam decoquebant. Hoc licebat in mustis crassioribus: illud vero expediebat in tenuibus, quo ne situm ducerent. cui magis sunt obnoxia, quæ sunt aquosiora magis. Valde hoc Pharmacopœi experiuntur in Sambuci rob, quod vocant.

§ 43. Deinde, *Modum decoquendi.* Quem plenius tamen exponit capite præcedente. *Vvas*, inquit, *sereno siccoque die quam maturissimas legemus, quibus proculcatis mustum, quod defluxerit ante quam prælo pes eximatur, satis de lacu in vasa defrutaria deferemus, levique primum igne, & tenuibus admodum lignis, quæ cremia rustici appellant, fornacem incendemus, ut ex commodo mustum ferveat. Isque qui præerit huic decoquendo, cola juncea vel spartea ex crudo [id est non malleato] sparto præparata habeat. Itemque fasciculos fœniculi fustibus illigatos, quos posit utique ad fundum vasorum demittere, ut quidquid fecis subsederit, exagitet & in summum reducat: tum colis omnem spurcitiam, quæ redundarit, expurget. Nec absistat id facere, donec videbitur eliquatum omni fece mustum carere: tum sive mala cydonia, quæ percocta sublaturus sit, seu quoscumque voluerit, convenientes odores adjiciat, & nihilo minus subinde fœniculo peragitet, ne quid subsederit, quod posit plumbum perforare. Cum deinde jam acriorem potuerit*

ignem vas ſuſtinere, id eſt cum aliqua jam parte muſtum in ſe fervebit, tum codices & vaſtiora ligna ſubjiciantur, ſed ita ne fundum contingant. Quod niſi vitatum fuerit, vel vas ipſum, quod aliquando contingit, pertundetur; vel, ſi id factum non erit, utique aduretur muſtum, & amaritudine concepta condituris fiet inutile.

§ 44. Tertio, *Cautelam decoquendi.* Cavendum quippe, ne aduratur. Ad hoc, præter id quod jam audivimus, neceſſarium eſt eodem monitore, ut *ipſa vaſa, quibus ſapa aut defrutum coquitur, plumbea potius, quam ænea ſint. Nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis ſaporem vitiant.* Hodie ad ejuſcemodi uſus vaſa adhibent ænea, ſeu quæ perforationi non ſunt expoſita. Quo ne vero æruginem remittant, obducunt intus fuſo ſtanno.

§ 45. Denique, *Terminum decoquendi.* Nam quanto plus defrutum decoquitur, tanto fit melius, cum ad Penum, tum ad Uſum. *Illius* rationem jam intelleximus: ſpectare nempe præcautionem *ſitus.* quo facile obducitur, ſi quid remanſit aquei ſeu potius pituitoſi. Quomodo nunc appello, quod ſubſtantia aqueum, ſubſtantiæ modo lentum eſt. Pure aquea enim, cum evaporant, difflantur. At mucida lanugo illa, quæ ſuperficiei obhæreſcit, vaporis lentitudinem ac tenacitatem arguit. Ad *uſum* vero Poeta alluſit in Georg. IV. 268.

igni pinguia multo Defruta.

Pinguia vocat, quia ſunt ſpiſſa & dulcia. nam *pingue* pro *dulci* recte dici, auctor nobis Galenus eſt VI. Epid. v. 14, & alibi. A *multo* autem *igne* ſpiſſitudo eſt: à *ſpiſſitudine*, dulcedo: à *dulcedine*, gratia uſus. Ab *utraque* vero eſt, quod

Dulci defruta ſint lutoſa cœno,

ut ſatis ingenioſe Papinius luſit in IV. Silv. IV. 708.

§ 46. Inter *defrutum* vero & *carænum* erat, quæ *ſapa* Latinis, σίραιον Græcis fuit nominata. Heic iterum neceſſe habeo aliquid præliminio dicere de *vocibus* iſtis, antequam ad rem deveniamus. Dicam vero primum de Græco.

§ 47. Heſychius: Ἔψημα, ὅπερ ἔνιοι σῦραι καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ. Scribe, inquit Vir magnus, ὅπερ ἔνιοι σείραιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ &c. Scribes, ὅπερ ἔνιοι σίραιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ, ſiquidem audis

audis non me, sed ipsum Hesychium. Σίραιον, τὸ ἀπὸ τ῀ σαφίδ῀ ἕψημα· οἱ δ᾽ γλυκύ. καὶ ἐψημένον οἶνον. Phavorinus: Σιραίῳ, τῷ γλυκεῖ ἑψήματι, παρὰ τῷ Ἱπποκράτει. Desumsit è Galeni glossis, aut Erotiani. Apud illum præterea sic scribitur l. κ. γλώ. III. 2. p. 346. l. 46: & l. de Atten. vict. XII: ac alibi. Apud Hippocratem reperitur I. Muliebr. t. XCI: iterumque II. t. LXIII. Ubi tamen utroque loco legitur non σίραιον, sed οἴν῀ σίραι῀. de quo mox. Etiam σίραιον scribunt Aristophanes & Scholiastes Vespis p. m. 493. n. F. Unde rectè Dalechampius & Casaubonus pro τῷ σισίραιον, quod Athenæo IV. 21. subrepsit, rescribunt σίραιον, præeunte mss. Videtur hæc non vidisse Seberus: alioqui confidentius apud Pollucem VI. 2. idem restituisset pro σισύραιον, quod plane mendosum est.

§ 48. Cæterum quod alteram emendationem attinet, apud Hesychium non esse in locum δ γλυκὺ reponendum γλῶκ῀, vel unum Eustatii illud evicerit, quod est Odyss. α΄. p. m. 1385. l. 14: καὶ τὸ γλυκὺ ἐκ δ γλώκους. Si enim dulce est ex musto, non est mustum. Neque est, qui σίραιον & γλῶκ῀ pro synonymis habuerit. Quæ eapropter debui paulo plenius proponere, ut ne obstet mihi auctoritas Exercitatoris sacri.

§ 49. Latini quoque *siræum* dixere. Plinius XIV. 9: *Nam siræum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant.* Distinguere autem, quod ex *musto* fiebat Siræum, oportet ab eo, quod ex *caricis* aut *palmulis*. Nam ex his quoque Siræum confeciisse scribit Ægineta VII. 14. σίραιον [libri σίρεον, vitiose] ἐστι, τό, τε ἀπὸ δ γλώκους ἑψομένου, καὶ τὸ ἀπὸ τ῀ ἰσχάδων καὶ φοινίκων, καὶ αὐτὸ τὸ γλυκὺ γλῶκ῀ σὺν τῷ μέλιτι. *Siræum dicitur, non tantum quod ex musto cocto fit; sed & quod ex caricis atque palmulis; & ipsum hoc dulce, mustum cum melle.* Quod ex ficubus coquebatur, id Galenus l. de Att. vict. XII. assimilat corrupto melli. Credibile vero est, & hoc & ex dactylis pinguibus (τὸ τ῀ λιπερῶν φοινίκων ἀφέψημα, ut Paulus ait III. 28. qua de curatione Arteriacorum) quod fiebat, venisse potissimum tenuioris fortunæ hominibus in usum.

§ 50. Etiamne vero *mustum cum melle* decoquebant ad consistentiam ceu *speciem* Siræi novam. Ita quidem videtur ex istis

Unable to display this page

rœno fuit, mollior Defruto. Quod ad *materiam* vero, *ſapa* fit ex muſto vel albo vel nigro. *Ex albo melior*, inquit Plinius XXIII. 2: non tantum quia ſapidior; ſed & quia μαλακλινὲς τ ἄλλων μᾶλλον, *ventrem præ aliis mollit*. Ita Dioſcorides V. 9. Ex *nigro* enim *muſto* Sapa haut dubie adſtringit.

§ 54. Erat autem *ſapa* per ſe ſapida admodum. *Sapidiorem* tamen qui volebant, optimi vini ſextarios C. ad muſti VIII. adjiciebant. Hanc præparationem ſeu optimam commendat Leontinus in Geop. VIII. 31. Alii *aromatis* condiebant. vide ad Columellam XII. 20.

§ 55. Paret itaque, ingenii hæc, non naturæ opera eſſe: & eſſe non ad bibendum comparata, ſed *omnia in adulterium mellis excogitata*, uti Plinius ait XIV. 9. Ariſtophanes loco, quem modo laudabam, diſerte σίραιον ἀντὶ μέλιτ@, *ſapam pro melle* ſubſtituit. Inquies: *quemadmodum* Sapa ſaltem ad bibendum non ſit facta, cum, referente Plinio XXII. 2, *Fabianus autor ſit, venenum eſſe, ſi quis jejunus à balineis eam bibat*. Forte quis recens à balneo & antequam ibi inſudaſſet, æſtuante corpore & onuſto pravis humoribus, dilutam vino ſapam bibens ſubito fuit extinctus cum talibus ſymptomatis, quæ potionatis alias accidere eſſet obſervatum. Id ſi accidit, ut ſane potuit accidere, non miror veneni inſtar habitam eo in caſu ſapam. Quam facile enim eſt, ut ſapa ferveat & inſtar mellis fermentet humores pravos & ſeceſſionem (quam putredinem appellat vulgus) faciat in ſanguine, ſpiritumque enervet enecetque.

§ 56. Sed vero, *potui* iſta, ſaltem mera, non fuiſſe, colligi & equidem haut obſcure poteſt è Galeni l. de Att. vict. XII: *Vina*, inquit, *quæ dulcia admodum ſunt, omnia ſanguinem craſſum gignunt: nigra namque hæc ſunt, & conſiſtentiâ craſſa, & iis adhuc magis Siræum quod vocant, id eſt, ſapa. Eſt autem id muſtum plurimum coctum*. Ecce, craſſiora erant, præut bibi indiluta poſſent; & talem gignebant ſanguinem, qualem nemo cupiat, ideoque cavet quæ materiam ei præbere queunt. Cum enim τὸ αἷμα τὸ ἐν ἀνθρώπῳ πλεῖον ξυμβάλλε) μέρ@ σωφρόσυν@, *Sanguis, qui in homine eſt, potiorem partem contribuat ad prudentiam*, uti ex vero dicit Hip-

Hippocrates I. de Morb. t. XXVIII. & l. de Flat. XX. 209: conferat vero hoc, quod ad eam confert, puritate sua & pelluciditate: nemo equidem non obscurare hanc cavebit, quisquis vel experimento didicit, quam Spiritus noster oderit tenebras, amet autem habitare in lucido.

§ 57. Ut jam non dicam, *matutino* potui id expeti potissimum, quod ipsum coctione non egeat, quin serviat pridianæ cœnæ reliquiis conficiendis & digerendis. At vero στυπτικὸς πᾶς σείριος, *astringit omne siræum*, monente Dioscoride v. 9. unde nec facile confert ulli, qui consuevit alvum habere obedientem.

§ 58. Accedit tertium: quod *intus facile vitientur defrutum, passum, & quidquid nimis dulce est*, auctore Celso II. 28. Causam aperiet Hippocrates tibi, si adire libet, l. de Vet. med. t. XXIV. 76. Sed exscribamus verba in gratiam eorum, quibus ad manum liber non est. ἀλλ' ἴ, τι ἰσχυρὸν ἑκάστου, καὶ τὸ κρέσσον τῆς φύσιος τῆς ἀνθρωπίνης, οὗ μὴ ἠδύνατο κρατέειν, τοῦτο βλάπτειν ἡγήσαντο, καὶ τοῦτο ἐζητήσαντο ἀφελέειν. ἰσχυρότατον δέ ἐστι τοῦ μὲν γλυκέος τὸ γλυκύτατον. *Sed quod in unoquoque forte est, & potentius Natura humana, quod non potuit superare, hoc lædere arbitrati sunt, atque hoc studuerunt auferre. Potentißimum vero est inter dulcia dulcißimum.* Quid autem *melle dulcius?* Jud. XIV. 18. Certe nihil in his, quæ sponte nobis Naturæ suppeditantur. Quid autem *sapa potentius?* quæ & in adulterium mellis fuit excogitata, & excocta è musto plurimum omnino retinet in se vini. Cujus si *Asclepiades*, autore Plinio XXIII. 1, *utilitatem æquari vix deorum* (gentilium nempe, quæ per Dei gratiam *idola scimus nihil esse in mundo, & nullum Deum alium nisi unum*, I. Cor. VIII. 4.) *potentia posse pronunciavit*: quanto meliore nobis jure licet de Vino affirmare, non habere æquipollens sibi in humanam naturam? Effecta testantur, quam ne robustissimus quidem Vinum impune lacessat. confer ad Prov. XXIII. 29. & deinceps.

§ 59. Ergo igitur si potui non fuere, cui *usui* erant? Ad condimenta & medicamenta.

§ 60. *Medicamenti* loco sæpe sapam ac defrutum venisse olim, clarius est è Medicorum libris, præut ostendi loca debeant: imo

jam

jam oſtendimus in Hippocrate & Galeno, principibus viris. adde interim Dioſcoridem v. 9.

§ 61. Serviebant autem potiſſimum *condiendis* cum Vinis, tum Cibis. *Vinis* primum. Columella XII. 20: *memineris anniculo defruto, cujus jam bonitas explorata eſt, vinum condire: nam vitioſo medicamine fructus, qui perceptus eſt, vitiatur.* Et mox cap. 21: *Poteſt tamen etiam poſt dies novem, quam refrixerit, adjici in vinum: ſed melius eſt, ſi anno requieverit.* Præmittit autem cap. 19. monitum egregium, quod utinam hodie audirent Oenopolæ! *Quæcumque vini nota ſine condimento valet perennari, optimam eam eſſe cenſemus, nec omnino quidquam permiſcendum, quo naturalis ſapor ejus infuſcetur. Id enim præſtantiſſimum eſt, quod ſuapte natura placere poterit.* Quidquid ſit, ſaltem, ut ex eodem pergamus loqui, *cavendum eſt, ne conditus ſapor intelligatur: nam ea res emtorem fugat:* cap. 20. Me certe, qui nihil æque odi ac vinum adulteratum. Natura dulce & maturitate bonum amo, non arte. Interea etiam veriſſimum eſt hodie, quod ſuo jam tempore queſtus fuit Plinius in XXIII. 1: *Iam vero nec Proceres uſquam ſinceris utuntur. Eo venêre mores, ut nomina modo cellarum væneant, ſtatimque in lacubus vindemiæ adulterentur: ergo, mirum dictu, innocentius jam eſt quodcumque & ignobilius.* Hodie ne hoc quidem expers manet fuci.

§ 62. *Vinum* vero, quod admixtum ſibi Hepſema haberet, dicebatur priſcis γλεῦξις ἢ γλύξις. Athenæus I. 24. καὶ γλύξις δ' οἶνος καλεῖται, ὁ τὸ ἕψημα ἔχων· *Glyxis vero id vinum dicitur, quod mixtum ſibi hepſema habet.* Euſtathius ad Odyſſ. α'. p. m. 1385. l. 14: καὶ γλεῦξις κατὰ Παυσανίαν, οἶνος πολὺ ἕψημα ἔχων. ὁ νῦν φησὶ σίριν· *Gleuxis ſecundum Pauſaniam eſt vinum habens multum hepſematis admixtum ſibi: quod nunc dicitur Sirinum.* Tale fuiſſe arbitror quod οἶνος σίραιος *vinum ſiræum* dicebatur Hippocrati ſupra § 47. Solum namque *ſiræum* infuſionibus non ſatis aptum. Diluebatur itaque vino. Hoc *ſiræum* aut *ſirinum* aut *ſirium*, ut Dioſcorides. Heſychius inter γλεῦξιν & γλύξιν facere diſcrimen videtur. Γλεῦξις· οἶνος, ἕψημα. Revera, ut jam audivimus, fuit οἶνος σὺν ἑψήματι: non *vinum* aut *hepſema*; ſed *vinum cum hepſemate.*

§ 63. Iterum: Γλύξις· ὁ ἀνειμένος οἶνος, καὶ ἄγονος, οἱ ἔνιοι ἁπαλόστομον, οἱ δὲ γλεῦξιν. *Glyxis, effœtum vinum atque infecundum, quod quidam ori-molle, alii gleuxin vocant.* Priore colo quid velit, non assequor satis. Utrumne intelligit, quod Plautus Pænulo act. III. sc. III. 87, vocat *vinum edentulum*, sive quod sine dentibus, quasi nimia vetustate, est? vide Lipsium Antiq. lect. II. 19. An vero *tale*, quod sterilitatem adferret? cujusmodi Herea, oppidum Arcadiæ, dicitur habuisse, quod infecundas redderet mulieres. Athenęus de Trœzenio I. 24: ὁ δὲ Τροιζήνιος οἶνος ἀγόνους φησὶ τοὺς πίνοντας· *Trœzenium vinum infecundos dicitur facere bibentes.* Suspicor tamen, pro ἄγονος legendum esse ἄτονος. Sane hoc malim, dicique *vinum* ἀνειμένον, quod *ætate:* ἄτονον, quod *natura infirmum* est. Hoc genus vini *salubre* non esse, cognoscimus è Dioscoride, v. 9. Οἱ δὲ καλούμενοι ἀπαράχυτοι, inquit, ἔχοντες δὲ ἕψημα μεμιγμένον, κεφαλῆς εἰσὶ πληρωτικοὶ, μέθης γεννητικοὶ, δυσδιάπνευστοι, κακοστόμαχοι. hoc est: *Vinorum quotquot maris expertia sunt, habent autem hepsema permixtum, caput implent, temulentiam gignunt, difficile transpirant, aliena stomacho sunt.* Hesychio οἶνος ἀπαράχυτος exponitur, ᾧ οὐ προστέθεται θάλασσα, *cui non est additum mare.* Eodem modo interpretatur Galenus Meth. med. XII. 4. Cui vero admixta esset *marina*, id Celsus modo *salsum* simpliciter vocat, ut lib. I. cap. 6: modo *salsum Græcum*, ut III. 6. 24. & alibi. *Græcorum* namque id inventum erat, vinorum sola ignobilia condientium mari. *Quomodo?* docet Dioscorides v. 27. itemque Columella XII. 25. *Quare?* docet Plutarchus in Quæst. nat. X. *Species* salsi septem recenset Plinius XIV. 8. Quod vero esset ἀθάλασσον, *maris expers*, diximus cum Horatio II. Sat. VIII. 15.

§ 64. Etiam *cibis* Sapam atque defrutum condiendis venisse, multis auctorum locis testatissimum est. Præ aliis videri Cæl. Apitius potest, qui sæpesæpius eorum meminit omnibus pene in libris de Re culinaria. De *talibus* Cibis accipio Celsi judicium l. I. 2. *Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinem assumitur, & quod modo par est, tamen ægrius concoquitur.* Vere ita est, ut medici sentiunt: *Cibus simplicissimus, cibus optimus.* Præterquam enim quod minoris constet, fructus est majo-

majoris. Nam & parvo saturat, & facile coquitur, & plus alit. Martialis ea propter recte

Convictum facilem, sine arte mensam

recenset inter

Vitam quæ faciunt beatiorem.

§ 65. Præcipue vero *nigrandis juribus* Sapa faciebat. Jam non contineo me, ut non aliquantum de proposito decedam & aperiam aliquid veteris historiæ. Namque hæc sunt curarum nostrarum delinimenta.

§ 66. Olim frequenti in usu fuit *jus* duplex, album & nigrum. Ζωμὸς λευκὸς, *jus album* quodnam diceretur, & qua ratione conficeretur, intelligi è duobus Galeni locis potest. *Unus* est l. de Alim. fac. III. 30. Quæ quia ab Oribasio sunt exscripta in Conlect. II. 51: sufficerit mihi Latina inde desumsisse, prout Rasarius exhibuit. *Piscium molli carne præditorum apparatus ad concoctionem optimus est is, qui ex albo jure conficitur, quod quidem parant hoc modo. In aquam copiosam olei quod satis sit effundito, parumque anethi & porri addito: quum pisces semicocti fuerint, tantum salis adjicito, ut totum jus nondum salsum videatur. Hic apparatus vel ipsis ægrotis est accommodatus.* Non suaserim tamen nostris palatis apponi.

§ 67. Hoc interim modo non conficiebatur *album jus*, nisi quoties *carnes* æger cuperet. Simpliciter enim *olera* tantum admittebat. Oribasius diserte Conlect. IV. 1. § 13: *Album jus atque simplex ex sola aqua & oleo, pauco anethi & porri, & sale modico injecto post idoneam coctionem, conficitur.* Plinius XXXII. 9, *pisces* ad alvum emolliendam jubet *coqui cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo & sale.* Subnotat Dalechampius: *Tale est album jus, toties à Galeno memoratum.*

§ 68. De *carnibus* quod dixi, id vero clarum est ex *altero* Galeni, quem intendebam, loco. Is est Ὑγιεινῶν IV. 10. εἰ δὴ σαρκὸς βέλοιτο γεύσασθαι, τῶν τε πεζαίων ἰχθύων ἢ ὀνίσκων ἐν λευκῷ ζωμῷ καλῶς ἐψήσαντα διδόναι. προσαγορεύω δὲ λευκὸν ζωμὸν ὅταν ἄνθος σαρκός τε, καὶ πολὺ μᾶλλον τὸ ἄλλης καρυκείας, σκευασθῇ ἀνήθῳ τε καὶ ἀλῶν ἐμβληθέντων εἰς ὕδωρ σὺν ἐλαίῳ καὶ πεπάσῳ βεβρεχότι. Pro

quibus Linacer nobis ista dedit. *Quod si carnem quoque gustare velit, saxatiles pisces vel oniscos in albo jure bene elixos dabis. Voco jus album, cum sine garo, magisque etiam sine supervacua conditura, cujusmodi χαρυκείαν Græci vocant, præparatur, anetho saleque cum oleo & porri exiguo in aquam conjectis.*

§ 69. Quibus in verbis tria iterum se offerunt considerata digna. *Primum*, Quid ὀνίσκοι, *asselli*, fuerint antiquis. *Deinde*, Quemadmodum *sine carne* Jus album fieri dicatur, si Oniscos aut similes pisces admitteret. *Denique*, Quid fuerit χαρυκεία. *Primum*, quia nequit tribus, quod ajunt, verbis expediri, reservabimus in proximam exercitationem.

§ 70. Quod ad *alterum*, Linacer, *sine garo*, reponens pro eo, quod nostris in libris est ἄνευ σαρκὸς, *sine carne*, videtur usus manu exarato codice. Interea editos exhibere quod rectum est, ostendunt verba proxime præcedentia & præscripta. Ad *quæstionem* ergo.

§ 71. Apostolus 1. Cor. xv. 39: ἄλλη μὲν σὰρξ κτλωῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων, ἄλλη δὲ πτηνῶν· *alia est caro pecorum, alia piscium, alia volucrium.* Hoc adeo certum est, ut vulgus ne admittat quidem *pisces* in censum carnium. Medici admittunt, ceu videre in Galeni istis: sed ita, ut in æstimatione nutrimenti, quod præbent, plane distinguant, & pro *carne* habeant non nisi eam, quam præbet *omne animal quadrupes domi natum, omnis fera, omnis avis*, quemadmodum hæc digerit Celsus II. 18. Qui & propterea cum ibidem dicit, *plus alimenti est in carne, quam in ullo alio*: pisces omnino secludit à valore & censu carnium. confer ad Hippocratem l. de Affect. t. XLVI. ubi ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα, *pisces leve edulium* dicuntur. Ubi *leve* dici, quod & facile concoquitur & parum nutrit, resciveris ex collatione horum Celsi, *Levior piscis inter saxa editus*, &c. cum textu XI. lib. II. de Diæta.

§ 72. Quando itaque *pisces* Carnibus non adnumerabant, recte *Ius sine* carnibus dicebatur, quod nihil earum recepisset, quæ propter excellentem vim nutriendi ceu prærogativa quadam singulari appellantur *caro*. Ut adeo etiam Galeni ista, quæ proposuimus, plane evincant appellatum fuisse *Ius album*, in quo vel olera

olera tantum, vel præterea pisces fuissent cocti: at non item carnes. *Modum* Juris albi faciendi varium tradit Cæl. Apitius de Re cul. VII. 6: novum vero & nostri seculi ac suæ præsertim gentis hominibus vel aptiorem vel sapidiorem, Jul. Alexandrinus Salubr. XIX. 15.

§ 73. Præter hæc quærebamus, Quid καρυκεία fuerit. *Proprie*, Conditura quæ cum caryca fiebat: *improprie*, Conditura quælibet ad imitationem illius facta. Itaque, ut, qualis esset ea conditura, intelligamus, sciendum est, *quid* Caryca fuerit.

§ 74. Τῆς καρύκης *inventum* Athenæus XII. 3. refert ad Lydos, hominum mollissimos: memoratque suis ibi nominibus Auctores septemdecim, qui ejus conficiendæ rationem tradidissent. Propterea vero, fortasse & quod appararent illi suavissimam, in proverbium abiit καρύκη Λυδῶν. vide sis ad Erasmum p. m. 193. 446. 510. Quantivis vero pretii esset, nihilominus ei Timon Pyrrhonius Sillorum II. non comparare tantum, sed & præferre ausus est *conchum* Græcorum, vilem cibum & facilem paratu: idque propterea, quod ἡ πᾶσα περισσοτρύφητος οἰζὺς, *ærumna sit quasi perpetua comes ambitiosarum cupediarum.* Vere enim ita est, ut Parœmiographus sacer ait Prov. XXIII. 21: *comessator depauperabitur.*

§ 75. Ex quibus *caryca* Lydorum vero conficeretur, Athenæus non dicit. *Materia* præcipua fuere Sanguis & Hedysmata, ceu ex Hesychio paret, & inprimis Phavorino. Hesychius: καρύκη· βρῶμα λύδιον, ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων συνκείμενον. *Prima* ergo materia, *sanguis.* Cujus animalis? Quo quisque maxime delectaretur. Scribit Galenus de Alim. fac. III. 18. *leporinum* celebrari ut jucundissimum: etiam *suillum* edi; quo & hodie passim Belgæ delectamur in farciminibus. Homero laudatur *caprinus.* Eadem & Ægineta habet lib. I. 85.

76. *Hedysmata* Galenus *aromata* exponit in glossis. Per *quæ* intelligi putem, non ea dumtaxat quæ aut India mittebat, aut felix Arabia: sed & quidquid domi natum conciliare potest condituræ & odorem suavem & gratum saporem. Videre id apud Aretæum est de Cur. diut. I, 2. ubi exponens quæ καρυκεία Cephalææ

conveniat, ait: καλοὶ γὰρ οἱ ἐν τῇ καρυκείᾳ καρποὶ, κάρου, κοριάνου, ἀνίσου, σελίνου τῶν τουτέων κρέσσων, ἡ ἡδύοσμος ἡ βοτάνη, καὶ γλήχων· *Bona namque in conditura sunt semina cari, coriandri, anisi, quibus melius est apii, mentha herba, ac pulegium.* confer & Platinam de Tuenda valet. III. 7. 10. in initiis.

§ 77. Etiamne vero *alia* Materia fuerit adhibita, non possum dicere. Suspicamur tamen ex eo, quod pro *succo* sufficere *sanguis* non videtur. Videtur enim non absimilis fuisse Carycarum compositio à compositione Unguentorum. Qua de Plinius XIII. 1: *Ratio faciendi duplex: succus & corpus: ille olei generibus fere constat, hoc odorum. Hæc stymmata vocant, illa hedysmata.* Ubi *stymmata* vocat, quæ consistentiam seu corpus darent unguentis: *hedysmata* vero succos, quibus ea exciperentur. Sic quoque in *carycæ* confectione præter sanguinem credimus addidisse sapam aut defrutum aut quid simile.

§ 78. *Forma* Carycæ quæ fuerit, nuspiam expresse docetur. Phavorinus, cum eam modo βρῶμα *edulium*, modo ὑπότριμμα *intritum*, modo ἕψημα *decoctum* vocat, videtur variam indigitasse, ac consistentiorem aliquando, aliquando molliorem fuisse. Hoc vero certum est, *nigricante colore* fuisse, sive à Sanguine eum, sive aliunde haberet. Phavorinus causam reddens, quare λύδιον βρῶμα dictum esset καρύκη, disertis ait, ἐπειδὴ μέλαν ἐστί, *quia nigrum est.* Unde & ipse &, è quo pleraque sua desumsit, Hesychius, τὸ καρυκεύειν exponunt per συνταράττειν καὶ ἀναδεύειν, *infuscare & immiscere.*

§ 79. Non arbitror autem vere ac simpliciter *nigram* Carycam fuisse, sed ex ruffo-nigricantem, sive phœnicio colore, *castanatum* quem nuncupamus à cortice castaneæ, quem refert. Huc nos ducunt Hippocratis illa quæ referuntur IV. Epid. t. XIII, de duobus fratribus, qui Cecropis erant domestici: οἷσι τὰ μέλανα κατ' ἀρχὰς διήει. ὑπότρυγα. καρυκοειδέα. ἐκ κατακορέων ἀφρωδέων χολώδεα ἦσαν. *His nigra ab initiis exibant: quasi fex: carycæ similia: ex saturatis spumosis biliosa erant.* Hac gradatione meliorari consuerunt excreta, & sæpe est hæc observare in evadentibus à gravi morbo & colluvie pancreatis.

§ 80. Et

§80. Et ista mihi ratio videtur, quare *quodvis* Conditum deinceps, modo Jus sapidum facere & infuscare adinstar Lydiæ posset, καρύκη fuerit appellatum. Tale est, quo nostrates coqui profundunt artocreas ex bubula carne: *bruine sausse*. Tale vero vel inprimis est, quod pro intinctu superfunditur assio leporis: *hase-sausse*. Tale est, in quo Carpiones elixant. cujus formulam exhibet Jul. Alexandrinus Salubr. xx. 13.

§81. Galenus itaque per καρυκείαν intellexit omnem talem Condituram, qua delitiosum Jus, & fuscum fieret. Fere enim jurium in gratiam fiebant. Quæ ratio est, quare Hesychio etiam καρύκη exponatur περίεργον & ζωμός. Pro quo si quis, Linacrum secutus, reddere velit, *Caryca est supervacuum jus*: non sonabit bene. Concinnius, si dicas: *Caryca est jus ambitiosum* Ita enim appellant Græci pariter ac Latini ea quæ fiunt affectato studio, enixa opera, ingenti sumtu, cuique omnino liceret parcere & nihilominus satisfacere non tantum necessitati, sed & voluptati.

§82. Ita οἶνοι περίεργοι Dioscoridi v. 19. dicuntur *vina*, quæ sunt *majore cura & opera confecta*, ut exponit ibi Marc. Vergilius, cujus heic sectiones sequebamur: nam cæteris in libris reperies cap. 27. Talis fuit Amminæi confectio, quam Didymus tradit in Geop. VIII. 21: & aliorum, quæ haut opus recensere. De *quibus* Plinii pene simile judicium est in XXIII. cap. 1: quale est Plutarchi Symp. IV. 1. in fine, de *Aburtacis*, *Candulis*, *Carycis*, atque id genus eduliis: esse nempe περίεργα καὶ σπερμολογικὰ, *supervacua atque inutilia*. Quæ omni in mensa desiderare, cupediorum est. *Cupedii* dicuntur κνισποὶ, *fastidiosi* illi, qui attingere nihil eorum in mensa solent, quo populus utitur; quin & in omni delitiarum affluentia, nisi quid novum atque inexspectatum, & ad ambitionem, non utilitatem comparatum apponatur, consueti electilia sectari nihil inveniunt, quod faciat ad palatum.

§83. Quando itaque Galenus *jus album* fieri absque ulla καρυκείᾳ dicit, etiam *sapam* & *defrutum* excludit. *Horum* enim si quid suffunditur juri, nigrescit. Ita scribit Galenus I. Prorrh. I. 13. dejectiones sæpe sequi colorem eorum quæ quis comedit: & hoc apparere manifesto in his, *qui ederunt decoctum leporinum* san-

Unable to display this page

ciebat eam quæ Sapientia dicitur, quæque est solertia politica ac negotiosa prudentia, eamque tenuit ceu sectam ex traditione Solonis. Quo de Agellius xi. 18: *fuisse ex septem illis inclytis sapientibus.* Cum istis Plutarchi confer egregium Protagoræ promissum apud Platonem p.m. 222.D.

§ 89. Alias vero etiam *sophistæ* dicebantur, qui se sapientes videri magis, quam esse studebant, pecuniarum honorisque gratia. Quales hodie si quæsitum Diogenes redivivus iret, etiamne inveniret? Etiam sine lucerna. etiam nostro in ordine. Hippocrates tibi, si nosse vis, notas dicet l. de Eleg. i. 16. ἀγορὴ ἐργαζόμενοι, μετὰ βαναυσίης ἀπατέουσι, καὶ ἐν πόλεσιν ἀνακυκλέουσι, ὑπερφανέως κεκοσμημένοι· *multitudini studentes,* & auræ populari atque ad se concursui, *cum ambitione* & prædicatione sui non tantum *adulantur* magnatibus divitibusque, sed & *obsequiose colunt,* quemcumque sperant posse se apud alios commendare: & hæc propter *in urbibus frequenter obeunt* salutatum atque se suumque servitium oblatum, *nitide* ac muliebriter sæpe *comti,* quo scilicet in æstimationem ac fiduciam sui admirabundum & facile ad splendentia stupens vulgus adducant istis velut illiciis, nihil in dictis factisque omnibus habentes prius, quam ut quæstui serviant.

§ 90. Contra tales excellenter olim Socrates disputavit, ceu videre in Hippia. Quo fructu autem? ut cicutam bibere sit coactus. Hujus enim hanc causam dicit Laertius p.m. 113. c: ὅτι διήλεγχε τὺς μεγαλοφρονοῦντας, *quod redargueret magna de seipsis sentientes.* Idem istud cum nostri non possint hodie, hoc adimere tamen sophis sophistæ satagunt, quod ex pari cum vita procedere ait Pratensis ad Decretum c. xi. q. i. c. nolo. Verbo, *famam,* sive Nomen bonum. quod omnibus divitiis est potius, Prov. xxii. 1. Sed hæc velut ἐν παρεκβάσει.

§ 91. Porro, quemadmodum à *sapore* Græci hunc uvæ fructum nominabant γλυκύ: ita *passum* Latini, à patiendo. Servius ad Georg. ii. 93: *Passum dicitur à patiendo. nam mustum decoquitur, & inde fit passum.* Fallitur: hoc enim, ceu vidimus, Sapa dicebatur, aut Defrutum. Varro in i. de vita P. R. *Passum nominabant, si*

in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri. Non. Marcellus tamen cap. 1. 38, *uvam passam* dictam putat, quod sit rugis implicata. Nam *passum est proprie rugosum vel siccum*, inquit: additis è Plauto & Lucillio locis, quibus id doceatur. Sed stare ista simul queunt: aduri in sole, siccari æstu, siccatione rugescere, atque ita simul hæc omnia pati.

§ 92. Sed videamus potius, quid esset *passum*. Atque heic primum occurrit *ratio faciendi*. Hanc strictissime Dioscorides proponit in v. 9: ὁ δ' ἐκ τῆς ἡλοπεδωθείσης σταφυλῆς ἢ ὅπου τῶν κλημάτων ἀπηθείσης, καὶ τριβομένης χυρόμενον, γλυκύς. *Passum fit ex insolata uva aut in palmitibus adusta, & conculcata.* Locus, ubi hæc insolatio atque exsiccatio fiebat, ἡλόπεδον dicebatur. Vide sis ad Hesychium & Eustathium ad Odyss. η'. p.m. 1573. l. 23.

§ 93. Plinius vero fusius ista persequitur in XIV. 9. *Fieri certum est ex uvis diutius in vite sole adustis, aut fervente oleo. Quidam siccantes sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tusasque leniter exprimunt: deinde, quantum expressere, adjiciunt vinaceis aquæ puteanæ, ut & secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt: ac sine sarmentis madefactos vino excellenti, donec intumescant, premunt: & hoc genus ante cætera laudant: ac simili modo aqua addita, secundarium faciunt.*

§ 94. Observa in his *passum* Veteribus duplex fecisse: primarium & secundarium. *Primarium* oportuit vinosissimum fuisse, simul & dulcissimum. *Vinosissimum* quidem, propter evaporatum fervore Solis aqueum omne, quod acinos turgidiores facere, quam vinosiores, solet. *Dulcissimum* vero, propter excoctum magis vinosum. Quæ coquuntur enim, uti usque & usque crassescunt, ita dulcescunt. Nullus autem ignis delicatius coquit, quam Solis. Neque ulla coctio jucundior, quam humidi atque in humido est. *Secundarium* contra dilutum valde, & turbidum haut dubie fuit. *Dilutum*, propter aquam. *Turbidum*, propter crassamentum, quod majore vi exprimebatur.

§ 95. Palladius Octobr. XIX: *Passum nunc fiet ante vindemiam. Leguntur ergo uvæ passæ quamplurimæ, & in fiscellis clausæ junco factis aliquatenus rariore contextu, virgis primo fortiter verberantur.*

Deinde

Deinde ubi uvarum corpus vi contusionis exoluerit, cochleâ supposita sporta comprimitur. Hinc passum est quidquid effluxerit, & conditum vasculo, mellis more, servatur. Si recte attendis, modus iste à Plinianis diversus est, facitque *passum mellaceum* magis, & culinæ accommodatius.

§ 96. Columella denique in XII. 39, *optimum* Passum sic fieri ex Magone præcipit, ut & ipse fecisse se testatur. *Vvam præcoquam bene maturam legere, acina arida aut vitiosa rejicere, furcas vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, & perticis jugare. Tum insuper cannas ponere, & in sole pandere uvas, & noctibus tegere, ne irrorentur. Cum deinde exaruerint acina decerpere, & in dolium aut in seriam conjicere, eodem mustum quam optimum, sic ut grana submersa sint, adjicere: ubi combiberint uvæ, seque impleverint, sexto die in fiscellam conferre & prælo premere, passumque tollere. Postea vinaceos calcare adjecto recentissimo musto, quod ex aliis factum fuerit, quas per triduum insolaveris: tum permiscere & subactam brisam prælo subjicere, passumque secundarium statim vasis oblinitis includere, ne fiat austerius: deinde post viginti vel triginta dies, cum deferbuerit, in alia vasa deliquare, & confestim operculagypsare & pelliculare.* Atque hoc quidem modo è quacumque uva, dulci dum, præcocta alba faciebant passum.

§ 97. Quo tamen nobilius erat, quod fiebat *ex uva, quam sticam vocant, nos apianam, item scirpulam*, inquit Plinius XIV. 9. Cogendi ratio diversa à priore. Columella iterum: *Passum si ex uva apiana facere volueris, uvam apianam integram legito, acina corrupta purgato, & secernito. Postea in perticis suspendito, perticæ uti semper in sole sint facito. Vbi satis corrugata erunt acina demito, & sine scopionibus in dolium conjicito, pedibusque bene calcato. Vbi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato, item vinum conspergito. Eodem modo tertium calcato, & infuso vino ita superponito, ut supernatet, & finito dies quinque: postea pedibus proculcato, & in fiscina nova uvas premito.*

§ 98. Et hic *sumtuosior* modus fuit. Qui autem sumtui parcere, & necessitati tamen prospicere satagebant, alium excogitarunt. *Quidam*, inquit, *aquam cælestem veterem ad hunc usum*

præparant, & ad tertias decoquunt: deinde cum sic uvas, ut suprascriptum est, passas fecerunt, decoctam aquam pro vino adjiciunt, & cætera similiter administrant. Hoc, ubi lignorum copia est, vilissime constat, & est in usu vel dulcius, quam superiores notæ passi.

§ 99. Inter *apianas uvas* Columella III. 2. *magnis dotibus tres commendat, omnes feraces.* In his *venuculas* Plinius. Hæc enim eadem est, quæ *scirpula atque sticula* dicebatur. Disertis hoc Columella. Quare hinc emendandus Plinius XIV. 2: *Venuculam Campani malunt sirculam vocare, alii staculam.* lege, *scirpulam vocare, alii sticulam.* Hodie eam *moscatellam* nominamus. Indicat hoc Dalechampius Annot. in hoc caput lit. e.

§ 100. Cæterum judicio Poetæ Georg. II. 93, *passo Psythia utilior* est. Hesychius: ψιθία, εἶδος ἀμπέλου. *Speciem vitis albæ* fuisse Florentinus dicit in Geop. V. 2. Eam *vitem Græculam* dicit Columella III. 2. Cæl. Rhodiginus Antiq. lect. XV. 19. eamdem cum Pramnia facit. At hoc quei verum sit, non video. *Vinum* namque *pramnium* austerum: *Psythium* dulce est. De *illo* paulo post liquebit.

§ 101. De *hoc* testantur Eubuli versus apud Athenæum I. 22:

Οἶνον γάρ με ψύθιον γεύσας ἡδὺν ἄκρατον,
Διψῶντα λαβὼν ὄξει παίει πρὸς τὰ στήθη.

Quemadmodum aliarum rerum vænalium exemplar proponi: ita vini & id genus gustus solet præberi. Sed sæpe admodum fieri videas, ut alius gustus præbeatur, aliud exemplar ostendatur, alia deinde merces tradatur. Id nunc conqueritur iste sibi apud cauponem contigisse. Datum enim Psythium vinum quam optimum gustandum, deinde vero ὄξος *acetum* sitienti esse propositum, quod graviter læderet stomachum. Ubi per ὄξος intelligi non *acetum* proprie dictum velim, sed οἶνον ὀξώδη quod vocat Pollux VI. 2. Latine possis *acetum nativum* dicere. Vide ad Hofmannum V. Inst. XXV. 4. ubi Scipionem suum refert lusisse Ratisbona reducem, fuisse se

Heic ubi nativum colles lachrymantur acetum.

§ 102. De *Surrentino* Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatē ei darent, alioquin esse *generosum acetum.* auctor

Plinius

Plinius XIV. 6. Cave putes tamen hoc fuisse *crucium vinum*, quod in extremis porrigebant sitienti Salvatori. Vere *acetum* fuit. Hoc enim potui etiam fuisse veteribus, non ex historiis tantum scimus, verum etiam ex libris Juris Civilis Romanorum l. 3. § 5. ff. De penu leg.

§ 103. Ex *vite* Psythia *passum*, Psythium & Melampsythium vocat Plinius XIV. 9. De *hoc* Dioscorides V. 9: γλυκὺς μέλας, καλούμενος δὲ μελαμψίθιος, παχύς ἐστι καὶ πολύτροφος· *Passum nigrum, quod vocatur Melampsithium, crassum est & multi nutrimenti.* Hinc si corrigere Hesychium voles, pro Μελαντιμίθιος lege Μελαμψίθιος, οἶνος τίς. Laudantur ibidem Dioscoridi γλυκὺς κρητικὸς, καὶ πρότροπος, καὶ πράμνιος. De quibus vide an placeant, quæ scribit Cornarius in com. ad Gal. de Comp. κ. τόπ. lib. III. cap. I. pag. 360.

§ 104. *Passum Creticum*, inquit Andr. Baccius Hist. vinor. I. 9, *adhuc habetur in Candia, quod more antiquo uvis in vite passis, vel contortis pediculis, ac exemtis pampinis, vel conspersis in suspensa crate pertenui gypso, septem dierum spatio, comprimunt excipiuntque electissimum vinum, quam Malvasiam dicunt.* Confer ad eumdem lib. X. p. 331. & seq.

§ 105. *Passum protropum* nisi sit cum *primario* idem, non dixero quid sit. Nam ex uva passa passum sua sponte effluere posse, non videtur. Recte enim Nonius IV. 364: *Passum dicitur genus liquoris, quod ex uva passa cogitur.* Nam & pellicula uvæ contractior est, præut transmittat liquorem: & lentior, præut sine pressu majore rumpatur: & succus denique ipse pinguior, præut etiam cute rupta effluat sponte.

§ 106. *Pramnium* à Vite dicatur, an aliunde, incertum est. Didymus à *vite* dictum arbitrabatur. Alii vero *nigrum* sic proprie appellari: alii quodcumque est πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειον, *aptum durare*: alii denique, quod πραΰνει τὸ μένος *leniat animum.* vide ad Athenæum I. 24. confer Plinium XIV. 4. Quidquid sit, hoc certum est, fuisse nigrum atque durum. Hesychius: Πράμνιος οἶνος, ὁ ἀπὸ τῆς πραμνίας ἀμπέλου. ἔστι δὲ καὶ ἐγκώμιον οἴνου, καὶ σκληρὸς οἶνος. *Vinum durum* dici quod austerum validumque est,

multis docet Salmasius Plin. exercit. p. 345. Nobis unus ille locus sufficit qui apud Athenæum est I. 24. cujusque Vir illustris non meminit. Πραμνίῳ οἶνός ἐστιν ὅτε γλυκὺς, ὅτε παχὺς, ἀλλ' αὐστηρὸς, καὶ σκληρὸς, καὶ δυσάμμιν ἔχων διαφέρουσιν. οἷῳ Ἀριστοφάνης οὐκ ἥδεσθη Ἀθηναίους φησὶ λέγων, τὸν Ἀθηναίων δῆμον ὅτε ποιητῆς ἥδεσθη σκληροῖς καὶ ἀστεμφέσιν, ὅτε πραμνίοις σκληροῖσιν οἴνοις, συνάγουσι τὰς ὀφρύς τε καὶ τὴν κοιλίαν. *Pramnium vinum est neque dulce, neque crassum, sed austerum, & durum, & insigniter validum. Quali Aristophanes scribit non delectari Athenienses. Populo, inquit, Athenienſi non placent asperi & horridi Poetæ, neque Pramnia vina dura, quæ contrahunt & supercilium & alvum.*

§ 107. *Hujus* gratia tamen dare Hippocrates solebat: ceu videre I. de Morb. mul. t. LXXXI. quin & ad *fluxum rubrum* mulieribus præscribit II. de Morb. ear. t. LXXVI. Et quia austeritate sua etiam siccat egregie, *eluere* eo naturam femineam jubet, cum ulceratur ex partu, I. de Morb. mul. t. CXXVI. Ex eodem Hecamede cum caseo & polenta *cyceonem* parat apud Homerum Iliad. λ'. 623. 638. *Hunc* ipsum Hippocrates sorbendum puerperæ dabat, si diarrhœa præhendisset à partu, I. de Morb. mul. t. CXII. Quando igitur in II. de Diæt. VI. 69. ait: κυκεὼν ἐπ' οἴνῳ μὲν, θερμαίνει, καὶ πέσσει, καὶ ἵστησιν· *Cyceon ex vino calefacit, & nutrit, & sistit*: accipiendum hoc inprimis est de eo, qui ex duro austeroque vino fiebat. Cujuscemodi hodie est, quod *vin-tint* appellamus.

§ 108. Supereſt *nobilissimum* Passi genus, quod *Vinum dulce* vocat Columella XII. 27. Cujus faciendi modum proponit talem. *Vvas*, inquit, *legito, in sole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas uvas proculcato, mustum lixivum* [*hoc est, ante quam prælo pressum sit, quod in lacum musti fluxerit*] *tollito, cum deferbuerit in sextarios quinquaginta irim bene pinsitam nec plus unciæ pondere addito, vinum à fecibus eliquatum diffundito. Hoc vinum erit suave, firmum, corpori salubre.* Egregiæ dotes! quibus quid requiras in vino majus?

§ 109. Dos *prima*, magna: *suavitas*. Id vero vinum *suave* dicimus, quod visui jucundum, olfactui gratum, gustui molle est; omni-

omnibus autem istis amabile spiritui, magnoque hoc merito suo expetendum est.

§ 110. Dos *altera*, major: *firmitas*. Græci τόνον vocant, cui unus velut & perpetuus tenor atque constantia virtutis ac mollitudinis est. Plinius hoc expressurus, qua de Maroneo, *vis ei*, inquit, *vigorque indomitus*: XIV. 4.

§ 111. Vini *vim* æstimare ex potestate non tam inebriandi oportet, quam ferendi aquam. Quod facile & potenter inebriat, Latini *vehemens* vocant, Græci καρωλικόν. Celsus II. 18: *vinum vehemens valentissimi generis est*. Hesychius: Καρωθεὶς, πλὼ κεφαλῶ σαωθεὶς, (lege, σωθεὶς,) μεθυσθεὶς, ἢ βιασθείς. Quod vero aquæ multum sustinet, Latini *generosum*, Græci πολυφόρον appellant. vide ad Galenum de Vict. ac. III. 20. Pollux VI. 2: ἐπήνων δὲ οἶνον τὸν τρία φέροντα, τουτέστι τὸ τριπλοῦν τοῦ ὕδατος· *Commendabant vero vinum quod tria ferebat, hoc est, triplum aquæ*. Hoc ordinarium puto. Nam quod *maroneum* vicies tanto aquæ miscendum Homerus prodidit, singulare est. Si facere *polyphorum* velis, ostendit artificium Paxamus in Geop. VII. 23.

§ 112. Athenæus IV. 26, ex fama refert Amphictyonem regem primum docuisse Athenienses πλὼ σύμμετρον κρᾶσιν τοῦ οἴνου *vini temperationem convenientem*, uniuscujuslibet naturæ scilicet. Naucratites Deipnosophista: ἐὰν ὑπερβάλῃς τὸν ἐν τῷ κράματι οἶνον, εἰς ὕβριν φέρει. ἐὰν δὲ ἴσον ἴσῳ προσφέρῃ, μανίαν ποιεῖ. ἂν δ' ἄκρατον, διαλύσιν σωμάτων. διὸ στοχαστέον τοῦ συμμέτρου. *Si aqua in cramate superet vinum, ad contumeliam ducit. Si parem pari addas, insaniam facit. Sin vero immixtum bibas, resolutionem corporum. Quamobrem conjicere, quid conveniat, oportet.* citat Eustathius Odyss. ι'. p. m. 1624. l. 34. Quod tamen præceptum non amant οἰνόφλυγες, id est, expositore Hesychio, οἱ καταπήμυοι οἴνῳ *qui vinum vehementi desiderio prosequuntur*. (quos eleganter mei populares nuncupant *wyn-vliegen*.) Solent enim in ore habere illud Diphili in Pæderastis: τὸ μὴ

Ὕδαρὲς ἅπαν τοῦτ' ἐστὶ τῇ ψυχῇ κακόν·

Est animæ nocuum vinum quodcumque adaquatum.

§ 113. Vini *vigorem* duratio arguit. Firma vina sint oportet, quæ

quæ ætatem ferant. Memorabile, quod Plinius refert XIV. 4. *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemtus: ea cœli temperies fulsit, quam coctura vocant, solis opere, natali urbis* DCXXXIV. *durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi: etenim hæc natura vinis in vetustate est: nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita: sed cæteris vinis commendandis minima aliqua mistura medicamenta sunt.*

§ 114. Notat vero etiam Plinius XXIII. 1: *Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescere, & in amaritudinem corpori minime utilem coire.* Quare autem hoc fiat, causam reddit Theophrastus de Caus. plant. VI. 10. τοῦτό γε συμβαίνει, διότι τὸ πότιμον ὁ ἀὴρ ἐξάγει καὶ τὸ θερμὸν ἀπιόντος δὲ τούτου, καταλείπεται τὸ γεῶδες καὶ πικρόν. *Hoc vero accidit, quia potabile exigit aer ambiens. Abeunte enim illo, relinquitur terreum & amarum.* Merito dubitatur, an ignavus in subterraneis cellis aer penetrare vasa, subire in vinum, & attenuare ejus τὸ πότιμον, atque educere possit. Crassius hoc philosophema est, præut intelligas.

§ 115. Neque sane hoc vult Philosophus: quamquam velle videatur. Neque vis illa potabilis vini sponte exhalat sua. Exigitur, ab interno Igne, per se: ab externo Frigido, per accidens. Exhalatio fit, à frigido Ambientis per ἀνάθλιψιν: à calido Vini, per irrequietam agitationem. Circumstat vini calorem frigus, atque obsidet & cogit. Idcirco est ἀνάθλιψις, quia contrarium: θλῖψις, quia cohibens: πίεσις, quia indimotum & validum. Obsessione ignis unitur: unione roboratur: roboratus invalescit & subigit atque attenuat particulas substantiæ terreas pariter ac aqueas. Hæ quia progrediente motu redduntur perquam subtiles, non est mirum evadere per ligni poros, & commisceri aeri. Atque ita perit τὸ πότιμον Vini, seu id propter quod usui erat ad potandum.

§ 116. Terreæ, quæ remanent, dum motu continuo atteruntur magis magisque, itidem valde tenues & aculeatæ fiunt. Atque hinc est, quod degustatæ videantur amaræ. Tenuitate quippe sua facile se ingerunt in linguæ poros & penetrant in altum.

tum, ubi offendentes spiritum, primum sensitivum, suos illi aculeos infigunt, atque ita is πικρῶται seu amarescit & exacerbatur. Πικρότης enim vini revera non *amaritudo*, sed *acrimonia* est. Sic πικρὸν, piper. Sic & Galli *vin picquant*, vinum acre, vocant, quodque spiritum acutius stimulat. Hanc, quam dixi, etiam Philosophi mentem fuisse non est dubium. Ideo enim dixit, ἀπόνῳ. quod significat *abitum spontaneum*, seu motum ab intrinseco. Nam si τὸ περιέχον *ambiens* extraheret τὸ πότιμον *potabile*, alio id verbo debuisset dicere.

§ 117. Dos *tertia*, maxima: *salubritas*. Auctor l. de Sectis ad eos qui introducuntur, cap. 1. ait, *Salubria ab antiquis dicta fuisse, quæ & præsentem sanitatem conservant, & collapsum redintegrant.* Utrovis modo *salubre* Passum hoc si fuit, neque tam consentientibus Medicis ut nobilitatem ei darent, quam experientia eorum qui sumerent; nemo quisquam mirabitur, vel hoc nomine solo fuisse hominibus expetitum, atque in illo se non tantum oblectasse multos, sed & corrupisse.

§ 118. Huic *passo* affine est, quod ὑπόχυτον Græci, aut διάχυτον vocant. Athenæus 1. 24: Timachidas Rhodius ὑπόχυτον τινὰ οἶνον ἐν Ῥόδῳ καλεῖ ὡδί πως ποιούμενον τῷ γλυκεῖ· *Hypochytum quoddam vinum Rhodi esse dicit assimile passo.* Plinius in XIV. 9. plenius: *His adjiciunt aliqui, quod vocant diachyton, uvis in sole siccatis loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedes à terra alte, noctibus à rore defensis, octavo die calcatis. Ita fieri optimi odoris saporisque.* Faciendi modum hunc si compares cum præcedente, videbis non recte pro eodem haberi à Dalechampio in Annot. ad hunc locum.

§ 119. Priusquam hinc discedam, aliquid etiam de *murina* dicendum: nam & hanc inter Dulcia habebant antiqui & in delitiis. Agellius X. 23: *Qui de victu atque cultu pop. Romani scripserunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, & quæ id genus optant potu dulcia.* Quod

ad primum vide Plinium XIV. 13. & Dalechampium ibi lit. a. & quos citat Elmenhorst. Observ. in Arnob. l. II. p. 102. noviss. edit.

§ 120. Dulcibus *loram* cur accensuerint, ex confectione ejus patet, qua de Columella XII. 40. *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam quot metretas efficiat considerato, & totidem metretas aquæ dulcis in vinacea, sed quibus unius diei vinum expressum erit, addito: eodem & [nota] spumas defruti sive sapæ & fecem ex lacu confundito & permisceto, eamque intritam macerari una nocte finito, postero die pedibus proculcato, & sic permistam prælo subjicito: quod deinde fluxerit aut doliis aut amphoris condito &, cum deferbuerit, obturato. Hanc ipsam loram M. Columella ex aqua vetere faciebat, & nonnumquam plus biennio innoxiam servabat.* Vide præterea ad Dioscoridem V. 13.

§ 121. Cæterum *dulcibus* Murinam quoque veteres adstituisse, etiam Plinius affirmat in XIV. 13. Ubi productis è Plauti Pseudolo act. II. sc. IV. 50. his versibus:

P s. *Quod si opus ut dulce promat, id ex se ecquid dabit?*

Ca. *Rogas? Murinam, passum, defrutum, mellam.*

protinus subjicit: *Quibus apparet non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum.* Inter *dulcia*, intellige non *vina*, sed *quæ* fiebant ex vinis.

§ 122. Sed *murina* quæ fuit? De ea namque magna est à veritate aberratio; quamquam in quærenda illa multi & multum laborarint. Quo ipso extimulamur ad symbolam conferendam.

§ 123. Ante omnia igitur distinguendum est inter *murinam* & *murrhinam*, tamquam diversissima vina, & quoad confectionem commune nihil prorsus habentia. Certam nobis distinguendi rationem faciunt Hesychianæ glossæ, omnium quæ ad nos veterum venerunt doctissimæ. Μυρρίνλεω, ἔνιοι μὲν, οἶνον μυρρίνλεω καλοῦσιν· οἱ δὲ ποτὸν ἐσκευασμένον· οἱ δὲ πόσιν φασὶν, ἢ ἐπιχεῖτο μύρον. *Myrrhinam aliqui vinum aromaticum dixere: alii potum factitium: alii denique potionem, cui affusum est unguentum.* Vides ejusdem ibi nominis *triplex* Vinum. de quibus necessario singulis aliquid nos commentari oportet, si volumus ex hac controversia evadere.

§ 124. Sed

§ 124. Sed antequam eo descendamus, observandum est, *primum*, Quam σμύρναν Græci, ἀφ' τὸ μυείζον, καὶ ὀδῶδες, Æoles μύρραν dixisse: & hinc Latinos, *myrrham* aut *murram*. De *hoc* quidem liquebit in locis postea citandis. *Prioris* vero auctor nobis est Athenæus XV. 11: μύρρα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων ἀφ' σμύρνης ἐσκεύαζετο, καὶ ἦγε σταχὴ καλουμένη ἀφ' μόνης ταύτης. Locum istum cum non intelligeret interpres, necessario male vertit. Verba enim hoc sonant: *Pro smyrna myrrha dicebatur Aeolibus, quia compluria unguenta cum myrrha fiebant, & quæ stacte dicebatur ex sola illa.* De *stacte* videsis egregia in Salmasii Plin. exerc. p. 520. & seq. & alibi locorum, quæ index indicabit. Brevibus Theophrastus l. de Odorib. 11. 48: καὶ ὅτι τὸ σμύρνης πεπιλμένης ἔλαιον ῥεῖ. σταχὴ δὲ καλεῖται, ἀφ' τὸ μικρὸν στάζειν. *Ex myrrha contusa oleum fluit. Stacte dicitur, quia minutatim stillat.* confer Furlani commentarium. De *hac* intelligendi veniunt auctores, quum *myrrham* unguentis adscribunt. Varro de L L. v. p. m. 62. l. 8: *Vbi lucet, censor, scribæ, magistratus, murrha, unguentis unguntur.* Locus illustris, & qui auctario esse Dempstero possit Antiq. Rom. VII. 10. docet enim, quo ritu *lustrum* conderent Censores.

§ 125. Observandum, *secundo*, Myrrham *proprie* Lacrymam arboris in Arabia nascentis dici. qua de porro videre licet Dioscoridem I. 78. Quod ad nobis heic contemplabiles *facultates*, Myrrha amara, acris, odorata est. *Amarore* meruit inter salubria haberi, interque antidota, neque ultimo sane loco. *Salubritatis* persuasio è re amara dulcem fecit usui. Quod *antidotus* est, eo se non parum commendat, temporibus præsertim suspectæ malignitatis. Flagrat præterea spiritu *saporis* acri & *odoris* boni. Et inde habet, quod non tantum *inter* Aromata adscribatur, sed & *aroma* pro Myrrha ponatur simpliciter.

§ 126. *Aromatis* adscribi, notum est. Do *testes* tamen. *Græcos* duos. *Alterum*, S. Johannem XIX. 39. 40. Nicodemus ibi dicitur attulisse μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν, *mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum.* Ad quid? Ad ungendum & pollingendum corpus Christi. Sequitur enim protinus: ἔλαβον

οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν. *Acceperunt igitur corpus Iesu, & pollinxerunt illud fasciis cum aromatis, sicut mos est Iudæis sepeliendi.* Ubi quæ possunt *aromata* intelligi, præter *myrrham* & *aloem*, de quibus præcessit? Addo *alterum*, Dionysium Periegesios v. 936.

ὄδωδεν
Ἢ θύου, ἢ σμύρνης, εὐώδεος ἢ καλάμοιο,
Ἢ καὶ θεσπεσίοιο πεπαινομένου λιβάνοιο,
Ἢ κασίης.

Latinum denique addo, Marcellum Empir. cap. XXIII: *Tus, costum, folium, myrrham, styracem, crocomagma.*

§ 127. Etiam simpliciter positum *aroma* Myrrham significare clarum est è duobus Plinii locis. *Alter* est XXXVII. 10: *Aromatites*, inquit, *& ipsa in Arabia traditur gigni, sed & in AEgypto circa Pyras* [lege, corrigente Salmasio, *Philas*] *ubique lapidosa, myrrhæ coloris & odoris, ob hoc reginis frequentata.* Locus *alter* XVI. 16: *Aromatiten quoque invenio factitatum tantum non unguentorum compositione, primo ex myrrha, ut diximus* (cap. XIII.) *mox & nardo Celtico, calamo, aspalatho, offis in mustum aut dulce vinum desectis.* Vides heic *vinum*, ibi *gemmam* vocari *aromatiten* ab odore, quem spirant, myrrhæ. Neque quadraret ea denominatio, nisi *aroma* Myrrham significaret absolute. Quibus præhabitis, venio nunc ad *species* Myrrhinæ propositas.

§ 128. Quarum *prima* Hesychio est, *Vinum myrrhinum.* Μυῤῥίνην, inquit, ἔνιοι μὲν, οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσι. Reddidi: *Myrrhinam aliqui vinum aromaticum dixere.* Præsenti glossa nullus dubito, quin *nativum* Vinum intelligat Grammaticus: vel propterea, quod illi *potum factitium* opponat in sequenti. Cyrilli glossæ: Ἀρωματεῖον, *Murina.* Græco si quis fuit usus, dictum puto de *taberna speciaria* sive quæ promercales habet species aromaticas: prorsus ut ἰητρεῖον est *officina medica.* Glossis itaque rescripserim, ἀρωματίζων, subintellige οἶνος. ut jam *Murina* sit *aromatizans vinum*, hoc est, odoris suavitate atque fragrantia excellens, idque beneficio Naturæ.

§ 129. *Sapriam* laudat hoc nomine Hermippus Deipnos. I. 23.

&

& ipso nectare, qui deorum est potus, nobilius esse, non obscure declarat. Versus sunt venusti.

Ἔστι δέ τις οἶνος, ὃν δὴ σαπρίαν καλέουσι·
Οὗ κἀκὸ δοκὸ χάσκοντος πίμνων ὑπαναοιγομένων
Ὀζῇ ἴων, ὀζῇ δ' ῥόδων, ὀζῇ δ' ὑακίνθου,
Ὀσμὴ θεσπεσία. κατὰ πᾶν δ' ἔχῃ ὑψιρεφὲς δῶ,
Ἀμβροσία κἀὴ νέκταρ ὁμοῦ. τοῦτ' ἐστὶ τὸ νέκταρ.

Latine hoc dicunt:

Est aliud vinum, Saprian quod nomine dicunt:
Hujus, aperta cadi leviter cum labra patescunt,
Admirandus odor, spirans violasque, rosasque,
Purpureosque hyacinthos: quin simul omnia replet
Ambrosia cum nectare. Nectar hoc arbitror ipsum.

§ 130. Eustathius ad Hom. Odyss. β'. p. m. 1449. l. 10. ex Athenæo etiam exscriptis his verbis subscribit: τὸν δὲ τοιοῦτον οἶνον, ἀνθοσμίαν εἶναι· *Hoc vinum sciendum est anthosmiam esse.* Si ita est, confecta res est. Pollux II. Onom. IV. 14: οἶνος ἀνθοσμίας, ἀὼδης. Est hoc ex Aristophanis scholiaste, Ranis act. V. sc. I. 32. Hesychius: Ἀνθοσμίας οἶνος, ἄπυρος, ἢ ἄνθος ἔχων. Quibus, ut paret, *Anthosmias* idem est, quod *Vinum odoratum, fragrans, aut florem habens.*

§ 131. *Aliud* est Vinum florem habens, *aliud* Flos vini. *Flos vini* tenuissime significat tenuem vini in summo natantem spumam. Ita doctissimus Turnebus XXIX. 34. accipit in illo Plinii XIV. 21: *Flos vini candidus probatur: rubens triste signum est, si non is vini colos sit.* Ubi longe tamen aliud significat. Nempe id, quod doliari vino in superficie efflorescit & concrescit: Belgis, *kaem* aut *kiem.* Planum hoc cum è Cæcilii illo apud Nonium II. 354: *Ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo.* Tum è Columella XII. 30: *Si vinum florere incipit, sæpius curare oportebit: ne flos ejus pessum eat, & saporem vitiet. Quanto major æstus erit, eo sæpius convenit vinum nutriri, refrigerarique, & ventilari: nam quamdiu frigidum erit, tamdiu recte manebit.* Ubi *florere* est in summo velut pelle obduci. Oenopolæ dicunt: *pand setten.*

§ 132. Efficacius cum significat, *flos* odor est & fragrantia vini. Lucretius de Rer. nat. III. 222:

Quod genus est Bacchi cum flos evanuit, aut cum
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras.

Una res: *flos* & *spiritus*. Uterque *subtilissimum* corpus, imo corporis *effluvium* est; *ille* Vini, *hic* Unguenti: adeo etiam, ut dicat & constet, licet vel hic vel ille suo *de corpore cesserit*,

Nihil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam.

§ 133. Denique *flos vini* significat ipsum vinum, sed egregium & purum. Plautus Cistell. act. I. sc. II. 8: *adeo me compleri flore Liberi*, id est, nobili & suavi vino. Eodem trahitur & illud:

Flos veteris vini meis naribus objectus est: Curcul. act. I. sc. II. 1. Verum heic *flos vini idem* est & odor veteris vetusti, quem hoc potenter spirare ac late solet diffundere. Ita exponere & antecedentia pariter ac consequentia jubent. Quæ confer sis. Denique postea audiemus, *florem vini* significare partem ejus optimam & ex uvis, antequam calcentur, effluentem. Ita *flos olei* dicitur Plinio XV. 6: *salis* Catoni de Re rust. LXXXVIII: *ignis* Mart. Capellæ VI. initio. Et hæc quidem, *flos vini* significat.

§ 134. Dicitur vero *florem habere* Vinum, quod & uvam recentem resipit, & odoris boni velut moschi spiritu fragrat. Tale nullum vinum est, nisi sit ἡδὺ καὶ ἁπαλὸν, *suave & molle*, ut exponit Aristophanis scholiastes eodem loco. Inde est, quod Hesychio ἄνθινος οἶνος, ἡδυσμένος ἀπὸ βοτρύων exponatur. Libri, ἀπὸ βοτανῶν. Si recte, ἄνθινος οἶνος erit potius *medicatum vinum*, sive quod gratiam acquirit ab herbis odoriferis. Cujusmodi plura conficere docemur à Dioscoride lib. V. cap. 35. ad 63. & à Cassiano Basso Geop. VIII. 2. ac sequentibus aliquot. Nostræ interea conjecturæ favet Phavorinus, cum ἀνθοσμίᾳ exponit ἡδέος, εὐόσμως ὥσπερ τὰ ἄνθη, ἢ ὡς ἀπὸ εἴδους ἁμπέλου. confer & Suidam ibi, & Foësium in Ἄνθινον οἶνον.

§ 135. Non semper vero adjectivum est ἀνθοσμίας, interdum etiam substantiva forma usurpatur. Xenophon Hist. Græc. IV. ὡς δὲ οὐκ ἐθέλοιν πίνειν, εἰ μὴ ἀνθοσμίας εἴη. Simili phrasi ἡ ὀρωμανί-

ματίζοντα dici, & subaudiri οἶνον, quid vetat? Quidquid sit, satis clarum ex istis, quæ proposui, puto, eumdem esse οἶνον μυῤῥίνην καὶ ἀρωματίζοντα, *myrrhinam* & *aromaticum vinum*, seu quod à vite suavissime fragrat. Hoc enim ἄρωμα significare, itidem Cyrilli glossæ indicant, cum exponunt, *Odoramentum*, *Suavitas odorum*.

§ 136. Quæ quia excellentissima est in Vino odorato vetere: idcirco illud lena vinosissuma comparat cuivis optimæ speciei aromaticæ, & simul egregie ostendit, quod vinum vere aromaticum sit. Lepidi versus, & qui eadem opera exhibeant characterem *mulieris* οἰνόφλυγος seu *vino cupidæ* nativum & luculentum.

Flos veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi ubi est? prope me est. euex habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamonum, tu rosa,
Tu crocum & casia est, tu bdellium. nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed quum adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicißim meo gutturi gaudium.

§ 137. Non potest elegantius describi *anthosmias* sive οἶνος ἡδὺς καὶ περίοσμος *vinum suave & longe lateque fragrans*, ut interpretatur Suidas. Hoc itaque *vinum myrrhinum* vel *myrrhina* simpliciter dicebatur à præcellentia odoris, quem liquidæ myrrhæ instar gratissime fundit. Intellige *ejus* Myrrhæ, qua Veteres gaudebant; cujusque στακτὴ seu *liquor expressus* ut erat fragrantissimus, ita & pretiosissimus. Nunc non fit: sed neque Myrrha ipsa satis sincera ad nos advehitur. Eapropter Arabes & recentiores Medici *storacem liquidum* vel *storacis liquorem* potius pro *stacte* passim accipiunt.

§ 138. Species *altera* Myrrhinæ dicitur Hesychio *potus factitius* fuisse. *Prior* ergo, ut inferebam, *naturalis*. Venit autem *hac appellatione* Potio omnis myrrhæ odore condita. Plinius XIV. 13: *Lautißima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita.* Ita scripsisse Plinium ipsemet clamare videtur in paulo post sequentibus

cap.

Unable to display this page

tiones diis addunt ad pulvinaria, & quod duodecim tabulis cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in Antiquitatum lib. 1. Ejuſcemodi potio fuit ἐσμυρνισμένος οἶνος, *vinum myrratum*, quod Chriſto Domino noſtro tantum non animam ob immenſas anxietates, vigilias, jactationes, verberationes, ſanguiniſque profuſiones deficienti dederunt Judæi, cum jamjam crucifigendus eſſet.

§ 142. Notant viri docti, Hebræos homini ad ſupplicii locum perducto exhibere vinum thure aut myrrha mixtum ſolitos; eo fine, ut eriperetur noxio horror mortis dolorumque ſenſus. Beza in Annot. ad Marci xv. 23. ex Galatino, ſive potius Judæorum Sanhedrin, hæc adfert: *Edita confeſſione, potatur reus vino thure condito, ut inde mens ejus turbetur, & vehementius inebrietur, juxta illud quod dicitur, Date ſiceram perituro, & vinum iis qui amaro ſunt animo.* Mirum eſt *thus* heic nominari, cum nullæ tales ejus memorentur facultates. *Myrrham* κεφαλικὴν *ſoporiferam* Dioſcorides ſcribit 1. 78.

§ 143. Quod vero illum morem attinet potandi reos, ſive exhilarandi cauſa, ſive quadamtenus ſoporandi: ſimilis quidam fuit apud Athenienſes. Heic enim promulgata capitis damnatione, cum è loco judicii exibant rei, ducendi ad ſupplicium, habebant facultatem largius ſumendi cibum vinumque: ſimul etiam tria, quæ modo cumque vellent, proloquendi. Quod ad *prius*, ſimile quid apud nos obtinet. Horis enim ante exſecutionem vigintiquatuor minimum denuntiatur reis, uti ſe ad audiendam mortis ſententiam mortemque adeundam præparent. Ab eo tempore è ſqualido carcere in meliorem locum deductis conceditur, quidquid cibi potuſque rogaverint. De *altero* Suidas ad Τὰ τρία. Τοῖς ἐπὶ θάνατον ἀγομένοις ἐξῆν σίτου καὶ οἴνου πληρωθεῖσι τρία λέγειν, ἃ βούλοιντο. μεθ' ἃ φιμωθέντες ἀπήγοντο τῷ πρὸς θάνατον. i. e. *His, qui ad mortem ducebantur, licebat cibo atque vino repletis tria dicere, quæ vellent, iiſque dictis ore obturato abducebantur via ad mortem.* Adagium erat, εἶπον τὰ τρία. Cujus uſum negat ſe Eraſmus apud quemquam reperiſſe.

§ 144. Ejuſcemodi *potio* autem, quæ facit obliviſci malorum, νηπενθὴς dicta fuit à Poëta Odyſſ. δ'. 220:

εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ὄπιλήθον ἁπάντων.

Plinius xxv.2: *Nobile illud nepenthes oblivionem triſtitiæ veniamque afferens.* Qualis ea potio fuerit, incertum. Poëtam voluntboc dicere: Helenam aliquod medicamentum ſomniferum vino immiſcuiſſe, & bibendum marito atque Telemacho dediſſe. Quod equidem veriſimile non eſt. Hoc enim agebat, ut exhilararet ipſos, triſtitiamque animis depelleret.

§ 145. Conſtantinus, Gorrhæus, Martinius, alii putant fuiſſe νεκταρίτην οἶνον, *nectarites vinum*, quod vocat Dioſcorides in v. 66. Ὁ δὲ νεκταρίτης σκεύάζεται ἐκ τῆς ἑλενίου. ὃ ἔνιοι μηδικὸν, οἱ δὲ ἰδαῖον φλόμον, οἱ δὲ ὀρέστιον, οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν. ἑλενίου ῥίζης ℔ ε'. ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας ς'. γλυκὺς, ἢν μὴ γ'. μιῶσαι δοτέον. *Nectarites ſit ex helenio. Quod alii Medicam, alii Symphytum, alii Verbaſcum Idæum, alii Oreſtium, alii Nectarium vocant.* (totam hanc ſynonymiam Ruellius interpres prætervidit.) *Helenii radicis ſiccæ drachmas quinque liga in linteo, mitte in congios ſex muſti, atque poſt tres menſes diffunde.* Sed huic non eæ vires, ſaltem præſignes: quidquid etiam ſcribat Plinius xxi. 21: *Helenium ab Helena, ut diximus, natum, favere creditur formæ. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem pota in vino, eumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod eo triſtitia omnis aboleatur.* Dioſcorides nihil tale. Et ſi quid habet ejus virtutis Nectarites, habere à vino potius credendum, quam ab helenio.

§ 146. Longe vero eſt ſimilius, fuiſſe *Vinum* aliquod *aromatites*, huic uſui paratum. Habet ejuſcemodi geminam deſcriptionem Dioſcorides v.64. Quibus hoc laudis tribuit: καὶ τοῖς ἀφ' ὑδρωπικῶν ὀδοῦσιν ἁρμόζει πινόμενον. καὶ πρὸς τοὺς πάχος γονῶντας· θερμαίνει γὰρ ἡ δύναμις, διαντλητός τε ἐστὶ καὶ ἀνώδυνον. Pro quibus Ruellius: *atque iis qui per frigora iter faciunt, potum convenit: pituitæ craſitiem extenuat: colorem alit, ſomnum conciliat, dolorem ſimit.*

§ 147. Inepte: *colorem alit.* Ergone fovet, quem invenit? δύναμις θερμαίνειν eſt *bonum colorem conciliare*, ſive *coloratiorem facere*, ut Celſus loquitur II.2.

§ 148. Ineptius vero: *pituitæ craſitiem extenuat.* Græce quod eſt:

est, ἁρμόζει καὶ πρὸς τὰς πάχος γινομένας, plane alium sensum habet. Πάχος γίνεσθαι est *corpulentiam acquirere*, sive *habitior fieri*, ut ibidem Celsus loquitur. Conducit itaque his qui fiunt, ne fiant. Plinius XI. 54: *Augescunt corpora dulcibus, atque pinguibus & potu: minuuntur siccis & aridis, frigidisque, ac siti.* Hippocrates l. de Sal. diæt. t. 11. Τοῖς δὲ εἴδεσι τοῖσι σαρκώδεσι καὶ μαλθακοῖσι καὶ ἐρυθροῖσι, ξυμφέρει δὴ τὸ πλείονα χρόνον ξηροτέροισι δαιτύμασι χρέεσθαι. ὑγρὴ γὰρ ἡ φύσις τῶν εἰδέων τουτέων. *Habitu carnosis ac mollibus atque rubicundis, convenit potiore parte anni, sicciore victu uti. Humida enim constitutio eorum habituum est.* Confer & ad Galenum l. de Atten. vict. cap. 1, ubi *acria* in illum finem singulariter conferre testatur. Unde & apud Plinium pro *aridis* forte *acribus* legendum: præsertim cum constet variare ibi codices.

§ 149. Porro si ea fuit Hebræis consuetudo, quam notavimus, etiam probabile est: Judæos cæteris quidem reis potionem myrrhinam melioris notæ dedisse, seu tale aliquod aromatites vinum, quod & gustatu suave esset & in stuporem quodammodo mentem daret: Christo autem ὄξος μὲ χολῆς μεμιγμένον *acetum cum felle mixtum*, uti appellat Matthæus XXVII. 34. vide & Lactantium de Vera sapient. IV. 18. Quæ verba non posse in *propria* significatione accipi, neque de *vero* Aceto aut *genuino* Felle, prorsus consentio doctissimo Bezæ. Claret ex omnibus circumstantiis, fuisse unam & eamdem potionem, quam uterque Euangelista, aliter atque aliter licet, describit.

§ 150. S. Marcus ait obtulisse Domino οἶνον ἐσμυρνισμένον, hoc est, ut ego interpretor, *vinum cum admixta myrrha*. Plane enim persuadeo mihi, fuisse extemporaneam *mixturam* myrrhæ cum vino. Judæi enim & quorum proterviæ atque ludibrio traditus erat Salvator, ut nihil non, ita & hoc in contumeliam ipsius excogitarunt. Volebant videri nihil de solemnibus remittere, & ob id etiam ipsi de more *myrrhinam* ceu nepenthes offerre. Offerunt itaque *vinum*: sed quale? Vappam. Philoxeni glossæ: *Vappa, ὄξινος*. nempe in ὄξος cœptum mutari vinum. Unde, & merito, ὄξος vocat Spir. S. apud Matthæum. Offerunt *murrha-*

tum: sed quale? Non odore myrrhæ conditum lautissimo: sed sapore ejus amaricatum ingratissimo, sive in quo recens myrrham diluissent. Quam vero ingrata talis potio fuerit, facile cogitare est. Et hacpropter *fellis* loco habuit ILLE, qui per spiritum suum prædixerat fore, *ut darent sibi in refectione sua venenum, & in siti sua acetum*: Psalm. LXIX. 22. *Prius* colon spectat præsens factum: *posterius*, quod pendenti in cruce contigit in extremo agone angoreque: Matth. XXVII. 48. Marc. XV. 36. Joh. XIX. 29. 30.

§ 151. Atque ex his, nisi fallor, satis constat, fuisse olim in usu *myrrhatam potionem*. Verum id præterea liquet *cum* ex Dioscoridis de Mat. med. v. 65: *tum* ex Plutarchi Iside p. m. 383. B. & 384. B. Et *ille* quidem expresse vinum conficere ex myrrha, pipere, iride, atque aniso docet. *Alter* vero Ægyptios ait τῷ κύφι χρῆσθαι καὶ πόματι καὶ κρίματι· *Cyphi uti in potu & vino*. Erat autem *cyphi* Confectio quædam aromatica ex sedecim rebus religiose concinnata. *Ingredientia* erant, Mel, vinum, uva passa, cyperus, resina, myrrha, aspalathum, seseli, juncus odoratus, bitumen, thyum (quo de consule Cl. Salmasii Plin. exerc. p. 953. A.) lapathum, juniperus major ac minor, cardamomū, & calamus. *Forma* erat solida, & forte non absimilis, qua conficitur hodie *Chocolatâ*, quam vocant. de qua habes Ant. Colmeneri libellum à M. Ant. Severino editum Latine. *Usus* Cyphi erat ad alterandū aerem pestiferum, temperandum corpus, recreandum spiritum & à pravis miasmatis vindicandum, animum denique ab hominum carnificibus curis liberandum. Has enim tot dotes odoratu præstabat. *Confectionem* hanc vino diluisse etiam & bibisse, idem testatur. Ab Ægyptiis eam didicisse Romanos, & funeribus suis respersisse olim, sed propter sumtum vetitam XII. tabulis arbitratur Dion. Gothofredus in Notis ad earum fragm. l. Ne sumtuosa asperso h.

§ 152. Sed forte excipies: *utrumque* illud, Medicamentum potius dicendum ducendumque, quam vinum. Quippe *prius* Dioscorides πρὸς καταῤῥοὰς, βῆχας, ὠμότητας, ἐμπνευματώσεις καὶ πλάδον στομάχου· *ad catarrhos, tusses, cruditates, inflationes, atque flacciditatem ventriculi* condiri scribit. Et *cyphi* Plutarchus *potum* scribit τὰ ἔντερα καθαίρειν, κοιλίας μαλακτικόν· *interiora purgare, quoniam*

quoniam alvum emollit. Aliæ hæ quæstiones: *Fuerit* ne myrrhata potio in usu? &, *Cui* usui fuerit? Quamquam quid vetat, ut ne nimium solliciti de valetudine, etiam in secunda frequentent adversæ præsidia? Quod merito tamen vetat Celsus lib. I. cap. I.

§ 153. Extra controversiam vero iterum hoc Festus ponit: *Myrrina genus potionis, quæ Græce dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolam, quidam murratum vinum*. Propterea nempe quod murra ingrederetur confectionem ejus. Quam sane nobilissimam nobis, ex antiquitatis reliquiis servatam, prodidit Cassianus Bassus in Geop. VIII. 24. Quam ecce, vel hoc fructu, ut videas, quo primum intenderit Festus, & constet, non ipsum fuisse auctorem errandi doctis, sed suam inadvertentiam. Ἄλλοι δὲ οὕτως ποιοῦσι. σμύρνης γράμματα ϛ'. κασίας γρ. ιβ'. κόστου γρ. β'. νάρδου γρ. δ'. πεπέρεως γρ. δ'. μέλιτος ἀττικοῦ ξές. ϛ'. οἴνου ξές. κδ'. μίσγουσι καὶ ἀποτίθενται ἐν ἡλίῳ, ὑπὸ τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν ἐπὶ ἡμέρας μ'. τοῦτο καλοῦσι νέκταρ. *Alii vero sic faciunt. Myrrhæ scrup.* VI. *Casiæ scrup.* XII. *Costi scrup.* XII. *Nardi scrup.* IV. *Piperis scrup.* IV. *Mellis Attici sextarios* VI. *Vini sext.* XXIV. *commiscent & exponunt ad Solem, sub Caniculæ ortum, ad dies* XL. *Hoc nectar vocant*.

§ 154. Equidem merito: suavissima enim confectio est. Neque dubito fuisse inter veterum lautitias. Etiamne vero feminarum? Nihil vetat. Imo illud, quod ex Agellio audivimus: vino erat interdictum. Adeone stricte, ut nullo modo gustare liceret? De hoc non constat. Si constet tamen, nihil prohibet suspicari, pro *vino* confectioni *mustum* adhibuisse. Nam & œnomeli ex musto fecisse constat. At cum experirentur hoc φυσῶδες εἶναι, καὶ ἀκαταλλήλον στομάχῳ, *flatuosum esse, & inconveniens ventriculo*, condire deinde aromatis solitos, quæ illud vitii corrigerent. Ideo autem semper dulce mansisse, speciebus aromaticis τὴν γλυκύτητα ei suam servantibus.

§ 155. Potuere etiam ad *murrinæ* confectionem adhibuisse *aquam* celestem, & fecisse hydromel pro œnomeli. *Hydromelitis* suavis admodum compositio est, quam idem Bassus tradit in Geop. VIII. 26. *Alias* præparationes exhibet Dioscorides V. 17. ubi & convenire μικροσφύκτοις καὶ ἀσθενέσιν ait, *pulsuparvis & debilibus*.

bilibus. Qualis cum magna pars feminarum sit, non facile credam abstineri potuisse iis, quæ valetudinis prætextu negari non poterant.

§ 156. Vix etiam dubito, quin *myrrhinæ* appellatione Plautus vel istud Nectar vel simile intellexerit loco quem proposui. Sed objicit Hadr. Junius Animadv. v. 19, *amarorem* Myrrhæ: ceu qui pro gratis ingratas potius potiones faciat. Facilis responsio. Quæsitus in confectione Nectaris, non *sapor* Myrrhæ, sed *odor*, est enim εὐώδης. Illud vero *quantitas* docet. *Sextariis* quippe *triginta*, scilicet *vini* XXIV, seu unciis trecentis: *mellis* autem VI, seu unciis centum & quinquaginta, adduntur *myrrhæ* scrupuli VI, seu grana centum quadraginta quatuor. Ut adeo quotquot *ternæ* Oenomelitis unciæ recipiant granum unum & alterius partem duodevigesimam. Quasi vero hoc obscurare dulcedinem mellis possit, & amaricare potionem. Si quis, non obstante illo, justus tamen metus est, eum *insolatio* discutit omnino. Quin *hæc* penitissime pervadens omnia, omnia subtilissime solvens atque exactissime miscens, incredibile quid addit delitiarum, etiam præcipitando si quid mixtioni ineptius repererit. Nota in transitu: *Sextarium* pendere *vini* Uncias sedecim totidemque scrupulos: *mellis* Uncias vigintiquinque.

§ 157. Sed ecce etiam aliam, eamque singulari elogio commendatam descriptionem *myrrhinæ* ex Vindanionio Geop. VII. 36. *Iridis optimæ drachm.* IV. *Feniculi seminis tryblium unum. Farinæ tantumdum. Piperis dr.* I. *Myrrhæ troglitidis dr.* II. *Seselis dr.* I. ss. *Mei dr.* I. ss. *Apii dr.* II. *His contusis affunde vini odorati albi quod satis, & tere atque in massas forma, easque linteolo denso involutas mitte in vas, ac superaffunde vinum optimum, & obtura, post dies quatuor aperiens, bibe calicem jejunus. Præstat vero cum musto fieri.* Elegans elogium vero est, quod inscriptio præ se fert his verbis, prout ea Palatinus olim codex exhibebat: Οἶνου μέχρις γήρους ὑγιείαν φυλάττοντος ἀδιάπτωτος σκευασία. h. e. *Vini, usque ad senectam conservantis sanitatem, firma confectio.* Quo si quis semper utatur, ἄνοσος διαμένει *incolumis perdurat*, addit in textu. Nota vero, *tryblium* fuisse mensuram trium unciarum totidemq; drachmarum capax.

§ 158. Pli-

§ 158. Plinius ergo recte, qui *myrrhinam* Plauti inter Vina simul & Dulcia adscribit. Charini etiam responsio promittit nobile quid & delitiosum. *Rogas*, inquis, *ecquid daturus sit?* Dabit *myrrhinam*, *passum*, *defrutum*, *mellam*, meras delitias. Et par erat optima quæq; potionum reperiri apud eum, qui instruxerat *thermopolium*, sive tabernam ubi confectæ dulcesque potiones vænibant, quas bibere calidas solitos testatur Turnebus Adverss. xx. 10. Non ideo, quia potari non poterant nisi dissolutæ, quod videtur Andr. Baccius innuere Hist. vin. IV. p. 176: sed quia plus est suavitatis in calido potu. Confer ad Hier. Mercurialis Var. lect. I. 8. & Joh. Freinshemium de Cat. potu cap. I. §. 2. 4.

§ 159. *Myrrhina* hæc procul dubio fuit in pretio: & testatur hoc Posidippus Comicus apud Athenæum I. 23. cujus hæc sunt verba: μυρτίτης ἢ ἡ μυρρίνης οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ·

Διψηρὸς ἀπολοῦ, ὁ μυρίνης ὁ πίμιος.

Sed perperam, inquit Cl. Salmasius Plin. exerc. p. 711. B, *legitur in Athenæo* μυρτίτης *pro* μυρρίνης. *qui fortasse error est Abbreviatoris censentis* τὸν μυρρίνλον οἶνον ἀπὸ τῆς μυρρίνης *aut* μυρσίνης *dici. Sic enim myrtum appellant veteres. Sed* μυρρινίτης *dicendus esset* (aut μυρσινίτης, ut apud Dioscoridem v. 37.) *non* μυρρίνης. Nempe id vinum, quod ex Myrti nigræ virgultis cum foliis & baccis in musto ad dimidium decoctis conficitur. Verum hoc ne bibendo quidem erat. Erat μυρτίτης: quo de Dioscorides v. 36. Verum hoc, quamvis stomacho utile, nihil minus quam delitiosum erat.

§ 160. Quæ ratio sola satis est ad eumdem errorem eodem modo corrigendum in Artemidori Oneirocrit. I. 68. Verba sunt: οἰνόμελι μὲν καὶ μελίμηλον καὶ ὑδρόμυλον καὶ μυρτίτην, καὶ πάντα τὸν ἐσκευασμένον οἶνον πίνειν, πλουσίοις μὲν ἀγαθὸν διὰ τὸ τρυφᾶν πίνουσι ἢ, μοχθηρόν. ἑ δὲ θάτερον ὁρμῶσιν ὅτι τὰ τοιαῦτα πιόμενοι, εἰ μὴ ὑπὸ νόσου ἀναγκάζοιντο. Restituo primum: ὑδρόμηλον καὶ μυρρίνλον. Verto deinde: *Oenomeli aut melimeli aut hydromeli aut myrrhinam, aut quod aliud confectum vinum bibere, divitibus quidem bonum, propterea quod in delitiis vitam transigant: egenis vero malum. Neque enim prius appetunt ejuscemodi potus, nisi à morbo*

morbo cogantur. Ὑδρόμηλον, pro ὑδρόμελι, recentiorum est. Reperies etiam apud Cassianum in Geop. VIII. 26.

§ 161. *Melimelum* quid sit, videre apud Columellam XII. 45. ubi tradens rationem conservandi Cydonea ait, *nihil certius aut melius expertum se, quam ut cydonea maturissima integra sine macula, & sereno cælo decrescente luna legantur, & in lagena nova, quæ sit patentissimi oris detersa lanugine, quæ malis ineat, componantur leviter & laxe, ne collidi possint: deinde cum ad fauces usque fuerint composita, vimineis furculis sic transversis arctentur, ut modice mala comprimant, nec patiantur ea cum acceperint liquorem, sublevari: tum quam optimo & liquidissimo melle vas usque ad summum ita repleatur, ut pomum submersum sit. Hæc ratio non solum ipsa mala custodit, sed etiam liquorem mulsei saporis præbet, qui sine noxa possit interdum dari febricitantibus: isque vocatur melimeli.* Turnebus Adverss. XVII. 13. *melomeli* scribendum existimat. Ita quidem analogia vult. Tum vero *melimelum* pomorum in genere est. Plinius XV. 14: *quæ nunc melimela dicuntur, à sapore melleo.* Aliter ergo olim. Varro de Re rust. I. 59: *pomorum quæ antea mustea vocabant, nunc melimela appellant.* Confer ad Stapelii com. in Theophr. hist. plant. IV. 6. pag. 399.

§ 162. Species *tertia* Myrinæ dicitur Hesychio fuisse *Potio, cui superfusum erat unguentum.* De hoc planissime constat ex Polluce VI. 2: *λῶ δέ τις καὶ μυρίνης οἶνον, μύρῳ κεκερασμένον. οἱ δὲ τὸν γλυκιὸν ἅτως οἴονται κεκλῆσθαι. Erat & myrinum vinum, myro permistum. Sunt autem qui eo nomine passum vocari existimant.* Rectum est, οἶνον μύρινον, *Vinum myrinum*, i. e. unguento temperatum. Rectum quoque, μυρίνης. ut enim à voce φύλλον, ὁ φυλλίνης: ita à μύρον est ὁ μυρίνης &, geminata canina litera, μυρρίνης. Latinis *murrina* est à murra. *Murra* autem unguentum significat, idem quod μύρον. Cyrilli glossæ: μύρον, *Unguentum, Murra.* Quod enim (ut supra § 124) notabamus compluria unguenta non sine myrrha fierent, & ipsa pretiosum esset unguentum, propterea non tantum μύρον de *Myrrha* Græci absolute & κατ' ἐξοχὴν dixerunt: sed & *myrrham* Latini de unguento quolibet aromatico.

§ 163. Achmeti in Oneirocrit. CXCVI. 11: dicitur οἶνον συγκε-

κερασμέ-

κεραμμένος *vinum adulteratum*, & significare, si quis se bibere illud somniet, θλίψιν εἰς τὸν πλοῦτον αὐτοῦ ἀνάλογον τῆς ζέσεως, *jacturam bonorum pro modo fervoris*, quo bibi scilicet somniatur. Namque, ut est apud Iuvenalem Sat. VI. 302, oportet bene calida esse,

Vt perfusa mero spument unguenta Falerno.

§ 164. De *passo* Myrrhinā qui interpretetur, non cognovi. Recte interim de *vino* Hadr. Junius Animadv. v. 19. accipit hoc Sutrii Comici, ubi Glyceram meretriculam ita loquentem introducit:

Myrinum mihi adfer, quo virilibus armis occursem fortiuncula.

Nam & mulierum libidinosiores vino præsertim aromatite incalescere in complexum, vulgare nostras adagium innuit: *Femina subebria, Venus in lecto.* De *eodem* Dalechampius illud Diphili in Deficiente interpretatur ad Athenæum IV. 4: ubi coquus ait, artis suæ principale atque palmarium esse

Τὸ τῶν ἐδομένων τὰ στόματα προσιδέναι.
Οἷον, Ῥοδίους κέκληκας; εἰσιοῦσι δὸς
Εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὴν μεγάλην αὐτοῖς σπάσαι
Ἀποζέσας σίλουρον, ἢ λεβίαν, ἐφ' ᾧ
Χαριῇ πολὺ μᾶλλον, ἢ μυρίνην προσεγχέας.
Prænosse linguam & ora convivantium.
Rhodios vocasti forte? quando intraverint,
Magnum è camino præbeas ipsis statim
Silurum elixum, Lebiamve, quo magis
Facto placebis, quam queas murinâ datâ.

Dissentiunt Mercurialis Var. lect. v. 1. & Brodæus Miscell. IV. 20. uterque sine ratione tamen, saltem ad quam responderi sit opus, aut responsum non sit.

§ 165. Frisiorum gulonibus expetitum valde laudatumque est, aliis Absinthite vino, aliis Hamburgensi bira cum butyro thermopotare gutturem, ut Plautus loquitur Trinummo act. IV. sc. III. 7. Qui hoc sæpius vidi, causam non habeo dubitandi, etiamne verum sit, Veteres *unguenta* Vinis superfudisse, & bibisse. Sed vero res est multorum auctoritatibus testatissima.

§ 166. Theophrastus l. de Odorib. p. 183. Furlanæ edit. οἱ τὰ μύρα κεραννύντες, ἢ τῷ οἴνῳ ἐπιχέοντες: *Qui unguenta miscent,*

Unable to display this page

ab exquisito Solis ardore aliave insolita violentia. Plinius *medium inter dulcia vinumque* dicit XIV. 9. Neque enim meretur haberi in numero *aut* Dulcium *aut* Vinorum. Non *dulcium*: quia ex musto est. Non *vinorum*: quia prohibetur fervere.

§ 172. Hoc *genus* autem triplex est: γλεῦκος, & ἀγλεύκητος, & quid inter hæc medium.

§ 173. Γλεῦκος *mustum* significat in communi, sive, ut olim scribebatur, *moustum*. Ita quippe nominabant Latini οἶνον μόσχον *vinum novellum*, seu potius *liquorem* illum, qui recens ab uvis effluit, & quamdiu non ferbuit, seu vinum mistum fecibus est. Dicebam, *potius*: quia Vinum novum *proprie* est, quod nuper ferbuit, feceisque suas recens defecavit. Esse enim *diversa*, Mustum & Vinum novum, ex utriusque facultatibus cognoveris. De *musto* Hippocrates II. de Diæt. XIII. 233: γλεῦκος φυσᾷ, καὶ ὑποάγει, καὶ ἐκπιεζόμενον ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ, καὶ διέχωρεῖ. *Mustum inflat, & subigit, & perturbat fervens in ventre, alvumque subducit.* De *vino novo* Dioscorides V. 7: ὁ δὲ νέος ἐμπνευματικὸς, δύσπεπτος, δυσούρητικός. *Novum vero inflat, ægre concoquitur, insomniis inquietat, urinam ciet.*

§ 174. *Mustum* vero duplex est: lixivum & vulgare.

§ 175. Mustum *lixivum* dicitur, quod lixæ seu aquæ instar effluit ex uvis ante expertam vim. Columella XII. 41: *Mustum lixivum de lacu statim tollito. Hoc autem erit, quod distillaverit, antequam nimium calcetur uva.* Corrige: *quod sponte distillaverit, antequam nimirum calcetur uva.* Plinius XIV. 9: *protropum appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ.* Columella iterum cap. 40: *mustum lixivum (hoc est, antequam prælo pressum, quod in lacum musti fluxerit) tollito.* Ubi quæ in parenthesi dicuntur, haut dubie glossema sunt. Confer ad Cæl. Rhodiginum XXVIII. 34.

§ 176. Græcis hoc *genus* Musti πρόχυμα dicebatur. Florentinus Geop. VI. 16: πρὶν θλιβῆναι τὰς βότρυας τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποῤῥέον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι· *Quod, priusquam calcentur uvæ, ex his sponte extillat mustum, quod prochyma quidam vocant.*

§ 177. Frequentius erat, οἶνος πρότροπος ἢ πρόδρομος, *Vinum protropum* aut *prodromum*. Pollux VI. 2: Πρότροπος δὲ ἦν τὶς οἶνος, ὁ πρὶν ἀποθλίβεσθαι [scilicet, τοὺς βότρυας] ἐκρυείς· *Protropum erat vini species, quod citra pressuram effluit*, adeoque prælum prævertit. Belgæ dicerent *voorloop*. Quod verbum usitatissimum est Destillatoribus, quos vocamus. Hesychius: Πρότροπος, οἶνός τις, ἢ γλεύκους τὸ πρόρυμα. Rescribo: οἶνός τις, ἢ ἢ γλεύκους τὸ πρόχυμα. Reddo: *Protropum, vinum quoddam, aut musti quod sponte profluit*. Revera enim hoc nominis conveniebat etiam *speciei* Vini certæ. Athenæus I. 24: οἱ Μιτυλήναιοι τὸν παρ' αὐτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσιν. ἄλλοι δὲ πρότροπον ἢ πρόδρομον. *Mitylenæi vinum suum dulce Prodromum vocant. alii vero Protropum aut Prodromum.* Hujus generis est, quod hodieque *lacrymam* Itali cum Hebræis appellitant.

§ 178. Quin & Passi *lixivum* dicebatur protropum. Athenæus, II. 7: λαμβανέτω, τὸν καλούμενον πρότροπον, γλυκὺν Λέσβιον· *sumat, quod vocant protropum, passum Lesbium*. Ælianus Var. hist. XII. 31: καὶ ἐπὶ τούτοις [τοῖς Λεσβίοις] γλυκύς τις ἐκαλεῖτο, πρέπων τῷ ὀνόματι καὶ τὴν γεῦσιν. Interpres: *& præter hæc aliud Dulce vocabatur, sapore etiam referens*. Corrige primum: πρότροπος τῷ ὀνόματι καὶ τῇ γεύσει. tum redde: *& apud hos* [Lesbios scilicet] *Passum quoddam celebratur, Protropum nomine saporeque*. Unde & apud Vitruvium Archit. VIII. 3. recte Philander, pro *vinum protyrum*, restituit *protropum*. Loquitur enim de Lesbio vino.

§ 179. Hujus generis *scybelites* erat, quod toties Galenus commendat. vide Meth. med. VI. 31: de Dign. puls. I. 1: & in l. de Comp. med. sæpissime. Fuisse vero è *genere* Protropi passi, ex Aetio liquet, nec non Myrepso. Aetius III. tetr. I. 24: Σκυβελίτης δὲ οἶνός ἐστιν, ὁ αὐτομάτως ἀποστάζων, ἐκ τῶν πατηθεισῶν σταφυλῶν, καὶ τὸν οἶνον ἀποβαλλουσῶν. *Scybelites vinum est, quod sponte destillat ex uvis passis, vinumque ultro fundentibus*. Myrepsus de Antid. cap. CXLV. ἔστι δὲ σκυβελίτης οἶνος, ὁ μετὰ τὸ πατηθῆναι σταφυλὰς ἀποστάζων οἶνος. *Scybelites vinum est, quod exstillat posteaquam uvæ passæ sunt* solem, & conjectæ in torcular se mutuo premunt.

§ 180. Mustum *vulgare* appello, quod vi expressum est. *Vim* præ-

præstat *vel* Pes *vel* Prelum. *Pes* primum: deinde *prelum*. Unde *mustum* licet distinguere in Primarium & Secundarium.

§ 181. *Primarium* nuncupo, quod uvis calcatis seu pede pressis effluit. Ex hoc musto *Vina*, *pressa* vocat non semel Horatius: ceu videre IV. Carm. XII. 14: & Epod. XIII. 8. 9. Græcis, τραπητοὶ οἶνοι. *Hesychio* τραπεῖν est λινοπατεῖν, *calcare torcular*. A Græco habent suum *trappen* Germani.

§ 182. *Secundarium* vero, quod pressiore pede aut prelo etiam exprimitur aut extorquetur. Hoc quia quandoque circumciso pede, quandoque non circumciso fiebat: inde est, quod alii *tortivum*, à pressuræ modo illud appellarent; alii *circumcisitium*, à cura acinis quam adhibebant post primam pressuram. *Hoc* rursus aliquando exprimebant in eumdem lacum, aliquando servabant seorsum. Quæ sane notanda sunt antiquarum lectionum studioso. Sed inspiciamus quædam huc facientia.

§ 183. Varro de Re rust. I. 54: *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eumdem lacum. Cum desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus, cum expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.* Quibus quia exhibetur ratio tota exprimendi uvas & in varios usus, non debet mihi vitio esse, quod paulum rursus de via digressus subnotem quæcumque lucem istis, qua rem, qua verba, queunt dare.

§ 184. *Quæ calcatæ uvæ erunt.* Semper ante calcabantur uvæ, quam prelo vinacea subderentur. Eo alludunt Prophetæ, Jesaja LIII. 3. & Johannes Apoc. XIV. 20. Cæterum cum constet facile vitiari mustum, & infici fœtore, & disponi ad corruptionem, eapropter Apulejus in Geop. VI. 11. jubet εἰσιέναι εἰς τὴν λινὸν τοὺς πατοῦντας, οὗ μάλα τὰ περὶ τοὺς πόδας κεκαθαρμένους, καὶ μηδένα αὐτῶν ἐν τῷ λινῷ μήτε ἐσθίειν, μήτε πίνειν, μήτε εἰσιέναι καὶ ἐξιέναι πολλάκις. καὶ εἴ τις ἀνάγκη γένοιτο τοῦ ἀπελθεῖν, μὴ γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἀπιέτω. δεῖ δὲ καὶ ἠμφιέσθαι καὶ διαζώματα ἔχειν τοὺς πατοῦντας, διὰ

τοὺς ἐπιγομένους [lego, ἐπιγενομένους] ἱδρῶτας· *ingredi in torcular calcatores, valde bene pedes purgatos, neque quemquam ipsorum in torculari vel edere vel bibere, neque ingredi vel exire sæpius. Et si qua necessitas incidat exeundi, ne nudis pedibus abeat. Oportet vero etiam indutos esse calcatores & subligaribus tectos propter sudores obortos.* Quos consulto admodum misceri musto prohibet, ut & omne quod vino malum saporem odoremve dare potest. Rationem dat Columella XII. 28: *quia nulla res alienum odorem celerius ad se ducit, quam vinum.* Quod & Plinius observat in collocatione doliorum, & monet XIV. 21, *doliis etiam intervalla dari, ne inter sese vitia serpant, contagione vini semper ocyssima.*

§ 185. *Earum scopi.* Quos Varro *scopos*, Cato *scopiones* vocat cap. CXII. Sed depravatus est locus. Legendum quippe, emendatore Jos. Scaligero: *Tum acina de uvis miscellis decerpito de scopione. inde in dolium.* confer ad Ausonii Popmæ Notas. Apud Columellam bis perperam legitur *scipiones*, XII. 39. & 43. Est autem *scopus*, ramosum id, ligneumque, quo dependent acini. Ita Ruellius in I. de Stirpib. II. Cælius Rhodiginus Antiq. lect. XII. 14, cum *scapo* confundit: admodum inconsiderate. *Nam ut in papavere*, inquit, *pars semen continens vocatur scapus, sic & in uvis quo grana continentur, eodem censetur vocabulo.* Quibus in verbis cum recte non habeat antecedens, quid speres de consectario? In isto enim nimis secure sequutus fuit Plinium XIX. 8. cujus ibi verba sunt: *papaveris nigri scapo inciso lacteus succus excipitur.* Rectum est: *scaphio inciso.* Nam σκάφιον est *caput*, auctore Polluce II. Onom. IV. 1. & auctoritate Aristophanis. cujus hunc versum (unde? incertum quippe.) citat:

Ἵνα μὴ κατεαγῇς τὸ σκάφιον πληγεὶς ξύλῳ·
Tibi ne dolatum fuste frangatur caput.

Quemadmodum igitur *caput* Poëtæ κωδείαν vocabant: ita Plinius vicissim τὴν κωδίαν sive τὴν τῆς μήκωνος κεφαλὴν, *papaveris caput*, appellavit *scaphium.* Ita pro eo quod Theophrastus Hist. plant. IV. 10. de Loto dixerat: ἐν δὲ τῷ Εὐφράτῃ τὴν κωδίαν φασὶ καὶ τὰ ἄνθη δύνειν: reddidit XIII. 18, *Hoc amplius in Euphrate tradunt & scaphium & florem mergi.* ita enim & heic legendum; siquidem respexit

Unable to display this page

§ 189. *Exprimatur in eumdem lacum.* Hoc mustum alios in alium lacum expressisse & seorsim servasse conjicio ex illis, quæ præcipit Cato cap. XXIII: *Tortivum mustum circumcidaneum suo cuique dolio dividito, additoque pariter.* Intercidisse copulam, & scriptum fuisse, *Tortivum mustum & circumcidaneum*; clamat, quod sequitur, præceptum; *suo cuique dolio dividito*, hoc est, seorsim reponito, & alio in vase Tortivum, in alio Circumcidaneum. Quin & alterum: *additoque pariter*, hoc est, utrique pari mensura modoque admisceto defrutum, aut marmor, aut resinam, quo misceri hæc jusserat cum musto *præliganeo*. Fiebat hoc ex *uvis miscellis*. Varro I. 53: *nam & præcox, & miscella, quam vocant nigram, multo ante coquitur, quo prior legenda.* Forte & ex *uvis pretiis* quas nominat Maro Georg. II. 95; & *cito matureſcere* Columella III. 2: & *ollis utilissimas* Plinius dicit in XIV. 2. Vinum istud *præleganeum* operarii bibebant.

§ 190. Confirmat porro me in proposito Columella XII. 37. ubi Vinum simile græco facere docens ait: *Vvas præcoquas quam maturissimas legito, easque triduum in Sole siccato, quarto die calcato, & mustum, quod nihil habeat ex tortivo, conjicito in seriam, diligenterque curato, ut cum deferbuerit, feces expurgentur. Deinde quinto die, cum purgaveris mustum, salis cocti & cribrati duos sextarios, vel quod minimum, adjicito unum sextarium in sextarios undequinquaginta. Quidam etiam defruti sextarium miscent: nonnulli etiam duos adjiciunt, si existimant vini notam parum esse firmam.*

§ 191. Græci *marinam* suffundere vinis solebant, quæ travehebantur in titulum, præterquam Chiis. De hoc *more* etiam Athenæus I. 25. *Species* aliquot refert Plinius XIV. 8. *Modos* aliquot faciendi Dioscorides V. 28. Confer & ad Catonem cap. XXV. & CV. atque Columellam XII. 21. *Quare* fecerint, Plutarchus quærit in Quæst. nat. X. *Græca* ergo *vina* dicebantur, quotquot essent suffusa mari. Plautus Rudentib. act. II. sc. VII. 30:

Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare:
Itaque alvom prodi speravit nobis salsis poculis.

Dicitur *alvum prodere*, quod ipsam cogit ex inopinato se profundere.

dare. Parabantur autem *falsa vina* ἐκ τῶν χειλίας ὑπαγωγὴν *ad ventris subductionem*, inquit Anazarbæus dicto loco.

§ 192. *Cum desiit sub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt.* Columella XII. 36: *Mustum tortivum est, quod, post primam pressuram, vinaceorum circumciso pede, exprimitur.* Nisi fallor, *cremasterum* in uvis triplices sunt partes: Pes, scopiones, pediculi. *Pes* est, è quo uva dependet à sarmento. *Scopiones*, qui ramorum instar è pede ceu stipite exurgunt. *Pediculi* denique, summitates scoporum, quibus appendent acini. Uti vero pedes *uvarum*, κρεμαστῆρες appellantur Florentino Geop. V. 17: ita *pomorum*, πέλματα Democrito Geop. X. 25: *ficuum* vero, πείσματα Africano Geop. X. 56. Palladius, uno in omnibus nomine, *tenaces* aut *tenacia* nominat. *Pes* ergo velut radix racemi est. Pro qua etiam sumitur apud Columellam XII. 43. *Latius* significat id totum ramosum ligneumque, quod acinos inter & sarmenta est. Ita heic sumi argumento est, quod pro *pede* Cato dixerit *extrema*. Quæ uterque *circumcidere* jubet, priusquam denuo vinacea prelo subjiciantur. Apulejus Geop. VI. 11. etiam *grana* extrahi jubet. ἐμβληθείσας δὲ, inquit, τὰς σταφυλὰς εἰς τοὺς λίθους τοῖς ποσὶν ὑποθλιβέτωσαν οἱ πρὸς τοῦτο τεταγμένοι, πᾶσάν τε ῥάζαν ὁμαλῶς πατήσαντες ἀνασυρέτωσαν τὰ στέμφυλα, τουτέστι τὰ γίγαρτα, ὥστε τὸ πλεῖστον ὑποῤῥυῆναι εἰς τὸ ὑπολήνιον, δεύτερον δὲ πατήσαντες, εἰς πλατὺ θέσθωσαν. *Injectas in torcularia uvas statim pedibus conterunto, quibus hoc demandatum est, omnibusque acinis æqualiter compressis extrahunto vinacia, hoc est grana, quo possit quamplurimum liquoris defluere in lacum, atque ubi denuo calcarunt, discedunto.* Τὰ στέμφυλα etiam Anatolius in Geop. VI. 13. per γίγαρτα interpretatur. uterque nove. Sunt enim proprie *vinacia* seu *folliculi*, ut dicebam modo. Interea etiam Latini *vinacia* dicunt pro nucleis. Palladius Sept. XI: *vinacia, quæ in acinis celantur, hoc est, grana.* glossema hoc. Quia namque, auctore Varrone I. 48, *granum dicitur, quod est intimum solidum*, visum fuit lectori non incommode *vinacium* per *granum* exponi. Sed & illud novum est. Est & illud, λίθον exponere *lacum*. facit interpres Apocal. XIV. 19. 20. At hoc est ὑπολήνιον: sicuti λίθος, *torcular*.

§ 193. *Et rursus, cum expressum, circumcisitium appellant.* Ita enim scribendum, postulante analogia & vestigiis priscæ scripturæ. Libri edunt, *circumsitum:* membranæ, *circumciscitum,* notante Pet. Victorio in Explan. suarum in Varronem castigationum. Cato, ut audivimus, *circumcidaneum* appellabat. *Circumcidere* heic est amputare & auferre inutilia.

§ 194. *Ac seorsum, quod expressum est, servant.* Cui usui? Non dicit. Credibile inter vina operaria habita, quæ ex isto genere musti fierent. Plinius XIV. 19. notat, *nefastum habitum, prolibare diis vinum, quod circumcisis vinaceis profluxerit.* Num in hoc etiam, & similibus Gentiles verarunt dictum Apostolo Rom. II. 14? *Gentes non habentes Legem, sibi ipsis sunt lex, & natura faciunt quæ sunt Legis.* Nempe natura ipsos docebat, haut fas esse, offerre Deo quid vitiosi, Levit. XXII. 20. aut quod offerre Præsidi suo non auderent, Malach. I. 8. Tale vero fuisse id vinum, notat quod sequitur apud Varronem.

§ 195. *Quod resipit ferrum.* Jos. Scaliger heic: *resipit ferum* dixit, ut Dioscorides, ὑποβρωμον ὄξος. An scriptum fuit? *resipit fecem.* quæ procul dubio plurima huic musto.

§ 196. *Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme.* Quod ad potus hujus *appellationes*, Latinis non alio, quod sciam, quam *loræ* nomine venit. Nonius XVII. II: *Loram dicebant in vindemia, cum expressissent acinis mustum, & folliculos in dolium conjecissent.* Aliquando tamen dicebant *loriolam*, diminutive. Varro I. de Vita pop. Rom. *Loriolam nominabant cum ex uvis expressum erat mustum, & ad folliculos seu vinacea adjiciebant aquam.* Hotomannus & ex eo Gothofredus ad l. Si quis 9. ff. de Tritico leg. etiam *acinaticium* Ulpiano dictum, loram esse existimant. Quæ cum fieret, non ex acinis, sed acinorum folliculis, non potest lora esse. Sciendum enim, monitore Dalechampio Hist. gen. plant. v. 24, *acinum* non pro uvæ vinaceo, sed fructu toto accipi, qui ex *succo*, & parte quæ veluti caro est, & ex vinaceis, & ex ambiente cute constat. Ita esse liquet è Catone cap. CXIII.

§ 197. Sed

§ 197. Sed esto, *acina* sint hoc quod putant: ita dicendum esset *Vinum acinaceum*; prorsus ut *acinus vinaceus* dicitur, ad differentiam aliorum. Nam & ebulo & sambuco aliisque suus est acinus. vide Turnebum Adverss. IV. 6. Mercurialis Var. lect. V. 1. contendit *protropi* quoddam & nobile genus fuisse. Sententiæ auctorem facit Cassiodorum in Var. XII. 4. qui tamen suum *Acinaticum, cui nomen ex acino esse* dicit, adeo describit ambitiose, ut studio obscurasse rem, non explicasse videatur. Exscripsit locum Lud. Nonnius de Re cibar. IV. 13. & dimisit cum hac suspicione, *speciem* Passi protropi esse.

§ 198. Sed cum Jurisconsultus dicat initio legis, *Si quis* vinum *legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit:* & vero nemo non *protropum* in vinis habeat: quid dici potest ineptius, quam appellatione *vini* Vinum contineri. Viderint ergo periti, annon scripserit Ulpianus *concinnaticium*. Non. Marcellus I. 207: *apud veteres* cinnus *potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet.* Rursus 295: Cinnus *est commistio plurimorum, unde &* concinnare *dicitur.* Ut adeo *concinnaticium vinum* Jurisconsulto sit idem, qui σκόλαξος οἶνος Dioscoridi V. 45: *factitium vinum* Plinio XIV. 16. Clarum hoc consideranti & verba legis & seriem rerum ea propositarum. Proponit enim, quæ oporteat *appellatione* Vini continere, quæ non. Non *mulsum*, non *zythum*, nec *camum*, nec *cervesiam*, nec *hydromeli*, nec *conditum*, nec *passum*, nec *defrutum*. Etenim, *priora* ex vinea non fiebant: *posteriora* fiebant, sed potius condituræ loco, quam ad bibendum. Continetur vero *passum*, nisi contraria sit mens testatoris: itemque *œnomeli* plane, id est dulcissimum vinum. Quibus ita digestis, tandem subjicit: *Concinnaticium plane vino continetur.* Quid enim aliud est quam vinum variorum additione concinnatum & medicatum? Græcis varie nominabatur. Vulgatius nomen, δόλπειας. pro quo alii, δόλπειναρ. Hesychius: Δόλπειναρ, ὁ μὴ τὸ ὕδωρ ἐπιχεθλῶσι εἰς τὰ σίμφυλα οἶνος. Joh. Meursius in Notis ad Caton. n. 25. pro δόλπειναρ rescribit δόλπειας. Sed ostendit Casaubonus Animadv. ad Athen. VIII. 11. probum esse δόλπειναρ, atque usurpatum Spartanis, qui caninam literam plurimum

adamabant & frequentabant: quemadmodum & Dores. Si vacat adire, reperies id genus magno numero. Hesychius iterum: Δευτερεῖα, κάλιπος οἴνου, ὑπολής. *Deuteria, residuum vinum, vile.* Cyrilli glossæ δευτρεῖον *secundarium* exponunt. Unde & Plinius XIV. capiti X. inscripsit, *De deuteriis & secundariis.* Dicebatur & πόλιμος. Dioscorides V. 13. Ὁ δὲ καλούμενος δευτερίας, ὃν ἔνιοι πόλιμον καλοῦσι· *Deuterias dictus, quem aliqui loram vocant.*

§ 199. Loræ *genera* Plinius tria facit. Primum: *Decima parte aquæ addita, quæ musti expressa sit, & ita nocte ac die madefactis vinaceis, rursusque prælo subjectis.* Alterum, *quomodo Graci factitavere, tertia parte ejus, quod expressum sit, addita aquæ, expressoque decocto ad tertias partes.* Dioscorides præterea *salem* addit. Tertium est, *fecibus vini expressum, quod fecatum Cato appellat* cap. CLIII. Græci, τρυγηφάνιον. Pollux VI. 32: τὸ δ' ἐκ τῶν τεμφύλων πεσθέντων ὑποῤῥέον, τρυγηφάνιος. Interpres: *Cæterum quod ex fracibus uvarum effluit, fex dicitur.* inepte. Nam *fraces*, expositore Plinio XV. 6, sunt *carnes* olivarum, & inde *feces* olei. Agellius XI. 7: *flocces audierat prisca voce significare vini fecem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleis.* Reddendum erat: *quod è vinaceis pressis effluit, fecatum* vinum vocant: nempe quia pura puta τρυξ φαίνεται *fex videtur.* Pollux iterum VI. 2: ὁ μὲν δευτερίας, καὶ τρυγηφάνιος ἐκαλεῖτο. Quartum addit Columella XII. 40: quam & *loram optimam* dicit. Dioscorides *loris* adstituit ἀδιάμον, quod vocabant, & faciebant ex pari mensura aquæ ac musti, ferventibus donec excoqueretur aquæ mensura. Plinius XIV. 16. *aquæ dimidium* dumtaxat addebat.

§ 200. *Loram* bibebant feminæ, familia, operarii, rurales. De *feminis* nuper ex Agellio audivimus. Quod ille videtur omnino habere ex Varronis I. de Vita pop. Rom. *Antiquæ mulieres majores natu,* inquit, *bibebant loram aut sapam, aut defrutum aut passum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant.* Nempe, *non licebat vinum feminis Romæ bibere,* inquit Plinius XIV. 13, & testantur plures auctores. Quorum catalogum exhibet Elmenhorstius ad Arnob. p. 102. edit. noviſſimæ. Interim natu majoribus, ætatis respectu, concedebatur aliquid eorum, quæ præter

vinum

vinum fiebant ex uva. *Familiæ* datam loram, è Catone scimus. Cap. xxv. *vinaceos, si voles,* ait, *lavito paululum, & lora erit familiæ, quod bibat.* Iterum cap. LVII: *Vinum familiæ, ubi vindemia facta erit, loram bibant menses tres. Mense quarto heminam in dies.* Familiæ vero in usus venisse credo, quod esset notæ melioris. *Operariis* contra datam viliorem. Plinius XIV. 10: *Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuteria, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis: sed tamen inter vina operaria numerantur.* Eodem potu etiam se *rusticos* oblectasse patet ex Anatolii Geop. VI. 13. ἡ γὰρ, inquit, ὀπὸ τεμφύλων τρὺξ, ἣν ὄπιχωρίως καλοῦσι θάμναν, οὐκ ἀηδὲς πόμα τοῖς ἀγροίκοις γίνεται. Interpres: *Etenim fex ex vinaceis, quam vernacula lingua Thamnam appellant, non injucundus potus ruralibus fit.* Sed occurrisse non videtur Cornario, quod Festus notat: *Tryga antiqui vinū dicebant.* Theocriti scholiastes Idyll. VII. 70: Τρὺξ ἡ ὁ κυρίως νέος οἶνος λέγεται. καταχρηστικῶς δὲ, καὶ ὁ παλαιός. *Tryx proprie novum vinum dicitur: abusive vero, etiam vetus.* Hesychius: Τρύγα, οἶνον ἀδιήθητον, ἀπὸ λίνου. *Tryga* vocabant *vinum non defecatum*, quale recens *à torculari* esse solet. Iterum: Τρὺξ, ὁ νέος οἶνος, καὶ γλεῦκος ἀδιήθητον· *Tryx, novum vinum, & mustum non defecatum.* Quare vertendum fuit: *Quod è vinaceis fit vinum, patrio nomine Thamna, haut injucundus potus est rusticis.* Sed satis de eo, quod non erat nostri propositi. ad hoc ergo revertamur.

§ 201. Erat ergo *duplex* Musti potioris genus: *lixivum* sive spontaneum, & *calcatum* sive pedibus expressum: Dixi, *potioris*: quia Musta cætera vilioris erant, præut usibus nunc dicendis servire possent. Ex *istis* enim industria & cura faciebant quid *medium* inter Dulcia dicta & Vinum. Faciebant namque ex *lixivo*, γλεῦκος; ex *calcato*, Aïgleuces.

§ 202. Τὸ αἰγλεῦκες, quod è Græcis appellat Plinius, unde habuerit, nescitur hodie. Quippe *vocis* Græcæ ne vestigium quidem reperire est apud auctores, quos habemus. Hoc vero me quærere, non magis ad rem pertinet, quam Ulysses ubi erraverit. quo de vide sis ad Senecam Epist. LXXXVIII. & confer correptionem illam Bionis apud Stobæum Serm. VIII. Nota interea res est. quod sufficit.

§ 203. *Quemadmodum* namque fiat, ita exponit Plinius: *Quod Græci aïgleuces vocant, hoc eſt, ſemper muſtum, id evenit cura, quoniam fervere prohibetur: ſic appellant muſti in vina tranſitum. Ergo mergunt è lacu protinus in aquam cados, donec bruma tranſeat, & conſuetudo fiat algendi.* Ante Plinium reperimus Catonem docuiſſe etiam ejus conficiendi modum. Ait cap. cxxi: *Muſtum ſi voles totum annum habere, in amphoram muſtum indito, & corticem oppicato, demittito in piſcinam, poſt trigeſimum diem eximito, totum annum muſtum erit, & dulce.*

§ 204. *Quale* cur permanere compreſſu frigoris obſidentis queat tam longo tempore, quæſitum fuit à Plutarcho olim in Quæſt. nat. xxvii. *Cauſa* duplex, inquit. *Una*, quod prohibeatur fervere. Fervor enim à calore eſt. Interno quidem, ſed qui ſe promovere nequit in illum actum, quamdiu cogendo frigus, incraſſandoque poteſt plus, quam calor movendo & attenuando. *Altera*, quod calidum, obſidio frigoris impeditum evadere, invadat magis & ſubigat muſti crudiora, & ſubacta contemperet vinoſis, atque ita in longum tempus conſervet dulcedinem, qui proprius muſti ſapor eſt.

§ 205. Huic vi coacto manere muſto ſimile eſt, quod noſtrates Oenopolæ appellitant *ſtomme*, q. d. *mutum* Vinum. Hoc fit, muſto è lacu in dolia infuſo, quæ prius fumo ſulphuris ſint ſuffumigata, donec non amplius ardere in ipſis ſulphur queat. Hoc ceu adulterio inficiuntur & emolliuntur hodie vinorum aſperiora quæque. Etiamne per ſe bibatur, neſcio. Hoc ſcio, reddere vina valde inſalubria & gravedinoſa.

§ 206. Ab *iſto* diverſum eſt, *materia* pariter & *forma*, quod γλεῦκος Græci recentiores appellabant, ob excellentiam ſuam & dulcedinis prærogativam ſingularem. Vetuſtiſſimis namque temporibus notum fuiſſe, ſaltem hoc nomine, nuſpiam comparet. Dixi vero, *excellenter* γλεῦκος appellatum, propter rationes ſcilicet allatas jam ſupra § 173.

§ 207. *Vtramvis* ibi propoſitam ſignificationē Varinus conjungit in hiſce verbis: γλεῦκος τὸ ἀποφάλαγμα τῆς φυλῆς, πρὶν πατηθῆναι. ἢ γλεῦκος, ὁ νέος οἶνος· ὁ λεγόμενος μῦς. Reddidero: *Gleucus dicitur*

citur deſtillamentum uvæ, priuſquam calcetur: aut novum vinum; quod vulgo dicitur muſtum. Prius etiam habet Heſychius, etiam Suidas, & totidem verbis: niſi quod ille ὑποτάγμα habeat, pro ὑποτάλαγμα, pari ſenſu. Dixi, *gleucus*, auctoritate eorum, qui *gleucinum* Oleum hinc & fecere & dixere: Columellæ, inquam, XII. 51: & Plinii XXIII: 4. aliorumque. Plinius XIV. 19, itemque Vitruvius VIII. 3. *protropum* appellant, & quod erat Græcis nomen, civitate donata, retinuerunt: quo ne excogitato novo novam rem deſignare viderentur.

§ 208. *Nomina* cum rebus accipere ſapientium eſt. At rebus admiſſis, peregrinitatis damnare nomina, revera eſt γλωσσομανῶν, ſeu eorum, qui maternæ linguæ amore veſano capti malunt non intelligi in converſatione civili, quam peregrinis in ſermone vocibus uti, quantumvis receptis. Μανία quippe dicitur omne vehemens deſiderium atque ſtudium cujuſcumque rei. Sic *inſanire* Cornificio Rhet. ad Herenn. IV. p. m. 125, & frequens alias verbum oſtentatione contenti ſtudii deque rebus magnificis, ſola libidine contra rationem ſæpe inſtitutis. compara Venuſinum II. Serm. III. 64. 224. Qua de cauſa Eunapius in vita Proæreſii p. 143. volens deſiderii, quod aliquando Anatolium corripuit videndæ Græciæ, cum magnitudinem tum laudabilitatem commendare, dixit, χρυσῆς τινὸς αὐτὸν μανίας ὑπολαβέσης, *aurea quadam ipſum inſania ſubeunte*. Nempe *aurea* tum vocabant Latini, quæ ſunt amabilia & laudabilia. exempla videſis plura apud C. Barthium Adverſ. XLIX. 8. Cæterum quam vim habeat τὸ μανία in compoſitis, cum quoſdam vocamus γυναικομανεῖς aut χρυσομανεῖς, ediſſerit Galenus de Decr. IV. 5. quem conſule & confer ad Athenæum XI. II, atque Caſaubonum ibi. nobis quippe hæc indicaſſe nunc ſatis. Aliquid etiam in hanc rem dixi II. Phyſiolog. VI. 36. & dicam poſtea.

§ 209. *Materia* quæ fuerit, ex qua gleucus fieret, dixi: *Muſtum protropum* nempe. *Faciendi* modus alius & alius. *Ignobilior* eſt, quem proponit Florentinus in Geop. VI. 16. Περὶ θλιβείων, inquit, τὰς βότρυας τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ὑποτάζον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι, βάλε αὐθήμερον εἰς ἀγγεῖον πεπασσωμένον ἔσωθεν

ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, ὥστε ἡμίσεα εἶναι τὰ ἀσγεῖα, καὶ πώμασον ὕπτιμελῶς γύψῳ. ὅτι πολὺ γὰρ χρόνον ἀφαμβοῖ τὸ γλεῦκος σφόδρα γλυκύ. πολὺ δὲ μᾶλλον φυλαχθήσεται, ἐὰν δὲ ἀσγεῖα πωμασθέντα δέρματι, εἰς φρέαρ τεθῇ ἐμβληθῇ ὅτι ἡμέρας λ'. ἀφ' ὧν γὰρ τὸ μὴ ἀναζέσαι, ἔσται ἀεὶ πάντως γλεῦκος. hoc est: *Quod, priusquam calcentur uvæ, ex his sponte extillat mustum (quod prochyma nonnulli nominant) conde eodem die in vas picatum intus, ita ut dimidia tantum impleantur vasa, & obtura accurate gypso. Sic enim ad longum tempus perseverat mustum valde dulce. Multo vero magis servabitur, si vas vesica obturatum demittatur in puteum ad dies triginta. Propterea enim quod non ferveat, erit semper mustum.*

§ 210. Quæ si compares cum superioribus, censebis & hoc esse *aïgleuces* potius, quam *gleucus*. Certe est, & hoc, & illud; sive potius *medium* quid inter utrumque. *Gleucus* est, qua *materiam*: est enim ex Musto lixivo. *Aigleuces* est, qua *formam*: prohibetur enim fervere, seu transire in vinum. *Causa* etiam eadem prohibens: *frigus*, sive piscinæ, sive putei. Videtur interim *differre* ab Aïgleuce: quod *hoc* Amphoris mergeretur; *illud* Picatis conderetur vasis. Unde ut *saporem* non ingratum, ita & *salubritatem* accipiebat longe gratiorem. De *picatis* Vinis, quæ cum pice musta condiebant, Dioscorides testatur v. 48, quod calefaciant, concoquant, abstergant, & purgent per superiora. Quas ob dotes credibile est expetita fuisse ad usus etiam matutinos. Quippe jejuni vini-potores enumeratarum necessitatum obtentu plerumque solent excusare factum, præter naturam & publicam consuetudinem initum.

§ 211. Verum *gleucus* quemadmodum fieret, brevibus Plinius, verum sic satis accurate tamen exponit in XIV. 9. *Sed inter hæc genera potuum ponere debeo & Protropum*, inquit. *Ita appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ. Hoc protinus diffusum lagenis suis defervere passi, postea in Sole quadraginta diebus torrent æstatis secutæ ipso Canis ortu.*

§ 212. Miretur quis, quare *protropum* Dulcibus adstituat, cum Vinum sit. Si enim *fervore* musta in vinum transeunt: quid si *vinum* sit, posteaquam deferbuit hoc mustum? Patiebantur autem

autem defervere lagenis ſuis, in quas protinus è lacu diffuderant. Igitur quid dicendum? Niſi fallor, hoc: *vinum* eſſe, tenuitate & puritate ſubſtantiæ: *dulce* vero, dulcedine & mixtura pinguioris fecum.

§ 213. Etenim ratio ſuadet, *muſtum* Protropum habere & minus fecis & minus feculentæ, præſertim quod ex uva matura atque lecta ſtillavit. Credibile quippe in hanc rem diligentius uvam non ſolum legi ſolitam, ſed & eligi. Quo maturior autem uva fuerit, hoc eſt coctior à Sole, eo & generoſius muſtum fundit, & minime turbidum. Sed & quo dulcior uva fuerit, eo oportet fecem eſſe & pinguiorem & pituitoſiorem, ſi huc transferre hoc verbum claritatis gratia licet.

§ 214. Quæ vero fex talis eſt, eadem & idonea eſt *toſtione* Caniculæ velut excoqui & permiſceri exactius cum vino, & permixtum reddere vinum mollius atque ſuavius palato, præſertim integro. Solem ſub Canicula ardere vehementius, res eſt cunctis notiſſima terris. Is æſtus quid poſſit, multarum rerum inſolationes docent. Chymici æmulari eum volentes excogitarunt Ignem circulatorium, quem vocant. Quo ſicuti perfectius omnia excoquunt, & miſcibilia miſcent ſubtilius, & heterogenea depurgant exactius, atque ita mirum in modum exaltant virtutem medicinæ: ita Sol vinum natura optimum in lagenis percoquens reddit ſua virtute multimodis præſtantius, quodque ſe omnibus gratiis commendet guſtanti.

§ 215. Γλεῦκος igitur, quod nomine proprio ſic vocabant, & Vinum erat, & Protropum nobile. *Vinum* fuiſſe conſtat vel ex eo, quod fervore in hanc naturam ex muſto tranſiret. *Protropum* cur appellarint, Plinius cauſam dicit, quod fieret ex muſto ſpontaneo ſeu præveniente preſſuram. Ergone *idem* fuit cum Vino protropo, quod Mitylenæi vocabant? Negare non poſſum: nec poſſum affirmare. Ut fuerit, neceſſe non eſt. Ut enim *muſtum* protropum fieret *vinum*, opus ſolo fervore erat: ut fieret *gleucus*, cura inſuper; nempe *muſti* diffuſione in lagenas, & *vini* toſtione ad ſolem. quæ brevi facit, quod ætas tempore. Olympiodorus ad Meteorolog. IV. 34: ἃ σύνεισιν τῷ γλεύκει πνεύματα παχέα καὶ

φυσώδη πνὰ, τῷ χρόνῳ διαφορεῖται. *Qui insunt musto spiritus crassi atque flatulenti, tempore digeruntur.* Ubi forte rectius φλέγματα legeris. namque quid vetat hoc nomine vini τὸ ὑδατῶδες, *aquosum* appellare? Destillatrix ars non aliter appellat hodie.

§ 216. *Nobile* denique à qualitatibus fuit: inprimis à facultatibus. Non solum *qualitatibus* enim, sinceritate, tenuitate, saporis odorisque gratia se commendabat: sed & *facultatibus* egregiis, potissimum vero salubritate. Plistonicus apud Athenæum II. 6. δύσμαχον *ventriculo convenire* ait. Hæc culina corporis est. Cui si bene est, bene est & toti. Foti namque ventriculus operatur. Illi igitur ut bene sit, vel inprimis operam dare satagunt sanitatis studiosi. Galenus præterea l. de Atten. victu c. XII. multum Protropo juvari ait *omnes* Affectus thoracis ac pulmonis, qui diuturni sunt & sine febre, præsertim qui per sputa purgari debent. Arteriacis præscribit l. de Comp. κ. τόπ. VII. 2: Hæmoptyicis l. eod. 4: Hepaticis, VIII. 8.

§ 217. Hier. Mercurialis in Var. lect. I. 17: *Ipse enim puto* vinum, *quod Amos Propheta* VI. 6, in phialis *vocavit, & quod Tertullianus l. Adv. Marcionem* IV. p. 524. c. liquatum *dixit, hoc ipsum Protropum fuisse.* Ego puto, in neutro ipsum bene putare.

§ 218. Non in *primo:* quia ad *scopum* Prophetæ nihil faciebat, *cujuscemodi* Vinum biberent principes utriusque domus Israelis, quibus Væ denunciat: faciebat, bibere ipsos *ex pateris vini* (ita enim Sacri sermonis gnariffimus interpres vertit) hoc est, crateribus capacioribus vinum ingurgitare, eoque se quovis die proluere. *Scopus* scilicet Prophetæ erat, exprobrare primoribus populi securitatis culpam. In hanc facile incidimus homines, cum abundantia omnium rerum est: facilius, cum vino se & delitiis dant. Erant illa in Israele. Ideo *seponebant diem mali*, qui timendus erat. Illius securitatis vero argumenta erant: I. Lecti eburnei sive in accubitu sive in decubitu & somno. II. Somnus profundus & multus; ut in spondis suis computrescere & diffluere viderentur. III. Cibus opimus & delitiosus. IV. Musicæ studium, idque ad pruritum aurium & effeminandum animum. V. Οἰνοφλυγία seu temeti sectatio. VI. Prodigalitas ac luxus in optimis

timis unguentis, quibus se delibuebant. VII. Inadvertentia ad fractionem Josephi, fratris, quasi ad se non spectaret, neu res esset dolenda. Ea vero stupidissima est & inexcusabilis securitas, non putare quod

Tunc sua res agitur, paries cum proximus ardet.

§ 219. Non in *altero*. Paretenim conferenti, Septimium versione Græca usum, & hanc voluisse exprimere. LXX. interpretes dixerant: οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον. Tertullianus verbo ad verbum: *qui bibunt vinum liquatum.* Quod διυλίζειν aut σακκίζειν Græci: id *liquare* aut *saccare* dicebant Latini.

§ 220. Transcolabant vero *vinum* tribus potissimum de causis. *Vna* erat, ut depurarent, relictis in sacco fecibus. Ita Dioscorides in v. 49. de Apsinthite: ἀψίνθιον ἐπιμελῶς μίξαντες καταγγίζουσι· καταστάθεντα δὲ διυλίζουσι· *apsinthium accurate miscentes diffundunt in vas: ubi subsedit, eliquant.* Columella XII. 27: *vinum à fecibus eliquatum.* Martialis XII. Epigr. LXI. 3:

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Egregia metaphora est, qua verbum transfert hoc sensu ad animam Clemens in Pædag. I. 6. p. m. 96. B: οἱ διυλισμὸν μὲν τοῦ πνεύματος τὴν μνήμην τῶν κρειττόνων εἶναι φασίν. διυλισμὸν δὲ νοοῦσι τὴν ἀπὸ τῆς ὑπομνήσεως τῶν ἀμεινόνων, τῶν χειρόνων χωρισμόν· *Qui transcolationem spiritus memoriam meliorum esse dicunt. Transcolationem vero intelligunt, quæ sit, recordatione meliorum, deteriorum segregatio.*

§ 221. *Altera* erat, ut vini vim sacco frangerent. Hoc dicitur Plutarcho Probl. VI. 7, ἐξευνουχίζειν οἶνον: ut Plinio XIX. 4, *castrare vinum.* confer ad Cæl. Rhodiginum XXVIII. 26. Non minus eleganter hoc *vitiare* dixit Horatius. ita II. Sat. IV. 64. de Massicis vinis: *Integrum perdunt lino vitiata saporem.*

Sacci ergo linei. hodie, lanei. Scribonius Largus de Comp. med. XXIX. 122, *vinum Falernum non saccatum* commendat ad remedia colica. Theophrastus de Caus. plant. VI. 9, *myrtum* dicit habere *vinosum succum* talem, ὃς ἐφίσταται τῷ οἴνῳ σακκιζομένῳ· ac est *qui innatat vino cum saccatur.*

§ 222. Porro οἶνος σεσακκισμένος, *vinum saccatum*, aliquibus Græcorum etiam σακκίας simpliciter dicebatur. Pollux VI. 2:

σακκίας ἢ, ὁ διυλισμένος οἶνος. Quod additur, καὶ σάκκος παρ' Εὐπόλιδι, vult, *Eupolidem* eo nomine etiam appellasse *saccularium*, hoc est, eum *qui vetitas in sacculo artes exercens, partem subducit, partem subtrahit*: uti explicat Ulpianus l. Saccularii 7. D. de Extraord. criminib. ubi videsis Gothofredi notas. Intelligit autem, quos *guichelaers* & *beurse-snijders* Belgæ vocant. Plautus *perenticidam* Epid. act. III. sc. II. 13. dixit jocans fictoque nomine eum, qui peram incidit & exenterat marsupium. Cæterum illuc pertinet *quæstio* apud Plutarchum in Sympos. VI. 7: *an* Vinum saccandum sit? Nobilis ea, neque prætervehenda medico. reperiet quippe, quæ suos transferre ad usus queat.

§ 223. *Tertia* erat, ut vino conciliarent *vel* Odorem peregrinum, *vel* Saporem peculiarem, *vel* Potestatem medicinalem. Quod vini genus hodie *Hippocraticum* nuncupamus, si *saccis* Aromata sunt addita, & *colato* Saccharum. Nostrates *sponsæ lachrymam* appellant: quia exhiberi solet venientibus gratulatum ipsi. Plinius XX. 17. de Anisо: *Saccis quoque additur*. quibus scilicet vina eliquantur. Quod addit: *Cum amaris nucibus vina commendat*: id fortean respicit morem amygdalis tritis oblinendi labra facci.

§ 224. Cæterum *varia*, quæ saccis adderentur, olim erant in usu. Florentinus Geop. VII. 37. qua de Vinis saccatis: Τὸν ὑλισθησόμενον εἰς ἅλμυρον καθ' ἑαυτὸν, ἢ εἰς θαλάττιον μὴ πότιμον ὕδατος μιχθὲν ἔμβαλε ἐπὶ β'. ἡμέρας, καὶ μὴ τοῦτο οἶνον ἀβρεχε. καὶ ὅταν χρεία αὐτοῦ ᾖ, ἐκπίεσον αὐτὸν, εἶτα τὰ χείλη ὑλισθρου ἀμυγδάλοις ἢ καρύοις τριφθεῖσι ἀλείφειε. τοῖς δὲ διηθεῖσιν οἴνοις, οἱ μὲν ἄνισον, ἢ ἀσβόλης, οἱ δὲ γύψου, ἢ ἑψήσαντες, ἢ μέλιτος, ἢ οἶνον καλοῦ τρυγὸς, ἢ ὀρόβου ἄλευρα μιγνύουσι. *Saccum in muriam seorsim, aut in marinam potabili mixtam ad biduum immitte, posteaque vino perfunde. Quum voles uti, exprime, ac mox labra sacci amygdalis aut nucibus tritis oblime. Saccatis autem vinis alii anisum, aut fuliginem, alii gypsum, aut defrutum, aut vini boni fecem, aut orobaceam farinam miscent.* Pro διηθεῖσιν οἴνοις legerim διηθημένοις οἴνοις, ut rubrica habet. Addebantur quippe hæc *vinis saccandis*, non *saccatis*: pars, ut odorem saporemve darent: pars, ut limpidiora transmitterentur.

§ 225. Hinc

§ 225. Hinc jam perceperis διηθικοὶ οἶνοι quæ dicantur Theophrasto de Caus. plant. VI. 24: ἡ αὐτὴ δ' αἰτία, inquit, καὶ τοῦ θᾶττον παρίστασθαι τοὺς διηθικοὺς (vetus, ἠθικοὺς. malim, διηθητικοὺς) τῶν οἴνων. Gaza: *Hæc eadem causa est, & quamobrem genus vini quod morale vocatum est, celerius purgetur consistatque.* Mirum est, tam absonam atque ridiculam interpretationem tolerasse, qui se *Gazæ interpretationem, cum alias autoris Græci mentem non recte exprimeret, alias obscure admodum Latine efferret, passim castigasse* scribit Lectori. Reddendum erat: *Hæcipsa causa est, quare saccata vina citius afficiant,* sensus pariter ac mentem.

§ 226. Hactenus, ni fallor, liquido satis manifestavi, quid γλεῦκος in *propria* significatione fuerit. Dico, *propria:* nam quod γλεῦκος *mustum* significet, id per translationem factum dicit eruditissimus Barthius in Advers. V. 2. Superest quæstionis, *num* id præcise heic sit intelligendum? Ratio dubitandi vero gemina se mihi offert.

§ 227. *Vna,* Quod non videtur ea quantitate potuisse haberi, quæ sufficeret multorum usui, nedum abusui. Imo vero quid non hominum industria machinatur in paranda affluentia ejus rei, quæ in pretio est, & lucrum dare potest? Polyænus Strateg: IV. Alex. 32. ex ænea columna, cui inscriptus erat catalogus eorum, quæ Persarum reges in apparatum prandii atque cœnæ consumerent quotquot diebus, memorat fuisse ibi γλεύκους ἐξ οἴνου πέντε μάριες, *gleucus è vino quinque maries.* Qualis mensura esset μάρις, jam ante dixerat: μάρις ἐστὶ δέκα χοεῖς ἀττικοί· *Maris valet decem choas Atticos.* Secundum meum vero Anonymum *Chus atticus* capiebat vini libras VIII. cum unciis IV. *Maris* itaque mensura fuit librarum LXXXIII. & unciarum IV. Demensum ergo quotidianum erat librarum CCCCXVI. & unciarum VIII. Nota vero locutionem: γλεῦκος ἐξ οἴνου. Nam γλεῦκος simpliciter dictum, expressum ex uvis mustum erat. At illud nobile, ex liquore protropo, qui proxime & quasi vinum censebatur.

§ 228. *Altera,* Quod præterea habuerint, in quibus se oblectare jejuni, & corrumpere possent. Præter enim *concinnaticia* Vina varia, varia itidem in Dulcibus erant, quæ satis illecebrarum

Unable to display this page

παύει μέθην. Xylander: *Dulcia vino admixta reprimere ebrietatem.* Non hoc dicunt Græca: sed, *Quod passum mixtum vino sedet ebrietatem.* Quibus autem in libris hoc legerit Nicæus, quis dicet? Philosophus in Probl. III. 13. habet quid tale. Quærit enim, quare, τοῦ γλυκέος ἐπιπολαστικοῦ ὄντος, ἐάν τι μεθύων ἤδη ἐπιπίῃ γλυκὺ, καταπέπτει ὁ ἐνυπάρχων οἶνος, καὶ ἧττον ἐνοχλεῖ; *quum passum fluitet, si quis ebrius jam superbibat passum, concoquatur haustum vinum, minusque infestet?* Nam & heic τὸ γλυκὺ *passum* significare, prorsus assentior Mercuriali Var. lect. I. 17: siquidem vel ad hoc problema respexit, vel ad præcedens duodecimum: quo quæritur, quare ὁ γλυκὺς, καὶ ἄκρατος, καὶ ὁ κυκεὼν μεταξὺ διαπινόμενοι ἐν τοῖς πότοις, νήφειν ποιοῦσι; *passum, idque merum, & cyceon mixta potibus, impediant ebrietatem?*

§ 233. Quod vero etiam de *passo* accipiat locum, qui est Meteor. IV. 9. non probo. imo placet judicium Lud. Septalii & Jul. Guastavinii in com. ad probl. jamjam citatum. Miror interim, quare Aristotelem maluerint argumentis à Galeno potius, quam ipsomet petitis defendere. Si quis enim verba ipsa consulit, non potest non fateri, sermonem in iis de *quolibet* Vino dulci esse. Comparat enim inter se oleum, aquam, vinum. Ἔλαιον, inquit, θυμιατόν ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἀτμιστόν. ὕδωρ δ' οὐ θυμιατὸν, ἀλλ' ἀτμιστόν. οἶνός θ', ὁ μὲν γλυκὺς, θυμιᾶται· πίων γάρ. καὶ ταυτὰ ποιεῖ τῷ ἐλαίῳ. οὔτε γὰρ ἀπὸ ψύχους πήγνυται, καίεταί τε. ἔστι δὲ ὀνόματι οἶνος· ἔργῳ δ' οὐκ ἔστιν. οὐ γὰρ οἰνώδης ὁ χυμὸς. διὸ καὶ οὐ μεθύσκει. Reddo: *Oleum exhalat, non evaporat. Aqua non exhalat, sed evaporat. Vinum, siquidem dulce sit, exhalat: nam pingue est. Eadem quippe facit cum oleo. Neque enim à frigore coit, uritur etiam. Nomine vinum est: effectu non est. Non enim vinosus ei sapor. ideo nec inebriat.*

§ 234. Si nescis, quid intersit inter *exhalare* & *evaporare*, exponet tibi Philosophus eodem capite & paulo præcedentibus ea, quæ exhibuimus. *Vinosus* sapor *suavis* est, non *dulcis*. Quorum discrimen & Plutarchus heic & Macrobius laudato loco edisserunt accuratius. ubi vide, si libet.

§ 235. Cæterum, τὸ γλυκὺς non *absolute* in verbis Philosophi poni, sed *relative*, consentit mihi Alex. Aphrodiseus in com. p. 138.

138. l. 17. λέγει δὲ καὶ τὸν οἶνον, τὸν μὲν γλυκὺν, ἀναθυμιᾶσθαι. *Dicit autem vinorum dulce quidem, exhalare.* Grammaticus sic integre hoc efferret: *Ex numero vinorum, vinum dulce quidem exhalat.* consule Vossium de Arte grammat. VII. 10. confer ad Hippocratem l. de Affect. t. XLIV. ubi similem loquendi modum offendes. Sed ne quidem *absolute* cum ponitur ὁ γλυκὺς, præter *passum* aliud non significat, ceu ostendimus § 87. Denique, *vinum protropum* Plinii (quod & agnoscit heic Mercurialis & urget maxime) cui appellatum *dulce*, neque fuerit dicit, neque dicere potuit.

§ 236. Porro aliud, quam *passum*, Aristænetum non intellexisse, argumento etiam est, quod protinus sequitur præceptum nonnullorum medicorum, quos ait *consulere ebriis, ut dormituri panem melli intinctum edant.* Facultates enim si compares, Passo nihil melli vicinius est.

§ 237. Præceptum ipsum quod attinet, ejus forte rationem intellexeris ex ejusdem Philosophi Probl. III. 35. ubi quærenti, *Cur oleum contra ebrietatem valeat?* respondet: *Quia urinas ciet & laxat viam potui.* Ejusdem quoque potestatis esse mel, testantur Dioscorides II. 101: & Galenus de Comp. κ. τόπ. VIII. 8. ut & alibi, aliique.

§ 238. Quod si *passum* Vino intermixtum, aut *melli* buccea panis intincta resistat ebrietati, conjicere licet etiam alia eam *dulcia* arcere. Quod & revera comperiuntur, quotquot *saccharo* dulcatum bibunt. Belle itidem procedit *argumentatio* Aristæneti, quam subjicit. εἴπ ἔν αἱ γλυκύτητες ἀμβλώσιν ἄκρατον, εἰκότως ὁ νέος οἶνος ὁ μεθύσκειν πρὶν ἂν ἡ γλυκύτης μεταβάλῃ· *Siquidem igitur dulcia hebetant merum, verisimile est mustum non inebriare priusquam dulcedo abierit,* hoc est, in vinum transierit.

§ 239. Neque potest aliter esse, si consideres illud Hippocratis l. de Affect. t. XLIX: τὰ γλυκέα, ὑγρασίλυ μὲν καὶ φλέγμα παρέχει. *Dulcia aquam atque pituitam faciunt*: hoc est, augent in corpore non modo *aqueum* illud, quod, ut recte Foësius in Oecon. notat, pars potior sudorum est; sed & *pituitam*, quæ ψυχρότατος τῇ φύσει *frigidissima naturâ* dicitur I. de Morb. t. XXII. & l. de Nat. hom. t. XII. His vero auctis in corpore segnitiem oboriri, torporem-

poremque neceſſe eſt. Ita enim eſt in ſtatu etiam ſanitatis, uti ſcribit Hippocrates l. de Morb. ſacro t. VIII. ὁκόταν τὸ φλέγμα ψυχρὸν ξυμβαρῇ εἰς τὸ αἷμα, θερμὸν ἐὸν, ξυμψύχῃ καὶ ἵστησι τὸ αἷμα· *Quum pituita*, quæ *frigida* eſt, *conſluxerit in ſanguinem*, *qui calidus eſt*, *refrigerat & ſiſtit ſanguinem.*

§ 240. Atque hæc jam cauſa eſt ejus, quod Hippocrates de Vict. acut. III. 2. dicit: ὁ μὲν γλυκὺς [οἶνος] ἧσσόν ἐστι καρηβαρικώτερος τοῦ οἰνώδεος, καὶ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος· *Dulce vinum minus inebriat quam vinoſum*, *minuſque mentem ferit.* Suidas: καρηβαρεία· ἡ μέθη· Iterum: καρηβαρῶν· τῷ κεφαλιῷ καρώμενος ἐξ οἴνου. Heſychius: καρηβαρεῖ· βαρυύεται κεφαλῇ· ἐξ οἴνου μεθύει. Vino qui inebriantur, his caput raro non gravatur. Cauſa gravedinis eſt fervor ſanguinis. Sanguis, qui fervet, tumet & urget. Tumet, propter vaporem: urget, propter æſtum. Æſtum vero vaporemque plurimum intra ſe concipere ebrios nimio certius eſt. Tumeſcens ſanguis magis magiſque vaſa implet & diſtendit. Dum vero vi majore impellitur in anguſta vaſorum & inſtat tranſire ex arteriis in venas, ipſe ſibi tranſitum facit uſque & uſque difficiliorem. Inde altius altiuſque ſtagnat in viſceribus. Ea ſtagnatio atque diſtenſio cum accidunt arteriis inter duræ matris meninges diſcurſantibus, omnino has neceſſe eſt à ſe quodammodo divelli, & dolere ob hanc quaſi-divulſionem. confer quæ in ſimili caſu ſcripſi ad Ariſtippum IV. 24.

§ 241. Inquies: Si *iſta* Cauſa gravedinis eſt, ſi *iſta* Pars affecta eſt, quare *gravativus* dolor, non acutus eſt? cum membranarum proprius dolor ſit acutus? *Non* dicam, quiſquis hoc noviſti, noviſſe etiam *diſcrimen* quod in dolendo evenit membranarum craſſioribus & tenuioribus, carnoſioribus & excarnibus. *Potior* ratio eſt in ſtupore ſpiritus. Nam & *calidum* frequentiore uſu, aut immoderatiore invehit νάρκωσιν γνώμης *torporem mentis*, Aph. V. 16. *Stupet* autem *ſpiritus* multis de cauſis. *Quia* vaporum multitudine disjungitur obruiturque. *Quia* ſuccenditur plus juſto, nec refrigeratur ſatis. At in temperato Senſus melior: ut Motus in fervido fortior. *Quia* denique diſſipatur. cui atteſtatur vel inprimis νεύρων ἀκρασία *nervorum impotentia.* Οἱ γὰρ μεθύοντες

(inquit Etymologici magni auctor in μέθη) ἀκίνητοί εἰσι μέχρις ἂν ἀπομεθυσθῶσιν· *Ebrii enim, donec exhalarint crapulam, dubii stantque labantque pedes*, ut è Poetæ Fast. VI. 676, mihi sic liceat παραφράζειν illud ἀκίνητοί εἰσι. Neque enim *immobiles* ebrii, nisi soporati, sunt. Hinc, quia

Pedes captat primum, luctator dolosus

Vinum dicitur in Pseudolo act. v. sc. 1. 6. *Vtriusque* imaginem videris in disticho, quod Magno hujus Academiæ lumini olim, cum aspersior flore Liberi non satis per plateam gressus firmaret, excidisse sæpius ex patre & patruo HERBERTO, studiorum tunc causa heic commorantibus intellexi. Ipsi versus ingeniosi sunt.

Sta pes. sta mi pes. sta pes. ne labere mi pes.
Sta pes: aut lapides hi tibi lectus erunt.

§ 242. Cæterum, quæ supra dixi de gravitate capitis, ea tibi poterunt in commentarium esse eorum, quæ de eadem scribit Hippocrates l. de Flat. XIII. 140. πόνοι τῆς κεφαλῆς ἅμα τῷ πυρετῷ γίνονται, διὰ τόδε. στενοχωρίη τῆσι διεξόδοισιν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ αἵματος γίνεται. πεπλήρωνται γὰρ ἠέρος. πλησθεῖσαι δὲ καὶ πρησθεῖσαι, τὸν πόνον ἐμποιέουσι ἐν τῇ κεφαλῇ. βίᾳ γὰρ τὸ αἷμα βιαζόμενον διὰ στενῆς ὁδοῦ θερμὸν ἐὸν, οὐ δύναται περαιοῦσθαι ταχέως. πολλὰ γὰρ ἐμποδών ἐστιν αὐτῷ κωλύματα καὶ ἐμφράγματα. *Dolores capitis una cum febre fiunt hac de causa. Angustantur viæ qua transit in capite sanguis. Implentur enim aere. Impletæ vero & inflatæ, dolorem efficiunt in capite. Vinamque sanguis coactus per angustam viam, cum sit calidus, non potest transire celeriter. Multa enim ei impedimento sunt obstacula atque obturamenta.* Non debet autem te offendere, quod quæ sunt ex ebrietate, comparem his quæ sunt ex febri. Etenim si recte putes, ebrietas est febris diaria. Quo magis cavendum est, ut ne *sine mensura bibatur vinum, quod cum mensura emitur*, ut sapienter monet Petr. Chrysologus serm. CLXXIV. p. 433. D.

§ 243. Causam *tertiam*, quare Mustum non inebriet, Aristoteli acceptum Plutarchus refert. Eam minoris facit, quod sit obvia & facilis intellectu. Est autem βαρύτης τοῦ γλεύκους, ἡ διακόπτουσα τὴν κοιλίαν, *gravitas musti, interpellans alvum.* Quid hoc sit, intellexeris ex Hippocrate iterum II. de Diæt. XIII. 234.

Γλεῦκος,

γλεῦκος, φυσᾶ μὲν, ὅτι θερμαίνει· ὑπάγει δὲ ἐκ τοῦ σώματος, ὅτι καθαίρει· ταράσσει δὲ, ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ, καὶ διαχωρέει. *Mustum inflat, quia calefacit: subducit è corpore, quia purgat: turbat denique, fervens in ventre, & secedit.* Hoc si non facit, facile est, ut lienosis præsertim, faciat aquam intercutem. Qua de adisis ad eumdem l. de Affect. int. t. XXVIII. & Io. Martinum ibi sent. XXVI. 6.

§ 244. Unde autem musto ea *gravitas* sit, docet Philosophus Meteorolog. IV. 10. *Quia novum vinum plus terræ habet, quam vetus.* Sed id unde constat? *Quia & incrassatur calido maxime, & cogitur minus à frigido.* Incrassari vero à calore probat exemplo cujusdam Arcadici vini, quod οὕτως ἀναξηραίνεται ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὥστε ξυόμενος πίνεσθαι, *ita exiccatur à fumo in utribus,* insensibiliter transpirante humido, *ut rasum bibatur:* certo argumento, habere plurimum terreni. *Fumo* autem excoquere & condire vina familiare fuit priscis. vide sis ad Andr. Baccium. Hist. vinor. I. 16.

§ 245. Non arbitror fore, qui ex Olympiodori com. ad Meteorolog. IV. 34. opponat: τὸ γλεῦκος καθὸ μὲν γλεῦκος, λεπτότατόν ἐστιν· *Mustum, qua mustum, tenuissimum est.* Neque enim contradictoria sunt, dilutu tenuissimum esse, &, habere plurimum limosi. Hoc certe, διὰ τὸ μὴ εἶναι εὔπεπτον *propterea quod nequeat concoqui,* uti Philosophus ait in Probl. I. 48; idcirco causa *purgationis* est, quam Natura gravata illo pondere & inritata molitur ad præcautionem mali majoris.

§ 246. *Quarta* seu *ultima* cujus sit, non dicitur. Est autem hæc: *quod musto insit plurimum flatulenti atque aquosi.* Illud scilicet, à *pressura*: hoc, à *natura.* Uti vero illud *cito* digeritur: ita *hoc* non nisi fervore & ætate. A *quibus* priusquam digeratur, obtundit vinum & impedit, quo ne queat suam vim ostentare. Hic enim sensus verborum est. Quæ cum mendose admodum edantur (quod & Parisina bis indicat appositis asteriscis) operæ fuerit emendasse. Lege igitur: καὶ τὸ πολὺ συμμένειν πνευματῶδες καὶ ὑδατῶδες. ὧν τὸ μὲν εὐθὺς ἐκπίπτει βιαζόμενον· τὸ δὲ πέφυκε, τὸ ὑδατῶδες, ἀμβλύτερον ποιεῖν τοῦ οἴνου παλαίωσις· καὶ ἐπίτασιν λαμβάνει, ἐκκρινομένου τοῦ ὑδατώδους. καὶ γίνεται μέτρῳ μὲν ἐλάττων ὁ οἶ-

νος, δυνάμει δὲ σφοδρότερος. Redde: *tum quod multum* muſto *inſit flatulenti atque aquoſi. Quorum alterum quidem ſtatim evolat, vi facta: alterum vero (aquoſum nempe) hebetare ſolet vini vim. & vires* vinum *accipit, quum excernitur aquoſum. Et ſit menſura quidem minus vinum, at poteſtate potentius.*

§ 247. Atque ex iſtis vel ſolis rationibus omnino conſtat, *muſtum* inebriando non eſſe. Quibus etiam tenentur reſpondere, qui *aigleuces* ſupponunt. Quod optimis rationibus quoque oſtendi poteſt minus aptum fuiſſe ad reddendum ebrios, ſi qui biberent. nam veniſſe in potum, nemo docet. Quin perſuadeo mihi condiendis potius vinis adhibitum, prorſus ut hodie illud *aigleuces* ſive *ſemper-muſtum*, cujus faciebam mentionem.

§ 248. Quæ quidem placere haut facile ulli queunt, quin cogatur fateri, γλεῦκος quod deſignatur, vere *illud* fuiſſe, quod non modo *vinum* eſſet, ſed vere *flos vini* ſeu optimum uvarum; quodque ſe excellenti cum ſuavitate tum ſalubritate inſinuaret in palatum & deſiderium bibentium; quodque ſatis idoneum quoque deprehenderetur ad feriendam mentem iis, qui & jejuni biberent, & bibendo modum nonnihil excederent. Hujus teſtem habemus Hedylum in Epigrammatis:

Ἡνλῇ δὴ γλεύκεος μεμεθυσμένα παίγνια Μουσέων
Ebria cantabat Muſarum ludicra gleucu.

Is. Caſaubonus Animadv. in Athen. IV. 24: *aut omnia me fallunt, aut veriſſime ita emendamus. nam γλαύκης ineptum eſt multis modis, noſtrum γλεύκεος plane confirmat vox μεμεθυσμένα.* Non eſt dubium, conſentiente præſertim mſs. Non conſentio tamen exponenti τὸ γλεῦκος *muſtum.*

§ 249. Etiamſi vero hæc ratio, ex ipſa rei natura deſumta oſtenſaque, merito debebat ſufficere iis, qui nullum pro ſua ſententia conſtabilienda adferunt momentum: momentoſam tamen addo aliam. Non poſſumus non credere, Spiritum S. optime noviſſe & *genus* & *nomen* Potionis, quam & innuebant Irriſores iſti, & bibebant jejuni, ſive valetudinis cauſa, ſive delitiarum. Si ita eſt, quæ cauſa eſt, cur non ſuo *nomine*, eoque publice noto nominaverit rem notiſſimam? Talem quippe nominare

Irriſores

Irrisores adstantibus erat necesse, nisi ipsi vellent irrisui esse. Dicere enim, ebrium quem esse ex eo, ex quo inebriari nemo solet aut potest, non est calumniantis. Ipsus enim novit, ejuscemodi tela ferire aures, non animos, nec hærere posse, aut nocere ei, in quem jaciuntur. Fidem mendacium ut inveniat, oportet sit simile vero. Irrisores itaque si scapham scapham dixerunt (qui mos est maledicorum) quidni Spir. Sanctus scriptori sacro rem gemino vulgatoque nomine dictaverit?

§ 250. Quod vero illud virus erat, quod in S. Apostolos evomebant Judæi irrisores? Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Jeremias Propheta consideratione malorum, quæ imminebant Prophetis & Sacerdotibus hypocritis, ita se conturbatum ait XXIII. 9, ut esset ὡς ἄνθρωπος συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου, *tamquam vir qui agitatus à vino*, non potest se continere, quin loquatur & operta recludat. Fusius hoc Eratosthenes apud Stobæum Serm. XLIV. 3:

Οἰνός τε πυρὶ ἶσον ἔχει μένος· οὔ τ' ἄν ἐς ἄνδρα
Ἔλθῃ, κυμαίνει δ' οἷα λίβυσσαν ἅλα
Βορρῆς ἠὲ νότος· τὰ δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει
Βυσσόθεν ἐν δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐπιναίει νόον.

Vis eadem vino & flammæ. Vini ignis inerrans
Pectoribus, Libycum ceu mare circumagit,
Quod Notus aut Boreas jactatis commovet alis,
Et finit in toto corde latere nihil.

§ 251. Hesychius: Μεμεστωμένοι, πεπληρωμένοι. Cyrilli lexicon: Μεμεστωμένος, *Fartus, Confertus.* Iterum: Μεστὸν, *Cumulatum.* Μεστός, *Onustus.* Belgæ dicerent: *opgepropt vol, overladen van wijn, overstalligh droncken.*

§ 252. Cl. Heinsius: *Quia autem creber usus* τοῦ γλεύκους *delicatioribus ac mollibus placebat, aut reddebat tales, eo qui uterentur,* γλευκίσαι *dicebantur. Hesychius:* Γλευκίσας, ὑπὸ τοῦ γλεύκους γλυκόμενος ἐκλυθεὶς καὶ παρειμένος, ἢ ἀπὸ τοῦ οἴνου. *Scribe,* ἢ ἀτονῶν. Imo scribe, ut libri edunt, etiam Phavorini, qui verbotenus sua solet ex illo describere: ἢ παρειμένος ἀπὸ τοῦ οἴνου. Grammatici enim volunt ita appellari non modo eum, qui speciatim hoc vini genere, sed & quovis alio sit solutus atque effeminatus.

§ 253. Fœdum crimen & gentibus ipsis abominatum. Fœdius vero, si luce committeretur, etiamsi à servo. Plautus Pseudolo act. v. sc. II. 6:

SI. *Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius irructas?*

PS. *Molliter siste nunc me, cave ne cadam: non vides me ut madide madeam?*

SI. *Quæ isthæc audacia est, ac si interdius cum corolla ebrium incedere?* PS. *lubet.*

Neroni dat vitio Tacitus in Annal. XIV. 1, quod *medio diei per vinum & epulas incalesceret.* adeo turpe erat de die potare.

§ 254. Proinde veteres serio cavebant ebrietatem hoc tempore. Accius, poeta vetus:

Nemo umquam vidit ebrium ire interdiu.

Eapropter de vespere convivabantur, ut noctu essent ebrii. quem morem atro carbone notat etiam Apostolus 1. Thessal. v. 7. Scilicet nocturnam pro ebrietate seu vitio non habebant. Quæ Satanæ persuasio utinam non audiretur ab iis etiam, qui nominant nomen Christi, & quos omnino ab omni injustitia oportet recedere, II. Tim. II. 19: & meminisse, omnia esse nuda & patentia oculis ejus quicum nobis est negotium, Hebr. IV. 13. Psal. XXXIII. 13. 14. CXXXIX. 2. 3. 8. 12. confer & Diphili quæ citat Clemens Alexandrinus Strom. v. p. 606. B.

§ 255. Etiam ulterius provehebantur Gentiles (scilicet ut intelligas dictum Apostolo Rom. I. 24.) & tantum non laudabant *ebrietatem*, modo *intempestiva* esset. prorsus ut Lacædemonii furtum, teste Agellio XI. 18, aliisque. De *ebrietate* Quinctilianus Declamat. CCCXXXI: *nec ebrietatem facit illa potio, post quam concidendum est; sed tempestivum convivium, & aviditas nimia.* Dicebantur *tempestive* epulari & convivari, qui præveniebant horam diei nonam, quæ erat cœnæ ordinaria. vide Lipsium Excurs. ad XIV. Annal. A. Discas vero licet inde, fugisse diurnam ebrietatem non amore virtutis, non valetudinis: sed ne existimationis suæ jacturam facerent apud populum. Rari quippe à conviviis surgebant non ebrii. Nolebant igitur videri redeuntes, & titubantes, & fieri *spectacula vulgi*, uti Naso ait Fast. III. 539.

§ 256. Istis

§ 256. Istis fœdius crimen erat ante diem medium deprehendi in vino. Sero hæc lues Romanos invasit, Israelitas multis ante seculis. De *illis* Seneca Epist. cxxiii: *Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt. Post prandium aut cœnam bibere vulgare est. Hoc patres familiæ rustici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos. Illa ebrietas juvat, quæ in vacunm venit.* Apparet sic rem pessimam detestari tamquam recentis moris. Id vero clarius elucescit ex Plutarchi Sympos. viii. 9: οὐδὲ γὰρ ὕδωρ οἱ παλαιοὶ πρὶν ἐντραγεῖν ἔπινον. οἱ δὲ νῦν ἄσιτοι προμεθυσθέντες, ἅπτονται τῆς τροφῆς διαβρόχῳ τῷ σώματι καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ τομὰ καὶ ὀξέα προσφέροντες, ὑπέκκαυμα τῆς ὀρέξεως, εἶτα οὕτως ἐμφερόμενοι τῶν ἄλλων. hoc est: *Ne quidem aquam Veteres bibebant, antequam cibum sumsissent. Nunc vero ante cibum sumtum inebriati, accipiunt illum madido corpore & fervente: tenuiaque & acria atque acuta, succendiculum appetitus ingerentes, sic demum feruntur ad alia.* De *antiquis* quod ait, id vel de Plauti ævo prioribus intelligendum est, vel de ejus ævi frugalioribus. Quam bene enim jam tum Plutarchi seculo græcari didicerint Romani, obvium est vel in nostri monumentis.

§ 257. De *Israelitis* quod dixi, dilucet ex Propheta Jesaia v. 11. ubi queritur & denunciat *Væ surgentibus summo mane, ut sectentur potum inebriantem, & prorogantibus usque ad crepusculum, donec vinum incendat ipsos.* Hoc turpissimo more & quem ne nominari quidem oportuit inter eos, qui se gloriabantur Dei populum, nitebatur verisimilitudo atrocis illius calumniæ, qua non tam innocentiam atque famam sanctorum hominum homines impurissimi lacerabant, quam præsentem Spiritum Sanctum dæmones incarnati incessebant.

§ 258. Profecto, si fuisset prorsus *inusitatum*, Merum bibere jejunis, quæ demum impudentia vel ausa fuisset sine ulla specie veri tantum & tam splendidum mendacium coram tot testibus eructare, vel non metuere redargutionem publicam? Gentes ipsæ

ipsæ norant, nulla se injuria magis lædi, quam si quis mendacium sibi diceret, teste Demosthene de Falsa legat. p. m. 321. E. Unde Cicero de Offic. III. 20. ait, *non cadere in virum bonum mentiri, aut criminari.* Nec dubium voluisse, qui id dicebant, Judæos videri viri boni. qua specie non semel ipsum Dominum adire & aggredi consueverant. Fateor ita esse, ut Quinctilianus Declamat. XI. ait: *nullus innocens huc usque felix est, ut diligentiæ fingentium par sit.* Sed & hoc me Tragicus Troad. v. 167. docuit:

Majora veris monstra vix capiunt fidem.

Cujuscemodi certe hoc fuisset, si nihil ejus populo innotuisset ante id temporis.

§ 259. Quibus de causis uti non dubito invaluisse tunc temporis illum mane bibendi & vinum in vacuum admittendi morem pessimum atque inimicissimum cum naturæ tum moribus bonis: ita valde suspicor, quod hæc non effuderint infandi homines, nisi ipsi ἄλις βεβαρηότες οἴνῳ *satis onusti vino*, uti loquitur Apollinaris in Psalmo ξή. Extremum vero infortunium est homini sobrio, ebriorum esse ludibrium.

§ 260. Atque hactenus expendimus *argumentum*, quod servire sibi scurræ isti voluerunt ad improperandum convicium hoc ignominiosum, quod audivimus, mortaliũ sanctissimis. Superest: ut paucis consideremus quoque *modum*, quo id ipsum objectabant. Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες ἔλεγον· *Alii vero subsannantes dicebant.*

§ 261. Inquit, *alii*: quia erant qui in stuporem atque in admirationem dati hæsitabant, quid judicare deberent de eo, quod homines Galilæos illiteratos & idiotas (Act. IV. 13.) audirent tot linguis loqui τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnalia Dei*, ut reddit Interpres vetus. Cujus translationem perperam mutari vel hoc ostendit, quod efficacius designet quod debet, quam quæ reponitur vox *magnifica*. At non est illa Latinitatis purioris? Non sit, recepta tamen usu, & ab egregiis atque antiquis Ecclesiæ scriptoribus civitate donata. Onomasticon vetus, cui nemo non doctus tribuit plurimum: *Magnalia*, μεγαλεῖα. Tertullianus ad Uxor. II. 7: *Sensit magnalia, vidit experimenta.* Epicorum auctor adv. Marcionem I. 54:

Dat

Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus.

Iterum III. 54:

Armatus virtute Dei magnalia gesit.

§ 262. Græcum etiam in D. Virginis Cantico reperitur Lucæ I. 49: ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατός· *fecit mihi magnalia ille Potens*, h.e. fidem, misericordiam, potentiam suam declaravit in me. *Fidem:* adimplendo promissum Gen. III. 15. & specialius Jes. VII. 14. *Misericordiam*: respiciendo ad se *humilem ancillam suam*, hoc est, hominem & conditionis abjectæ in oculis hominum. compara II. Sam. VII. 12. 18. 19. *Potentiam* denique: inumbrando se virtute sua & imprægnando Virginem superventu Spiritus sui, Lucæ I. 35.

§ 263. Quemadmodum vero *isti* attoniti præstolabantur, quò tandem evaderent miracula, quæ stupebant: ita *alii* non itidem silentio illa transmittebant, sed aperta sanna excipiebant, hoc est, contemnebant ignominioso ludibrio & condemnabant impudentissimo mendacio. *Mendacium* quippe, quod audivimus, χλευάζοντες ἔλεγον *subsannantes dicebant* & irructabant Apostolis in os & addita sanna seu gestu petulante reddebant probrosius.

§ 264. Ut hæc propius intelligamus, observandum est, *irridendi* modum esse triplicem: *unum*, qui Verbis: *alterum*, qui Gestibus: *tertium*, qui fit Utrisque.

§ 265. Irrisio quæ *verbis* fit, quædam modestior est, alia dicacior. *Modestior* est: quæ verum dicit, sed ita, ut *expectationibus*, inquit Cicero in Orat. II. p. m. 425, *decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipsarum ridicule indicandis, & similitudine turpioris, & dissimulatione, & subabsurda dicendo, & stulta reprehendendo, risus moveantur.* Huic locus in *facetiis* est datus. sed quæ dedecent reverapium: neq; enim expertes sunt mali. à cujus etiam specie abstinere nos jubemur I. Thess. V. 22. Interea sæpe cogimur illo modo tentare emendationem ejus, qui se non patitur aperte moneri. *Probi* votum est & verbum probum: *Tundat me Iustus; gratia est: & redarguat me; unguentum capitis*: Psalm. CXLI. 5. De *improbis* scriptum est: *Qui erudit derisorem, recipit sibi ignominiam; qui corripit improbum*, parat *convitium sibi*: Prov. IX. 7. Quare *ne corripito*

irrisorem, quo ne odio prosequatur te: potius *corripe sapientem, & amabit te*: ibidem vers. 8.

§ 266. *Dicacior* irrisio est, quæ, ut acrius mordeat, speciem sæpe convitiantis subit. Hæc *tracundi* est, aut *maligni*. Etiam deterioris commatis *cavillatio* est: genus facetiæ (scilicet!) quod fit mentiendo. In foro *cavillari* proprie dicitur patronus imperitus, qui, quum vere clienti suo cavere non possit, comminiscitur tamen aliquid & se simulat prospicere illi ne decipiatur, quum revera nihil agat, nisi ut circumveniat judicem, aut hoc si non succedat, fallat clientem. vide l. quid enim, 1. ff. de reg. Caton. l. natura 177. ff. de verb. signif. l. 12. § 3. C. de ædific. privat. quibus vice commentarii adde Scaligeri Castigationes ad Festum, ibi. Unde recte Valla ait in Elegant. VI. 49, *cavillationem* esse subdolam rationem, quam quis mendacii sibi conscius licet, vincendi tamen causa profert. Ea *boni* habet speciem. *Mali* vero, etiam aperte, quæ mendacium fingit in opprobrium. Philoxenus glossis: *Cavillatio*, κακοήθεια, εἰρωνεία, ἐνέδρα, ἀπάτη, παρεγχείρησις. Sane prægnans vitium & quo vix aliud hominem dedecet magis.

§ 267. *Maligna* irrisio est, quando quis alteri *mendacium* improperat *verbis* non tantum *acutis* & quæ sicarum instar transfodiant cor ejus, quem feriunt; verumetiam *probrosis*, hoc est, objectantibus crimen infame, horrendum, ingens, idque tam impudenter, tam vafre, tam callide, ut facile hæreat animis præsentium & imprudentiorum.

§ 268. Irrisio, quæ *gestibus* fit, Latinis *sanna*, Græcis χλεύη & μῶκος dicitur. Onomasticon: *Sanna*, χλεύη. Cyrilli Lexicon Græcolat. vetus: χλεύη, *Inlusorium, Ludibrium*. Iterum: Χλευάζω, *Seduco, Increpo, Derideo*. Revera *simul* ista facit subsannator. Mendacio *seducit* adstantes, saltem seducere tentat. Vitii accusatione *increpat*, hoc est, cum clamore convitiatur & maledicit, quem arguit. Plenis denique buccis *deridet* ipsum ceu indignum qui probos inter & honestos versetur. Invenio pro *subsannatore* Latinos etiam *gannatorem* dixisse. Philoxeni glossæ: *Gannator*, χλευαστής. Itidem: *Gannat*, χλευάζει.

§ 269. Ea-

§ 269. Eadem notione vox μῶκ@ ponitur: quamquam & pro *subsannatore* ponatur. Cyrilli lexicon: Μῶκ@, *hæc Sanna*. Philoxeni glossæ: *Sanna*, *Subsannator*, Μῶκ@. Ubi vides *utramque* significationem conjungi. Atenimvero, aut fallor, aut hæc accentu olim fuere discriminata. Quare legerim: *Sanna*, Μῶκ@. *Subsannator*, Μωκός. Diserte sic Etymologici auctor: Μωκὸς, χλεύασις, μωρὸς, σκώπτης. Stephanus etiam, oxytonως se in veteri suo lexico reperisse scriptum testatur. Quare non vereor hinc emendare Grammaticos, Hesychium, Phavorinum, Suidam: & ubicumque demum de *persona* dicitur, accentum retrahere ad ultimam; relicto, ubi *rem* significat. A μῶκ@ est μωκᾶσθ. & hinc haut dubie Galli habent suum *mocquer*: quod & ipsis significat *subsannare* seu contumeliose irridere.

§ 270. Definitore autem Simplicio ad Epictetum, μῶκός ἐστιν ὁ μυκτηρισμὸς καὶ ὁ διὰ τοῦ σχήματος ὀνειδισμός. *Sanna est derisio cum certo gestu, contemtus indice.* Hic *gestus* pro cujusque lascivia & fuit olim & est hodieque multiplex. Commode retuleris ad duo genera. Sunt enim *irrisorii*, ut dentium anteriorum monstratio, oris & labiorum in alterum latus distortio, & si quis præterea talis est nequitiæ ostentus.

§ 271. Sunt etiam, & his nequiores, *obscœni*. Apex omnium est, ostensio partium, quas ut honeste nominare non licet, ita nudari natura sine pudore non sinit. Hac contumelia miles Romanus universos publice Judæos affecit, idque die quarta Paschatis, festorum primi & maxime solemnis, & quidem stans supra porticum templi. Memorat Josephus Antiq. Judaic. xx. 4. Quod ipsis evenisse ne dubites citra singulare Dei judicium. Apud quem justum est reddere, ut afflictionem affligentibus, II. Thess. I. 6: ita & irrisionem irrisoribus, Psalm. CIX. 17.

§ 272. *Vsitatiores* sunt & fuerunt semper modi isti, quos adfert Persius Satyra I. 58:

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum.

Quos modos etiam Hieronymus in Epist. ad Rusticum monachum,

chum, sed aliter, exprimit. *Ne credas laudatoribus tuis: imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes: qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint: si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari: aut manu auriculas agitari asini: aut æstuantem canis protendi linguam.* Quæ sannæ quam turpes sint, ut liqueat magis, dicemus de singulis aliquid.

§ 273. *Primus* sannæ modus est, quæ *ciconia* dicitur. Fit indice digito in eum directo quem ridebant, & crebra ejusdem curvati motitatione, atque sic ad imitationem ciconiæ rostro pinsentis. ita eruditissimus Casaubonus ad Persium. Dicitur autem *pinsere*, quoties, ut Ovidius Metamorph. VI. 97. canit,

Ipsa sibi plaudit crepitante ciconia rostro.

Unde & *crotalistria* dicta Petronio fuit in Satyrico cap. XXXVII. quod rostri collisu sonum ceu *crotalo* efficiat. quo de adisis Turnebum Adverss. VIII. 18. & Salmasii Notas in Vopiscum p. 492. c. & Georg. Erhardi Symbolas in Petronium h. l.

§ 274. Cæterum quod *pinsere* dicatur tunc, transumtum est non à sono, sed motu quo sonum edit. Uti enim is creber est & concitatus: ita qui aut adulatores à tergo aut contemtores ante oculos hoc modo illudunt, crebro, quem intendunt atque incurvant, digitum motitant, prorsus ut *pinsentes*, hoc est, tundentes far aut subigentes farinam frequenti agitatione vel comminuun vel dant in massam. Quo facto an significare volunt, dignos esset qui in pistrinum tradantur, ceu inutiles rebus momenti gerendis & solum aptos negotiis operosis & corpus fatigantibus viresque ejus requirentibus tantum?

§ 275. Illius *ciconiæ* etiam Hieronymus meminit præf. in Sophoniam Prophetam, ubi cum respondendum videretur his qui se irridendum existimabant, quod omissis viris ad feminas scriberet potissimum, ait: *si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, & Deboram hostes Israel, Barach timente superasse, numquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam.* Ergone hac sanna *effeminatum* significare voluerunt?

§ 276. Itali hodie digitorum *impudico* quidem protenso, indice vero & annulari sic juxta complicatis ut extent primi nodi, pollice

pollice autem minimoque abſconditis *ciconiam* faciunt, Sodomitam quoties indigitare, aut Androgynon volunt: an & ſignificare *ciconia* dignum. Ita vero appellant βασάνου ſeu *gabuli* genus, ex quo unus tantum poteſt ſuſpendi. vide Georg. Pachymerium Mechanic. XII. 16.

§ 277. Niſi fallor, *ciconiam pinſere* Græcis erat τὸ σιφνιάζειν. Heſychius enim exponit καταδακτυλίζειν. addens: διαβέβληνται γὰρ οἱ σίφνιοι ὡς παιδικοῖς χρώμενοι. σιφνιάσαι οὖν τὸ σκιμαλίσαι. De hoc videri poſſunt ad Rob. Conſtantini Lexicon, quæ conjecturam noſtram confirmant. Alio tendit Eraſmus in Adagio, σιφνιάζειν: ut & Hadr. Junius in Adagiis, ad illud, *Siphnia arrha.*

§ 278. *Altera* ſannæ ſpecies eſt *auricularum affixio.* Qua de Caſaubonus: *quos eſſe aſinos ſignificare volebant, oppoſito temporibus pollice, & manu commota ſannam eis faciebant. Ratio autem eſt, quia ſolus fere ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles: aſinus contra maxime mobiles.* Addit mox: *huic ſannæ affine eſſe, quod ad contemtum rei alicujus declarandum, caput movebant, quia aliter non poterant.* Vocat in teſtimonium Galeni illud l. de Diff. pulſ. II. 3: ἐπὶ τούτοις ὁ γέρων ὥσπερ ὄνος ἔσειεν ἤδη τὰ ὦτα· *his auditis ſenex inſtar aſini movere cœpit aures.* Non ut illuderet Galeno, ſed applauderet potius. Ex ſequentibus enim liquet, voluiſſe ſenem, quamvis eorum, quæ diceret Galenus, revera nihil intelligeret, tamen perinde quaſi nihil non intelligeret & probaret, ita hoc nutu alludere. Eſt enim aſino naturale, ſubinde movere auriculas; quaſi ſignificet ſe jam intelligere, cum nihil etiam audierit. A noſtra heic mente ſtat Eraſmus in Adagio, *Aſinus ad lyram.*

§ 279. Revera autem huic ſannæ *affinis* eſt illa, qua pollice & minoribus digitis complicatis & fronti admotis, duo reliqui eriguntur divaricati velut in furcam. *cornua* vocant. Hac ſanna ſanniones illudunt, cui ſua conjux illudit.

§ 280. In foro *furcam* appellant homines nefarii & nullo jure alios in jus vocantes & ab aliis ſumma injuria ſe vocari volentes, ſemperque hoc omni in lite omni vafritie agentes, ut Judex cogatur ſe admittere ad juramentum ſive judiciale ſive ſuppletivum aut neceſſarium JCtis dictum. Quo rem adducere ſi queunt,

victoriam in furca gerunt ſceleſtiſſimi homines & innocentium in oppreſſionem nati. His quia *idem* eſt jurare & ludere lingua digitiſque, jactare illud Euripidis ſolent, quod eſt Hippolyto verſu 611:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος·
Iuravi lingua, mentem injuratam gero.

ita enim Cicero vertit lib. de Offic. III. 29. Pia eſt in hanc rem & ſerio audienda admonitio Poetæ cujuſdam Chriſtiani apud Hincmarum Remenſem Archiepiſc. in l. Hlotharii regis & Tetbergæ reginæ divortio, exhibitum in Bibliotheca Patrum tom. IX. p. 179.

At ſi jurandi te cauſa perurget & arctat,
Id puris verbis, id gere mente pia.
Nec verbi arte putes te fallere poſſe Tonantem,
Cui nihil abſtruſum eſt, cui tua corda patent.
Qui non ut juras, ſed ut is juraſſe putavit,
Cui juras, audit: ſicque es utrique reus:
Nempe Deo, in vanum cujus vis ſumere nomen;
Et ſocio, quem atra fallere fraude paras.

Certe ita eſt, ut Iſidorus ait in II. de Summo bono: *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ſic illud accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Sed in viam.

§ 281. *Vltimus* ſannæ modus eſt, *linguam exertare* ad alicujus contumeliam. Qui mos unde ſit deſumtus, nemo ignorat. Feſſorum *canum* eſt, cum ſole fervente & fervida præſertim regione (qualis Apulia eſt) currunt, ex ore patulo linguam projicere & frigidum haurire anhelantes. Idem de *tauro* teſtatur Nonnus Dionyſiac. XI. 157. Quam vetus hæc ſanna ſit, apparet ex hiſtoria illius Galli, qui cum T. Manlio Torquato pugnavit apud Livium lib. VII. & Agellium IX. 13. Quid *obſcœni* ea ſanna notet, ſi ſcire licet, dicere non licet. Nobis dictum eſt: *πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω· Nullus ſermo putidus ex ore veſtro egrediatur*: Epheſ. IV. 29. compara ibidem v. 3. 4. Coloſſ. III. 5. 8. Matth. XII. 36.

§ 282. Ex his jam ſatis intelligitur, quid ſit *irridere* Verbis &

& Factis simul, & esse hanc gravissimam contumeliam. Cæcilius Fallacia:

Facile ærumnam ferre possum, si inde abest injuria:
Etiamque injuriam, nisi contra constat contumelia.

citat Nonius v.32. & ex eo Lipsius ad Senecam de Const. v.53. confer ad Demosthenem Orat. adv. Midiam p.m.614. E.

§ 283. Judæi itaque quando notantur illud virus, quod vidimus, χλευάζοντες *cum sanna* evomuisse in Apostolos, procul dubio *verbis* injuriosis addidere *gestum* contumeliosum. Nam qui in ipsum *Dominum* illusisse satis non habuerant, nisi inspuissent insuper, Matth. XXVII. 29. 30: cur pepercisse *Discipulis* credamus, & quos sciebant cum Jesu fuisse, Act. IV. 13. *Neque enim discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum:* Matth. X.24.25. Joh. XV. 20.

§ 284. Sed *ad hæc* Apostoli quid? quid ni enim etiam de hoc verbum addemus, mantissæ loco? Illi non (ut fere mos est hominum, raro non fœnum in cornu irasque promtas habentium) contumeliam pro contumelia reponere: imo ne dicere quidem,

Non soles respicere te, cum dicis injuste alteri?

Verum memores dictorum Domini Matth. V. II. 44, contumeliam & contemtum contemnere: ad injuriam paucissimis respondere necessaria eximendo cum scandalo tum scrupulo, quem teneris conscientiis & animis stupore miraculi suspensis injecerant: denique bonum pro malo rependere & bene agendo ceu capistro frenare illorum amentium ignorantiam, 1. Pet. II. 15.

§ 285. Profecto magnum est, & magni animi, *spernere se sperni.* uti pio olim, nec invenusto carmine demonstravit meus b.m. avus HENRICUS ANTONIDES VANDER LINDEN, SS. Theol. Doct. & Profess. in Acad. Frisiorum, quæ Franekeræ est: sumto sibi argumento, *Disce contemnere & contemni.* Philemon apud Stobæum Serm. XCII. 2:

Ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
Ἔστ', ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν.

Iucun-

Iucundius vel erudito dignius
Nihil eſt, quam ferre poſſe contumeliam.
Convitio ſi te petentem negligis;
Convitium ad convitiatorem redit.

§ 286. Nam, uti non male Seneca de Conſt. cap. XVII, *genus ultionis eſt, eripere ei, qui fecit, contumeliæ voluptatem. Solent dicere: Miſerum me, puto non intellexit! adeo fructus contumeliæ in ſenſu, & indignatione patientis eſt.* Tertullianus de Patientia cap. VIII: *Omnis injuria, ſeu lingua ſeu manu incuſſa, cum patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſimæ duritiæ libratum & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuoſa, & nonnumquam repercuſſum in eum qui emiſit, reciproco impetu ſæviet. Nempe idcirco quis te læſit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læſa eſt. Ergo cum fructum ejus evertis non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui.*

§ 287. Sed plus illo præſtitere Viri ſancti. Exemplo docuere ſe diſcipulos Chriſti eſſe & didiciſſe ab eo *mites eſſe & humiles corde*, Matth. XI. 29. Eph. IV. 2: & *non reddere malum pro malo, aut convitium pro convitio, ſed contra, benedicere: ut qui ſciebant ſe ad hoc vocatos eſſe ut benedictionis hæreditatem poſſiderent*, 1. Pet. III. 9. Atque ea demum vera ratione oſtendêre, ſe & *ſpiritu vivere*, & *ſpiritu incedere*, Gal. V. 25. Nam *fructus Spiritus*, eſt *charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, probitas, fides, manſuetudo, temperantia*, Gal. V. 22. Eph. V. 9.

§ 288. Interea, ne qui forte offenderent in hoc ſcandalum, quem velut offendiculi lapidem ponebant impii, duobus verbis reſpondet Apoſtolus, ſed adeo efficacibus, ut nebula citius diſcuti à Sole non poſſit, quam Veritati ceſſerit hoc mendacium. Οὐχ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, ὅτι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας· *Non*, inquit, *ut vos ſuſpicamini, iſti ebrii ſunt: eſt enim hora tertia diei.* Verbo *primo* Factum negat: *altero*, Negationis reddit rationem.

§ 289. *Factum* negat, non ſimpliciter, ſed ita ut ſimul ipſos coarguat præcipitis judicii.

§ 290. *Negatio* facti eſt: *Non ſunt iſti ebrii.* Ad quæ Cl. D. Hein-

Heinsius: *Ex eo loco patet, quam ingeniose nonnunquam indulgeant sibi, & acumen aliquod novum ament, etiam antiqui. Quemadmodum cum ista verba sic acceperunt, ac si dictum esset, fuisse quidem, neque tamen ut existimarent ipsi, ebrios. Sanctam enim ebrietatem fuisse.* Cui deinde confirmando adducit Cyrilli Hierosolymitani è Cath. XVII. verba, quæ non recito. Post quæ merito miratur argumentum: *Hi, non, ut vos existimatis, sed, spiritualiter, ebrii sunt.*

§ 291. Quod ad *alterum*, Cunctator esse debet, qui judicabit de salute aut fama alterius. Thucydides l. I. qua de Pausaniæ condemnatione: δεῖ μὴ ταχεῖς εἶναι περὶ ἀνδρὸς, ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων, βουλεύσασθαί τι ἀνήκεστον· *Oportet minime festinos esse ad decernendum quid gravius de homine sine testimoniis meridiana luce clarioribus.* Cicero pro Cæcina p. m. 576: *ea res, de qua existimationis periculum est, tardissime judicetur.* Apostolus itaque cum respondet, non est ita, *ut vos suspicamini*, hoc aperte satis significat, se contra humanitatis jura omnia damnari prius, quam cognovissent maledici & præcipites isti nequam. Gentili placuit dixisse: *Si judicas, cognosce.* vide ad Senecam Medea vers. 194. & confer ad Sarisberiensem Policrat. v. 6.

§ 292. Cæterum, cum ea, *quæ quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defendantur*, ut Cicero ait de Orat. II. p. m. 371: Apostolus tamen maluit in ipsa herba calumniam opprimere, & prævenire, ne quod pravæ suspicionis virus adspergeret animorum tenerioribus & qui ejus, quod audirent, causam mirarentur, nec assequerentur tamen, ideoque suspensi & solliciti avebant videre, quid esset eventurum ex illo miraculo.

§ 293. Qua se suosque defendit, *ratio* est: *est enim hora tertia diei.* Cujus autem? Sanctæ. de qua dictum erat, *Et lætaberis coram Iehova, Deo tuo*, Deut. XVI. 11. Ea tamen lege, ut *prius sacrificia offerrent*, Lev. XXIII. 17. 18; *ac convenirent*, Deut. XXVIII. 26; & cæteris vacarent sacris, ut, his peractis, tum se darent conviviis atque exhilarationi animorum cum gratiarum actione pro liberatione ex Ægypto, domo servitutis. Neque enim voluit Deus *quæ fecisset in terra Ægypti Pharaoni & omnibus servis ejus & toti terræ ejus, tentationes illas magnas, quas viderant, signa & prodigia*

illa magna, recedere ab animo ipsorum ullo dierum vitæ suæ, quin nota ea facere filiis suis & nepotibus suis: Deut. XXIX. 2. IV. 9.

§ 294. Illius autem diei *hora* erat ab orto sole *tertia*, eaque destinata *offerendo* Agno, Exod. XXIX. 39. Num. XXVIII. 4. videlicet in *typum* Agni illius Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. I. 29; & in consummatione seculorum semet ipse obtulit pro peccatoribus super ligno, ceu altari, crucis: Hebr. IX. 14. 26. Phil. II. 7. 8. Hebr. VII. 27. Rom. V. 6. Coloss. II. 14.

§ 295. Ea itaque hora cum & ipsi convenissent ad festi celebrationem & facienda sacra quæ jusserat Lex, optime omnino negat Apostolus illa ratione niti suspicionem ejus, de quo accusati essent. Quasi dicat: Turpe est inebriari nocte: turpius, die profesto: turpissimum, mane. Quemadmodum ergo in nos, quorum vitam inter vos actam novistis, cadere suspicio potest, nos ebrios esse die festo, & quidem ineunte, atque ea hora, qua prima sacra sunt facienda? Atqui ita malo & ego hæc accipere, quam cum vulgo. Quasi Apostolus hoc voluerit, esse neminem, qui vino ea hora daret operam. Cujus jam contrarium docui in præcedentibus.

§ 296. Non satis vero habuit Apostolus, insigni argumento ostendisse, quam non esset hoc mendacium in damnum potens: etiam bonum rependit pro malo, & docere ipsos atque instruere incipit interpretatione Prophetiæ, quæ ultimis ista temporibus fore prædixerat, ejusque applicatione ad conscientias auditorum. Unde factum est, ut compuncti fuerint corde, & resipuerint, & baptizarentur in nomine Jesu Christi, quotquot erant ordinati ad vitam æternam: Actor. II. 37. 38. XIII. 48.

§ 297. Da, *Domine* JESU, ut, quoties de hoc miraculo missionis & dono Spiritus tui vel legimus vel audimus, non sit in nostrum ullo cor malum & infidele; quin contra & hunc & omnem tuum tuorumque Apostolorum sermonem accipiamus corde aperto, animo erecto, desiderio flagrante, amore sollicito, studio denique indefesso atque obsequio promto. quo, qui sumus in tuo nomine baptizati, in tua fide vivamus, tuasque laudes celebremus & nunc & in secula seculorum. AMEN.

XI. *Asel-*

XI.

Aſellus Lucius.

Athenæus Deipnoſ. VII. 18.

Ὄνος καὶ ὀνίσκος. Ὄνος, φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ ζωικῶν, ἔχει στόμα ἀνερρωγὸς ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς, καὶ οὐσυναγελαστικός ἐστι μόνος δὲ τος ἰχθύων τὴν καρδίαν ἐν τῇ κοιλίᾳ ἔχει, καὶ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ λίθους ἐμφερεῖς μύλαις. φωλεύει τε μόνος ἐν ταῖς ὑπὸ κύνα θερμοτάταις ἡμέραις, τῶν ἄλλων ταῖς χειμερινωτάταις φωλευόντων.

ASINUS & ASELLUS. *Aſinus, inquit Ariſtoteles in opere de Animalibus, habet os reſciſſum adinſtar galeorum, neque congregalis eſt. Solus vero hic piſcium cor in ventre habet, & in cerebro lapides ſimiles maxillis. Latitatque ſolus calidiſſimis ſub Cane diebus, cum cæteri frigidiſſimis ſe abſcondant.*

COMMENTARIVS.

§ I.

AUDATISSIMUM *veteribus* Aſellum piſcem fuiſſe, vel hoc inprimis teſtatur, quod Saxatilibus eum adſtituerint, & illorum vice Ægrotis conceſſerint, etiam quando alium quemquam dare non liceret. *Saxatilibus* quidem ita adſtituit, ut etiam in bonitate parem faciat Galenus in Meth. med. VIII. 2. τῶν ἰχθύων οἱ πετραῖοι πάντες ἀγαθὸν ἔδεσμα. ἐνδὲν δ' ἧττον αὐτῶν οἱ ὀνίσκοι: *Piſcium ſaxatiles omnes ſunt bonum edulium. Neque minus ipſis Aſelli.* Quæ cauſa fuit, quare etiam Pleuriticis offerri permiſerit in com. de Vict. acut. I. 27. *Si æger*, inquit, *aquam mulſam ptiſanamque faſtidiverit, piſces ſaxatiles ſunt maxime idonei, atque ex non-ſaxatilibus Aſelli.* Similiter etiam de

Alim. fac. III. 30, piscibus molli carne præditis ex Philotimo accensens *asellos*, tandem de omnibus ejus generis pronuntiat, *eorum alimentum hominibus otiosis, senibus, imbecillis & ægrotis esse convenientissimum.*

§ 2. Xenocrates, Galeno non semel laudatus auctor, in l. de Alim. ex Aquatilib. ponit Asellos *medios* inter pisces σκληροσάρκας & ἁπαλοσάρκους, *duræ & mollis carnis.* Postea vero ejus *facultates* laudans ait: Ὀνίσκος ὁ ἁριμὺς, εὔχυμος, εὐδιοίκητος, εὐδιαχώρητος, τεύφιμος. *Asellus non acris, succo bonus, distributu facilis, facilis secessu, alimenti plenus.* Libri edunt, ἄχυλος, δυσδιοίκητος. Ad quæ Conr. Gesnerus in Scholiis: *lege* εὔχυμος, *id est, boni succi, ut Rasarius quoque vertit. Galenus lib. 7. Methodi, & alibi testatur Asellos pisces esse boni succi, carnis mollis, non glutinosæ, minus tamen friabiles quam saxatiles sint, alioqui saxatilibus proximos, concoctu faciles: ut mireris quomodo, cum tales sint, δυσδιοίκητοι à Xenocrate existimentur.* Non credo sic censuisse virum: sed à librario id vitii esse vix dubitandum. Quorum hominum oscitantia atque audacia quam multa sint, in optimis quibusque auctoribus corrupta nemo est qui ignorat. Qua de re videatur Joan. Ger. Vossius de Arte grammat. l. 6.

§ 3. *Asellus* itaque cum tanto in honore fuerit olim, quid *fuerit*, non sine causa quæritant Viri docti. Imo vero, cum tam frequenti fuerit in usu ac tanta cum utilitate, *quid fuerit*, etiam magis merito quæritant Medici hodierni.

§ 4. Ulysses Aldrouandus l. de Piscib. III. cap. 1. qua de *forma* Aselli, omni studio contendit *asellum* esse, qui junior adhuc Hollandis *bolck*, adultus *kabellau* nuncupatur. Sed fefellit ipsum quisquis has appellationes suppeditavit. Res ita habet: *Piscium*, quibus hoc nomen damus hodie, triplex & toto genere distinctum genus est. *Primum* minimumque facit *Asellus mollis* dictus Hadr. Junio in Nomenclatura. Is cum adhuc parvulus est, *molenaer* Hollandis, *gadde* Frisiis: cum justæ magnitudinis, utrisque *bolk* vel *wijting* dicitur vulgo. *Alterum* genus constituit *Asellus minor* eidem dictus. Is cum adolevit, *schelvis*: antea vero, *uiltje* vocari consuevit. *Tertium* genus & maximum est, quod

iterum

iterum Junio *Asellus*, sed simpliciter nuncupatur. Hic est, qui *kabeljau* appellatur, quando adoluit: cum adolescit, sive minor sive major fuerit, *gulle* aut *golle*, τῷ ο μικρῷ quam molliſſime pronunciato; quin & diminutiva forma, *gulletje*, quamdiu valde parvus est. Atque ita oportuit *genera* Asellorum digerere, si vera sunt. Quod non feciſſe Aldrouandum, facile condonamus doctiſſimo Viro & ex relatu hæc referenti. Miror autem Schöneveldium ista non conſideraſſe melius in Ichthyologia sua p. 17: sed sequi errorem Aldrouandi.

§ 5. Quem & ex eo cognoscas, quod pisces *genere* diversos, sola *ætate* discriminet. Aliud omnino *genus* Cabeljavi, *aliud* Schelviſſi faciunt. Patiantur eruditi has appellationes rogo, aut nos doceant genuinas. Lev. Lemnius de Occult. nat. mirac. IV. 2: *Schelvis à squamis; vulgo schellen appellatum censeo, quibus denſius contectus obductuſque est, ac velut lorica munitus: eoque fit, ut, cum elixandus est (nam torreri recuſat) cultro deradi debeat ac deſquamari: ſecus quam Asellus, vulgo Cabeljau, qui lævore perpolitus est, cuteque molli, nec squamoſa.* compara quæ idem scribit eodem opere lib. II. cap. 30.

§ 6. Deinde vero, cum laudis, qua suum *asellum* Veteres prosequuntur, ne minimum quidem convenire videatur *noſtro*, sive quem eodem appellamus nomine: non tanti putare *auctorem*, quamvis de publico meritiſſimum oportet, cujus reverentia absterreamur ab *inquiſitione* Veri atque Utilis. *Veri* quidem, propter utilitatem. *Vtilis* vero, propter sanitatem. Quo plenior enim & certior est noſtra de rebus cognitio, tanto majore ipsis cum fiducia atque securitate utimur. Præterquam quod certæ *ignaviæ* esset, quæ magni fructus sunt vel non adire propter invidiam, vel præterire propter laborem, quo constant neceſſario, quæ. Veterum è libris eruenda occurrunt. Verum

Qui è nuce nucleum esse volt, frangit nucem,

inquiebat apud Plautum Palinurus Curcul. act. I. sc. I. 55.

§ 7. De *laude* quod dixi, sive quam non accedat *asellus* noſter ad meritum veteris, ad hoc probandum non habeo opus aliud, præter publicum, testimonium requirere. Etenim tantum ab-

est, ut inter Pisces *leves* & *salubres* habeant Medici, ut e contrario & optima cum ratione adnumerent Piscibus *duris* seu carnem habentibus firmiorem & ob id concoctu difficiliorem. Si enim ita est, ut est & scribit Hippocrates in II. de Diæt. XI. 171. quod οἱ πλανήτης καὶ κυματώδεες πεφυμμένοι τῷ πόνῳ, στερεωτέρην τὴν σάρκα ἔχουσιν· *Errones & undifragi subacti labore, firmiorem carnem habent*: non potest *noster* Asellus non collocari in hoc censu. Nam & brevius mare colit, & ubi vehemens æstus, vehementes & crebri fluctus sunt: neque umquam stationem servat, quin errat continuo, adeo ut ubi stetit hodie, inde cras absit multis milliaribus. Ista quidem accepimus ex ore Piscatorum, quos *Doggers* appellamus, qui nempe eos ad παγίδα, ad *salituram*, toti pene Europæ subvehendam, exire captatum quotannis magno apud nos numero consueverunt.

§ 8. Quin & *famosus* Asellus iste noster est apud vulgus, & quidem ex eo, quod sæpe admodum deprehendatur accersere febres. Quod quia Medici sibi persuadent eum facere substantiæ suæ virositate quadam: idcirco est, quod nemo ipsum habeat in salubribus; contra causariis, nedum ægrotantibus simpliciter omnibus interdicant. Quod uti cum ratione semper fieri non credo: ita nec *istam* rationem esse, *quare* Febris quandoque exsurgat post esum de Asello seu Cabeljavo.

§ 9. Ego hujus *causam* quotiescunque rogor, sic soleo respondere. *Primum*, Non accidere id, nisi corporibus ad febriendum dispositis. *Dispositionem* vero hanc consistere in variis. *nempe*, in Retentione alicujus quod debuit excerni: juxta illud Hippocratis, ἢν μὴ ἐκκαθαίρηται ὁ ἄνθρωπος, νοσέει· *nisi expurgetur homo, ægrotat*: IV. de Morb. t. XXIV. *tum* in Naturæ conatu assiduo ad amotionem ejus, quod se molestat. Ita enim est, ut iterum Præceptor ait: ἰητρικὴ τὸ λυπέον ἀπαλλάσσει, καὶ ὑφ' ὧν πονέει ἀφαιρέουσα, ὑγιέα ποιέει· ἡ δὲ φύσις αὐτομάτη τοῦτο ἐπίσταται. *Medicina, quod affligit, abigit & a quo quis ægrotat, tollens sanum facit. At Natura hæc sua sponte novit*: I. de Diæt. XVII. 181. quasi dicat, *Ars* quid facere debeat, nisi Naturæ indicio non novit. *Natura* quippe est, quæ δηλοῖ τοῖσι τὰ τῆς τέχνης εἰδόσιν, ἃ ποιητέα· *ostendit artis peritis*,

peritis, quæ facienda sunt: l. de Arte XXII. 113. *denique* in Ignitione quadam, quam ex Naturæ illo conatu paulatim concipiunt corpora, præsertim per Vim externam aliquam aut Oppressionem internam prædebilitata. Huc iterum Dictator præit. ἥτε βίη, καὶ ἡ πλησμονὴ, ἢν μὴ ἐκκαθαίρωνται οἱ ἄνθρωποι, θερμαίνουσι τὰ σώματα· *Tum vis externa, tum plethora, si non depurgentur homines, calefaciunt corpora*: IV. de Morb. t. XXV.

§ 10. *Deinde*, Corporibus sic dispositis si qua ἀφορμὴ, *irritatrix causa* superveniat, quæ *spiritum*, Naturæ accensum, excieat ad laborem laboriosiorem, ferveſcere illum & facile efferveſcere in *materiam* dudum retentam. Quæ agitata & attenuata magis illum usque & usque extimulat, donec vel ipsa mitigetur & expurgetur, vel ipsum fatiget superetque.

§ 11. *Denique*, experimenta, quæ quotidie sunt cuique in se, id ostendere manifesto, à sumto cibo nobis excitari Calorem & vegetari, ad concoctionem illius, & tanto quidem magis, quo firmioris alimenti, solidioris substantiæ, rarioris usus fuerit, quem assumsimus. Hoc vero in iis, quos habet Febris hectica, adeo est obvium, ut nostri id in potioribus Morbi signis ponant.

§ 12. Quando igitur omnes imbecilliores stomacho (*quo in numero magna pars*, ut bene Celsus I. 2. notat, *urbanorum, omnesque pene cupidi literarum sunt*) experiantur difficilioris concoctionis esse Asellos nostros: non est, quod miremur, unde quis pransus de illo incendatur in febrim. Præsertim si urgentiori forte tunc appetitui indulserit. Augeri quippe is ante morbum fere consuevit. Scilicet propter incipientem corporis ἐμπύρωσιν seu ignitionem. Quemadmodum turvarum struem ventulus aut sulphuratum facile, cum ignita est, succendit in flammam: non aliter corpora concipiunt febrim ex hac aut illa Re non-naturali, quæ modo apta est irritare Spiritum nostrum, raro non ex se nimis irritabilem. ceu abunde docet ira, ille furor brevis.

§ 13. Posset vel ista ratio sufficere ad persuadendum, *asellum* Veterum non esse, quem nos hoc nomine nominamus; sed alium longe, quinimo diversum toto genere. Quemadmodum revera est. Nam veterum

§ 14.

§ 14. ASELLUS *Lucius* est. Hoc me primus docuit summus vir, Jul. Scaliger in com. 1. Hist. anim. VI. 42. *Lucius*, inquit, *Asellus est: laudatus à priscis Medicis, & Plinio: nunc quoque & expetitus, pro locorum tamen natura. Nam è stagnis tam marinis, quam dulcibus, laxa carne est, insipida, fusca. E fluminibus, candida carne, suffulta, cohærente, friabili: ut cuivis optimorum comparari queat. Marinorum genera diversa. Idcirco Gallo etiam* Merlucium, *quasi* Maris Lucium *vocant.*

§ 15. Quæ quia dicuntur, non probantur: manet nos hic labor. Neque enim vel ipsi ratum habere, vel alios volumus hoc, quod nullis rationum momentis constabilivit is, qui profitetur. Mihi quidem religio est, ullius hominis tantam putare auctoritatem, cui quidvis citra rationem aliamve probationem affirmanti aut credere velim, aut credi jubere. Laboris itaque pretium erit, hoc ex ipsa antiquitate ostendisse: non solum propter notitiam ejus; verum ut, quod alias monui, vel hinc discamus non temere Recentioribus credere, & de antiquitate citra auctoritatem statuentibus, aut hanc ad suos sensus detorquentibus. Cujus etiam vivum in hoc negotio exemplum se nobis offeret.

§ 16. Illa propter proposui ex Athenæo, contemporaneo Plutarchi, textum nobilem. Quem tamen *Aristotelis* esse profitetur, & desumtum ἐκ τῶν περὶ ζωϊκῶν, *ex opere de Animalibus.* Hoccine opus idem sit cum illo, quod habemus, cum *Historia de Animalibus* inquam, an vero diversum, sub judice lis est, neque nostrum eam componere. Apollonius Hist. admir. cap. XXVII, pro *diversis* habet. Ejus verba sunt: Ἀριστοτέλης ἢ ἐν τοῖς ζωϊκοῖς· δύο γάρ εἰσιν αὐτοῦ πραγματεῖαι, ἡ μὲν περὶ ζώων, ἡ δὲ περὶ τῶν ζωϊκῶν· *Aristoteles in opere de Animalibus: duo enim sunt ipsius opera: unum, de Animantibus: alterum, de Animalibus.* Consule vero tu, si otium est, de hac re Franc. Patritium 1. Discuss. Peripatetic. III. p. 24.

§ 17. Quidquid sit, hodie Athenæi diligentiæ quæ debemus, nuspiam comparent in istis quidem novem libris Historiarū, qui extant. vide & Casaubonum in Animadv. VII. 13. & Mauſſacū Prolegom. in Scaligeri com. ad Hist. de Animal. Nesciendum vero

non

non est, pleraque etiam legi apud Ælianum de Animal. VI. 30. ad quod caput subinde sine ulteriore indicio provocabo in expositione *verborum* Athenæi. Quibus tamen etiam ab aliis auctoribus fenerabimur lucis quidquid poterimus.

§ 18. Ὄνος καὶ ὀνίσκος. *Lemma* hoc seu argumentum rei tractandæ esse, ne moneri quidem debet. Latine nemo non reddit: Asinus & Asellus. De quibus *nominibus* ut aliquid primo loco dicamus, *homonymia* jubet. Etenim rectissime apud Philosophos dicitur, necessario de rebus ipsis falli, qui recte vocabula non didicerunt intelligere. & hoc Galenus monet Meth. med. I. 5.

§ 19. Ὄνος, *asinus*, & vulgo & *propriissime* significat *animal*, ac primo *quadrupes*, illud invisum nobis, vel solo nomine, propter infamem animam, quanquam utilissimum, neque multis in negotiis atque terris minus equo necessarium: ceu videre in encomio, quod ei scripsit Agrippa de Van. scient. cap. CII. nisi mavis adire ad Cl. D. Heinsii Orationem, qua *laudes* Asini fusissime & diserte est prosecutus.

§ 20. Secundo, *piscem* significat. Excerpta Glossarii Floriacensis, qua De piscibus, bis: *Asellus*, Ὀνίσκος. Sic & Cyrilli lexicon: Ὀνίσκος, ἰχθὺς, *Asellus*. Hesychius: Ὄνος, ἰχθὺς ποιὸς, ὁ καὶ ὀνίσκος λεγόμενος· *Asinus, aliquis piscis, qui & asellus dicitur*. Phavorinus: Ὄνος, καινῶς μὲν τὸ ζῶον. τό, τε χερσαῖον καὶ ὁ ἰχθύς. ὁ καὶ ὀνίσκος καὶ βάκχος. *Asinus*, significat *communiter quidem animal: cum quadrupes, tum piscem, qui & Asellus ac Bacchus* nominatur.

§ 21. Tertio, *insectum* significat, & quidem duum generum. *Primo* nempe illud, quod alias κυπαρίδα Dioscorides II. 37: *porcellionem* Cælius Aurelianus Chron. I. 4: *cutionem* Marcellus Empiricus vocat cap. IX. quo de forte alibi dicam plura. Interea adire licet I. Ant. Saraceni Scholia in Dioscorid. d. l. vel Rob. Constantini Lexicon, & ex hoc discere, quam male confundatur cum *millepeda* Plinii XXIX. 6. *Deinde* & speciem *locustæ*, quæ alias ἀσίφαξ nominatur, auctore Dioscoride II. 57.

§ 22. *Improprie* vero sic appellatur *homo stolidus*. Plautus Pseud. act. I. sc. II. 4: *Neque ego homines magis asinos unquam vidi.*

Inde *asellus bipes* apud Juvenalem Sat. IX. 92. Et hæc in *viventibus* Ὄνος significat: in *non-viventibus* autem multo plura. Quæ non adeo, ut ne abeam à scopo: præsertim cum pleraque Hesychius, Phavorinus, & ex his Constantinus suis in Lexicis jam observaverint.

§ 23. Ὀνίσκος, *asellus*, etiam de *quadrupede* dicitur, sed Poetis usitatius. Plinius de *eodem* usurpat quidem in XVII. 5: sed loquens de vili & nullius pretii. De *pisce* autem longe frequentius hoc verbum dicitur, quam prius: ceu liquebit ex locis, quæ allegabimus. Cæterum & heic ambiguitas subest non contemnenda, quam mox evolutum imus. Sæpius vero etiam *porcelliones* Græcis ὀνίσκοι, quam ὄνοι dicuntur; sicut hodie numquam non *aselli* Latine efferentibus. *Improprias*, quas habet, significationes ex antedicta causa prætereo quoque.

§ 24. Porro, Ὄνος & Ὀνίσκος quoties de *pisce* dicuntur, neque unum neque eumdem significant. Id vero cognoscere est ex iis, quæ protinus à textu nostro sequuntur. Διαφέρει δὲ ὄνος ὀνίσκου, ὡς φησι Δωρίων ἐν τῷ περὶ ἰχθύων, γράφων ἕτως· Ὄνος, ὃν καλέουσι τινὲς γάδον. Γαλλερίδας, ὃν καλέουσι τινὲς ὀνίσκον τὲ καὶ μάξηνον. Εὐθύδημος δὲ ἐν τῷ περὶ ταρίχων· οἱ μὲν βάκχον φησὶ καλεῖν, οἱ δὲ γελλαρίαν, οἱ δὲ ὀνίσκον. Ἀρχέστρατος δέ φησι,

Τὸν δ' ὄνον Ἀνθηδὼν, τὸν καλλαρίαν καλέουσιν,
Ἐκτρέφει δύμεγέθη· σαμφὼ δὲ τρέφει πινὰ σάρκα·
Ἄλλοις ἔχ ἡδεῖαν, ἐμοὶ δὲ μάλιστά μιν ἀνδάνεσσιν. χαίρει μὲν γὰρ ὁ μὲν τούτοις, ὁ δ' ἐκείνοις.

Pro quibus Latine do. *Differt asinus ab asello, ut ait Dorion in lib. de Piscibus, ita scribens: Asinus est, quem Gadum aliqui nominant. Galleridas, quem alii Asellum & Maximum. Euthydemus autem in lib. de Salsamentis: quidam Bacchum, inquit, vocant; alii Gellariam; alii Asellum. Archestratus autem inquit,*

Callariam fere quem dicunt, Anthedon asellum
Nutrit permagnum: sed huic caro flaccida; multis
Injucunda quidem, verum mihi perplacet illa.
Sic aliis alius gaudet: sua cuique voluptas.

§ 25. Ex quibus apparet, ὄνος & ὀνίσκος appellatione *varium* omnino

no Piscem venisse. De *quibus* cum sit necesse nobis ante constare, quam definire rem propositam queamus, oportet & hanc remoram removere.

§ 26. Dorion itaque Ὄνον, *asinum* dicit eumdem esse, quem γάδον alii nuncupabant. De qua voce nihil reperio, præter id quod Hesychii in ruderibus nobis est servatum. Γάδος, * γάλοι. ἄλλοι ὄξος. Asteriscus appositus velut herma loci est non integri. Emendavero: Γάδος, γαλεός· ἄλλοις, ὄνος. *Gadus*, *galeus*: *aliis*, *asinus*. Velle non arbitror, piscem *eumdem* Galeum & Asinum esse: sed & *hunc* & *illum* Gadum nominari.

§ 27. Sed quæ *nominis* ratio communis? Hesychius iterum: Γάνδος, ὁ πολλὰ εἰδὼς, καὶ πανοῦργος· πινὲς ἢ γάδος. Quam *vafra* atque *malefica* non tantum *Galei*, verum etiam *Lucii* sit natura, res est per variam experientiam notissima, & variis auctoribus testata. Ab hac natura autem ut γάδος Græcis, ita & *canis* Galeus, & *lupus* Lucius fuit denominatus. Davi hæc conjectura est, non Oedipi.

§ 28. Pergit: *Galleridas est*, *quem aliqui nunc Asellum*, *nunc Maxinum vocant*. Hesychius: Γαλαρίας, ἰχθὺς ὁ ὀνικός. Corrige: ἰχθύς, ὁ ὀνίσκος· *Galarias*, *piscis*, *Asellus*. Apud eumdem reperio: Γαλίαι, οἱ ὀνίσκοι. Facit numerus, ut de eodem vix putem dici. Neque consentio Aldrouando, qui III. de Picib. I. § Genera, existimat *Callariam* ab Oppiano per syncopen *clariam*, metri causa, dictum. Locus est Halieutic. I. 105:

Ψῆτται, καὶ κλαρίαι, καὶ πείγλιδες, ἔργα τ' ὀνίσκων.

Principio durius videtur τὸ καλλαρίας contrahere in κλαρίας. Ecquæ vero necessitas id jubebat? licuisset enim dicere, ψῆτται, καλλαρίαι. Et quid attinebat οὗτ' κλαρίας seorsim nominare, si Asellorum in genere essent? præsertim si hoc ipsis sit cum cæteris commune,

Φέρβεθ' πηλοῖσι καὶ ἐν πυάγεσι θαλάσσης;
Pasci limosque vadi cœnoque tenaci?

Etenim hoc ibi vult solum, neque quid peculiare notat in Clariis.

§ 29. Inquies: *contradicere* Plinium nobis. Imo & sibi & Euthy-

thydemo. *Vnus* locus, quo Callariæ facit mentionem, est lib. XXXII. cap. XI. Ubi inter *peculiares mari* recensetur *Callarias: asellorum generis*, inquit, *nisi minor esset*. Quæ nescio an possint aliter, quam isto sensu accipi: Eam *formam* Callariæ esse, ut videri possit Asellorum generis: non esse tamen. Quare? Quia ad ipsorum magnitudinem non pervenit.

§ 30. *Alter* locus est lib. IX. cap. XVII. *Asellorum duo genera*, inquit, *callariæ minores & bacchi, qui non nisi in alto capiuntur, ideo prælati prioribus.* Contradicunt hæc Euthydemo *primum*. Hic enim *unius* Piscis nomina dicit, *Bacchum, Gellariam, Asellum*. Cui adstipulatur iterum apud Athenæum Dorion in III. 32. dicens, τῶν ἑνὸς ὄντος ἰχθύος πολλῶν ὀνομασιῶν πεπυχηκέναι· καλεῖσθαι γὰρ βάκχον, καὶ ὄνισκον, καὶ χελλάριον. *cum hic unus sit piscis, multa tamen nomina esse sortitum: vocari enim & bacchum, & asellum, & chellaram.* Credibile autem, cum ex professo *de Salsamentis* scriberet Euthydemus, non ignorasse, qui pisces salituræ apti essent, & quo quisque nomine insigniti vulgo. *Deinde* & ipsi Plinio contradicunt. Quei enim simul ista stare queunt: *Asellorum* generis esse & non esse Callariam?

§ 31. Quin amplius *uterque* Plinii locus contradicunt Archestrato. Hic enim Anthedone διμεζέη *ingentem* Callariam reperiri scribit; sed flaccidiore carne: unde minus plerisque saperet. Plinius vero aperte, *Callarias* esse & minores Bacchis, & propterea non in genere Asellorum. Quod si Callarias est, quem Belgæ vocant *schelvis*: ex vero testari possum & producere testes, qui mecum ederunt de ejus generis pisce ultra quinque spithamas longo. Sed erat is carnis adeo solidæ, candicantis, delicatæ, ut vel ipsi Archestrato se commendare potuisset.

§ 32. Unde opinor, plane *diversos* Pisces esse, nostri maris *Schelvis*, & Euboici *callariam*. Etenim *ille* non nisi in alto capitur & piscibus victitat. Hic vero vada sequitur, quod plurimum nutrimenti reperiat. Oportet vero Anthedone vadosum mare limosumque fuisse. *Anthedon* quippe ultima erat in Bœotico, quod Eubœæ oppositum est, littore. Inde Ægas Euboicas, ex adverso Anthedoni sitas, trajectus erat stadiorum CXX: aliunde multo minor.

minor. ita Strabo Geogr. IX. p. m. 404. D. *Stadium*, ut meus Anonymus calculat, erat pedum Græcorum, 600: Romanorum, 625: Bruxellensium, 658 $\frac{114}{167}$.

§ 33. Hinc iterum colligas, *callariam* Archestrati & Plinii eumdem esse. Plinius enim *callarias* inter & *bacchos* hoc statuit discriminis, quod *illi* in alto capiantur, & ideo præferantur prioribus: *isti* vero (nam hæc subintelliguntur) minus Bacchis boni sint, quod vadum ament, ibi limo victitent, & ex hoc magnitudinem acquirant, atque συμφόρτῳ τὴ σαρκὸς, *carnis laxitatem instar fungi*. Quod si ita est, jam melioribus argumentis docendus sum, *callariam* esse nostrum *schelvis*, quod vult Ulysses.

§ 34. Denique addit & hoc Dorion: *Galleridam*, quem alii *asellum* nominabant, etiam *Maximum* fuisse appellatum. *Quem* codices Athenæi typis exarati μάξιμον indigitant, eumdem manuscripti μύξινον. Ita scribitur Aristoteli Hist. anim. VIII. 19. ubi tamen in vulgatis est μύελον. Quod & Theodorus retinuit. *Quod si recipiatur*, inquit Vir summus in com. t. CCXIII, *eum fateor me non noscere*. At *myrini* cum neque Plinius meminerit, neque quisquam alius, quod sciam, quis recipiat? In veteribus Theophrasti editionibus l. de Piscibus in sicco degentibus non procul initio legitur, τοῖς μαζίναις καλουμένοις. *Quærunt*, inquit Casaubonus ad Athen. VIII. 2, *quinam sint isti* mazinæ, *quorum alius nemo fecerit mentionem*. *Fortasse*, inquit, *vera ubique scriptura*, μαξίνας *aut* μάξιν. *vel certe* μύξιν. *ex Aristotele & membranis, ut dicebamus lib.* VII. 18. In hanc emendationem plane consentit Dan. Furlanus Annot. in eum locum. n. 3.

§ 35. Calculum addo, album hunc: nihil ista emendatione certius esse. Non dubitabis, si conferre libet ad Hist. V. 11. Sed ne cogare lectionem, adeundo librum, interrumpere, adscribo verba. In VIII. sunt: κεφαλῇ ἢ καὶ κεφάλῳ, καὶ ὃν καλοῦσί τινες μύξινον· *At mugili & capitoni, & ei quem nonnulli vocant myxinum*. In V. legeris: τῶν κεφαλέων, οἱ μὲν χάλωνες, καὶ ὁ σάργος, καὶ ὁ μύξων καλούμενος, καὶ ὁ κέφαλος. *Mugilum in genere, labeones, sargus, muco dictus, & capito*.

§ 36. Ubi ad text. LXXXII. Cæsar: *Nescio quomodo* σάργον *hoc inter*

inter mugilum ſpecies interpoſuit. Ego ſcio, atque ex temet ipſo diſco com. ad Hiſt. II.108. *Agnoſcunt etiam Sargum inter Mugiles: alium à Sargo. de quo Oppianus* (Halieut. I. 132. IV. 267. 594.) *Quam ambiguitatem ut tollant, Sargonem non Sargum nominarunt.* Dalechampius *ſarginum* apud Athenæum VII. 16. Sed mitto hoc, quo ne incidam in controverſiam novam. Interea adiſis, amice, reliqua apud ingenioſiſſimum Commentatorem, egregium quid ſi volupe eſt diſcere de *Mugile* νήστι, ſive *jejuno.* Quem temere Athenæus ſpeciem à cæteris diverſam ſtatuit, propterea quod ex Archippo legerat, νήστις κεφαλέας: ut & apud Dorionem, Alexium, alios, quos ibi videre.

§ 37. Philoſophi ultimis in verbis τὸ χάϊλωνες videtur librarii incuria ſubrepſiſſe pro χελῶνες, ut paſſim ſcribitur alibi. Pro quo cum *labeones* reddant omnes, an rectum eſt χίλωνες? Nullus dubito. Servata ea lectio nobis VIII. Hiſt. II. 35. ἔστι δὲ ὁ μὲν κέφαλος, ὃν καλοῦσί τινες χίλωνα, πρόσγαιος· *In genere capitonum is, quem labeonem vocant, littoralis eſt.* Hinc, ni fallor, corrigendus Heſychius & Phavorinus: Χελμών, ἰχθὺς παιός. Reſcribe: χίλων. niſi forte ſit à noſtro piſcis alius. Sed quis alius meminit hujus? Quare qui Græcum ſervare interpretes volebant, *chilones* reddere debuerant.

§ 38. In *hominibus* hoc obſervat Cujacius, inſigne Juriſconſultorum decus, Obſerv. X. 26. Habes autem *verbum* apud Chariſium in Grammat. inſtit. Feſtum quoque. ubi Scaliger F. *Chilo.* Græci interpretantur πρόκεφαλον. Cyrilli lexicon non ſic. Προκέφαλος, *Capito.* An fefellere eruditorum Argum gloſſæ Philoxeni? ubi *Cillo,* πρόκεφαλος exponitur: rectiſſime, ſi *cilo,* cum Bonav. Vulcanio legas. Feſtus: Chilo *dicitur cognomento à magnitudine labrorum.* Cilo, *ſine aſpiratione, cui frons eſt eminentior, ac dextra ſiniſtraque velut reciſa videtur.* Chariſius: Cilones *dicuntur, quorum capita oblonga & compreſſa ſunt.* Chilones *autem cum aſpiratione ex Græco, à labris improbioribus, quæ illi χείλη, unde Chilones, improbius labeati.* Differt, à *cilone* fronto. *Ciloni* frons prominens: *frontoni* lata. Quid ergo vult Heraldus Animadv. ad Arnob. III. p. 108? *Cilo* cui frons veluti cellit. Nam *cellere,* κέλλειν,

ἤγειν

ἦγεν κινεῖν. Ac mox: *Cilones, quibus frons quasi cellit, & sursum movetur, ac surgit.* Sic ille. Arbitror *cillones* aut *cilliones* Priscis dictos, quibus perpetuo *cilium* superius plusquam cilleret, sive tremeret celerrima agitatione. Quod memini me in femina vidisse.

§ 39. A *cilone*, Silo: à *cillone*, Cyllo differunt. Nonius 1.101: Silones, *superciliis prominentibus dicti.* Iterum, ut sæpe, fallitur. Philoxenus glossis: *Silo*, σιμός, Festus: Silus *appellatur naso sursum versus repando.* At *cyllo* est κυλλὸς, *mutilus.* Ciceroni in Sallustium *cyllo* impudicis, & id genus hominum propudiis jungitur. Unde Cælius Antiq. lect. xxi. 22, *cinædos* esse ac turpiter ceventes dicit. Vitia diversa ergo: *chilo, cilo, cillo, cyllo, silo.* quæ cave confundas.

§ 40. *Labeonibus* nomen dedit prominens labrorum crassities. Plinius xi. 37: *Labra, à quibus Brocci, Labeones dicti.* Dalechampius rescribit: *Brochi* sive *Bronchi.* Non iidem, *Brochi* & *Bronchi.* Nonius 1. 102: *Bronci sunt producto ore, & dentibus prominentibus.* Fallitur & hic. Philoxeni glossarium: *Brochus,* ὁ τὰ ἄνω χεῖλος ὠδηκώς, *cui superius labrum prominet.* Vitium ei contrarium, quod in *mentonibus* Arnobio dictis in III. p. m. 108. *Mento* est, cui mentum extat. *Kevelkin* Belgæ vocant: ut & in II. Physiolog. xiii. 5. observavi. At vero *bronchi* sunt, qui *gutturosi* dicuntur Ulpiano l. qui clavum. § 2. ff. de Ædil. edicto. Onomasticon vetus: *Gutturosi,* βρογχοκῦλαι. lege, βρογχοκῆλαι. Quid βρόγχος inter & βρόγχος interfit, demonstravi in eisdem Physiolog. vi. 198. Sed præstat ab hoc diverticulo redeamus in viam.

§ 41. Ergo μύξινοι, *Mugilum* in genere. Eustathius ad Hom. Iliad. v'. p. m. 950. 7: ὁ μυξῖνος, κεφαλὴ μικρὰ εἶδος. λεπίσκων πλείονα εἴδη, κέφαλοι, κεστρεῖς, μυξῖνοι, χελῶνες [scribe, χήλωνες] οἱ καὶ βάκχοι. εἰκὸς δὲ τοὺς μυξίνους, εἴπερ λέγονται γλωικῶς λευκίσκοι, ὡς οἷα λευκοὶ, ἀπὸ τῆς γλαγόεσσαν γένεσθαι μύξαν, ἣ κεῖται παρὰ τῷ Ὀππιανῷ. *Myxinus cephali parvi species. Leuciscorum plures species: cephali, mugiles, chilones, qui & bacchi. Verisimile myxinos, cum dicantur generatim leuciscí, quasi dicas albi, ex lacteo nasci muco, in quo jacere dicuntur Oppiano.*

§ 42. In libris hæc reperire non est inter eos qui supersunt nobis ex vigintiquinque millibus versuum, quos Oppianum oportuit

oportuit scripsisse, si recitans eos apud Antoninum Imp. dono pro singulis singulos aureos accepit. ita enim testantur Suidas & Auctor incertus in Vita ipsius. Hodie si tales essent Mecænates, quot essent, Flacce, Marones? Nunc mortua poesis cum Heinsio atque Barlæo, nulli veterum secundis, videtur. Nec equidem miror. Eruditionis quippe & veræ Virtutis aliud nunc neque pretium neque præmium est, præter laudis inane nihil. Quot non experiuntur, se famam prosequi, famem assequi?

Musæ valete, queis, famem præter, nihil
Pretii, vicem laboris, est rependere.

§ 43. Eustathii *priora* sunt Hicesii verba apud Athenæum VII. 16. Qui & heic & in prioribus Philosophi μύξιν Φ, idem in sequentibus μύξων dicebatur supra § 35. Etiam *myxona* vocat Plinius XXXII. 7. *Muconem* reddit Theodorus: feliciter. Μύξα *muco* enim alitur. Aristoteles VIII. Hist. 11. 35. de *Mugile proculo*: βόσκεται δὲ ὁ περαίας μύξαν τὴν ἀφ' αὑτοῦ. διὸ καὶ νῆστίς ἐστιν ἀεί. *Alitur proculus muco suo: idcircoque semper jejunio inanis est.* Mugilem *proculum*, Scaligero præeunte, appello qui procul littora incolit. Hujus natura mira: *suo muco vivere.* Ponit indicium: quod *semper inanis* captus sit. Νῆστις *jejunus* est, qui nihil gustavit: potest tamen plenus esse pridianæ escæ. *Mucus* vero, quo alitur, γλαγώδης dicitur Oppiano: *lacteus* nobis. est enim à γλάγΦ, quod γάλα exponit Hesychius.

§ 44. Ut absolvam, si quis dicta hactenus recte reputet, *asellum* Dorionis fuisse Mugilum in genere, sine dubitatione accipiet, cujus cujus etiam speciei fuerit. Apparet enim non uni id nominis appositum veteres. Confer ad Aldrouandum de Piscibus IV. 6. § Synonyma.

§ 45. Neque vero dubito *asellos* Philotimi etiam eodem in genere collocare. Huc me plane ducunt, quæ ex eo recitat Galenus de Alim fac. III. 30: & inprimis Galeni de illis judicium. *Asselli*, inquit, *qui probo utuntur alimento & mari puro, carnis bonitate cum saxatilibus contendunt: qui vero pravo alimento utuntur, aut in aquis mistis & potissimum vitiosis degunt, carnis quidem mollitiem non abjiciunt, sed pinguitudinem ac lentorem acquirunt, propter quem neque*

neque suaves amplius, ut ante, manent, sed alimentum ex seipsis excrementitium reddunt. Cabeljavos in mistis aquis & vitiosis degere nemo gnarus dixerit umquam: quod mihi nunc satis.

§ 46. De *mugilibus* Hippocratis judicium habemus II. de Diæt. XI. 173. ὅκόσοι δὲ τῶν ἰχθύων ἐν τοῖσι πηλώδεσι καὶ ὑδρηλοῖσι χωρίοισι τὰς τροφὰς ἔχουσιν, οἷον κέφαλοι, κεφαλαῖοι, ἐγχέλυες, καὶ οἱ λοιποὶ τοιοῦτοι, βαρύτεροι· διότι ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ τοῦ πηλοῦ, καὶ τῶν ἐν τοιούτοισι φυομένων, τὰς τροφὰς ἔχουσιν: ἀφ' ὧν καὶ τὸ πνεῦμα εἰσιὸν ἐς τὸν ἄνθρωπον βλάπτει καὶ βαρύνει. *Quotquot piscium in cœnosis & paludosis locis alimenta habent, ut capitones, mugiles, anguillæ, & id genus cæteri, graviores sunt: propterea quod ex aqua, & cœno, & quæ in his nascuntur, alimenta habeant. A quibus etiam spiritus qui ingreditur in hominem, lædit & gravat.*

§ 47. Quibus in verbis hoc est notabile, quod & *spiritus* lædat gravetque hominem, qui ab ejuscemodi piscibus in ipsum ingreditur. In quovis alimento *duplex* substantia est, spirituosa & solida: in aliis tamen plus hujus, in aliis plus illius. *Spirituosam* nuncupo, quæ idonea est spiritescere seu converti in spiritum nostrum. *Solidam* vero, quæ liquescere quidem in fluorem, imo vaporem potest: non ita tamen, quin semper retineat potestatem redeundi ad soliditatem, modo defervere liceat, & tepescere quantum satis. Exemplar in vitulino jure habes. Cum calet enim, fluit aquæ instar; nec putaret inexpertus coire in tam spissam gelatinam posse. ita nunc succorum velut gelu vocant.

§ 48. Jam quod *spirituosi* habent isti Pisces alimenti, id vero spiritum humanum lædit & gravat. *Gravat*, quia feculentum. *Lædit*, quia gravat. *Feculentum* quid intelligas, intellige ex comparatione Ignei liquoris, quem eliciunt ejus rei periti ex Vino bono & Tritico malthino. Ita appello quod pluvio cœlo in spica aut quovis alio infortunio cœpit germinare & madore effeminari, atque operi pistorio esse inutile. (*Malthinum* Horatio 1. Sat. II. 25. molle & effeminatum: sic exponente Turnebo Adverss. VI. 9. XI. 23. Id nos in metaphora, *mouterigh.*) Ex hoc sublimatus & destillans liquor igneus quamdam longe subtilissimam secum favillam vehit: unde empyreuma illud est, quod

sapimus inter bibendum. Non aliter noster Ignis, ex paludosorum Piscium alimento separans spirituosum, ejuscemodi suliginum plus satis arripit & adjungit Spiritui vitali. Unde hic præter modum igneſcens & exhalans plus roridæ sanguinis substantiæ lambit & absumit secum. Hinc & ipse opacatur & corpus fit ponderosius. Quid mirum ergo, *gravari* Spiritum & lassari magis, quando & *ipse* paucior atque imbecillior, & *sanguis* immobilior est, & gestationi *corpus* minus idoneum. Ecce τὸ διότι, cujus τὸ ὅτι Præceptor modo tradidit. Nempe hoc *medico* sufficit ad usum: illud *physici* est, inquirere in causam, quare quodque fiat in natura.

§ 49. Insalubre itaque *mugilum* genus. Addit *vitio*, quod suavis non sit, nisi pinguis sit. *Pinguedo* autem omnis mala. *Rationem* Galenus reddit l. de Alim. fac. III. 27. Et quidem τὰ πίονα τῶν κρεῶν, καυσώδεα· non *pinguedo* tantum *carnium*, sed ipsæ *carnes pingues*, ut facile *inflammantur*, ita & *inflammant*. sic enim & commode & vere explicantur illa Hippocratis in II. de Diæt. XVI. 338. Pejor hac *pinguedo* Piscium est, maxime mugilum & anguillarum. de quibus Præceptor l. de Affect. int. t. VII: τῶν δὲ τὸ πιμελὼ πολεμιώτατον ἔχει πρὸς τὴν φύσιν τοῦ ἀνθρώπου· *illi enim pinguedinem habent inimicissimam naturæ hominis*. Paris malitiæ mugiles & capitones & anguillas esse didiceris non ex hoc tantum loco, & quem proposui paulo ante, sed & hujus libri altero qui est t. XIII.

§ 50. Sed de *anguillis* Hippocrates an vere affirmat? Aristoteles enim (VIII. Hist. II. 49.) testatur aut nihil aut parum pinguedinis habere. *Cur*, inquit, *mortuæ anguillæ non fluitant, ac ne sursum quidem efferuntur, veluti piscium pars maxima?* Ejus *causa* gemina. *Una*, ἔχουσι τὴν κοιλίαν μικράν, *habent ventrem parvum*. Unde aqua non implentur ut fluitent: sed quasi massa ad principia sua deferuntur. E limo enim ortæ sunt. *Altera*: δημὸν ὀλίγαν μὲν ἔχουσι, αἱ δὲ πλείστην οὐκ ἔχουσιν· *pinguedinem pauca habent, plurimæ non habent*. Sursum ergo efferuntur, quia carent pinguedine. Pinguia enim fluitant. Hæc quidem recte. Sed & vere noster. *Pinguis* anguilla dicitur, quoties πίον τὸ γοῦν *pingue corpus* habet.

habet. Sane extra carnem paucæ habent *adipem*, ut plerique quando ipsis bene est, in ventre & circa intestina: sed totum corpus rarum, viscidum ac valde aereum est. Cæsar in commentario amplius addit *causam* Cadaverum fluitationis, & in specie *supinæ* Marium ac *pronæ* Feminarum. de qua plenius Lev. Lemnius de Occult. nat. mirac. II. 6. In *verbis* Philosophi nota obiter τὸ δημὸν *pinguedinem* exponi. Hesychius: Δημὸν· λεῖπος [ex Varino legas, λίπος] ἢ ὄχλον. Ammonius de Simil. & diff. vocab. Δῆμος, τὸ πλῆθος τῆς πόλεως. Δημὸς, τὸ λίπος.

§ 51. *Pinguescit* vero Mugil miris modis. *Causam* dicit Philosophus VIII. Hist. II. 37: λαίμαργος δὲ μάλιστα τῶν ἰχθύων ἐστὶν ὁ κεστρεὺς καὶ ἄπληστος· διὸ ἡ κοιλία περιτείνεται. καὶ ὅταν ᾖ μὲν νῆστις, φαῦλος. *Gulosissimus piscium mugil est, & inexplebilis: idcirco venter ei distenditur. Et cum est jejunus, deterior.* Nempe cum ipse non capit cibum, cibo non est idoneus. Quia enim voracissimus est, se consumit, si alimentum non sumit. Voracitas indicium caliditatis est. Caliditas nacta plurimum limi concoquit felicius. temperatur enim. Et hæc ratio pinguescendi. Cum non vorat, macrescit. Ignescit enim calor, & incendit corporis pingue, digeritque. Hinc dolet. Dolorem prævenit sese distendens limo. adeo etiam, ut (si Theodori quam vertendo expressit mentem sequare) vix moveatur. Verba enim novissima interpretatus est, *& nisi jejunus sit, iners.* Quasi dicat, nisi jejunum non esse agilem τὸν τάχιστον τῶν ἰχθύων, *qui* alias *velocissimus* est *piscium*, ut dicitur IX. Hist. XXXVII. 253. Ergo pleni Mugiles pinguissimi & suavissimi sunt. Veneti tamen pluris indicant jejunos, rumpunturque clamitando, inquit, bonis esse intestinis: sic enim vitiosa cœno declarant eorum qui sint saturi. Commendantur autem jejuni, quia ibi in æstuariis saturi olent limum: sed cedunt pinguedine saturis jejuni. Et sane φαῦλος non significat *inertiam* ad motum, sed *ineptiam* ad gustum.

§ 52. Quæ quare adjecerim, vides. Ut videas nempe, *verum* Asellum & veteribus commendatum non esse Mugilem myxinum, utut *asellus* Dorioni sit dictus. Hoc pessulo remoto igitur patet janua ad id, quo tendimus. Adeamus ergo ad *negotium* prin-

cipale, & consideremus singulatim *notas*, quibus *asinum* Lucium esse cognoscamus certo. Sunt autem quinque.

§ 53. PRIMA *nota* est: Ὃν & ἔχει σῶμα ἀνερρωγὸς ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς. *Duo* sunt in his dubia. *Alterum*: γαλεοῖς legendum sit, an γαλέους. *Alterum*: Quid sit σῶμα ἀνερρωγός.

§ 54. Quod ad *prius*, Utrumque nomen piscis est: non unius tamen. De *isto* Suidas: Γαλέα, ὁ ἰχθύς. καὶ γαλεὸς, ὁμοίως. *Galea, piscis. & Galeus, similiter.* Theodorus apud Aristotelem passim, pro *galea* Mustelam reddit, pro *galeo* Mustelum. Parvum hoc, quod in vocibus discrimen est, magnam fecit in rebus ipsis confusionem. Quam præeunte Oppiano excussit examussitati judicii vir Jul. Scaliger in com. ad Hist. de Anim. II. 109. ex quo hæc compendio damus, quo liqueat deinde, cujus *ori*, Galei an Galeæ, assimiletur *os* Aselli.

§ 55. Τῶν στελάχων (quæ Plinius, à firmitate & flexibilitate simul, optime *cartilaginea* appellavit in IX. 24.) *genera* summa tria sunt: plana, longa, media. *Plani* cartilaginei sunt Bos, Raja, Squatina, Torpedo, Rana, Squatraia, Pastinaca, Lamia, Aquila. *Longi*, Lampetrarum species. De quibus eumpse consulas textu præcedente CVIII. p. 218. *Mediocris* longitudinis, γαλεοὶ: quos vocat Aristoteles Hist. I. 5. ac sæpe postea.

§ 56. *Galeorum* ipsi species: Canes, Vulpes, Musteli. *Canes*, majores & minores. *Illi* πελάγιοι & cetis maleficio tantum non pares. Hujus generis vix dubito fuisse, qui Prophetam absorpsit & revomuit postea in aridam, Jonæ I. 17: II. 10. nam de Balæna cogitare ignorantium est id mare non alere has feras. *Minores* Gaza *caniculas* appellat: Latini *catellos* & *catellas*. Floriacensis Excerpta de Piscibus: *Catelli*, γαλεοί. Glossarium vetus: Γαλεὸς, ἰχθὺς, *Catella*. De his Aldrouandus III. 32. 33.

§ 57. *Mustelorum* species: Centrinæ, Lævis, Acanthiæ. *Centrinas* vide apud eumdem Ulyssem III. 41. *Lævis*, III. 35. *Acanthias* seu *Spinos*, III. 40. Non enim est animus excutere quæ ad rhombum nostrum non faciunt. Aliter *ista* Oppianus digessit in I. 373. ubi vide, & enucleatius apud Scaligerum loco, quem nominavi. Ubi & Æliani ab Oppiano & Aristotele in istis discre-

crepantiam reperies. Tantum de Galeis, Muſteliſque.

§ 58. Sed *muſtela*, quis piſcis? Equidem non *lampetra*: quamvis id ſentiant aliqui. *Lampetras* enim eſſe quas βδέλλας Strabo vocat in XVII. p. m. 827. D: *muſtelas* vero, quas deſcribit Ælianus in XII. 11: *utraſq;* autem toto genere diverſas, argumentis demonſtravit tam illuſtribus Ill. Scaliger in com. 11. Hiſt. de Anim. XIII. 108, ut plane non videam quid queat opponi. Provinciales habent *marinum* piſcem, quem *muſtelam* vocant etiamnum. Eam depingit Rondeletius de Piſcib. IX. 16. Huic non diſſimilem ſe vidiſſe Scaliger teſtatur in Rhætico lacu Brigantino. quem *æmulas marinis Muſtelas generare* ſcribit Plinius IX. 17. Quod & Jovius confirmat l. de Piſcib. Rom. cap. XXXIV. qui & *eum hodie lacum Hydrium eſſe in Tridentinorum finibus* ait. Adducit & Sipontini in hanc rem verba Rondeletius de Piſcib. XIV. 3.

§ 59. Quibus præhabitis deſcendo ad quæſtionem, γαλεοῖς an γαλέαις legendum ſit noſtro in textu. Aldrouandus (de Piſcib. III. cap. 1. § Forma.) *poſterius* præfert, & Athenæi *locum corruptum eſſe non dubitat, legendumque* ταῖς γαλέαις. *Quas*, inquit, *Grammatici, ut erat etiam Athenæus, cum* τοῖς γαλεοῖς *ſæpenumero confundunt.* Crederem, ſi vel unum hujus culpæ conviciſſet. Cujus quem reum facere auſim, nemo quidem occurrit hactenus. Non adeo fas eſt inauditos damnare, & indefenſos, viros præſertim meritos de re literaria tam bene.

§ 60. Mea ſententia nihil refert, *utro* modo legas: quamquam ſtare pro libris malim. Patiar *femininum*, ſi Muſtela eſt, quam Rondeletius exhibet, & cui aſſimilem generat lacus Brigantinus. Sin, non patiar expungi *maſculinum*, ceu cui optime convenit comparari *os* Aſelli. Id vero liquebit magis explicato altero dubio, quo ambigebatur, quid intelligere oporteat per

§ 61. στόμα ἀνεῳγός. Dalechampius reddit: *quibus apertum os hiat.* Quid potuit inconcinnius? Neque melius Ulyſſes, quamvis correctionem profeſſus: *habet os patulum ſive hians.* Græcis *os patulum* eſt στόμα ἀνεωγός. Cyrilli gloſſæ: Ἀνεωγώς, *Apertus, Patulus, Propatulus.* Sic & *hiare* dicitur, quod ore aperto aut ſpiritum anhelat aut captat eſcam. Iſtud de *canibus*, deque *tauris* notavi-

mus x. 281. De hoc Seneca Epist. LXXII: *Vidisti aliquando canem missa à domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat.* Horatius II. Sat. v. 56: *corvum deludit hiantem.* quo de videsis ad Phædri Fab. XIII. Hoc ergo melius Ulysses, quod dicat *habere os patulum* sive *hians.* Male interim & sic. Neque enim Asellus *habet* Os hians, nisi cum hiat ad prædam ceu escam capiendam. Homines παντὶ χῇ κεχλωότας, seu *quibus os perpetuo hiat,*

Ponit Aristophanes fecunda in gente Meneni.

Scholiastes Avibus p.m. 549: κεχλωότες, οἱ μωροί. τὸ δὲ κεχλωέναι ἐπὶ τῶν ἀνοήτων λαμβάνεται. *Hiantes, stulti. Hiare enim de insipientibus usurpatur.* Polemon Physiognom. II. 14. inter notas μωροπονήρων ponit στόμα ἄζυρον, ἄκλεισον, ὡς διεχισμένον· *Os sine ostio, sine sera, quasi dissectum.* Pene gemina Adamantius habet. confer & Portam Physiogn. II. 16. IV. 19. *Labiis* ceu ostio *os non claudere,* oblivionosorum est. Tales vero stolidi. Vide & Barthium Adversar. XXXIX. 2. *Sine sera* Os loquacium est. qui & ipsi in illo sunt censu.

§ 62. Ulyssis *error* alius in accipienda voce στόμα. Significat ea non solum *rictum*, sed & *cavum* interius. Utramque significationem expressit Philosophus I. Hist. II. 25. καλεῖται δ', ᾧ μὲν λαμβάνει, στόμα· *vocatur pars, qua cibus capitur, os.* Admittitur *rictu*: immittitur in *cavum*: unde mox demittitur in gulam & ventrem. Ulysses de *cavo* accipit: Ταῖς γαλέαις *os excavatum est, ideoque hians ac patulum.* Sic vero non quadret ei τὸ ἀνερρωγός. Quibus enim talis est *rictus*, his hiatus vastior & prædationi aptior: at *cavitas* profunda minus, & minus pro ratione spatiosa. Homini rictus parvus, magna cavitas est.

§ 63. Miror vero, priusquam sic pronunciaret Vir inclytus, non considerasse prius quæ scribit Philosophus de *differentia* Oris, cum, in *genere*, Animalium, II. Hist. VII. 81; tum, in *specie*, Piscium, de Part. IV. 13. *Priore* loco scriptum est: τῷ μὲν γὰρ [τῶν ζώων] ἐστὶ τὰ στόματα ἀνερρωγότα, ὥσπερ κυνὸς καὶ λέοντος, καὶ πάντων τῶν καρχαροδόντων. τὰ δὲ μικρότερα, ὥσπερ ἀνθρώπου. τὰ δὲ, μεταξύ, ὥσπερ τὸ τῶν ὀφεων γένος. *Animalium quippe alius os est rescissum, ut cani, & leoni, & omnibus serratis: aliis parvum, ut homini:*

aliis,

Unable to display this page

§ 67. Quod ad *prius*, Rictum longissimum & Hiatum amplissimum tribuit in *genere* quidem, τοῖς σαρκοφάγοις: in *specie* vero, τοῖς καρχαροδοῦσιν. Est & hoc verbum eorum in numero, quæ sese ægerrime dant ad Latinitatem consequendam. Doctiores reddunt, *serrati*. quos modo sequebamur, quod aptius non occurreret. Non interea ignarus, in Onomastico τὸ *Serratus*, πτιονώδης exponi. Moschopulus ad Hesiodi Ἔργα 11. 222. p.m.132. καρχαρόδοντα· τετέσιν ὀξεῖς ἔχοντα τὰς ὀδόντας, ὡς εἶναι τὴν συστοιχίαν αὐτῶν ὥσπερ κεχαραγμένην, ὡς τὰ πτίονα. *Serridentia*: *hoc est, acutos dentes habentia, & eodem ordine ac modo dispositos, uti in serra.* Serræ dentibus assimiles dentes si forte princeps τῶν καρχαροδόντων Carcharias & præterea unus & alter habent, non tamen similitudo quadrat in potiorem partem.

§ 68. Quid sit καρχαροδεῖν, Hesychius exponit. Videlicet, τραχεῖς [ἢ] ὀξεῖς ὀδόντας ἔχειν· *asperos & acutos dentes habere.* Ubi cave *asperitatem* accipias de superficie: ea quippe lævis est, ut in cæteris. Acceperim potius de *recurvitate* mucronum; qui omnes, hamorum instar, sunt *omnino flexis mucronibus unci*, & gulam advorsum spectantes ipsâ figurâ ferociam ostentant. Quo de locum habes egregium in III. de Part. anim. 1: γαμψοὶ δέ, διὰ τὸ τὴν ἀλκὴν σχεδὸν ἅπασιν αὐτοῖς διὰ τούτων εἶναι· *Adunci sunt propterea quod robur pene omne ipsis exinde est.* Quod si non displicet, τὸ καρχαρόδους reddiderim *hamidens* Latine. Possis etiam τὴν τραχύτητα interpretari de *duritia* forti & feroci, quam habent istiusce modi dentes. Nam & in Cyrilli glossis τραχὺς, *ferox* exponitur: & ferociam suam solis dentibus Hamidentes pisces exercent.

§ 69. Cæterum, non in solo hoc subsistit *proprietas* Dentium in Serratis. Requiritur præterea, ut sint ἀμφόδοντες sive habeant ἄμφω τὰς σιαγόνας ὀδοντωμένας, *ambas maxillas*, superam inferamque, *dentatas*. Plinius τὰ ἀμφόδοντα interpretatus est *utrimque dentata*. Quod merito non placet Scaligero II. Hist. anim. 1. 61. Non enim componitur vox ex ἀμφί. *Vtrimque* enim est dextrum & sinistrum. Quod & in iis obtinet, qui solam inferiorem dentatam habent maxillam. At ἄμφω se refert ad utram-

utramque. Latini ad literam, *ambidens*. Festus: *Ambidens, sive bidens ovis appellabatur, quæ superioribus & inferioribus est dentibus.* confer ad Agellium xvi.6. ad Macrobium vi.9.

§ 70. Neque hoc satis. Requiritur *tertio*, ut clauso ore dentes unam velut seriem faciant. Faciunt hoc, dum vicissim occupant & implent alii aliorum intervalla. Hesychius: Καρχαρόδοντες, ὁμῶ καὶ ἀμφόδοντες, οἱ ἀντεμβάλλοντες εἰς ἀλλήλας τὰς ὀδόντας. Reddo: *Hamidentes, simul & ambidentes, qui obimmittunt dentes inter se invicem.* Libri, pro ὁμῶ, habent ὁμοίως: certo errore. Neque enim dubium, respexisse Grammaticum ad Philosophi quæ extant 1. Hist. 1. 65: Καρχαρόδοντα γάρ ἐστιν, ὅσα ἐπαλλάττει τοὺς ὀδόντας τοῖς ὀξέσι ὁμῶ. Pro quibus eruditissimus interpres: *Nam serrati dicuntur ipsi acuti, cum omnes simul mutatam habent superficiem.*

§ 71. Licet ne nobis de Cæsare dicere, quod ipse heic de Theodoro? *nisi alium diversum à nostro codicem habuerit ludit nos sua interpretatione.* Imo vero longe magis abit isthæc interpretatio à proposito Philosophi, quam Gazæ conatus iste: *series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se constipat.* Putavit certe Theodorus se sic ἐμφαλιωτέρως exprimere mentem auctoris, quam fecisset Plinius, qui *serrati pectinatim coeuntes*, dixit in xi. 37. Olim pectines sic committebantur, ut dentes unius intercederent dentibus alterius. Videre id in quibusdam etiam hodie.

§ 72. Τὸ ἐπαλλάττειν Philosopho est, quod ἀντεμβάλλειν Grammatico. Quo in verbo ἀντὶ oppositionem significat: ἐν intervalla quæ sunt inter dentes ejusdem ordinis & subeuntur à dentibus oppositis. Etenim maxillæ superioris dentibus ex adverso sunt interdentia inferioris: & vicissim. Dixi, *interdentium*: prorsus ut *intercolumnium* Cicero ad Q. fratr. iii: *intertignium* Vitruvius iv. 2. Quid ni liceat enim nobis verba facere nova secundum analogiam veterum, quoties sic poscit usus?

§ 73. Philosophi vero mentem egregia licet glossa expresserit Hesychius; non ita tamen, quin supersit singularis quædam emphasis in verbo ἐπαλλάττειν. Quæ ostendi meretur, vel ideo ut discamus vere Tullium monuisse in Hortensio: *Magna animi*

contentio adhibenda est in explicando Aristotele, si leges. Facit enim concisa & accurrata veterum oratio, ut, quantum verba ponderis habeant, non intelligas, nisi contra res ipsas ad fidelem rationis trutinam appendas.

§ 74. Τὸ ἐπαλλάττειν ergo hoc dicit: Dentium *alios aliorum vices implere.* Quia namque manifestis intervallis Serratorum dentes dirimuntur, eapropter nequeunt conscindere quod apprehendunt morsu, nisi oppositi, eorum qui velut deficiunt, & loca subeant & officia suppleant. Atque hæc demum vera *alternatio* est, sive per vices successio, cum in dentium superiorum inferiores, in inferiorum superiores quasi loco stant & faciunt, quod facere pro se quisque posset. Nobiscum est Phavorinus in καρχαρόδους. Τὰ ζῶα, inquit, τὰ κεχαραγμένους ἔχοντα τοὺς ὀδόντας, τουτέστι στρογγύλους, καὶ ὀξεῖς, καὶ ἐναλλάσσοντας ἑαυτῶν. Quorum hic sensus est: *Carcharodonta animalia sunt, quæ velut stilos ordine positos habent dentes, hoc est, teretes, & acutos, & alternatione continua alios aliis opem ferentes.*

§ 75. Romana in militia *stili* dicebantur præacuti pali terræ adfixi. Qui herbis & frondibus occulti, vel sine defensoribus, aditu adversarios prohibebant. Silius Italicus Pun. belli x. 414:

Et stilus occulitur, cæcum in vestigia telum.

Suidas, ad Ταρσοὶ καλάμων, memorat, quod Lazi, gens barbara, Romanos vicerint fuderintque, βόθρους ὀρύξαντες, καὶ δόρατα τοῖς βόθροις ἐγκαταπήξαντες, *scrobibus effossis, in quibus stilos defixerant.* Quod opus χάραξιν Græci, *orbitam* Latini appellabant. Illis, à *sudibus* appellationem desumentibus: his, à *scrobibus*, in quibus istæ defigebantur. Hesychius: Χάραξι· φραγμοῖς ὀξέσι ξύλοις. Nempe, *Charaxis est sepes acutis lignis facta.* Galli, *palissade.* Cyrilli lexicon: Χάραξ, *Sudis, Redica.* Vulcanius: *Pertica.* Fuit: *terricla.* Philoxeni glossæ: *Terriclæ*, χαρακίδες. Latinis sic appellatæ ex eo, quod terreant hostes aut bestias ingressuras. Iterum: Χάραξις, *Orbita.* Fuisse vero istas scrobes in orbem effossas, docet Lipsius Poliorcet. II. 2.

§ 76. Hinc vero quam optime nunc cognoveris, quid *proprie* Piscis καρχαρόδους sit, sive κεχαραγμένους ἔχων τοὺς ὀδόντας. Talis

lis videlicet, qui maxillas habet, qua se mutuo respiciunt, latiores & variis præacutorum dentium ordinibus exasperatas. Ordines isti pauciores sunt in aliis, plures in aliis. Videre est maxillas Carchariæ canis admodum multiplici stilorum serie horridas. Ordines isti sic sunt utraque in maxilla dispositi, ut clauso ore queant ἐναλλάσσειν ἑαυτῶν, hoc est, ut Phavorinus semet ipse explicat, μεταθέναι τὴν τάξιν ἀνταιρόφως· *ordinem vice versa transponere.* Quod fit, quo dixi modo: cum nempe utriusque maxillæ dentes oppositorum occupant interdentia. Hoc enim est ἐναλλὰξ ἐμπίπτειν apud Aristotelem III. de Part. anim. I.

§ 77. Dicebam vero *proprie* hæc καρχαρόδοντα dici. Alias quippe, ut & ibidem loci & in II. Hist. XIII. 113, ait Aristoteles, καρχαρόδοντες εἰσι πάντες οἱ ἰχθύες, ἔξω δὲ σκάρου· *Serrati sunt omnes pisces, excepto scaro.* Intellige *omnes* qui habent dentes. Quidam namque carent, ut balena. Mysticeto pili pro dentibus, ut in III. Hist. XII. 164. Excipere etiam *denticem* oportet, cui mutili sunt, & teretes dentes, atque æquales omnes, quasi paxilli, qui citharæ aptantur, uti ex autopsia affirmat Scaliger ad II. Hist. II. 68. Istic autem καρχαρίδες est idem, qui ἐξῆς ἔχων τὰς ὀδόντας, ὡς εἶναι τὴν συστοιχίαν αὐτῶν ὥσπερ κεχαραγμένην ὡς τὸν πρίονα· *acutos habens dentes, atque ea serie dispositos qua dentes in serra.*

§ 78. Nunc *causam* videamus, propter quam *carnivori* Pisces ejuscemodi Oris structuram, qua rictum atque dentes, acceperint. Dicit illam Philosophus loco jam allegato. Audiamus. ὅσοις μὲν βοηθείας χάριν, τὰ μὲν καρχαρόδοντα, πάντα ἀνεῤῥωγότα. ὅσοις γὰρ αὐτοῖς τὸ ἀλκῆς ἐν τοῖς δήγμασι, χρήσιμον τὸ μεγάλην εἶναι τὴν ἀνάπτυξιν τοῦ στόματος. πλείοσι γὰρ ἅμα μεῖζον δήξεται ὅσῳπερ ἂν ᾖ τὸ πλεῖον ἀναῤῥωγὸς τὸ στόμα. ἔχουσι δὲ καὶ τῶν ἰχθύων οἱ δηκτικοὶ καὶ σφυροφάγοι τοιοῦτον στόμα. Reddo, lucis causa, aliquo cum fenore: *Quibus os armorum vice in auxilium & tutelam sui datum est, velut serratis, ea id omnia habent rescissum. Quia namque unicum ipsis præsidium est in mordendo, expediebat magnum esse rictum oris. Pluribus enim & plus morsu apprehendere aptum natum est, cuicumque os longiore rictu & hiatu vastiore patet. Habent autem*

Unable to display this page

rum. *Similitudo* consistit partim in Structura, partim in Usu. In *structura* primum: nam utrilibet generi *rictus* prælongus, *hiatus* vastus, *dentes* serrati sunt, & multis ordinibus atque modis dispositi. In *usu* deinde: nam utrilibet ea structura comparata est ad raptum & rapti concisionem subitam. Nota vero, cum *Asinos* & *Asellos* pariter comparet Galeis, illos omnino esse ejusdem speciei debere & differre summum sola ætate: atque ita *asellos* esse Asinos juniores; *asinos* contra, Asellos adultos.

§ 83. *Cabeljavo*, si bene attendis, non adeo longus est rictus. At quia vasto *capite* est, hiatum facit ore aperto amplissimum. Est & *ventre* vasto, & in quem facile condat Asellum minorem, quem passim hodie, nos *schelvissum* vocamus. Sæpesæpius quippe inter exenterandum aliquis ejus generis & is sic satis magnus atque integer eximitur. Ut enim piscem devorant *totum*, ita & conficiunt. *Dentes* ipsi sunt serrati quidem, sed ordine simplici & breves valde, neque comparati ad concerptum momentaneum, sed ad piscem dumtaxat retinendum, quem ceperunt. In quo, non diu post capturam exemto, ne quidem vestigia apparent morsuum. Quæ si bene considerentur, non video, quo jure Cabeljavus dici possit habere os, qua formam atque usum, assimile Galeis sive eorum Catellis aut Mustelis. Præsertim si unius speciei sunt *asinus* & *asellus* Antiquorum. Etenim *cabeljavus* & *schelvissus* Recentiorum diversæ prorsus speciei sunt. Ita enim se res, quod ad species & ætates & nomina, habet, ut digessi paragrapho quarto.

§ 84. Nihil vero est in omnibus, quæ proposui, quod non bene in *Lucium* quadret. De *rictu* Aldrouandus v. 39: *Rostrum habet longum & rictum maximum.* Unde os diducens *hiatus* existit ingens. *Dentes* habet serratos & introrsum pene omnes inclinantes, ut sint totidem velut hami ad retinendum. *Habet* autem & superius & inferius. *Superius*: non in maxilla tantum, sed & palato. In *maxilla* innumeros. Sunt enim *ordines* ibi septeni. In quorum *intimo* seu primo dentes sunt longissimi & robustissimi atque ἐπικλείοντες τῶν κάτω seu clauso in ore spatia occupantes inferiorum, suis interim spatiis occupatis ab inferioribus. In

secundo & cæteris ordine extrorsum, minores minoresque, attamen discrimine non magno. In *palato* itidem septem ordinibus & tractu prælongo extant parvi quidem, verum acutissimi simul & firmissimi denticuli, universi introrsum seu ingluviem spectantes. *Inferius* deinde, non in sola etiam maxilla, sed & ipsa in lingua dentes longo ductu habet. In *maxilla*, quæ ultra superiorem prominet, *anterius* quidem breves & præacutos atque introrsum vergentes: *posterius* vero longissimos obtinet, & incisorios acerrimos. In *lingua* valde sunt similes iis qui in palato, præcipue qua structuram atque copiam. In Lucio *dentes plurimos, haudque uno modo dispositos & diversarum acierum*, etiam Ulysses agnoscit ex Alb. Magno.

§ 85. Quæ constitutio *oris* Luciorum prorsus est in eumdem *usum*, cui sua servit Galeorum. Ad raptum videlicet, & capti subitam velut comminutionem. Quo non parum confert *robur* quod in comprimendo incredibile habet in maxilla inferiore. Quam vero rapaces & ad raptum audaces sint Lucii, paulo post exponemus plenius, quando prius exposuerimus, quid sibi velint verba sequentia in textu proposito. Venio enim ad

§ 86. ALTERAM *notam*. quæ est: καὶ οὐ συναγελαστικός· *neque congregalis est*. Nota & hæc insignis. De qua nota, *primum*: τὸ συναγελάζεσθαι significare primo, *convenire*: secundo, *congregari*: tertio, *gregatim degere*. Piscium *multi* conveniunt, qui non congregantur: *multi* congregantur, qui tamen non degunt gregatim. *Conveniunt* unum in locum etiam inimici: at non *congregantur*, nisi amici: at *gregatim non degunt*, nisi sint ejusdem speciei. *Inimici* conveniunt, οἷς ἡ αὐτὴ καὶ ἡ παραπλήσιος νομὴ, ἂν ᾖ ἄφθονος· *Quibus esca est aut eadem*, ut alga, *aut similis*, ut cœnum quod algæ subest, *si large suppetat* atque ita non sit causa quare alteri alter invideat. Verba sunt Philosophi in IX. Hist. 11. 65. *Amici* congregantur cum aut fœti sunt, aut edidere fœtus, ut hos tueantur ab injuria. *Ejusdem* speciei denique vivunt gregatim, ut sint tuti ab hostibus.

§ 87. Nota *secundum*: τὸ μὴ συναγελάζεσθαι dici in plenitudine suæ significationis de *istis* Piscibus, qui segregatim degunt non tantum inimici, sed adeo etiam ut ne suæ quidem speciei parcant,

cant, quin bellum faciant valentiores imbecillioribus, eosque devorent. Hac de re præclarus est apud Oppianum locus in Halieut. II. 43. Quem vel propterea vide, quia crebro laudatur ab eruditis. Vide & eruditissimas Conr. Rittershusii notas & in illum & in 1. libri versum 336.

§ 88. In hac jam nota nobis argumentum est validissimum, *cabeljavum* Asinum non esse, neque *schelvissum* Asellum: sed *asinum* esse Lucium, *asellum* vero Lucillum. Rondeletius l. de Pisc. fluv. 13: *Aulici nostri Lucillum seu Lucium pede uno minorem Brocheton vocant; majorem, Lanceron; qui pedum duum triumve est magnitudine, Brochet.* Addit quod & verum & notabile est: *Lucius piscis etiam ad duûm triumve cubitorum longitudinem attingit in magnis lacubus Galliæ & Germaniæ.* Non *mentiri* Rondeletium, & alias certum est, & fidem facit, quod sæpe & patrem & patruos alios q; rei memores audivi narrantes, se pueris in fossa arcis Sjaerdemanæ, quæ Franekeræ Frisiorum est, fuisse captum Lucium longum duodecim pedum, crassum vero viri bene quadrati. Hoc vero *notabile* est, ut hinc constet, tales Lucios feritate nihil concedere marinis Canibus, neque ulli viventium rectius comparari.

§ 89. Hoc vero *argumentum* est, quod innuebam: *Cabeljavus* non est Asinus, neque *schelvissus* Asellus antiquorum, *quia* tam *hic* quam *ille*, suo tamen quisque in genere, *degit gregatim.* Quod adeo est de *utrisque* certum apud nos, testimonio eorum qui magno quotannis numero piscatum illos enavigant in altum (nam *in alto longeque remoto mari capi tantum*, dudum notavit Lev. Lemnius de Occult. nat. mirac. IV. 2.) ut pene non sit certius, Solem oriri & occidere quotquot diebus. Etsi vero *cabeljavus* in Schelvissos, *schelvissus* in minores alios pisces prædetur, neuter tamen grassatur in sui generis.

§ 90. E contrario *Lucius*, non modo segregatim degit, sed & suis, major aut potentior minoribus & impotentioribus, non parcit. Scaliger ad 1. Hist. v. 42: *Lucillum nos è Lucii ventre eximimus manu nostra.* vide & de Subtil. ad Card. exerc. CCI. Aldrouandus de Pisc. v. 39. § Forma: *Vidi ego magnitudine insigni Lucium, qui alium & ipsum insigniter grandem ventre contineret, &*

hic

hic murem aquaticum. Heic vero quid opus teſtibus? Abunde ſatis ſunt, quæ tum de ſuo tum ex Geſnero narrat Ulyſſes, qua de *natura* & *moribus* Lucii agit. *Ranas* captare Lucio ludus eſt: cujus ipſi autoptæ fuimus non ſemel. Unde & illas ſibi habet infeſtiſſimas & mira ſolertia ſibi inſidiantes atque oculos effodientes, quoties inſilire in caput ex inſidiis datur. Cujus rei ſe ſpectatorem narrat Dubravius de Piſcinis 1.6. *Glires* aquaticos vorare adeo eſt apud nos notum omnibus, ut hinc paulo majorem *een rotte-vanger* denominaverint. *Avibus* aquaticis, quas captare modo poteſt, non abſtinere compertum eſt. Etiam, canum feliumque catellos in vivaria conjectos devorare. Quin ea eſt cum voracia tum audacia Lucii, ut eapropter Poetæ cuidam ignobili dictus ſit *rex atque tyrannus aquarum.* citat Arnoldus de Villanova in com. ad Schol. Salernit. cap. xxx. Illa autem ratio eſt, cur ſoli vagentur Lucii & eodem in vivario incluſi minores ſemper majores devitent ac metuant occurrere.

§ 91. Quibus accedit *teſtimonium* Æliani de Animal. v.30: ὁ ἰχθὺς ὁ ὄνος, μονότροπός ἐστι, καὶ σὺν ἄλλοις βίον οὐκ ἀνέχεται· *Piſcis, aſinus dictus, ſolivagus eſt, & cum aliis vivere non ſuſtinet.* Saltem non cum carnivoris. Τοῖς ὠμοφάγοις, inquit Philoſophus IX. Hiſt. 1.8, ἅπαντα πολεμεῖ, καὶ ταῦτα τοῖς ἄλλοις· *Crudivoris omnia infeſta ſunt, & ipſa aliis.* Sane ita eſt, in feris bella ob cibum atque eſcam, ut in hominibus propter meum atque tuum conſeruntur. Feris cum ſua ſibi alimonia abundanter ſuppetit, etiam inter ſe degunt ferociſſima quæque tam in ſalo, quam ſolo, ut eodem libro obſervat Philoſophus cap. 1.9: & 11.59.

§ 92. Itaque *tincas* atque *cyprinos* ſi ſecum vivere & eodem in vivario degere patitur Lucius, cauſa eſt cibi tam copia quam diverſitas: non enim piſcibus piſces iſti victitant. *Tincam* etiam amari à Lucio ajunt, quod ſit ſuus medicus. Cardanus de Subtil. x. p. m. 298: *Mirum eſt illud, quod à tot audivi viris, ut impudentius fuerit tot teſtibus mendacium non credere, quam veritatem adverſus eorum auctoritatem tueri: Lupum piſcem fluuiatilem, quem Lucium vocant Itali, ſciſſo ventre oſtendendi lactis cauſa, inde conſuto, atque inter tinchas in vivariis repoſito ſanari humore earum, dum ſe illis*

lupus

lupus affricat ventre. Hoc tamen causam habet manifestam, cum viscera non sunt oblæsa, & humor ipse glutinosus, aerque ad corruptionem minime paratus. Aldrouandus præterea testes dat Jovium de Piscib. Rom. c. xxxvi: & Gesnerum de Aquatilib. iv. p. 594. l. 30. Majolus vero etiam, in Canicularibus suis, colloqii x. fine, Ortelium.

§ 93. Cardani ista narratio cotem præbuit Scaligero, quo acueret in ipsum & stilum & ingenium. Respondet exerc. cci: *Recitas, ut ais, de Lupo pisce miraculum: cui, diu, multumque ambigere videris, an sis fidem habiturus. Scito igitur verum esse. Demonstratum in publico vivario. Lucium ab emtore indicat piscator, aut piscinarius, quanti. Convenit, modo pinguis sit. Exemto alvum unam aperit, ostenditque, quantum subtus visceris. Si minus placeat: reddunt aquæ consutum. Etiam haut consutum ajunt quidam. Si verum est: Tinchæ affricatu, tamquam Sarcocolla de integro componi: jam desines mirari. Non æquum est, te ignorare, quod è piscibus gluten excipiatur. Quare & sine Tincha, quid prohibet? Secum enim ipse sibi fert, quod ferat suppetias. Nonne vides: esitando, tractandoque eum, ut nobis digiti cohæreant.* Est istud *gluten* Sanguinis glutinosum sive fibrosum fusum calore: *balsamum* Naturæ appellant quidam hodie. Efficax etiam humanæ carnis vulnera sanare, si modo arceatur aer.

§ 94. Quod cum suggillat Cæsar, non se Naturam prius consuluisse ostendit. Ait: *Tu vero ludis, cum videris adjuvare velle causam hisce verbis: Quod in ipsis aquis aer non sit paratus ad corruptionem. Quasi vero aqua non plus afferat vulneri, quam aer, corruptionis.* Ad quæ respondet Cardanus Actione i. num. 201: *dico nihil quod moveatur in aquis, putrescere, quod exedat aqua.* Hoc vult, siquidem recte capimus: Lucii vulnus eam ob causam conglutinari in aquis, quia non permittitur ejus labiis putrescere: putrescere non posse, quia haut umquam sordent: sordere non posse, quia abstergentur continuo: abstergeri vero natatione & aquarum appulsu atque lotione perpetua. Quibus paria aer præstare cum nequeat, hinc vulnerum quotquot aer contingit & afficit, transeunt in ulcera, sordida, diuturna, maligna.

§ 95. Quoniam ad hunc locum devenimus, videamus etiam Andabaticam summorum virorũ digladiationem de *nomine*. Cardanum monet Scaliger: *Lucium piscem cave appelles Lupum. Tam enim ab eo distat, quam Asinus à Lupo. Est enim ex genere Asellorum, fluviis aliisque dulcibus aquis peculiaris: sicuti mari Callarias, & aliæ species.* Exscripsit hæc Hugo Fridævallis de Sanit. tuenda IV. 29: sed ne laudato quidem viro, cui debebantur. Scaligero respondet Cardanus: *Lupum piscem marinum scio. Lupum fluviatilem à moribus Lucium quis poterit appellare.*

§ 96. Neque hoc vult Scaliger: sed Lucium *majoribus atque insignioribus meritis Lupi nomine dignum, quam Labracem Græcorum, qui noster est Lupus. Nam Labrax non prædonem significat, sed voracem. At Lupus ipse non latrocinatur, sed latrinatur. Lucius autem etiam sui generis minusculos & persequitur & devorat. Integrum enim Luciolum in Lucii ventre vidimus nos. Quamobrem aliquis fortasse Græculus, cum Aselli nomen ejus immanitati neutiquam congruere videret, Græco filo nomen texuit naturæ convenienter, contemta consuetudine.*

§ 97. Nimirum consuetudine obtinuerat, ut *asellus* diceretur *lupinâ* seu (ut Isidorus Orig. XII. 6. loquitur) *improba voracitate* piscis atque adeo nomen haberet suæ naturæ prorsus incongruum. Quo spectat haut dubie illud Ovidii in Fragm. Halieut. 479:

Et tam deformi non dignus nomine Asellus.

Hoc ergo ut cum magis congruo commutaret Græculus aliquis, *Lucium* nominavit, quasi λυκεῖον *lupinum* seu lupinis moribus præditum. Melch. Sebizius de Alim. facult. III. 14. pag. 986: *Lucius nomen suum sortitus est à Græco vocabulo* λύκος, *quod Lupum sonat. Vnde & Lupus appellari solet; quoniam instar Lupi piscis est rapacissimus voracissimusque. Insidiatur enim non alterius solum speciei piscibus, sed etiam sui generis. Venatur enim & ranas & animalia alia in piscinas aut flumina lacusque conjecta, v. g. feles, canes, mures. Testatum hæc fecerunt coqui & ancillæ, quæ Lucios exenterarunt. In illorum namque ventre animalia ejusmodi invenerunt.*

§ 98. Sed neque Cardanus *lucium* simpliciter appellaverat *lupum*: sed cum ἀβλαμψίᾳ & prudenti circumspectione. *Lupum piscem*

piscem fluviatilem, inquit, *quem lucium Itali vocant*. Quasi dicat: Italorum *lucium* revera *lupum* esse, sed *fluviatilem*: quemadmodum *lupus* videri possit *lucius marinus*. Qui ut inconvenienter naturæ suæ λάβραξ Græcis: similiter ille fuit *asellus* Latinis appellatus. Λάβραξ *lupum* haut recte dici docet Scaliger, quia prædo non est. Nec esse, si velit, possit: quia dentes non habet, ceu notat ad I. Hist. VI. 42.

§ 99. Posset videri *lucius* Latinis à λύκος dictus, deflexa appellatione ad modum sui sermonis. Hesychius: Λύκος, τοιὸς ἰχθύς· *Lupus, quidam piscis*. Ex quo apparet ἀβλεψία Rondeletii, affirmantis l. de Piscib. VI. II. *nomen* λύκου *cuiquam piscium tributum non reperiri*. Ideoque in illis Hicesii apud Athenæum VII. 7. (scribentis τὸν ἄνθιαν ὑπό μέν τινων λύκον, ὑπὸ δ' ἄλλων καλλιώνυμον· *Anthiam ab aliquibus Lupum, ab aliis Callionymum* dici) legit λάβρακα. In quam rescriptionem consentiat nemo, qui expenderit, quæ porro ibi ex Aristotele adferuntur. confer ad eruditissimum Casaubonum in Animadv. ad eum locum.

§ 100. Sed ut institutum peragamus, sit *lucio* Tinca familiaris, cæteris tamen piscibus adeo est infestus & invisus, ut piscinarum exstructores nihil habeant suis in curis prius, quam cavere ne quis Lucius in piscinam subeat, lupus & destructor futurus omnium, sumtus, spei, fructus, voluptatis. Enimvero quantopere etiam huic rei prospiciant, tamen Lucii reperiuntur in piscinis. Cujus quæ causa sit, juxta cum Occultis qualitatibus in profundo ignorantiæ velut cœno ignaviæ delitescit. Variorum opiniones Aldrouandus proponit. Vero simillima est Jani Dubravii de Piscinis III. 12: *Anaticulas* videlicet, luciorum ovis onustas, advolare sæpe ad piscinas, & in has vomitu reddere cruda atque incorrupta.

§ 101. TERTIA *nota* est: Καὶ μόνος ὅτος ἰχθύων τῶν καρδίαν ἐν τῇ κοιλίᾳ ἔχει· *Solus vero hic piscium cor in ventre habet*. Ælianus totidem verbis hoc ipsum de eodem testatur. Unde vix dubium est hausisse eodem è fonte. Quæ verba, si exponenda sunt ad literam, clara videntur. Obscurissima interim res est. Verba videntur hoc dicere: *inter pisces solum Asellum habere*

Unable to display this page

λίᾳ, τῷ ἰχθύι τῷ καλυμμένῳ ὄνῳ τὰ μάλιστα ἐοικώς. ὃν δή φησιν Ἀριστοτέλης, μόνον τῶν ἄλλων ζώων ἐν τῇ γαστρὶ τὴν καρδίαν ἔχειν. τοῦτον ἑκταπελόγαστρον Ἐπίχαρμος καλεῖ ὁ κωμικός. Τοιοῦτοι τῶν ἀνθρώπων οἱ εἰς γαστέρα πεπιθόμενοι, ὧν θεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. τούτοις οὖν ἀγαθὰ προεθέσπιζεν ὁ Ἀπόστολος, Ὧν τὸ τέλος, εἰπών, ἡ ἀπώλεια. Quæ sic vertenda putabam: *Ipse sibi sufficiens est victus Israeliticus: gentilis vero, superfluus. Sapiens quippe illo utens non volet umquam fieri* [velut] *qui mentem infoderit ventri, perquam similis pisci quem vocant Asinum. Quem ait Aristoteles solum ex cæteris animalibus in ventre cor habere. Hunc monstriventrem Epicharmus appellat comicus. Tales inter homines sunt, qui in ventrem crediderunt, quorum Deus est venter, & gloria in ignominia ipsorum, qui terrena sapiunt. Quibus nihil boni prædixit Apostolus: Quorum finis, inquiens, interitus.* Sunt hæc S. Pauli ad Philip. III. 19.

§ 105. Quæ interpretatio cum haut dubie recta sit, quis non miretur nobiscum, Mercurialem tam subito eam elevare, ut protinus subjiciat: *Quamquam aptius forte defendere Aristotelem posimus, si (quod scripsit Apulejus in prima pro se ipso oratione) eum dicamus scripsisse, Asellum piscem in media alvo gerere cor, cum alia animalia potius medio in pectore habeant.*

§ 106. Sed videtur non intellexisse Mercurialis, quam aut non perspexisset Philosophi mentem Apulejus, aut in alium plane scopum allegaret. *Leporis marini*, quem nominabant, *proprietatem omnium rarissimam* dixerat, p. m. 163. *& hercule memorandam*, & in hoc consistere, quod *solus ille, cum sit cætera exossis,* XII. *numero ossa, ad similitudinem talorum suillorum, in ventre ejus connexa & cathenata sint. Quod*, inquit, *Aristoteles si scisset, numquam profecto omisisset scripto prodere: qui aselli piscis solius omnium in media alvo corculum situm pro maximo memoravit.*

§ 107. Conferamus verba, & liquebit liquido, justam nobis esse querelam inofficiosæ interpretationis. Enim δὶς λαὸ πασῶν abit ab intentione Philosophi. Dicit hic: *Asinum* piscem præ cæteris sive solum τὴν καρδίαν ἐν τῇ κοιλίᾳ ἔχειν. Reddit ille: *Aselli solius in media alvo corculum situm.* Addidit de suo, *media.*

quæ quidem vis est manifesta. Cur deinde, *in alvo* dicere, quam *in ventre* maluit, aut *ventriculo?* pro quo cum alias poni, ostensum nobis supra VIII. 38: tum heic debere, ratio jubet, cum experientia dicat non *in alvo* Piscibus cor, sed supra septum esse situm, eo loco qui pectori respondet animalium pulmones habentium.

§ 108. τὸ κοιλίαν *ventriculum* Philosopho alibi significare, vix negaverit qui libros ejus vere philosophicos de Animalibus vel inspexerit, & vel illum solum locum viderit, qui est I. Hist. II. 25: καλεῖται δ', ὃ μὲν λαμβάνει τὸ στόμα· εἰς ὃ δὲ δέχεται, κοιλία· τὸ δὲ λοιπὸν, πολυώνυμόν ἐστι. *Vocatur autem pars, quæ cibus capitur, Os: in quam recipitur, Ventriculus: reliqua, multis nominibus appellatur.* Quo de loco judicium est maximi Interpretis: *Pulcherrimus cinnus orationis,* ὃ δέχεται τὸ στόμα, καὶ εἰς ὃ δέχεται. *Eodem verbo diversa repræsentavit genera, activum, & passivum: declaravit nomina, hoc enim est vestibulum scientiarum,* τὸ τὶ ὀνόματος: *ex quo,* τὸ τὶ ἰοῦ εἶναι: *tum autem atrium est,* τὸ λεγὰ τὶ: *penetralia autem,* τὸ συμπέρασμα. Nota autem, *tertiam* partem appellare, quæ excrementis sequestrandis & abducendis sit destinata. Ejus *nomina* multa ait: recte. Quia ne excrementa quidem unius modi, quædam liquida, quædam solidiora.

§ 109. Idem vero satis aperte significat Clemens, quando pro τῇ κοιλίᾳ reponit τῇ γαστρί. Quam vocem sæpe admodum pro *ventriculo* usurpari certum est: prorsus ut *venter* Latinis. *Hujus* videsis exemplum apud Plinium XIX. 5: & Juvenalem Sat. v. 6. *Illius* vero apud Hippocratem VI. Epid. IV. 6. Quin adeo hoc extra omnem controversiam est, ut ipsius respectu γαστέρες *Ventres* dicti Græcis Latinisque fuerint, οἱ περὶ τὸ γαστέρα μόνον ἀσχολούμενοι, καὶ μόνα τὰ τῆς γαστρὸς φρονοῦντες· *Qui circa ventrem solum occupantur, quæque ventris sunt sola sapiunt,* sicuti exponit Hesiodi scholiastes priscus ad Theog. v. 26. Liceat heic paulum digredi.

§ 110. De *Græcis* constat ex *testimonio* Epimenidis poetæ de gentilibus suis Cretensibus. Extat in epist. Pauli ad Tit. I. 12:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
Cres semper mendax, mala bestia, venter ineptus.

Addit

Addit Apostolus: *Testimonium hoc est verum.* Quare etiam monet Titum suum: ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει· *redargue ipsos severe, ut sane sapiant in fide.*

§ 111. Τὸ ἀποτόμως *præcise* reddit Beza: & recte quidem. Vox enim respicit illud Medicorum: *Vre, Seca.* Scilicet, ita est ut Hippocrates Aph. I. 6. notat: ἐς τὰ ἔσχατα νουσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. *Ad extremos morbos extrema remedia in rigore optima.* Sæpe *rigorem* Morbus extremus, *sæpe* non postulat. *Isto* in casu in nullo oportet Medicum minorem morbo inveniri, ceu notabam in VIII. 86. Quin persuasum habere sibi huc spectare, quod dicitur Aph. VIII. 6: *Quæcumque medicamenta non sanant, ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ignis sanat: quæ ignis non sanat, nihil sanabit.* Sed hoc consilium non extenderim ultra morbos manucurandos. In *cæteris*, Medicamentis curari aut Victu postulantibus, nulla facile vel ratio vel experientia rigorem definiat, sive extremi remedii satis cautum tutumque usum. Sed hoc alibi demonstrandum.

§ 112. Beza igitur *recte* quidem: at *luculentius* Erasmus τὸ ἀποτόμως *severiter* reddidit. Onomasticon: *Severitas*, ἀποτομία. Sane hoc verbum longe est ad animi sanationem accommodatius. *Severe* redarguit, I. *qui* Peccatum rigide & constanter accusat, objurgat, instat tempestive, intempestive, sine respectu personarum, ceu habens auctoritatem. qua de vise ad Jes. LVIII. 1. Ezech. III. 17: XXXIII. 7. Joh. XX. 23. collato Jer. I. 10. II. *qui*, ut Peccati gangrænam extirpet, horrorem audet peccatori incutere, cum detegendo ejus turpitudinem, tum exponendo merita quæ manent peccatorem & in hac & in futura præsertim vita. Si modo vita, & non potius mors appellanda est, quam quis agit extra Christum, in quo solo vita est, quæ est: Joh. I. 4: VI. 35. 48: XI. 25. 26. III. *qui*, ut Peccatum enervet & obtundat aculeum Mortis, cum omni longanimitate docet, quemadmodum, abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, præsenti in seculo vivere sobrie & juste & pie oporteat eum, qui desiderat victoriam in Christo consequi & eam extorquere hostibus spiritualibus, quibuscum nobis omni tempore luctandum est: 2. Tim. IV. 2. Tit. II. 12. Eph. VI. 12.

§ 113. Qui

§ 113. Qui sic didicit vivere, is demum ὑγιαίνῃ seu *sane sapit* & *bene valet* mente ac conscientia, & *in fide* πάντα ἰσχύῃ ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι αὐτὸν Χριστῷ *omnia potest per eum qui irroborat ipsum Christus*: Phil. IV. 13. *Sane sapio*, Plautina phrasis est Amphitr. act. I. sc. I. 292.

§ 114. Sed ad *versum* ipsum, quem Eumenidis esse, non Callimachi, bene Beza docuit ad hunc Apostoli locum. *Versus* sane ingeniosissimus, & paucis comprehendens atque enarrans *omnem* Cretensium *cum* Naturam *tum* Vitam, foris atque domi.

§ 115. *Natura* quales? θηρία κακά. Scriptura sacra *bestias* appellitare consuevit homines & societates hominum carnaliter sapientium. vide Jes. LVI. 9. Dan. VII. toto, & alibi sæpius. Hujuscemodi *bestiarum* duplex genus est & fuit in mundo semper.

§ 116. *Alterum*, quod Vitam instituit ex formula Virtutis imaginariæ, quodque Deum reverenter habet: sed quem? & quo modo? Quem fingit sibi. quæ pura & puta εἰδωλολατρεία, *idolicultus* est. Philoxeni glossæ: *Imago*, εἰκών, εἴδωλον. *Tale* est, quidquid homo sibi ad colendum triunum Deum fingit aut pingit, sive rei sive modi, cujus vel umbram non reperit in Scripturis sacris & præceptis Dei. Infallibiliter id collegeris ex Deut. IV. 12. 15. Lev. XVIII. 3. 4. 5. collatis, cum isto, Rom. I. 21. 23: cum illo, 2. Reg. XVII. 19.

§ 117. Ἐθελοθρησκείαν vocat Apostolus ad Coloss. II. 23. Suidas: Ἐθελοθρησκεῖ, ὅστις τῷ ἰδίῳ θελήματι στέβει τὸ δοκοῦν. Reddam: *Voluntarie religiosus est, quisquis ex propria voluntate colit quod sibi placet.* Quem cultum ipsi Gentiles damnarunt. Ita in XII. Tab. legas: *Nemo privatim habessit Deos.* Habet, quisquis vel circa Objectum religionis vel circa Religionem ipsam non captivat cogitationem suam ad obediendum Christo, & doctrinæ ejus sine ratiocinatione se subjicit. Plato ipse in Eutyphrone docuit *religionem* debere non nisi divinæ voluntatis imperio definiri. Et vero quid est decentius, quam ut ab ILLO, qui jus & potestatem habet sui cultum imperandi, etiam accipiamus modum se colendi, deque rebus ad se & nostram salutem attinentibus sentiendi, loquendi? Valeant itaque ratiocinationes Philosophorum

rum gentilizantium & Theologorum philosophantium, qui præter formulam pietatis, quam nobis in Verbo suo gratiose patefecit Deus, exhibent aliam: nempe quam, obstetricante Ratione status, è cerebro suo peperit Jupiter Capitolinus, humeros firmantibus Ambitione & Avaritia.

§ 118. *Alterum*, quod malum nihil putat, nihil illicitum, nisi quod leges publici boni causa vetant puniuntque. In cæteris

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Quæ quam viperina nullo non in homine deliteant, satis explanate dicunt Jes. LIX. 4. Ezech. XVI. 3. Rom. III. 10. confer & ad Amesii Med. Theol. I. 12. Satis interim circumscripte breviterq; & naturam horum & vitam depinxit Lucilius in his versibus:

Nunc vero à mane ad noctem, festo atque profesto
Totus item pariterque die, populusque, patresque
Lactare, indafori se omnes, decedere nusquam.
Vni se atque eidem studio omnes dedere, & arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare, dolose
Blandiri, certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

§ 119. Utrique θηρία dicuntur in sacris: *isti* quidem, καλά: *illi* vero κακά. Homines animales inquam (sive qui ὅσα φυσικῶς, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα, θηρῶν), ἐν τούτοις φθείρονται· *quæ naturaliter, velut bruta animalia, sciunt, in iis corrumpuntur*, uti S. Judas ait) coram Deo adinstar *bestiarum* sunt omnes. Quos si ex moribus æstimes, quidam *pulchræ*, nec incongrue, appellari possunt: alii *feræ*, quibus scilicet ingenium turpiter brutum est, & cum humano vix comparabile. Quos & eapropter *bestias* simpliciter appellare consuetum est etiam scriptoribus. Lactantius De vero cultu VI. 17: *Spectatæ sunt, spectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sævierit.* Severus Imp. apud Æl. Lampridium p. m. 132. E: *Neque enim sub nobis ista facienda sunt, quæ sub impura illa bestia* (Heliogabalo) *nuper facta sunt.* Confer Psal. LXXIII. 21. 22: XLIX. 13. 21. Jobi XVIII. 3.

§ 120. *Conversatione* quales? ἀεὶ ψεύστας. Qua nota turpior esse alia non potest. Ea quippe significatur, nihil in sermone verum, nihil in moribus fidum, nihil in conversatione tutum esse: econtrario, vana omnia, & subdola, & noxia. ἐπεὶ τὸ ψεῦδος, ὥσπερ μετά τινος δόλου εἰρημένον, οὐκ ἀργός ἐστι λόγος, ἀλλ' εἰς κακίαν ἐνεργεῖ· *quandoquidem mendacium, ceu quod aliquo cum dolo sit dictum, non est otiosus sermo, sed ad malitiam operatur*: ut verissime dictum est à Clem. Alexandrino Strom. VII. p. m. 731. A. Quin Epænetus, apud Plutarchum in Laconicis, non minus vere: πάντων σοὺ ψεύστας τ' ἁμαρτημάτων καὶ τ' ἀδικημάτων αἰτίους εἶναι· *Mendaces omnium peccatorum atque scelerum reos esse & auctores.*

§ 121. Si ita est, non jam dicam cum Sophocle Trach. 457, ἐλεύθερῳ *ingenuo*, sed cuicumque, qui nominat nomen Christi,

Ψεύδει καλεῖσθαι, κἠς πεύσεσιν κακή·
Habito mendaci sors iniqua contigit.

Quid enim est infelicius, quam omnium odiis exponi & ceu inutile ac cancrosum membrum præscindi à societate & convictu bonorum? Quibus tamen expedit abscindere mendaces, non tantum quia per illos inquietantur, sed &, ni caveant, inficiuntur & corrumpuntur paulatim. confer Apostoli cum *votum*, Gal. v. 12; tum *monitum*, 1. Cor. xv. 33. Quo de confer rursus Erasmum in Adagiis. Quapropter exhorrescentes mendacium, loquamur veritatem quisque proximo suo. Quo nos magno sane argumento S. Paulus vocat, Eph. IV. 25: *Quia sumus alii aliorum membra.* Etenim *in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus*: scilicet, *ut ne dissidium sit in corpore, sed idem pro se invicem curent membra*: 1. Cor. XII. 13. 25.

§ 122. *Vita* denique, seu domestica vivendi ratione, quales? γαστέρες ἀργαί. Circa hoc *duo* quæremus obiter: *alterum*, Quid verba hæc significent: *alterum*, Quare hoc poeta adjecerit.

§ 123. Quod ad *prius*, Phavorinus: Γαστέρες, οἱ τροφῆς μόνης ἐπιμελούμενοι. *Ventres, qui de solo cibo sunt solliciti.* Apud Hesychium gemina extant, sed bis vitiosa, & hinc emendanda. Addit poeta, ἀργαί. Gul. Canterus Nov. lect. I. 16, γαστέρες ἀργὰς expo-

exponit *Ventres avidos & audaces*. Ego, versus gratia, *venter ineptus*, dixi. *Ineptum* vocant Latini, quod est alienum à re, à persona, causa, loco, tempore, modo. Glossarium: *Ociosus*, ἀργός. Cyrilli glossæ: Ἀργία, *Ocium*, *Cessacio*, *Socordia*, *Oscitantia*, *Pigritas*. Quare hoc *epitheton* Ventribus convenit vel inprimis.

§ 124. Cæterum, ut intelligas, qui dicantur *otiosi*, sciendum est: *Otium* triplex esse: bonum, malum, medium. *Bonum* est, qua *corpus*, quies post laborem, reficiendarum virium causa: qua *animum*, vacatio à peccatis, & occupatio in studiis sapientiæ atque virtutis, ut proficias & perficiaris in fide, spe, & charitate. *Malum* est otium, non laborare & laborem tamen alterius edere: non agere quod possis & debes, cum muneris, tum vitæ ratione. Isidori in glossis legitur: *Rendis*, *Requies otiosa*, hoc est, *negligens*, ut ego accipio. Quo in otio vel inprimis negotium est maximum pessimum, juxta illud Ennii in Iphigenia apud Agellium XIX. 10:

Otio qui nescit uti, plus habet negotii,
Otii minus, quam cum est negotium in negotio.
Nam cui quod agat institutum est, is nullo negotio
Id agit, studet ibi, mentemque atque animum delectat suum:
Otioso in otio animus nescit, quid quidem velit.
Hoc ita est, neque nunc domi nos, neque nunc militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum est, ire illinc lubet:
Incerte errat animus, præterpropter vitam vivitur.

Ita enim hos versus conceptos à Poeta fuisse docet Cl. Vossius in Castigat. ad Fragm. veterum Tragicorum. Quare merito eum sequebamur. *Medium* denique, cum servi cessant ab opere, ad quod sunt conducti, quatenus licet conceditur que, citra mandatum aut vetitum.

§ 125. Memorabile est ista occasione quod Veteri in Vocabulario legitur. *Triplex est ocium: scilicet, Destitutorium, quod est ribaldorum, qui Athenis suspendebantur. Restitutorium, quando quis cessavit à labore & iterum accedit ad opus. Retributorium, quod datur emeritis & senibus.* Italicum est *ribaldus*. Martinius in Lex. philolog. exponit *nequam*, & deducit ab Italico *ribellar*, quod est *rebellare*, & putat inde *nequam* dictum *ribaldum*,

quod contra omnes virtutes rebellet. Quod ſane eſt male otioſorum. Unde *pulvinaria Diaboli* vocantur apud nos. Noſtrate ſermone talis, *rabaud* appellitatur. Quod haut dubie mutuavimus à Gallis, qui *ribaud* dicunt. De *pœna* Ribaldorum & præter rationem otioſorum multa Zuingerus in Theatro p. 3457.

§ 126. Heic loci pejorem in partem dici τὸ γαστέρες ἀργαί, *Ventres otioſi*, ex prædicatis præcedentibus oppido liquet. Poetam puto per appoſitionem ſcripſiſſe, γαστέρες ἀργοί. Certe hoc malo, præeunte Phavorino in Γαστήρ. Ubi inquirens in originem vocis γαστριμάργος, putat quod κατ' ἀντίφρασιν ſit ὁ ἀργὸς γαστέρᾳ, idque κατὰ τὸν εἰρηκότα τοὺς κρῆτας γαστέρας ἀργοὺς, *ſecundum eum, qui Cretenſes dixit ventres otioſos*. In quo falli Grammaticum cognoveris ex Clem. Alexandrini Pædag. II. 1. p. m. 146. B. ἡ γαστριμαργία οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἢ ἀκρασία περὶ τὴν τροφήν. ὡς δὴ καὶ τοὔνομα περιέχει, μανία ἐπὶ γαστέρα. ἐπεὶ μάργος, ὁ μεμηνώς. *Gaſtrimargia nihil aliud eſt quam intemperantia in cibo: quemadmodum & nomen ipſum innuit, inſania in ventrem. Margus enim, inſanus.* Heſychius: Γαστριμάργοι· τῇ κοιλίᾳ μαινόμενοι, ἀκρατεῖς, ἄπληστοι, πολυφάγοι. *Gaſtrimargi, qui ventre inſaniunt, intemperantes, avidi, comedones.* Hi vero ſunt, quibus *venter velut ſolarium eſt*, ut ex Plauti Bæotia repetit Ammianus Marcellinus l. XXIII. p. 279. qua de Caſpiis. viſe, ſi placet, ad Lindenbrogii in eum Obſervationes, aut Hadr. Junii Adagia.

§ 127. *Poſterius*, Quare nempe non ſatis habuerit Poeta dixiſſe de Cretenſibus, quod *mendaces* eſſent & *malæ beſtiæ*; ſed addiderit inſuper, *ventres otioſi*: ejus cauſam egregie explicat Caſp. Barthius Adverſ. XLVII. 20. videlicet, *ne quis opinari poſſet, aliquo errore, communi etiam cæteris mortalibus, opum quærendarum cauſa eos ſolertia quadam ad reponendum multa converrere & contrahere, ne inopiam metuere habeant.* Hanc quippe opinionem ut demat, oſtendit etiam privatim meros pigroſque ventres eſſe, & ſuum inſtar in fœda ingluvie ſe volutare, ſeque totos occupare in cura cuticulæ, tamquam ventri ſoli nati forent. Quin iſto amplius ſignificat, idcirco illos mendaciis ſerio dare operam, ut iis nunc hunc nunc illum circumveniant, quem his

retibus

retibus irretitum prædentur & ſpolient bonis; quo ipſi habeant, quod in voluptates ſuas inſumant. De quibus Radulfus Ardentius Hom. XXXIX. in Epiſt. III. Quadrageſimæ: *Qui plus colit ventrem quam Deum, Ventrem ſibi conſtituit Deum.* vide Philipp. III. 16. Inde illud Ergaſili apud Plautum Capt. act. IV. ſc. II. 97: *ita me amabit ſancta Saturitas!* jusjurandum, ſcilicet, hominis, ὃς ἦν γαστρὶ χαριζόμενος (ut Theognis loquitur in Gnomis 916.) ſive *qui ventri tantum gratificabatur*, & erat ſuo merito eſuriem dignus, nomine ſaltem hominis indignus. Numquam quippe quiſquam magis brutum eſt, quam cum ſaturitatem pietatis habet loco, & in iſta ſummum collocat bonorum.

§ 128. Quos à Latinis quoque appellatos *ventres*, conſtat ex Lucilii Sat. V.

Vivite Lurcones, Comedones, vivite Ventres.

Feſtus: *Lurcones, capacis gulæ homines & bonorum ſuorum conſumtores.* Nonius I. 34: *Lurcare eſt cum aviditate cibum ſumere.* Unde eſt noſtratium *lurken.* Scaliger de Cauſ. ling. Lat. c. XXII, id verbum deducit à ſonitu quem vorantes ſeu avide comedentes edunt. Sic *lurcare* eſſet, quod Belgæ dicunt *ſmakken*, quod & nos finximus ad ſonum. *Comedo* procul dubio idem qui *comeſor* Iſidoro in Etymol. X. lit. C. ſive qui gulæ ac ventri immodice deditus comedit omnem ſubſtantiam ſuam.

§ 129. *Ventrium* primo in cenſu paraſiti. Quos eapropter *ventris operarios* Tertullianus appellat l. de Patientia c. XVI. *Patientia*, ait, *gentium terræ, falſa, probroſa, illa eſt, quæ ventris operarios, contumelioſis patronis ſubjectione libertatis addicit.* Ad quæ Beatus Rhenanus: *Appellat operarios ventris, cum paraſitos & alienarum menſarum aſſeclas, quibus nihil aliud magis curæ eſt, quam ut ventri ſatisfiat: tum eos, qui ſe in divitum clientelam tradunt, quibus illi poſtea abutantur. Nam contumelioſorum patrociniorum nomine Patronos contumelioſos intelligit, quibus tamen ob ventrem replendum clientes, imo propudioſa mancipia nuſquam non obſequantur.* Recte cepiſſe Tertulliani mentem, ex ipſiuſmet Apologetico apparet cap. XXXIX: *lucrum eſt pietatis nomine facere ſumtum. ſiquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam*

famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium.

§ 130. Istud genus hominum servilium seu vilium animarum Græci appellabant etiam γαστρὶ δουλεύοντας. Plutarchus in Symp. IV. initio, non minus eleganter quam vere, τῇ γαστρὶ συνδείπνους, ἀ τῇ ψυχῇ, *ventre convivas, non animâ.* Crates Cynicus, referente Cicerone in Lælio, appellare solebat συκοφαντοφάγους, id est, *ad nutum manducones*; quod coepulantes aliis, annuere dictis omnibus, ventris causa, necesse habeant. Videatur Terentius Eunuchis act. II. sc. II. 17. aut Euripides Oreste apud Stobæum Serm. LXIV.

§ 131. Præ cæteris pervenusta est & elegans appellatio, qua istos mensarum assectas insectatur Aristophanes in Avibus p. m. 617. E. Meretur, præsertim cum sit brevis, exscribi ex toto: nam & lucem addunt iis, quæ diximus supra § 109.

Ἔστι δ' ὧν Φαναῖσι, πρὸς τῇ
Κλεψύδρᾳ πανοῦργον ἐγ-
γλωττογαστόρων γένος.
Ὃ θερίζουσίν τε καὶ σπεί-
ρουσι κ' τευγῶσι πᾶς γλώτ-
ταισι, συκάζουσί τε.

Quæ sublatis pedibus sic reddo: *Phanis ad Clepsydram versipelle genus hominum est, quod linguam in ventre habet. Seminant, metunt, vindemiant, ficusque legunt lingua.* Scholiastes: Ἐγγλωττογαστόρων· τοὺς διὰ τῆς ἐγκρατείας πένητας. Fallitur. Non ludit quippe suggillatque eos Comicus, *qui manu vitam tolerant*: verum eos, *qui lingua victum quærunt*; & *quasi mures semper edunt alienum cibum*, ut de se & sui similibus testatur Parasitus apud Plautum Captiveis act. I. sc. I. 9. Itaque *in ventre linguam habere* dicuntur, quibus in solius ventris curam atque commodum semper est intenta, & hacpropter sermone se totos componunt ad placendum & assentationem, ut placendo comparent unde ventri sit bene. Hoc in ordine non penulati tantum, sed & togati sunt. Malim esse Codrus, quam β penulatorum, si sim α togatorum.

§ 132.

§ 132. Ex iis itaque, quæ hactenus disseruimus, apparet, quid sit *in ventre cor habere*: videlicet, hoc unum curare, ut farta semper sint intestina: & ut sint, nihil vile, turpe, sacrum putare; omnia audere, nec curare quo jure, qua injuria. Quale genus *ferarum* cum inter *homines* reperiatur nimis frequens: quid miramur, in *piscibus* Lucium reperiri, qui lupus sit incolis aquarum dulcium.

§ 133. Quæ si consideres, in promtu est ratio appellationis. Dicitur enim *lucius*, non quod siccatus luceat noctu, ut Bellonium arbitratum refert Gesnerus de Aquatilib. p. 593. l. 31: id enim falsum est: sed quod revera sit lupus, & formam atque mores simillimus marino. Quem *Merlucium*, quasi *Maris lucium* Gallis dici primum testati sunt Petr. Bellonius de Aquatilib. 1. p. 122. & Rondeletius de Piscibus IX. 9. Batavis similiter Lucius dicitur *snoek*: Lupus vero, *ze-snoek*. Qui itaque vetus verumque nomen ignorabant, hos admodum verosimile est à *moribus* Piscem hunc λυκεῖον appellasse, hoc est, ut in glossis Hesychianis exponitur, φοβερὸν: quod comperissent nempe dulcibus aquis esse *metuendum* præ aliis cunctis in eisdem viventibus piscibus.

§ 134. Neque aliud Epicharmus voluit, quando in nuptiis Hebes nubentis Herculi memorat appositum quoque ὄνον ἐκτραπελογάστορα, *Asinum monstriventrem*. Heic iterum mirifice laborat Aldrouandus, ut *asinum* hunc transformet in *cabeljavum*. *Quod si item quis Epicharmum saltem nobis adversari dixerit, qui* ποικιλογάστορας ὄνους *cognominavit apud Athenæum* VII. 18. *id est, vario ventre Asellos, cum unicolor sit nostri piscis venter: huic quoque responsum volo, & hunc quoque locum viris doctissimis suspectum esse, cum in toto Asellorum genere nulli maculatus venter sit: legitque Hadr. Junius in Adagiis* ἐκτραπελογάστορας, *id est, ventrem habentes portentosum, eo nimirum fretus argumento, quoniam Athenæus huic piscium soli cor in ventre esse dixerat: quod cum cordatis viris haud verisimile sit, libenter illi subscribo, qui* πελογάστορας *legendum censuit, id est, ventricosos, cum noster Onos in ventrem summopere excrescat.*

§ 135. Terminus iste medius si probi valoris est, jam ego inferam,

feram, *Lucium* hodiernum esse ipsissimum *asinum* Veterum. Ex tua sententia enim: *Qui* piscis habet genuinam *notam* Asini, est asinus: at *lucius* eam notam habet. Est enim *ventrosus*: te fatente, *necesse esse ut latissimum habeat ventrem hoc genus piscium.* Quare? quia vidisti *magnitudine insigni Lucium, qui alium & ipsum insigniter grandem ventre contineret, & hic rursus murem aquaticum*: lib. v. cap. xxxix. p. 631. c. Imo audet invadere *majorem* Lucius, præut admitti in ventrem totus queat. Tunc tamen retinet etiam, & contrita parte quam devoraverat, deinde aliàm atque aliam attrahit in ventrem, donec confecerit totum. Hujus se testem oculatum Gesnerus profitetur. Sed examinemus rem propius. Nimis enim istud levidense est, præut satisfacere intentioni Aristotelis queat.

§ 136. Casaubonus monet plerosque Athenæi codices scribere, σκῆπες πελογάστορες. Quæ scriptio omnino præ se fert vestigia ejus, quam proposuimus ex Clemente. Apud quem vidimus σκτραπελόγαστρον. Pro quo σκτραπελογάστορες legere & heic Sylburgius ex analogia jubet. Ita apis, φὼρ *fur* dictus, πλατυγάστωρ *Lato ventre* dicitur à Philosopho in IX. Hist. XL. 336. Ita εὐγάστωρ est, qui *ventriosus* Plauto Asin. act. II. sc. III. 20. Ita ἐγχειρογάστορες Hesychio exponuntur οἱ ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶντες, *qui de manibus*, h. e. labore manuum suarum *vivunt*. Nostrates dicunt: *die't van de hand gaet inde tand*. His manuum otia, ferias dentibus, ventri esuriem pariunt.

§ 137. Τὸ ποικιλογάστορες merito & ex vera ratione rejicit Ulysses, præeunte Hipp. Salviano de Piscib. Hist. XXI. Dalechampius interim, licet eam lectionem servaverit in vertendo, in Annot. tamen agnoscit Junii correctionem. Quam cum pariter Aldrouandus rejicit & in locum reponit πελογάστορας: sane ostendit se neque mentem Junii assecutum, neque vim vocis adoptivæ.

§ 138. Græcum non puto πελογάστωρ. Si sit: opto doceri, quis usurpet. Hesychius duo nobis suppetit, πέλωρ & πέλωρον: quæ fortasseau Græcis haut invitis coire in dictionem jusseris cum τῷ γαστήρ. Cum quo quodcumque illorum se conjunxerit, nascetur πελωρογάστωρ. Posset hoc admitti, si membranæ quid tale præ

se

Unable to display this page

cesse abire à lectione quam proposuimus in textu, & nostro in libro habemus ex jussu Casauboni. Non equidem alia ratione Epicharmus ἐκτραπελογάστορας ὄνους *monstriventres asinos* dixit, quam quod *monstrosum* sit habere ventrem adeo rapacem, ut suo simili non parcat, quo alias universa Natura gaudet, juxta Platonis illud in Protagora p. m. 234. F: Ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ, φύσει συγγενές ἐστι· *Simile simili, natura cognatum est.*

§ 143. Ἐκτράπελον dicitur πᾶν τὸ τῆς κοινῆς φύσεως ἐκτρεπόμενον, *quidquid à communi seu ordinaria natura degenerat.* Hanc verbi vim intellexeris ex Hermogene de Form. orat. II. 10: ubi proprias & familiares poesi esse fabulosas omnes sententias ait, & facere homines alatos καὶ σωμάτων τινὰ ζῶα, ἢ ἐκτράπελα, οἷον, Πήγασοι, Γοργόνες, καὶ ὅσα τοιαῦτα, *& composita quædam animalia, aut monstrosa, quales sunt Pegasi, Gorgones, & id genus.* Plinius VII. 16. de pueris monstrosi incrementi loquens, *Ectrapelos*, ait, *Græci vocant eos: in Latino nomen non habent.*

§ 144. Hactenus, ni fallor, feliciter nobis sub manu res processit. At quo minus inoffenso pede procedamus, Ælianus facit, qui I. de Anim. v. 20, hoc *asellis* quidem, sed *marinis* tribuit, *qualis* Lucius non est. Ὅν, inquit, ὁ θαλάττιος ἐν τῇ γαστρὶ πλὴν καρδίαν ἔλαχεν ἔχειν, ὡς οἱ δυνάτατοι αὐτὰ ὁμολογοῦσιν ἡμῖν, καὶ διδάσκουσιν. *Asino marino datum habere cor in ventre, quemadmodum peritissimi eorum asseverant nobis, & docent.*

§ 145. Oratio hæc talis est, ut plane nos adducat in hanc opinionem: Ælianum istud *secundum literam* intellexisse. Quod verum esse, nemo adeo peritus marinorum est, qui docere queat. Quia vero ipsus ad aliorum provocat testimonium, sane negat, & aperte satis, se periculum fecisse veritatis. Quod si, ut debuit, mystice verba accepit, vera etiam de *Mugile* sunt, quem ostendimus *asinum* Dorionis esse, & *marinum* piscem.

§ 146. Etenim de *hoc* quoque verum est, *habere cor in ventre*: sed non eodem prorsus sensu. *Mugil* notæ voracitatis est, non ferocitatis. Limo gulam vix explet, non carnibus, nedum sui generis. *Huic* itaque *loco* ad marginem si adscripsisset Gesnerus, *Gulosos cor dixeris in ventre habere*; quemadmodum adscripsit

hoc

hoc *capiti* de Aſello piſce ſeu Lucio noſtro; attuliſſet ſolidam ſane lucem pro maligna. Pro qua tamen ipſi debemus.

§ 147. Sed propius fortean ab Æliani ſenſu abibimus, ſi fateamur, cum adeo forma atque moribus ſe mutuo repræſentent *Merlucius* & *Lucius*: illum quidem eſſe *Aſinum*, & marinum; hunc vero *Aſellum*, & fluviatilem. Atque ita τὸ ὑποκοριστικὸν erit non *ætatis* nota, ſed *loci* ubi degit. Qui *merlucium* Aſinum dixerint, ante me fuerunt Rondeletius de Piſcib. IX. 9. & Salvianus de Aquatilib. hiſt. XXI. Scaliger quoque, ſed dubitans, ad VIII. Hiſt. de anim. XV. 172.

§ 148. QUARTA *nota* eſt: καὶ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ λίθους ἐμφερεῖς μύλαις· *& in cerebro lapides ſimiles maxillis* habet. Heic ſe nobis *duo* iterum offerunt examinanda. *Vnum*: An lapides in cerebro habeant Lucii? nam de Cabeljavis certum eſt. *Alterum*: Si habent, quales? *Vtriuſque* dubii arbiter non alius, quam ſenſus eſſe poteſt.

§ 149. De *primo* igitur audiamus teſtes. Do autem ex Aldrouando, quo ne vocari in examen queant. *Author obſcurus de Natura rerum ſcribit Lucium in cerebro lapidem cryſtallo ſimilem gerere, ſed hoc cum ævum in longum duxerit. Geſnerus vero teſtatur ſeſe in capite Lucii, etiam parvi, lapillos geminos candidos reperiſſe.* Hos reperire eſt in quovis Lucio: ſed, etiam in magno, non magnos.

§ 150. *Alterum* explicatu paulo eſt difficilius, propter homonymiam vocis μύλη. Quam nos *maxillam*, Dalechampius *molam* reddidit. *Vtramvis* ſignificare, auctor eſt Heſychius. Μύλαι· αἱ ὀστογναπίδες ἢ σιαγόνες· *patellæ genuum aut maxillæ.* Jam vero, quia *lapides* Aſini perhibentur ἐμφερεῖς μύλαις, (hoc eſt, non *rotundi*, ut male Edoard. Wottonus de Differ. anim. VIII. 172: ſed qui, ut Ælianus bene, ἐοίκασι μύλαις τὸ σχῆμα) oportet nos ſenſus doceat, *utri* ſint figura *ſimiles*, Genu patellæ, an Maxillæ.

§ 151. *Patellæ* figuram eſſe δισκοειδῆ *diſciformem*, ex Ruffi de Partib. III. 5. docui in Phyſiolog. XIV. 19. Nunc ergo, quos etiam *lapillos*, ſive Lucii, ſive Cabeljavi, compares cum patellis, *neutrius* ſimiles his reperies. *Cabeljavi* in cerebro reperti lapilli

oblongi sunt, parte altera acutiores, altera rotundiores, externa gibbi, interna cavi partim, partim tumidi, ubique asperi vel inæquales.

§ 152. *Lucii* in cerebro qui reperiuntur, optime compares extremæ manui, sed ad carpum absectæ & pollice toto cæterisque digitis, secundo articulo tenus, truncæ. Ita enim parte præcipua plani sunt, & summo tantum latere velut dentati. *Dentationem* hanc feciſſe credo, quod *maxillis* comparaverint isto seculo. Horridulos sane dentes illi faciunt lapillos, prorsus ut maxillæ sunt asperiores, & metuendi magis, qua parte dentes habet extantiores.

§ 153. Atque ista quidem ut scripsimus, Naturæ in libro legimus: neque erramus, nisi forte ii *lapilli* veteribus designati non sunt, quos pro illis habemus. Qua in re qui nos informare norunt melius, fecerint rem publico utilem, mihi pergratam, ceu paratiori ad discendum, quam aptiori ad docendum. Enim hoc agimus, ut voluntatem ubique nostram promamus fenerandi quid concredito nobis talento; non vero, ut vel aliquam ostentum præsumtionem eamus docendi seculum tam eruditum. Gloriari quippe homini non bonum: bonum, Deo gloriam dare, & dona ipsius impendere, in laudem Laudandi in secula, & ædificationem proximi.

§ 154. QUINTA *nota* est: φωλεύει τε μόνος ἐν τῇς ὑπὸ κυνὸς θερμοτάτης ἡμέραις, τ' ἄλλων τῇς χειμερινωτάτης φωλεόντων. *Latitatque solus calidissimis sub Cane diebus, cum cæteri frigidissimis se abscondant.* Ælianus hæc extulit hoc modo: σείριος δὲ ἐπιτολῇ φωλεύει μόνος, τ' ἄλλων ἐν τῇς κρυμωδεστάτης φωλεύειν εἰθισμένων. *Sirio orto latitat solus, cæteris in gelidissimis temporibus latitare consuetis.*

§ 155. Τὸ φωλεύει Hesychius exponit οἰκεῖ, κρύπτει· *domi se continet, occultat se.* Unde φωλητὴς, ὁ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ καθεζόμενος ἀεί. *Latebricola, qui in eodem loco considet semper.* Latinum nomen è Plauti Trinummis est, act. II. sc. I. 14. ubi versibus pervenustis admodum exponit, quemadmodum Amor ea consuerit cupidis & sectatoribus suis suadere atque consulere, quæ nihil

nihil minus, quam ex re ipsorum & usu esse deprehendantur experiundo. *Locus*, in quem se abscondit, φωλεὸς dicitur Græcis, exponiturque in glossis Cyrilli, *lustrum, latebra, latibulum.*

§ 156. *Causa* δ φωλεύειν, sive semet subducendi in latibulum, est, ut evitent incommoda. Quippe sentiunt pisces. Ergo patiuntur ab excessu. Ergo moventur ad evitandum. Ergo mutant loca. Ergo latent. Quando *sentire* pisces dixi, fateor hos, æque ac quadrupedes, τὸ κατὰ τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν μεταβολῆς αἴσθησιν ἔχειν σύμφυτον· *Innatam habere naturam ad sensu percipiendum & calidi & frigidi mutationem*: quemadmodum Philosophi ista, ut omnia, dexterrime transtulit Cæsar VIII. Hist. XII. 125.

§ 157. *Natura innata* ista est Spiritus, quem Creator potenti Verbo suo ut *vivificare* Concreta aquarum jussit, ita & *procurare* quæ ad tuendam vitam cujusque suam sunt necessaria. *Spiritus* iste est corpus subtile, & perpetuum mobile, ac movens. *Movens*, inquam: non solo *impetu*, sicut globum globus projectus; sed *facultate* peculiari, quæ *apta nata* sit *motum* ceu monitum forinsecus acceptum *dirigere* ad consecutionem boni necessarii & fugam minantis noxam. *Facultatem* appello, quia facit velle, scire, posse Animal ea, quæ ad sui conservationem & propagationem requiruntur. De qua, quia amplius nunc dicere locus vetat, conabimur aliàs nostras cogitationes aperire.

§ 158. Porro, *latitant* Pisces, ut & alia Animalia, πρὸς τὴν βοήθειαν καὶ τὰς ὑπερβολὰς τῶν ὡρῶν ἑκατέρας, *ut sese communiant adversus utriusque temporis excessus*, inquit Philosophus VIII. Hist. XII. 153. *Quidam* igitur, ut se subducant æstui: *alii*, ut devitent frigus. *Frigoris* interea plures fugiunt incommoda, quam caloris. *Calor* plerisque piscium amicior. Aristoteles ait VIII. Hist. XIX. 212: μάλιστα πονοῦσιν ἐν τῷ χειμῶνι οἱ ἔχοντες λίθον ἐν τῇ κεφαλῇ. Αἴρει γὰρ ὁ λίθος ὑπὸ τοῦ ψύχους καταπνιγόμενοι καὶ ἐκπίπτουσι. *Maxime laborant per hyemem, qui in capite lapillum habent. Lapis enim facit, ut à frigore congelentur & adpellantur ad littus.* Oportet sit *lapis* iste crystalli instar frigidus & refrigerans: eoque magis, quo cœlum est frigidius. Quoties igitur *non ea* Vis calidi nativi est, quæ lapidis frigus superet, superetur ipse necesse est. *Lapide* enim

inambulantem cerebro ſpiritum refrigerante, ſegneſcit ſanguis, torpeſcit motus, pigreſcit corpus. Quibus conſequenter auctis, perit tandem motus, ſenſus calor, vita: & ob hoc fluitare incipiunt & appelli ad littus.

§ 159. Si ita eſt, inquies: jam magnum eſt in eo *argumentum*, Lucium non eſſe aſellum. Non enim contra frigora latitat: ſed caumata. Oportebat autem frigus inimicum ſentire: propter lapidem ſcilicet. Quippe, aucto hujus frigore ab extraneo, vidimus quæ incommoda eveniant. Verum, non eſt is *lapis* in Luciis tantus, tantum ut frigus facere aut fovere queat, unde patiatur calor nativus. Modo monebamus, etiam in magno parvum eſſe lapidem. Calor contra, etiam parvo in Lucio magnus eſt. Cui rei argumento eſt ferocitas. Animalium namque omnis generis carnivora, calidiora quoque.

§ 160. Notemus porro circumſtantias *latitationis*: Tempus & Locum. Circa *tempus*: Quando, & Quamdiu. Circa *locum*: Ubi, & Quare.

§ 161. *Quando* Aſinus & Aſellus lateant, expreſſum in textu habemus: *ſub Cane calidiſſimis diebus*. Stemus heic parum & occaſione accepta quædam dicamus de re, cujus apud Hippocratem ſic ſatis frequens mentio eſt, & quam diſerte jubemur obſervare l. de Aere, aq. & loc. t. xxx. 117. addita ratione momentoſa ab utilitate, quam obſervatum eſt eam obſervationem in medicina præſtare.

§ 162. Sunt igitur in cœlo *Canes* duo: major & minor. *Minor*, προκύων Græcis nominatur. *Apud Romanos non habet nomen*, inquiebat Plinius in XVIII. 28; *niſi caniculam hanc velimus intelligi, hoc eſt minorem canem*. Capite ſequenti tamen *caniculam* nominat. Dionyſ. Petavius Diſſert. ad Uranolog. VII. 2: *Cum in priore loco dubitaſſet, an τὸν προκύωνα Latine nominari Caniculam oporteret, in poſteriori, quaſi ita ſibi perſuaſiſſet, appellavit*. Equidem recte, niſi jamante dediſſent id nomen Majori quoque. *Recte* Procyon, inquam, *canicula* Latine dici potuit, ſi ſtellarum in eo ſidere vel numerum vel lucem conſideres, quibus ſane plurimum concedit Majori.

§ 163. Hugo

§ 163. Hugo Grotius in Notis ad Germanici Imag. p. 70: Ὁ προκύων, *Antecanis* Ciceroni, quia Sirio est prior, hoc est, Septentrionalior. Apud auctorem in II. de Nat. deor. cap. 44. omnibus in libris (uno Palatino excepto, in quo *Anticanem* reperit Gesnerus) legitur:

Ante Canem, Grajis Procyon qui nomine fertur.

Latine quidem sic. Celsus II. 8: *aqua inter cutem.* Similiter: *sidus ante Canem.* Pro quo tam barbare dicitur *Antecanis*: quam nostris, *hydrops intercus.*

§ 164. Rationem *nominis* ab ortu esse, colligi ex Quintiliis atque Plinio potest. Ita enim Quintilii in Geop. I. 9: τῇ γ'. τοῦ ἰουλίου, προκύων ἑῷος ἐπιτέλλει. τῇ κδ'. κύων ἑῷος ἐπιτέλλει. XIII. *Iulii Procyon matutinus exoritur.* XXIV. *Canis matutinus exoritur.* Plinius autem loco quem laudabam: XVII. *Calend. Augusti Assyriæ Procyon exoritur. Dein postridie fere ubique confessum inter omnes sidus indicans, quod Canis ortum vocamus.* Verum (indicio partim Salmasii Plin. exerc. p. 432. E, partim Petavii) legendum ex Interprete antiquo Germanici ad Aratum: *Deinde post triduum fere, ubique confessum,* &c. Hoc enim Plinium velle docet Petavius: XVII. Cal. Augusti Assyriæ exoriri Procynis stellam primam, alteram post triduum fere, & hanc ortu suo indicare non ita pridem oriturum Canem, sidus ubique confessum & conspicuum locis ac regionibus, quas percensuerat Plinius in XVIII. 25: antequam videlicet ortus stellarum & occasus ex astronomorum observationibus, & parapegmatibus excerperet.

§ 165. Ex istis notandum, *sidus* Procynis constare *duabus* dumtaxat stellis, utut *tribus* dicat Hyginus in Poet. astron. p. m. 270. *Prima* in collo est: *altera* in femore lucidissima, utpote primæ magnitudinis. Hæc *proprie* Procyon appellatur. Quod nempe Sirii canis ortum proxime præcedat & prænunciet. Sidus ipsum locatur ad circulum lacteum, Æquinoctialem inter & Zodiacum. Auctores collocant sub Geminis. Festus Avienus in Arati phænom. 903:

Vltimus est Procyon Geminorum subditus astro.

& Germanicus Cæsar in Arateis 437:

Sub

Sub Geminis Procyon fulgentia sidera surgit.

Plenius ista, & quæ ante notabamus, Vitruvius in IX. 7: *Geminos autem minusculus Canis sequitur contra Anguis caput, major itidem sequitur minorem.* Sed satis de Procyne.

§ 166. *Major canis*, κύων μεγάλος Arato in Phænom. 342, nobilis est multa admodum mentione apud auctores passim, & semper intelligendus, quoties loquuntur de Cane. Cæterum ea voce iterum modo ἄστρον sive *sidus*, modo ἀστὴρ seu *stella* venit intelligenda. Eratosthenes sive verius Achilles Tatius ad Arati phæn. c. v: Διαφέρει δὲ ἄστρον ἀστέρος. Τὸ μὲν γάρ ἐστιν εἴδωλον ἐκ πολλῶν ἀστέρων μεταμορφωμένον. τὸ δὲ κατὰ μίαν γραφὴν περιοριζόμενον. Pro quibus Macrobius in Somn. Scip. I. 14: *Aster & Astron diversa significant. & Aster stella una est: Astron signum stellis coactum, quod nos Sidus vocamus.*

§ 167. Canis *astron* est, qui ἀστροκύων Horo Apollini Hieroglyph. I. 3. ut recte censet Dav. Hœschelius in Notis & Lud. de la Cerda ad illud Æneid. x. 273, *Sirius ardor.* quamquam hoc nomine alii *Sirium* ipsum nominent: ut videre ad Diod. Siculum Bibl. I. p. m. 7. C. & Plutarchum de Iside p. m. 372. D. vide & Salmasium de Annis clim. p. 615. Situm est ad austrum infra æquinoctialem. *Stellis* constat, designatore Grotio in Notis ad Germ. Imag. p. 63, *undetriginta.* Quando igitur Joh. Ruellius de Nat. stirp. II. 152, *sidus hoc octodecim fulgere stellis* scribit, intelligendus est de *propriis* Asterismo: cæteræ enim *informes* sunt, & extra sidus positæ; ita tamen in proximo, ut huc necessario referantur, cum neque referri ad aliud queant, neque singulare aliud constituere. Hyginus ergo, quando in Poet. astron. p. m. 265, *viginti* numerat, an ex informibus duas adstituit? Fingitur *canis* in Imaginibus *currens*: in astrothesia vero sua, *insidens* in posteriora & *erectus* in priores pedes oriri.

§ 168. Canis *aster* est stella, non astri tantum, sed & cœli pene totius ut maxima, ita & lucidissima. Achilles Tatius ad Arati Phæn. cap. II. ὁ δὲ κύων ἐστὶν ὁ λαμπρὸς τῆς γένυος [libri vitiose, τοῦ θηνυὸς] μείζων τῶν ἀπλανῶν πάντων ἀστέρων. *Canis est illa refulgens in maxilla, quæ magnitudine stellas omnes fixas superat.*

rat. Ejus deinde *splendor* tantus est, ut à Manilio Astron. I. 397. propterea judicatus sit *In radios vix Sole minor*: hoc est, interprete Scaligero, *vix Soli ipsi claritate cedere*. Sed ista quidem hyperbole poetica est: alibi sine risu vix audienda. Omnino tamen prælustris ille fulgor effecit, ut dicta fuerit *Magna stella*. Ita se Grotius Notar. ad Germ. Imag. p. 63. testatur invenisse in Lexico Medico: *Scera, id est, Magna stella*. Pro quo alibi, sed paulo corruptius, inquit, legebatur: *Sceara, id est, Canis Major*. An utrobique legendum, *Mera?* Hyginus Fabulis cap. CXXX: *Icarius, Arcturus in sideribus est dictus: Canis autem, Mera*. Sed utrumque habet bene. Quippe illam *vocem* Græcam esse, omissa terminatione Græca, docet ibidem Grotius. *Altera* vero nota est in Poetarum fabulis. vide sis Ovidium in Metamorph. VII. 361.

§ 169. *Fulgore* suo etiam hoc consecuta est, ut *nomina* occuparet omnia, quæ sideri debentur. Dicitur κύων *canis* Hippocrati quidem semper. Aliquando ἄστρον simpliciter: ut in VII. Epid. t. VII. ubi Polycratis conjugem febri correptam ait ἦρε περὶ τὸ ἄστρον, *æstate circa Canem*. Sane non aliud *sidus* æque ab omni memoria incidit in observationem hominum: unde & excellenter *sidus* dictus est Canis. Interea, quia & alia observabantur sidera, & jusserat observari Hippocrates, ceu pridem monui: idcirco addidit, *æstate*; quia aliud hoc tempore in animadversionem sui non excitabat.

§ 170. Græcis aliis σείριος: & hinc *Sirius* Latinis. Galenus I. Epid. com. I. t. I: Κύων μὲν τὸ σύμπαν ἄστρον. ὁ δὲ ἐπὶ τῇ γνάθῳ αὐτοῦ Σείριος· ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι τὸν πρόκυωα, ἢ τὸν κυνά. q. d. *Totum quidem sidus dicitur Canis: quæ vero in maxilla ejus est, Sirius: quem rectius tamen quis nominaverit Ante Canem, quam Canem*. De *primo* dictum.

§ 171. Quod ad *alterum*, τὸ Σείριος etsi utplurimum significet fulgentissimam in ore Canis stellam: est tamen, ubi σείριος ἀστὴρ *Solem* significat. ut apud Hesiodum Ἔργ. II. 35. ubi Proclus scholiastes: Τὸν ἥλιον ἐκάλεσε σείριον ἀστέρα, ἀπὸ τὸ λάμπειν· τὸ γὰρ σειρᾶν. Quæ sic accipio: *Solem appellat illustrem stellam, quod illustret. Hoc enim* τὸ σειρᾶν significare, etiam ex Eustathii com.

ad Hom. Odyss. μ'. p. m. 1709. l. 54. potest intelligi. Σειρῆνες, τὰ ἄστρα. σείρια γὰρ καλοῦνται παρὰ τὸ σειριᾶν, ὅ ἐστιν ἀστράπτειν. *Sirenes, sidera. Sidera enim vocantur à siderando, quod est incendere.* Antiquum est *cando*, pro candere facio. *Candeo* est albedine illustri niteo. *Nitor* iste omnis à lumine. *Lumen* à luce. *Lux*, si non omnis, potior in Sole est, illo luminari magno, quod præest diei, Gen. 1. 16. *Sol* itaque, ut est princeps ἄστρον, ita & præ Luna cæterisque cunctis sideribus ἅπτει, siderat, incendit, illustrat orbem terrarum.

§ 172. *Tertium*, Galeni in verbis notandum, illud est, quod suo judicio *Sirius*, Procyon rectius, quam Canis appellari potuisset. Verum in hoc verum est, quod observat Salmasius Plin. exerc. p. 431. D. *multos* videlicet *Græcorum* τὴν κύνα & πρόκυνα *confudisse, & alterius historiam alteri adscripsisse.* Manilius recte, qui *canem* vocat Astrum: *caniculam* vero, Astri fulgentissimam stellam. Ita enim de *utroque* Cane canit in v. 172:

Cum vero in vastos surgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et rabit, igne suo geminans incendia Solis.

§ 173. *Canicula* deinde si Procyon diceretur, quam facile quis non ipsi istud alterum incendium tribueret, sed *Cani* seu sequentibus stellis: quæ tamen ἐλαφροὶ καὶ ἀνεπαχθεῖς εἰσιν ἡμῖν, *leviores & immolestæ sunt nobis*, uti Theon ad Ptolom. Almag. VIII. scribit. Quod ab Arato: tamen desumtum. Versus est in Phænom. 336: οἱ δὲ οἱ ἄλλοι

Σῆμ' ἔμεναι μελέεσσιν ἐλαφρότεροι περίκειντο.

Pro quibus Festus Avienus versu 743:

altera si qua
Stellarum fulgent rutila, ut quæ plurima longo
Bellua fert lateri, neque multa luce coruscant
Et designandis tantum sunt addita membris.

§ 174. Ut concludam hoc, repeto: *canem* Auctoribus, in *genere* quidem, Sidus totum dici: at *proprie*, Sideris eam stellam, quæ cæteras ortu & vigore cum lucis tum virtutis præcedit. Ergo deinceps expendamus, quid sit,

§ 175. *Sub*

§ 175. *Sub Cane.* Verbo: eo tempore, quo Canis exoritur. Quibus equidem cum me satisfeciſſe non putem exſpectationi eorum, qui inſuper in ſtudiis juvenilibus Aſtronomiam habuerunt: oportet & his paululum immoremur, atque de *ortu* Siderum, quam maxime fieri compendio poteſt, ſaltem neceſſaria noſtræ rei illuſtrandæ repetamus ex Cœli contemplatrice ſcientia.

§ 176. Pſalmiſta teſtatur in Pſalmo XIX: *Deum* omnipotentem *Soli in cœlis poſuiſſe tentorium. Et ipſe* quovis mane *ut Sponſus prodit ex thalamo ſuo; alacris, ut heros, ad decurrendum iter. A fine cœlorum exitus illius & converſio illius ad fines eorum: & non eſt, quod occultetur à calore ejus.* Quibus verbis *utrumque* Solis motum, diurnum atque annuum deſignari, mihi dubium nec eſt, nec eſſe poteſt: utut intelligam & facile concedam, facilius cœli phænomena explicari ad captum diſcentium illo modo, cujus auctor Philolaus creditur, quo de apud Laertium atque alios; inſtaurator vero, Nic. Copernicus. Sed hanc litem non facio meam. Utro enim modo fiant iſta, enarrant certe gloriam Creatoris ſui: meo tamen judicio magis, ſi illo quem concipere homo non poteſt, quam ſi illo quem fingit ſibi. Sed ad noſtram rem.

§ 177. *Diurno* motu Sol quotquot diebus ortus vergit in occaſum, noctem daturus hemiſphærio infra cujus horizontem ſe condidit. *Annuo* autem motu quotidie aliquid promovet in partes cœli ortivas & ſignorum ſequentia. Hinc fit, quod nihil occultetur à calore ejus in terris, & nihil non occultetur à luce ejus in cœlis. Quamquam enim *ſtellæ fixæ* eodem verſus moveantur, movetur celerius tamen Sol, & eapropter paulatim aſſequitur ſingulas atque abſcondit ſuis radiis à conſpectu noſtro; ſed uſque & uſque promovens tandem concedit apparere iterum, ſive ſe diluculo videndas præbere, priuſquam ipſe exeat è thalamo, & appropinquare propius ad finitorem incipiat. Præcedit itaque ſtella vel ſidus, quia Sol procedit.

§ 178. Et hic eſt ille *ortus*, quo de intelligendi veniunt quotquot Siderum contemplationem neceſſariam duxere ad commoda vitæ præſentis. Ille non *ortus* proprie, ſed *exortus* eſt: uti

non est *occasus* proprie, sed *occultatio*, cum Sol nostris oculis intervenit & impedit hanc illamve stellam cernere. Græcis *apparens* hic *ortus*, Ἔπιτολή; *occasus*, κρύψις dicitur: sicut *ortus verus*, ἀνατολή; & *occasus verus*, δύσις. Ἀνατέλλει seu *vere oritur* Stella, quandocumq; supra horizontem emergit, sive cum Sole, sive ante vel post illum, brevi aut longe. Ἐπιτέλλει seu *apparenter oritur*, quandocumque exiens è radiis solaribus conspiciendam se nobis sub auroram præbet. *Apparentem* hunc ortum Astronomi recentiores *heliacum* appellarunt: Græci, Ἐπιτολὴ ἑῴαν φαινομένη, *exortum matutinum apparentem*. Plura vide sis, si plura desideras circa multiplicem stellarum ortum atque occasum scire, apud Geminum in Elem. Astron. c. XI. apud Ptolomæum Almag. IX. 4. apud Achill. Tatium Isag. ad Arati phænom. c. XXXVII. & duobus sequentibus. apud Plinium XVIII. 25. apud Firmicum denique Astron. II. 8. & Ioan. Tzetzem in scholiis ad Hesiodum p. 130. edit. Heinsianæ. imo omnium vice, apud omnium expositorem Petavium Dissert. ad Uranolog. lib. I. cap. I. & II.

§ 179. Cæterum quando *heliace* Canis aster sive Canicula oriatur, definiri nisi ad certum locum atque tempus non potest. Quemadmodum vero id facere queant, quorum interest curate fecisse, laudatus jam mihi Petavius ostendit in eisdem Dissert. lib. I. cap. III. Apud quem lib. VII. cap. I. reperies quoque Veterum dissidia de *ortu* Caniculæ egregie solideque conciliata. Kalendaria qui conficiunt in populi usum, Caniculares inchoant ordinarie ad XVII. Julii & in septem hebdomadas prorogantes finiunt cum XXVII. Augusti: nimis admodum rudi Minerva. Παλαιικῶς enim nobis hodie Caniculæ ortus heliacus incidit in Leonis gradum XXI. Augusti diem circiter XII. Romæ olim primo Juliano anno contigit in Leonis gradu VIII. Augusti fere secundo. confer ad Plinium II. 47. & XVIII. 28. Censorinum de Die nat. cap. XVIII. & XXI. Varronem de Re rust. I. 28. Servium in Virg. Æneid. X. 273.

§ 180. Itaque *initium* Canicularium valde nunc descivit ab ortu heliaco, unde illos antiquitus inchoabant. Unde sicuti recessit, ita deinde recedet magis ac magis. Hanc μετάπτωσιν orbis

stellati

stellati prisca ætas ignorabat. Hacpropter designatos semel à majoribus suis ortus atque occasus Siderum constanter ipsi non tantum tenebant, sed & ad alios accommodabant nullo discrimine, qui certorum erant locorum proprii. Vide rursus Petavium in eisdem Dissert. lib. II. cap. X.

§ 181. Hinc jam, quid *sub Cane* significet, intelligas. Videlicet, *stricte* quidem, sub *ortu* Caniculæ, seu quando ipsa, Sole prætergresso, longius prodit in conspectum matutinum. *Late* autem, sub *tractu* Canicularium dierum, quos vocant & ad quadragesimum secundum protendunt. *Priore* modo Astronomi usurpant: *posteriore*, cæteri omnes, qui ad Canem aliquid referre quaqua ratione consueverunt.

§ 182. Hoc vero amplius intellexeris ex Aph. IV. 5: Ὑπὸ κυνὸς καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι· *Sub cane & ante canem laboriosæ sunt purgationes.* Ubi *sub cane* non potest non accipi de spatio temporis seu plurium dierum. Etenim τὸ ὑπὸ, *sub*, Grammaticis *proprie* est Loco inferiore, *deinde* & Tempore posteriore & quod post aliquid jam inchoatum sequitur. *Improprie* vero de eo usurpatur, quod nondum quidem adest, sed instat. *Hanc* significationem heic tollit τὸ πρὸ κυνὸς, *ante canem*, exortum nempe, vel apparentem diluculo. *Quod* puto esse illud *tempus*, quod inter *Canis* utrumque ortum matutinum, cosmicum & heliacum intercedit. *Ipsius* ortus tempus designare Philosophus VIII. Hist. XV. 173. volens ait, ὅτε κυνὶ, hoc est, *ipso Canis exortu*, sive tempore quo primitus emergit ab obluminatione Solis, & deseri ab ipso incipit, magis magisque ortum ejus anteversurus.

§ 183. Post *quem* quod sequitur deinceps, id μετὰ κυνά, *post canem* dicit Hippocrates I. Epid. II. 60. Μετὰ δὲ κυνὰ μέχρις ἀρκτούρου, ἥρη καὶ θερμὸν, καύματα μεγάλα. *Post canem usque ad Arcturum æstas calida, caumata magna.* Columella scribit in IX. 14: *A canicula fere post quinquagesimum diem arcturum oriri.* Quod, inquit Petavius Dissert. II. 8, de *ortu heliaco* verum est. Nam *sirius* oriebatur, Cæsari, II. Augusti; *arcturus*, XXI. Septembris. Ptolomæus de Inerrant. appar. & signif. *canis* ortum matutinum apparentem confert in XXVII. Julii: *arcturi* vero in III. Octob. Aetius

tetr. I. ſerm. III. 164: μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ιζ' Ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει. *Menſe Septembri* XVII. *Arcturus exoritur.* Huic *Canis exoritur* XIX. *Iulii.* Ergo *ibi* inter Canis & Arcturi ortũ LXVIII: *hic*, LX. ſunt dies.

§ 184. Quæ non eum dumtaxat in finem ſubnoto, ut appareat cuique hanc temporum rationem ex ſuo tempore & loco æſtimandam eſſe: ſed præcipue, ut liqueat quanto intervallo Canicularium finis ſeu fervor æſtatis abſit ab ortu Arcturi, ſub quem autumnare incipit: & hinc intelligas, quam periculoſum ſit vehementi & ſolito longiore æſtu æſtuantia corpora tradi vel inæqualitati tantum Autumni, nedum pluviis ab Arcturo & Auſtro continentibus ac peſtiferis, ceu accidit ea tempeſtate in Thaſo, cujus Præceptor meminit I. Epid. conſt. III.

§ 185. Sed *quare* Philoſophus dixit, *ſub cane* Aſinum & Aſellum latitare? Scaliger reſponderit VIII. Hiſt. XX. 173: *ut pudeat iſtos nugatores, qui negant ab aſtris quidquam fieri. Evertitur enim fundus maris exortu caniculæ, fervent maria, moventur ſtagna, ſentiuntque ipſius ſideris ardores non ſolum piſces, ſed & reliqua animalia.*

§ 186. Imo *homines* quoque. Idcirco enim Hippocrates l. de Aere & aq. XXX. 117. medicum vult obſervare & Canis ortum & Arcturi atque Pleiadum occaſum: quia τὰ μὲν νοσήματα μάλιστα ἐν τούτοισι τῇσιν ἡμέρῃσιν κρίνεται, καὶ τὰ μὲν ἀποφθίνει, τὰ δὲ λήγει, τὰ δὲ ἄλλα πάντα μεθίσταται εἰς ἕτερον εἶδος, καὶ ἑτέρῳ καθίστασιν· *morbi maxime in his diebus judicantur*, h. e. exacerbantur, *atque alii quidem perimunt, alii deſinunt, cæteri vero omnes tranſeunt in aliam ſpeciem, atque alium ſtatum.* In ſpecie notat l. de Affect. int. t. XLII: τὸν Τύφον ἐπιλαμβάνειν θέρεος ἐν ὥρῃ, ὁκόταν ὁ κύων τὸ ἄστρον ἐπιτέλλῃ, χολῆς κινηθείσης ἄνα τὸ σῶμα· *Typhum invadere æſtate eo tempore, quando Canis ſidus exoritur, bile mota per corpus.*

§ 187. Sed qua *virtute* hæc, & quidquid præterea eſt effectuum, edit? Multi hodie neſcio quibus ἀποῤῥοίαις Siderum ſtellarumve tribuunt. Chaldæorum quippe commentum eſt τὸ συμπαθεῖν τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις, καὶ κατὰ τὰς ἐκείνων ἀποῤῥοίας ἑκάστοτε τοῦτα νεοχμοῦσθαι. *Quod terrena conſenſionem habeant cum cœleſtibus, & ex illorum influxibus ea ſemper innoventur*: uti Sextus Empiricus & Gentianus Hervetus interpres ejus loquuntur in v.

Adv.

Adv. Mathem. p. m. 110. E. Ἀπόῤῥοια proprie est *defluxus*, non *influxus*. Hodie tamen passim ita vocant, auctore Iul. Firmico Astron. l. 1. c. 1. non Astrologi tantum, sed & Physicorum quotquot secure malunt super influxuum seu incomprehensibilium, nedum indicibilium facultatum pulvinari dormire, quam sudare in scrutinio causarum evidentium. Cicero *contagionem* appellat in l. de Divinat. II. 43, eam vim, quæ à stella defluit, & in sublunaria influit. Etenim *influxus* non tantum dicitur ratione corporis cui influit, sed etiam ejus unde virus defluit. Nam per *defluxum* sui corporis Sidus influit in corpus suppositum.

§ 188. Sapientia vetus *calori* Sideris omnia acceptum referebat. consentienter suo dogmati: Astra omnia igneæ esse naturæ. Quo de videantur ipsorum sententiæ apud Lipsium Physiolog. II. 14. De illo speciatim Proclus ad Hesiodi Ἔργ. II. 206: ὁ σείριος τοῦ ἡλίου προανατέλλων ὀξέα σειριάει, καὶ καυμάτων αἴτιός ἐστι τῶν ὑπὸ κύνα καλουμένων· *Sirius ante Solem mane apparens vehementer inflammat, & causa est caumatum, quæ vocantur, sub Cane.* Illud, ὀξέα σειριάει, ab Arato est, Phænom. 329. Germanicus Cæsar versu 335. reddidit: *vomit flammam.* Avienus v. 729:

Torret & immodicis terras coquit ignibus.

Grammaticus heic *activam* verbi significationem notet, neglectam Thesauro & ex hoc depromtis Lexicis.

§ 189. Ex hoc præterea loco dilucet, quæ καύματα Græci appellent. scilicet, *ardores* ardentissimos & propter excessum intolerabiles. περισκελῆ καύματα vocat Philochorus apud Athenæum in XIV. 20, quæ conjuncta sunt cum maximis squaloribus. vide sis Casaubonum in Athen. III. 19. XI. 7. XIV. 20. Latine etiam usurpata vox. Hieronymus ad Isaiam c. III: *dicuntur Græce θέριστρα ab eo quod ἐν θέρει, hoc est in æstate à caumate corpora protegant fæminarum.* Ubi *cauma* licet optime accipiatur de *ardore* Solis: videtur commode tamen etiam posse de *effectu* Ardoris exponi; de *rubore* inquam, atque *pustulis*, aut *maculis*, quæ excitantur in facie eorum, qui diutius ardente in Sole morantur non obtecti. Hesychius: Καῦμα κατάκαυμα, ἢ θύμα, ἢ πύρωσις. Ubi τὸ κατάκαυμα est, quod Græci vetustiores χίμετλον, Latini *per-*

nionem.

nionem dicunt. Hoc jam monuit Casaubonus locorum, quæ modo allegabam, primo. Θύμαζα sunt pustulæ pruriginosæ ab æstu excitatæ: sicut ἐκθύματα, quæ ab æstuante Natura efflorescunt in cutem. Πύρωσις est ille ardens rubor, quo facies tota accenditur præsertim illis, qui fervidis diebus faciunt iter. Quo abeunte remanent sæpe ἐφηλίδες, *maculæ solares*, quas vocamus: Belgæ, *sproten*. Sed hæc in transitu: ut multa, nostro nunc more.

§ 190. Rem ipsam quod attinet, non constitui in præsens suscipere patrocinium eorum, quos *nugatores* à Scaligero audivimus appellari. Profecto ab hac sententia stetit omni ævo prudentissimus quisque eruditorum. Veteres inter Geminus Rhodius est. Qui in Elem. Astron. cap. XIV. prolixa admodum & solida disputatione refellit errorem hunc nimis vulgarem. Nihil attinet argumentorum ejus singula producere. Sufficit unum hoc, cui & sensus attestatur, & ad institutum nostrum vel maxime pertinet.

§ 191. Si orienti Cani, inquit, ardoris illa vehementia, tamquam causæ, tribuenda est, oportet ea maxima sit tunc, quando cum Sole & conjungitur & oritur eodem momento. At experimur secus sese rem habere. Non enim intenditur æstus sub ἀνατολῇ, seu ortu cosmico; sed ἐπιτολῇ, seu ortu heliaco. Non, inquam, quando delitet sub Solis radiis: sed quando ab his exit, & prodit in conspectum matutinorum. Quod dum alibi citius contingit, alibi serius, vel hinc solum vacillat fides parapegmatum: quorum auctores in tempestatibus (quas ἐπισημασίας vocant) ex siderum ortu & occasu pronunciandis nituntur, non arte ac methodo certa, sed observatione tantum & longissimi temporis, ut profitentur, experientia. Gemini hanc rationem quæ porro confirment, docet jam sæpius mihi laudatus Petavius Dissert. ad Uranolog. 11. 10. Quæ si cui forte non sufficiant, consideret porro argumenta, quæ ex media philosophia depromit cum ipse, tum præsertim Cl. Salmasius in l. de Annis climact. quo nemo alius se Astrologiæ figmentis opposuit vel conatu succidendi omnes ei nervos feliciore vel fructu uberiore.

§ 192. Quando igitur *æstus* Canicularium causam temere arcessunt

cessunt à Canicula, unde eum oportet repetere? A Sole, & solo. Sol solús, inquam, ut auctor caloris est, quo sublunaria hæc foventur: ita & causa vicissitudinum, quas singulis cum anni tum diei temporibus experimur. Quarum ratio haut dubie petenda est ex multiplici rerum varietate, quas edi in terra oportet. Quarum ut alia est atque alia natura: ita & alium atque alium caloris gradum requirit: & ne sic quidem semper eumdem, sed rursus alium atque alium, prout præsens rei necessitas flagitat. Hoc quia eleganter (præeunte Philosopho in 1. Meteorolog. IX.14.) docuit Salmasius Operis laudati p. 777. non peccavero, si tanti Solis luce nostras de Sole cogitationes illustrem.

§ 193. *Sol*, inquit, *quasi masculi vicem obtinet, & Mundo ceu feminæ vivificam illam virtutem & ζωογονικὴν infundit & insinuat, per quam omnia creantur & ex involucris seminum suorum prodeunt. Nulla alia vis hoc præstat, nisi caloris, qui principia, unde omnia gignuntur, clausa referat, ac densa relaxat. Alia etiam quæ rariora sunt aut liquidiora, quam ut quidquam gignere possint, condensat & deficcat. Vt ovum continet intra se semen, ex quo formatur pullus, & materiam, qua formatus intra testam suam ali possit, donec excludatur stato tempore, & refracto tegmine in auram exeat, quod tamen sine calore iners jaceret & tandem interiret, idem plane est de orbe terræ, & seminibus quæ inclusa gremio suo fovet. Nisi enim Sol calore suo ea excitaret ad formanda quæ inde possunt edi, inerte situ occupata & obsessa nihil unquam ederet, non metalla, non herbas, neque arbusta, nec animalia omne genus. Nihil horum posset alere aut educare, quia nec ipsa pabula, nec alia quæ pro alimento sunt omnibus creaturis, producere quiret. Quemadmodum autem ad pullum in ovo formandum ex semine suo, & inde vivum & animatum excludendum non opus est aliqua speciali & propria virtute vivifica, sed solo calore, qui potentiam illam seminis ζωογονικὴν in actum & formam educit, sive à matre ipsa ovum fovente proficiscatur, sive à furno temperate calefacto: sic ad genitalia terræ semina aperienda & vivificanda non aliquam specialem & vitalem virtutem Sol illi immittere debet, sed calefacientem solam, modo tanta non sit, ut vim eorum naturalem torreat ac percoquat, neque tam imbecillis ut suscitare eam non valeat. Hac sola ergo*

Unable to display this page

tuor partes Annum dividat: ita tamen illas digerit ac circumscribit, ut appareat Ver sui temporis hiemi, Autumnum æstati adstituisse: videatur hac de re plenius ad Petavium in Dissert. toties laudatis lib. II. cap. IX. Conferatur etiam Zuingerus in com. Hipp. p. 507.

§ 197. *Constitutionem* quod attinet, quemadmodum *die* Lux, *nocte* Tenebræ præpollent: sic *æstate* Calor, *hieme* Frigus dominatur. Sic & *Luna crescente* Humiditas, *decrescente* Siccitas deprehenditur major. Quod quemadmodum accipias, disces ex Plinii II. 99. 101. vel ex Lucilio apud Agellium VII. 20. imo Aristotele de Part. anim. IV. 5.

§ 198. Porro ut Sol *oriens* non subito tenebras, sed paulatim fugat: sic *ortus* eget tempore, ut & Frigus nocturnum superet, & dissipet Vapores ab eo collectos concretosque. *Docuit nos Godefridus Vendelinus* (verba sunt Petavii in Diss. II. 8.) *vir in his disciplinis apprime doctus, ac cœlestium observationum usu detritus, animadversum à se partim in Massilienſi provincia, partim in Belgio, æstivis diebus & autumno, cum serenum maxime cœlum est, horizonti ἀτμώδη quemdam aerem incubare ad altitudinem partium circiter* XVII. aut XVIII. *densum adeo, ut per illum majores stellæ non traluceant, nisi supra horizontem gradibus aliquot extiterint.* Hoc adeo certum est, ut sæpe Sol ipse conspici per illum nequeat, nisi vel attenuaverit vel supra ipsum ascenderit. Belgæ, hoc casu, vocant *een bank*. Hæc ratio est, quare Diebus æstivis mane quidem tribus ab ortu horis præpolleat frigus, inde cœlum tepeat totidem, duabus deinde ante meridiem & post eam caleat, hinc ferveat & æstuet vehementius, iterumque defervere vespere soleat, & tepescere prorsus sub occasum, atque post mediam noctem omnino rursum refrigeretur.

§ 199. Plane similis ratio *anni* est. Sol rediens ad nostram plagam longo eget tempore, antequam & abigere Frigus brumale queat, & absumere Aquas ex pluviis, in queis terra tantum non natat. Hinc est, quod, superato demum solstitio & ad Leonem inclinante Sole, calere dies atque æstuare magis soleant, & in hoc æstu perseverare aliquot hebdomadis; donec ille obli-

quior factus & imbecillior, jam evocare vaporum plus incipit, quam discutere queat.

§ 200. Ostendimus itaque, *Solem* esse causam vicissitudinum omnium, quas non in diebus tantum, sed & toto anno deprehendimus. Unde jam incidit quæstio, *quare* Veteres ergo attribuerunt illas Sideribus certis? *Primo*, Quod annos ad Solem certa ratione directos non haberent. *Deinde*, quod in illarum mutationum tempora inciderent insignium quorumdam Astrorum vel ortus vel occasus, quos observare potissimum intererat τῶν περὶ γεωργίαν καὶ ναυτιλίαν τὸν βίον ἐχόντων· *eorum qui in solo saloque colendo vitam transigebant*, uti inter alios meminit Achilles Tatius Isag. in Phænom. Arati.c.xxxix. Geminus egregie in Elem. Astron.c.xiv: Ἔστι δ' αὐτὸς ὁ ἥλιος παραίτιος τῶν καυμάτων κατὰ τὸ συνεχὲς τὸν αὐτὸν τόπον τῆς οἰκήσεως ἐπιπορευόμενος. οὐ δυνάμενοι δὲ κοινὴν ἡμέραν ἅπασιν ἀφορίσαι, ἐν ᾗ γίνονται αἱ ἐπιτάσεις τῶν καυμάτων. ἐπεὶ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἐπέτελλεν οὗτος ὁ ἀστήρ. τῇ τούτου φάσει τὸν καιρὸν ἐσημειώσαντο. *Est autem ipse Sol causa caumatum, continuo ad eumdem locum habitationis accedens. Cum autem non possent omnibus communem diem determinare, in qua hæ intensiones æstuum fiunt, cumque circa hoc tempus oriretur hæc stella, hujus apparitione hoc tempus significaverunt.* Atque exhinc est, quod (referente Etymologo in σειραίνω) ἔνιοι πάντα τὰ ἄστρα σείρια καλοῦσι· τείρια ὄντα καὶ σημεῖα τῶν πλεόντων (rescribe, μελλόντων·) *aliqui omnia sidera appellent Siria: cum sint signa futurorum.* Porro, quia cuivis è plebe erat obvium ex apparitione stellarum notare tempora, idcirco evenit, ut mos iste ab ortu & occasu Siderum æstimandi tempora etiam postea obtinuerit, quando ad Solem constituta esset atque defixa civilis anni ratio. *Denique*, Quod putarent Siderum quædam saltem insigni, quamvis indicibili virtute prædita esse; qua & tempestatum mutationem facerent, & rusticis operis aut faverent aut adversarentur.

§ 201. Ex omnibus istis liquido liquet, *quare* Philosophus dixerit, *sub Cane*. Voluit quippe intelligi *dierum æstivorum æstuosiores*, hoc est, præ cæteris calidiores & squalidiores. Quibus non modo *aer* fervere consuevit; sed & *aqua* ipsa adeo interdum intepescere,

pescere, ut etiam intima ejus & ima conturbentur atque exhalent opaca mephitim. Unde mirandum non est, si eam Piscis calidus subterfugiat, ceu inidoneam respirationi & vitæ noxiam.

§ 202. Sed, *quamdiu* Asinus & Asellus latent? Non definit hoc Philosophus, nisi in generalibus terminis. *Calidissimis diebus*, inquit. Quæ verba, duplicem admittere sensum videntur, si attendis & compares cum præcedentibus. Possis enim sic interpretari: *sub Cane*, hoc est, *calidissimis diebus* totius anni. Possis & sic: *diebus* illis, qui sunt *sub Cane*, seu inter Caniculares, *calidissimi*. Atque ita non *omnes* Caniculares, ut ibi: sed *aliqui* tantum erunt intelligendi; nempe qui inter ipsos sunt æstuosiores. Quales fere priores esse observatio quotannis docet. Dico, *fere*: quia interdum serius æstatis æstus urget.

§ 203. *Vtro* igitur *sensu* accipiemus heic? *Priorem* velle videntur Philosophi quæ leguntur VIII. Hist. XV. 171: *Quidam etiam pisces æstate latitant, ut Glaucus. Latet vero etiam Asinus, & Aurata. Quod autem Asinus lateat plurimo tempore, ejus argumentum est, quia plurimo transacto tempore capitur.* Sed ego heic *asinum* Dorionis, seu Mugilum generis aliquem intelligi propterea existimo, quoniam mox subindicat Philosophus, *marinum* Piscem esse, seu salsis in aquis degere.

§ 204. Quia enim videri poterat, non convenire *ulli* Piscium, condere se æstate, utpote quorum natura frigidior excitanda potius videtur & vegetanda caloribus: idcirco non tantum nominat eos, qui ab illis læduntur; sed & argumento præterea ab experimento docet revera se abscondere. *Argumentum*, inquit, *quod æstate lateant pisces videtur illud esse: quia siderum exortu capiantur: maxime vero caniculæ. Eo enim tempore subverti mare. Id quod in Bosphoro manifestius est. Limus enim sursum fertur, simulque efferuntur pisces. Ajunt etiam sæpenumero evenisse, ut fundo verriculis excitato, plures eodem verriculo, altero jactu, quam priore caperentur.* Historia plana ac facilis, utpote per propositiones consequentes sese. Quam interea interpretari nequeas nisi de *piscibus* ante *nominatis*: Glauco, Asino, Aurata. Mox enim docebimus ex nostro, *Asellum* se non limo condere, sed arena, nisi ubi aliud refu-

gium non habet: neque totis Canicularibus, nisi sint æstuosissimi & continenter.

§ 205. *Posteriorem* itaque explicationem præferimus. Latet *asellus* noster revera *sub Cane*, sed *fervidissimus* dumtaxat *diebus*. Atque hoc designat vocula, μόνος *solus*, quam addit in textu, & repetit Ælianus l. de Animal. VI. 30. Etenim *sub Cane* toto si latet, quei dici potest latere *solus?* cum jam eodem tempore & *glaucum* & *auratam* se subducere in latibula dicat expresse. Attestatur vero huic expositioni experientia. Quare quod Ælianus l. de Animal. IX. 38. dicit, id vel hoc sensu accipere oportet, vel de Mugile myxino aliove. Quod equidem malo. Ait enim *asinum* adnumerari iis piscibus, qui se abscondunt ἐν τοῖς μυχοῖς τῆς θαλάττης, *in latibulis maris*. Noster *asellus* vero, marinus non est. Nam qui *Merlucium* faciunt, satis vel hoc argumento refutantur, quod numquam lateat. *Scimus*, inquit Scaliger, *à piscatoribus in Oceano fere omnibus temporibus capi*. vide ad VIII. Hist. XV. 172.

§ 206. *Ubi* lateat Asellus, jam innui: *in arena* nempe. Diserte hoc Philosophus IX. Hist. XXXVII. 256: καθαμμίζουσι δ' ἑαυτοὺς ἡ ὄνος, καὶ βάτραχος, καὶ ψῆττα, καὶ ῥίνη· *Occultant sese arena, & asellus, & rana, & passer, & squatina*. Scaliger heic quoque ὄνος interpretatur *merlus* quem vocant Galli, quasi maris lucium: quod Lucii fluviatilis formâ maxime repræsentet seu Lucio persimilis sit, ut Platina ait de Tuend. valet. X. 37. At supra dicebat, *non latitare* Merlucium, sed omni tempore capi à piscatoribus. Neque excusat contradictionem illud, *fere*. Hoc enim non de *latitatione* Merlucii, sed vel de migratione vel simili occasione, quare quandoque non capiatur, debere intelligi, docet intentio autoris. Quæ ibi est ostendere, *asello* Dorionis convenire quod ibi Philosophus ait, non Merlucio. Compara quæso loca.

§ 207. *Quare* denique in arena se occultet, hæc videtur causa esse, quod illa & frigidior sit, & gravior, & tolli in altum, ut limus, nequeat. Antea audivimus, exortu Caniculæ subverti fundum & limum ferri sursum. Cum ergo tuti in limo non sint, arenosa subeunt. Mirare hanc in piscibus prudentiam? Cogita eodem auctore doctos & noxam fugere & adire præsidium. Notat

Isidorus

Isidorus Orig. XII. 6: *Lupum, aviditas appellavit, piscem in captura ingeniosum. Etenim rete circumdatus fertur arenas arare cauda, atque conditus transire rete.* Cassiodorus Variar. XI. 40: *Piscens lupus arenis se mollibus, ut plumbati lini insidias evadat, immergit: cujus ut supradicta* (lego, *supraducta*) *retia ejus tergum frustra diraserint, alacer in undas exilit, & vitati periculi gaudia liberatus agnoscit.* Non ignoro ista Lupo marino passim tribui: sed quid vetat etiam Lucio fluviatili seu dulcium aquarum attribuere? Imo verisimilius est de his fuisse observatum primitus. Facilis quippe hæc observatio in aquis clarioribus, nec altis. Cæterum qui insidias hoc modo evadere docuit, docuit eodem se inlatebrare adversus Sirii æstum.

§ 208. Expendimus hactenus periodi novissimæ verba seu *notam* Aselli ultimam. Videamus etiam, quod præcipue nostri est *scopi*, cui hæc *conveniat*: Lucio, inquam, an Cabeljavo.

§ 209. Certe non *Cabeljavo*. De quo piscatores nostrates testantur, nullo umquam æstatis die latitare, nedum limo se, vel arena condere. Vere littora adnatat, ut ova ibi ponat. Ætate maris profunda sectatur & varie migrat de loco in locum, quamvis in statione diu sæpe & ad dies aliquot subsistat. Verum est, diebus Canicularibus in foro non conspici. Verum id non ex ea causa est, quod se abdiderit in latebras unde erui nequeat: sed quia qui capere eum maris accolæ solent, hoc tempore ad piscatum Harengorum omnes se conferunt, ceu operam lucrosiorem. Causa altera, quod non satis recens deferri ad forum queat: quia videlicet & ipse tunc est pinguior atq; opportunior putredini, & cito hanc consequitur fervore cœli. Hacpropter nec desideratur ab urbanis quibus ille *nequam est, nisi recens*, ut Plautus ait Asin. act. I. sc. III. 26: neque compensare pretio laborem potest. Ingens interim vis est Cabeljavorum, quæ æstate tota capitur & salitur & distribuitur à nostratibus per universam pene Europam, ceu jamante etiam monui.

§ 210. *Lucio* vero quod non conveniat, nihil est in illis quæ proposuimus. Latet enim non nisi æstate: & quidem sub Cane: neque toto, nisi ferveat immodice totus: semper autem servidissimis

mis & ſqualidiſſimis dierum. Latet porro, ubi licet, in arena: ubi vero non, in limo. In fluminibus qui degit, arena ſe in profundis obruere mavult, quam limo riparum. In foſſis & ſtagnis & brevioribus aquis qui verſatur, cum aliter non poſſit, in limo ſeſe abdit quam penitiſſime: adeo etiam, ut, quamvis ſagena ſeu everriculo agitentur & evertantur ſuperiora limi, tamen altero jactu non capiantur plures, quam priore.

§ 211. Hæc *vera* eſſe omnia de Lucio, ſi quis à ſe non impetrat, ut mihi ex vero referenti credat, meo exemplo conſulat eos qui ætatem in piſcatu exegerunt. Ego quidem adivi non unum, neque novitios, ſed veteranos & quibus comperi perſpectiſſimos fuiſſe mores piſcium cum marinorum tum dulcibus in aquis victitantium. Ex quorum relatu ac fide ſua nobis Philoſophum reliquiſſe, quis eſt qui dubitat? Franc. Patritius Diſcuſſ. Peripat. to. II. lib. VII. p. 257: *Hiſtoriam animalium Ariſtoteli non hic author aut ille, ſed hominum multa millia, ut Plinius loquitur, ſuppeditarunt, ex quorum relatu eam conſarcinavit. Quamvis ante eum Linus, multis annorum centuriis vetuſtior* καὶ ζώων καὶ καρπῶν γηρέως *cantaſſet.* Plinii verba ſunt lib. VIII. cap. 16: *Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæque tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant: quibuſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant: ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo: quos perconctando, quinquaginta ferme volumina illa præclara de Animalibus condidit.*

§ 212. Atque ita, niſi vehementer fallor, edocui, *notas* Aſino & Aſello adſcriptas omnes & ſingulas quam *optime* quadrare in Lucium & Lucillum quos nominamus hodie: *nequaquam* vero in Cabeljavum. Si quis interim receptæ ſententiæ tenacior ſibi ſatisfactum iſthac commentatione non putet; hunc mihi probet rogo, *Cabeljavum* alio in mari, quam Septentrionale quod vocant, reperiri: imo potius, reperiri in mari vel Mediterraneo, vel Tyrrheno, vel alio aliquo auſtraliore. Noſtrates, qui omne navigabile annavigant, alibi negant Cabeljavos capi, quam ubi dixi.

dixi. Unde nec credibile, Græcos, præsertim priores, vidisse umquam Cabeljavum, nedum perspectos ejus mores habuisse: in quorum notitiam nequibant venire, nisi ex relatu gentium barbararum & illo ipsis seculo penitus ignotarum.

§ 213. Sed *unum* supereſt, nec contemnendum dubium. Galenum audivimus (in initiis hujus exercitationis) *asellos*, Piscium saxatilibus pares in salubritate seu carnium bonitate facere. *Quæ* sane *dos* Lucio cum non conveniat, non potest non insolens videri metamorphosis, quæ ὀνίσκον Græcorum transformet in *lucium* Romanorum. Non convenire eam *dotem* Lucio, Ausonius *experimento* docet; Salvianus etiam *ratione*. Quamobrem, ne præjudicii hic & ille obex te, amice Lector, præpediant pedibus ire in assensum veritatis, ad quam aperire tibi viam hactenus & pluribus atque evidentibus argumentis sum conatus; age etiam illos removeamus, & quidquid supereſt dubitationum.

§ 214. Ausonii tale exstat de *lucio* testimonium in Mosella, sive Edyllio x. 546.

Hic etiam Latio risus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
Lucius obscuras ulva cœnoque lacunas
Obsidet. Hic nullos mensarum lectus ad usus,
Fervet fumosis olido nidore popinis.

§ 215. Primum versum sanum esse qui mihi persuaserit, virum putabo. Etenim *risus* ibi τί πρὸς ἔπος? Certe nihil. Quid *risui* cum *lucio?* Rescribe igitur, vel mea auctoritate: *lupus prænomine*. Scilicet, jam tum *nomen* ei Lucius erat: *prænomen*, Lupus. Obliterata, inquam, vetere appellatione obtinuit labente Latinitate, ut *Lupus Lucius* diceretur. Et sic appellat Alb. Magnus, monente Jul. Scaligero in I. Hist. de Anim. VI. 42. non alio, ut suspicor, consilio, quam ut appellando *lucium*, piscem esse: *lupum* vero mores ejus in insidiando & prædando feroces atque similes terrestris Lupi designaret.

§ 216. Sed obstare huic *emendationi* duo videntur. *Primo:* Versui *lupus* non convenit. Ergone ignoras ejuscemodi plura apud hunc poetam reperiri χωλίζοντα? Adi sis ergo ad Jos. Scaligeri

ligeri Auſon. lect. II. 21. ubi talium ejus Archaiſmorum flores collegit plures. *Deinde*: Quod videatur Poeta ignoraſſe, verum vetuſque nomen huic piſci *aſello* eſſe. Sed id omnino non eſt veriſimile. Audi ſis ergo Jul. Scaligeri animadverſionem in Exerc. ad Card. CCI: *Auſonius ſui temporis ſecutus plebem, uſitatis nominibus pulcherrimum poema non eſt veritus inficere potius, quam aut ipſe in ambiguo jactari, aut jactare lectorem in obſcuro. Sic & Aloſam pro Clupea, ſive Thriſſa: Tincham pro Merula fluviatili poſuit.*

§ 217. Præterea in quarto verſu, pro *hic* malim legere, *hinc*. Reddit quippe rationem, quare non legatur ad menſæ uſus. Scilicet *ex hac cauſa*, quod ulva atque cœno paſcatur. Ita illud *hinc* Donatus exponit apud Terentium Andr. act. I. ſc. I. 99. Simili modo etiam uſurpat Latinitatis parens Orat. pro L. Flacco c. XXIII. p. m. 310. Tolerabilis interim lectio vulgata eſt.

§ 218. Contemtus *cauſa*, Poetæ dicta, eſt *locus*, ubi degit: ſignificata vero, *victus*, & hinc *ſapor* non gratus, atque *inſalubritas* odioſa. *Quam* quia potiſſimum urget Hippol. Salvianus, & rationibus præterea conatus eſt aſſerere, audiamus has ex opere de Piſcibus, hiſt. XXI. quo una deinde opera reſpondeamus utrique.

§ 219. *Quidam*, inquit, *inter alios piſces minus inſalubrem exiſtimavit: cui gregales Medici aſſentiuntur omnes, Piſcium omnium ſaluberrimum eſſe contendentes. Verum quam aberrent, ſi ad Galeni cenſuram expendatur, facile intelligi poterit. Is enim tum locorum ratione, tum carnis ſubſtantiâ, optimos piſces dijudicat. Quod ad locum ſpectat, omnibus ſaxatiles præfert: in ſecundo bonitatis loco pelagios conſtituit: poſt hos qui in marinis ſtagnis aut circa fluviorum mari illabentium oſtia degunt. Marinis vero fluviatiles: fluviatilibus autem lacuſtres ac paluſtres facit deteriores. Ex quibus*, pergit, *nemo non intelligit, loci ratione ne ſalubrem quidem, nedum ſaluberrimum Lucium cenſeri poſſe. Quod vero ad carnem attinet, ſicuti, eodem auctore, cibi reliqui, ſic & piſces, ſi ſalubres cenſendi ſunt, teneri ac friabiles ſint oportet. Vnde neque etiam iſtis nominibus ſalubris piſcis erit Lucius: ut qui friabilis non ſit, duruſque profecto exiſtat. Et propterea neque etiam concoctu facilis eſt.* Galeni quæ indigitat loca ſunt I. de Alim. fac. III. 25. 28. I. de Succ. bon. 9. I. de Att. vict. 8.

§ 220. Ille

§ 220. Ille *quidam* Bapt. Platina est, qui de Tuenda valetudine libros edidit decem, eruditionis non contemnendæ. Ille de *Lucii fluvialis* salubritate quæ dicit, eo adfert modo, ut pareat, ex publico magis consensu, quam suo judicio loqui. *Hic piscis*, inquit, *inter alios minus insalubris habetur.* Qui vero sint isti *gregales Medici*, qui ex his verbis extuderint hunc sensum, *Piscium omnium saluberrimum esse Lucium*, equidem non potui resciscere. Si qui ad hoc affirmandum Platinæ auctoritate sunt adducti, eos potius existimem præ oculis habuisse ejusdem libri cap. XIX. ubi ex Plinii IX. 54, laudat *piscem lupum maxime qui inter duos pontes captus est Tiberis.* quo de videsis Dion. Lambinum ad Horatii II. Satyr. II. 31. namque ego mihi inquirendum non censeo, sit ne Labrax an Lucius.

§ 221. Dubitavit certe Platina: *Assatur*, inquit, *in craticula lupus, si is est quem vulgo lucium vocant.* Libri *laciam* legunt & heic & iterum ad finem capitis. Ubi refert quemadmodum à se dissenserit Philippus Romanus, sua ætate physicus egregius & disciplinæ veterum diligentissimus rimator: atque ejus ille fuerit sententiæ, *stirionem* [alii, *sturionem*] *si saporem inspicimus, esse quem veteres illi captum inter duos pontes tantopere laudabant: nec lucio eam laudem asscribendam putaverit. Vter noster*, inquit, *melius dijudicet, liguritorum sit judicium.* Philippi opinionem cum Poggio Florentino adscribit Franc. Massarius Castig. in IX. Plin. p. 91: videtur hunc Platinæ locum non vidisse.

§ 222. *Salubritatis* piscium notæ non Galeno primum, sed Hippocrati debentur, ceu vetustissimo autori, ut appellat Celsus II. 14. Quod an sciverit Salvianus, affirmare non possum. Possum: multis hodie videri satis, si laudent Virum, & unam aliquam vel alteram ex eo sententiolam recitent omnium calamis tritam. *Locum* alias proposui, eumque geminum. *unus* enim extat II. de Diæt. t. XI. *alter* l. de Affect. t. XLVI.

§ 223. *Ratio*, qua *lucium* Salvianus damnat insalubritatis, gemina est: *altera*, à Loco, ubi degit: *altera*, à Carne.

§ 224. *Locum* quod attinet, certum est, etiam in lacubus, in paludibus, aliisve cœno atque ulva obsitis locis degere. Sed

certum est & hoc, in fluviis quoque, in rivis rivulisque limpidissimis, & ubi neque limus neque ulva est, reperiri. Campis edimus in Isula captos adeo colore argenteos, sapore delicatos, carne teneros, ut facile concederem cum quovis optimo fluviatilium comparari.

§ 225. Quamobrem Salviano nunc de *veris* Asellis seu Luciis respondeo, quod de *putatitiis* Edoardus Wottonus l. de Differ. animal. VIII. 172. *Aselli*, inquit, *non parum inter se discrepant. Nam qui in sinceris aquis victitant, proboque utuntur alimento, carnis bonitate cum saxatilibus contendunt. Qui vero pravo aluntur nutrimento, aut in aquis quoquomodo mixtis degunt, præsertim si vitiosæ fuerint, mollem quidem habent carnem: verum ob pinguedinem lentoremque, neque suaves jam adeo sunt, & alimentum gignunt excrementosum.* Diserte hoc de *Luciis* exponit Melch. Sebizius de Alim. facult. III. 14. p. 987. *Qui lucii*, inquit, *in fluminibus puris rapidisque educantur, carnem habent duriusculam ac friabilem, ὄπαθον item, ἄχυμον, & excrementis vacantem. Qui in stagnis, lacubus, paludibus & piscinis aluntur, limosum virus redolent, mali succi sunt, carneque constant glutinosa & excrementitia.*

§ 226. *Altera* ratio desumebatur à *carne*. Quam *duram* Lucio & *concoctu difficilem* ajebat Hippolytus. Sed *varia* est revera: mollior quandoque, quandoque durior; pro varietate vel loci vel ætatis. *Mollior* est, & lentior, & nidorosior, qui ulva cœnoque obscuras aquas incolit. Non ideo tamen, quia ulva aut cœno, sed his vescentibus ranis aliisque lutariis piscibus vescitur. *Durior* contra, & friabilior, & suavior, qui puris in aquis & jugiter fluentibus versatur. *Durior* itidem, quo major est. *Spithamai* & paulo majores adeo se teneritudine dotibusque aliis commendant, ut paria cum ipsis facere nequeat *Perca*, delicias mensarum quam vocat Ausonius eodem Edyll. x. 541. Sebizius iterum: *Delicatissimi sunt Lucioli, præsertim novelli, quos hornos*, heurling *Germani vocant. Annosi, duri sunt, palato ingrati, & concoctu difficiles.* Interea *non* (ut Arn. Freitagius l. de Escul. & potul. facult. p. m. 118. censet) *pessimi nutrimenti*, nisi sit pessimi generis.

§ 227. *Perca*, cujus meminit Ausonius, si eadem est cum nostrate

Unable to display this page

ferant salem, non possum dicere. Res plena, ut paret, dubitationum. Quas nunc animus non est evolvendi.

§ 230. Hoc *unum* dicam pro *lucio* nostro: si hæc est bonitatis atque salubritatis nota, *segmentis coire carnes & dissociari aristis*: non *alium* Lucio alunt nostrates aquæ salubriorem. Adeo enim *utrumque* ipsi competit ex asse, ut nesciam piscem, cui æque conveniat. *Cyprinus* etiam aristulosus est, & valde: verum carnes ejus segmentis non coeunt. *Salmonum*, coeunt segmentis, sed non dissociantur aristis.

§ 231. Denique (ut desinamus & eodem in genere argumenti, unde occepimus) certum est examinanti, nihil quidquam *lucio* deesse ad laudem & notas salubritatis, quas suo *asello* Veteres velut unanimi consensu attribuerunt. Quod sane animadvertisse oportet Alex. Benedictum, Aloys. Mundellam, Anton. Gaynerium, & quos præterea laudat Gesnerus de Aquatilib. IV. p. 595: qui suo olim tempore ejuscemodi in morbis in cibum Lucios & Lucillos concedebant, in quibus fere nemo idem ausit hodie. Quare non? Practicantibus nunc persuasum est, nescio à quibus, *In tenui victu non delinquere ægros*: illum vero consistere intra jus unius alteriusve carnis debere, & id sæpe non sincerum; sed, ne umquam medicina desit, nunc his nunc illis herbis medicatum. Nemo vero hanc metamorphosin artis miretur. Priscis enim verisque medendi rationibus atque materiis obliteratis, annon necesse est novas procudi? Equidem: si desperata illarum cognitio est. Non esse, vel hoc exemplo volui docere. Studium modo atque industriam adferamus, si non omnia, multa saltem quod ad Materiam medicam dabitur eruere è tenebris. Sin ita pergimus, uti nunc est mos, & docere & discere Medicinam, metuendum est, ut ne veniat aliquando ille dies, quo queramur potius querimoniam Horatii quæ est 11. Carm. VI. 45; quã nobis applaudentes meritamq; laudem deposcentes gloriemur in hoc:

Lucrosa quid non progenuit dies?
AEtas avis præstantior extulit
Nos doctiores, mox daturos
Progeniem sapientiorem.

XII. *Scom-*

XII.

Scomphus Pleuriticus.

Hipp. v. Epid. t. 1. 3.

ΣΚΟ'ΜΦΟΣ ἐν Οἰνιάδησι πλευρίτιδι ἐχόμενος, ἀπέθανεν ἑβδομαῖος παρακόπτων. φάρμακον δὲ ἔπιε κατωτερικὸν, ταύτῃ τῇ ἡμέρῃ τῇ πρόσθεν κατανοέων· καὶ ἐκαθάρθη οὐ πολλά· καθαιρόμενος δὲ παρέκοψεν.

SCOMPHUS *apud Oeniadas pleuritide detentus, mortuus est septima delirans. Verum medicamentũ biberat dejectorium, pridie ejus diei mentis compos: & purgatus est non multa. Purgatus vero deliravit.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

MEDICI *imperiti* in manus incidere, miseria est. *Imperitus* est, qui, quæ didicit præcepta medendi, exequi non didicit. Nam *illa* ad faciendam artem non adferre, *indocti* est, & indigni licentia faciendæ. *Hoc* genus timidum esse: *illud*, temerarium solet. δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει· θρασύτης δὲ, ἀτεχνίην. *Timiditas quippe impotentiam arguit: temeritas vero, imperitiam.* Fructus *timiditatis*, est prolongatio morbi: *temeritatis* vero, acceleratio mortis. Huc enim temeritati οὐχ ἱκάνη φαίνεται ἐοῦσα τοῦ νοσέειν βίη, εἰ μὴ ξυνέλθοι τῇ τοῦ ἰητροῦ ἀπειρίη, *sufficere non videtur ægrotandi vis, nisi accedat ad eam medici imperitia*, inquit Hippocrates in Præc. t. II. 17.

§ 2. Tanto festinantius autem accersita mors ingruit, quanto morbus est acutior. Nam, ut iterum ille l. de Affect. t. XII, τῶν νούσων σχεδόν τι μάλιστα αἱ ὀξεῖαι, καὶ ἀποκτείνουσι καὶ ἐπιπονώτατάι εἰσι. καὶ δεῖ πρὸς αὐτὰς, φυλακῆς τε πλείστης, καὶ θεραπείης ἀκριβεστάτης. καὶ ἀπὸ τοῦ θεραπεύοντος, κακὸν μὲν μηδὲν προσγίνεσθαι,

νεσθαι, ἀλλ' ἀρκέειν τὰ ἀπ' αὐτῶν τῶν νουσημάτων ὑπάρχοντα. ἀγαθὸν δὲ ὅ, τι ἂν οἷός τε ᾖ. καὶ ἦν μὲν ὀρθῶς θεραπεύοντος τοῦ ἰητροῦ ὑπὸ μεγέθεος τῆς νούσου κρατέηται ὁ κάμνων, οὐχὶ καὶ αὕτη ἡ ἁμαρτία τοῦ ἰητροῦ ἐστίν. ἦν δὲ μὴ θεραπεύοντος ὀρθῶς, μηδὲ [non, μὴ δὲ] γινώσκοντος, ὑπὸ τῆς νούσου κρατέηται, τοῦ ἰητροῦ. *Morborum maxime acuti, & occidunt & laboriosissimi sunt. Ad hos opus est, & custodia summa, & cura exactissima. Atq; à medico quidem nullum malum obtingere debet; quin sufficere, quæ sunt à morbo. Bonum vero, si is idoneus sit ad curandum. Quod si recte curante medico à magnitudine morbi superetur ægrotus, non ea culpa medici est. Contra, si non recte curante, neu cognoscente* morbum, *à morbo superetur* æger, *medici* hæc culpa est.

§ 3. Et hoc est, quod Ulpianus ait, & forte hinc accepit, l. 6. § 7. ff. de Off. præs. *Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet: prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet.* confer l. 8. ff. ad Leg. Aquil. & § 7. Inst. ad l. Aquil. Quæ leges hodie cum deviguerint, hinc est, quod adeo tenui cum profectu, jejunaque scientia provoletur ad Artem, qua male exercita damnosior alia non est.

§ 4. *Testimonium* nobis dicere Scomphus potest, cujus historiam vel ideo imus explicatum, & ut saltem ab hoc errore, quo periit ille & pereunt hodieque multi, aliquos revocemus: nam de omnibus quæ spes esse potest ignaro hoc & ignavo seculo?

§ 5. SCOMPHUS. *Viri* hoc nomen esse, opus dicto non erat, nisi id faceret ad erroris magnitudinem detegendam. *Viri* an *feminæ* frequentius pleuritide corripiantur, non disputo. Pro *illis* definivit Vascus Castellus v. Exercit. med. cap. IV. diff. VII. Pro *his* facere videtur, quod est l. de Muliebr. t. II. τό, τε σῶμα τῷ ἀνδρὶ οὐκ ἁπαλὸν ἐὸν, οὐχ' ὑπερπονέει, οὐδ' ὑπερθερμαίνεται ὑπὸ πληθώρης ὡς τῇ γυναικί. *Quumque corpus viro non sit tenerum, supra modum neque dolet, neque incalescit à plethora, velut mulieri.*

§ 6. Quidquid de eo sit, hoc certum est, *viros* valere magis, & succumbere injuriis minus. Hoc inquam certum est, *modo* ne hominem infirmum cum femina valente compares, neu assuetam laboribus cum otioso & molli. *Comparanda* enim non debent

μεγάλην

μεγάλην πρὸς ἄλληλα διαφορὰν ἔχειν, *magnam inter se differentiam habere*, stipulante Philosopho in III. Top. I. init.

§ 7. APUD OENIADAS. Interpretes: *in Oeniadis*. Quem in errorem ducti videntur ab Erotiano. cui Οἰνιάδα exponitur in Lex. Hipp. πόλις αἰτολίας, κειμένη παρὰ ταῖς τοῦ ἀχελώου τοῦ ποταμοῦ πηγαῖς· *civitas Ætoliæ, sita ad Acheloi fluvii fontes*. Quot verba enim, tot sunt in illis errores.

§ 8. *Primus* est, quod civitatis nomen putet, quod civium est. Suidas: Οἰνειάδης καὶ οἰνειάδες, ὄνομα ἔθνους. Pausanias Messenicis seu l. IV. p. m. 262. l. 46: ἠπίσταντο γὰρ Οἰνιάδας Ἀκαρνάνων γῆν τε ἔχοντας ἀγαθὴν, καὶ Ἀθηναίοις διαφόρους τὸν πάντα ὄντας χρόνον· *Compertum quippe habebant Oeniadas Acarnanum cum terram possidere bonam, tum Atheniensibus inimicos omni fuisse tempore*. Nec aliter Diodorus Biblioth. XIX. p. 708. B.

§ 9. Fateor interim inveniri etiam apud Pausaniam, ubi *metonymice* ponitur pro *regione*, quam inhabitabant Oeniadæ. Videsis Attic. p. 20. l. 8. & Messen. p. 263. l. 23. Cujus licentiæ nulla apud nostrum necessitas est.

§ 10. *Alter* deinde error est, quod Oeniadas collocet ad *fontes* Acheloi, cum habitarint ad *ostium* Fluminis. *Illi* in Pindo monte erant: *hoc*, ad mare, quod vergit ad sinum Corinthiacum. Quin esse, qui ostium fluvii initium sinus statuant, auctor est Strabo lib. X. p. m. 450. B.

§ 11. De *illis* Ptolomæus Geogr. III. 15: τῶν δὲ ποταμῶν ὁ μὲν Ἀχελῶος ἔχει τὴν ἀρχὴν ἐν τῷ Πίνδῳ ὄρει. *Ex fluviis Achelous quidem originem habet in Pindo monte*. De *altero* nobilis est Scholiastæ ad Thucyd. locus p. m. 83. οἰνιὰς, πόλις ἐστὶν ἐν τῷ στόμῳ τοῦ ἀχελώου, ἡ καὶ νῦν δραγαμέστη λεγομένη. *Oenias, urbs est ad ostium Acheloi, quæ nunc Dragameste dicitur*.

§ 12. Error *tertius*, quod Oeniadem in Ætolia ponat, quæ sita in Acarnania erat. *AEtolos* enim & *Acarnanes* invicem conterminos *medius* Achelous distinguit: *his* Occasum versus, *illis* ad Ortum habitantibus. Ita Strabo p. 449. D. & Plinius IV. 1. Sophianus tamen pro Erotiano est. Mappam enim ejus si inspicias, reperies Oeniadem ad ostium Acheloi quidem, sed ea Ætoliæ par-

te, qua procurrit in mare quod laudavi. Sed & illum facile est refutare ex Strabone. videsis ad pag. m. 450. D. & pag. 458. A.

§ 13. Quæ dixi hactenus, paucis omnia comprehendit unus Thucydides lib. II. prope fin. ἐς γὰρ οἰνιάδας ἀεί ποτε πολεμίους ὄντας μόνους ἀκαρνάνων οὐκ ἐδόκει δυνατὸν εἶναι, χειμῶνος ὄντος, στρατεύειν. ὁ γὰρ ἀχελῶος ποταμὸς ῥέων ἐκ πίνδου ὄρους διὰ δολοπίας, καὶ ἀγραῶν, καὶ ἀμφιλόχων, καὶ διὰ τοῦ ἀκαρνανικοῦ πεδίου, ἄνωθεν μὲν παρὰ στράτον πόλιν, ἐς θάλασσαν διεξιεὶς παρ' οἰνιάδας, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς περιλιμνάζων, ἄπορον ποιεῖ ὑπὸ τοῦ ὕδατος ἐν χειμῶνι στρατεύειν. Quæ satin' fideliter Latinis reddiderit interpres, videri malo quam referre. Reddendum erat: *Oeniadas, qui Acarnanum soli perpetuo sibi infesti erant, non videbatur possibile, cum hiems esset, invadere. Amnis enim Achelous è Pindo fluens per Dolopiam, & Agraos, & Amphilochos, perque Acarnanicum campum, superius quidem præter Stratum in mare exiens juxta Oeniadas, ac urbem ipsorum circumfluens, hieme præ aqua inaccessam facit volentibus invadere.*

§ 14. Ergo *gens*, Oeniadæ dicti: *urbs*, Oenias: etiam adjacens *regio*, auctore Stephano. Οἰνειάδαι, πόλις Ἀκαρνανίας πρὸς τῷ Ἀχελώῳ, ἡ καὶ Ἐρυσίχη καλουμένη. λέγεται καὶ Οἰνειὰς ἡ χώρα. ἔστι καὶ ἑτέρα τῆς Οἰτωίας πόλις, Οἰνειάδαι. *Oeneadæ, urbs Acarnaniæ ad Acheloum, quæ & Erysiche vocata est. Dicitur & Oeneas regio. Est & alia Oetææ urbs, Oeneadæ dicta.* Nisi in principio ac fine legas ut in medio, οἰνειὰς, aut erravit eumdem errorem cum Erotiano, aut abusus est Pausaniæ libertate. Altera ista in Oetæa Oenias quæ fuerit, nihil attinet investigare.

§ 15. PLEURITIDE. Morbi hujus historiam heic si velim exhibere, longum erit, & à proposito nos abducendo, & nulli in præsens usui. Sufficit notasse: *Morbum* esse lateris, inflammatorium, acutum, periculi insignis. Est autem *phlegmone* illa quibusdam vere φλεγμονώδης, quibusdam ἐρυσιπελατώδης, nonnullis etiam οἰδηματώδης. Nostris ista *sanguinea* dicitur: illa, *biliosa*: hæc, *pituitosa*: præeunte Hippocrate III. de Morb. t. XIX. Ex quibus uti *frequentiores*, Biliosæ sunt: ita *periculosiores*, Sanguineæ. Hoc judicium dictatoris est loco, quem innui. ἔστι δὲ ἡ μὲν χολώδης ἠπιωτέρη, ἢν μὴ ῥήγματα ἔχῃ ὁ κάμνων. εἰ δὲ μὴ, ἐπιπονωτέρη

νωτέρη μὲν, θανατωδεστέρη δὲ οὔ. ἡ δὲ αἱματώδης ἰσχυρὴ καὶ ἐπίπονος καὶ θανατώδης. *Est autem biliosa quidem mitior, nisi quæ sugillata sint ægrotanti: alioqui doloris quidem plena, non tamen lethalis est. Sanguinea vero vehemens & plena doloris ac lethalis est.* Τὰ ῥήγματα *sugillata* exponere jubet locus, qui I. de Morb. t. XVI. legitur. confer l. de Flat. t. XVIII.

§ 16. Cujus generis *pleuritis* Scomphi fuerit, non dicitur. Davi mei conjectura est, *biliosam* fuisse. Hoc conjicit ex Facto medici & Eventu facti. *Medicus* purgavit: procul dubio demendæ materiæ gratia. Ea ergo biliosa fuit, aut pituitosa. nam auferendo *sanguini* Purgatio non facit. *Pituitosæ* putat non convenire, quæ evenere. *Purgatus* est non multa: purgatus deliravit: delirans mortuus est, & brevi. Quorum emphasis & ratio suis locis enucleabitur. Contra sequax est materia *biliosa*, & prona facere delirium cum agitatur, idque acutum atque lethiferum.

§ 17. DETENTUS. Ἐχόμενος: proprie, *habitus ab aliquo.* Heic, quod dedi, malo. *Detentus* enim dicitur, qui in potestate alicujus est, & rebus suis interesse impeditur, seu vi coactus, seu necessitate. Galeno exponitur ὡσεὶ κατεχόμενος καὶ βιαζόμενος, *quasi occupatus & coactus*: Aph. VI. 16. Hoc vero est *detineri* in Codice juris, qua de Usucap. transf. l. I. § cum autem.

§ 18. Morbi nos *detinent* magnitudine, quam adferunt, vel adquirunt. *Adferunt*, acuti: *adquirunt*, longi & diuturni. *Longus enim morbus cum penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet acuto par est*, inquit Celsus l. III. c. I. Heic exemplum *prioris* est. Ea quippe vi Pleuritides invadere consuerunt, ut evestigio deprehensos cogant decumbere & rebus suis suam præsentiam negare.

§ 19. *Alterius* exemplum extat Aph. VI. 14. Quem Celsus (eodem lib. cap. XXV.) suum faciens, pro eo quod Græce erat ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, Latine vertit, *quos aqua inter cutem male habet.* Ubi *male* idem quod diu & periculose est. Paret ex initio cap. seq. ubi ista conjungit: *Diutius & periculosius Tabes eos male habet, quos invasit*, seu quibus eos progressus fecit, ut facta sit ægri potens. Nempe alludit ad illud hodieque familiare: Hectica *incipiens*, facile: *progressa*, difficile: *progressior*, numquam curatur.

§ 20. MORTUUS EST. Heu! non fato ſuo, ſed occidio medici. Inquies: præpoſterum hoc judicium eſſe, & probroſum Arti, & injurioſum Artifici. Quid ergo? numquam ne medicum peccare putabimus? Quei id ſperandum ab homine? etiam perito? nedum ſemidocto? Quorum longe potior eſt ubique numerus.

§ 21. Fateor, ais: ſed humanitatis amore tegendus error eſt. Eſt certe apud extraneos: non apud ſocios artis. Quos cautos reddere aliena debent pericula. Ita enim eſt, ut Columella ait in 1. de Re ruſt. c. 1. *Non eſt ulla diſciplina, in qua non peccando diſcatur. Nam ubi quid perperam adminiſtratum ceſſerit improſpere, vitatur, quod fefellerat.* Felices ergo, qui peccatis erudiuntur, cum ſuis, tum aliorum!

§ 22. Et hic *noſter* in præſenti *ſcopus* eſt, Fugienda docere. Bene, inquis, ſi liquet de malefacto. Ita enim comparatum eſt cum Medicis, uti ad Democritum ſcribit Hippocrates Epiſt. xx. Ἰητρικῆς τέχνης κατορθώματα μὲν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἁμαρτήματα ἐπαινέουσι· Θεῷ δὲ πολλάκις προσαρῶσιν. ἢν δέ τι ἡ φύσις ἀνιηκέξασα ὑπολέσῃ τὸν θεραπεύομενον, ἰητροὺς καταμέμφονται, παρέντες τὸ θεῖον *Artis medicæ recte-facta quidem multi hominum non admodum laudant: ſed Deo ſæpe adſcribunt. Si quid vero contrafaciens Natura perdiderit eum qui curatur, Medicos accuſant, prætereuntes Numen.* Hæc *querela* Medicorum juſta de vulgo eſt.

§ 23. Imo, ais, non magis invidet Mendico mendicus, quam Medicus medico. Eſt enim Medicus invidum animal, ſi quod aliud. Verum & hæc criminatio niſi in noſtri ordinis vulgus non cadit. Non cadit in magnos viros, & fiduciam magnarum rerum habentes. Non cadit ſaltem in Hippocratem, quem non puduit errorem ſuum poſteritati tradere, *ne qui decipiantur eadem ratione, qua ipſe deceptus ante eſt,* ut cum laude Viri egregia refert Celſus VIII. 4. Ergo, ut liqueat de *peccato* Medici, opera deinceps nobis & ſerio danda.

§ 24. SEPTIMA. Valleſius: *Neque, mortuum eſſe, neque, ſeptima die id eſſe factum ex pleuritide, mirum eſt: quandoquidem morbus eſt è lethalium genere, & ſemper acutus, non raro etiam, præci-*

pue

Unable to display this page

neque à Natura, neque à Morbo. confer Coac. 383. & 388. Non fit autem ullius heic mentio, cui queas judicii vel anticipationem tribuere, vel casum infelicem. confer 1. de Morb. t. XXIII.

§ 31. DELIRANS. Vallesius iterum: *Ex pleuritide non admodum solent homines delirare, neque certe cum pleura habet cerebrum magnam consensionem: sed plerique ex pleuritide obeuntes, ad extremum usque sapiunt. Qui, inquam, ex sola pleuritide moriuntur. Nam ii, quibus Septum transversum inflammatum est, semper delirant. Et peripneumonicis crebro supervenit delirium. Pleuritis vero sæpe parit peripneumoniam, ac nonnumquam etiam septi inflammationem, eâ, quæ in membrana lateris est, serpente in partes proximas. Huic fortasse horum quippiam factum est: sin minus, succi malignitas & debilitas cerebri fuerunt in causa, ut per consensum in pleuritide deliraretur.*

§ 32. Quibus in verbis *quædam* acceptanda nobis: *quædam* rejicienda sunt: *quædam* denique prætermittenda, ceu ad rhombum nostrum neutiquam facientia.

§ 33. *Accepto*, & quidem *primum*: Ex sola pleuritide homines non delirare, quin etiam morientes ex illa sapere ad extremum usque. Hoc, inquam, accipio, quia experientia docet. *Deinde*: Cerebrum non consentire succingenti membranæ. Hoc ratio dicit, examinatis omnibus consentiendi modis.

§ 34. *Non accipio*, nempe *primum*: Nostro ad Lateris accessisse aut Pulmonis aut Septi inflammationem. Nec ausus fuit hoc affirmare: ideoque dubitandi formula usus. Ego ne dubito quidem: quin diserte nego alterutram superveniſſe. Non ideo tantum, quia non est Medici periti, ὑπεροράν *prætervidere* (II. Epid. II. 17.) aliquid: neque Præceptoris fidelis, reticere scienda: neque Viri probi, gravare aliquem suspicione: sed quia abunde satis expressæ causæ delitii ac necis sunt.

§ 35. *Deinde*, non accipio: Succi malignitatem & Cerebri debilitatem. Præterquam enim quod nihil ejus liquet ex relatu, etiam incertum est, num iis ex causis nasci delirium queat. Quo etiam dato, tamen obtinere heic æquum est, quod Celsus ait de legibus ambiguis ff. de Legibus l. 29. *In ambigua voce legis ea po-*

ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret: præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. Abunde vero satis ex sequentibus historiæ intelligi potest, quid Dictator voluerit.

§ 36. Hoc voluit: *Scomphum male habitum à medico, & ob id mortuum.* Hoc quia intererat posteritatis in *exemplum*, non debebat illa nescire uti exemplo. *Vsus* vero sine ratione non est: neque *ratio* sine notitia eorum, super quibus exemplum est fundatum. *Illa* sunt: Morbus & Remedium. *Morbus:* Pleuritis, inflammatio lateris. Sub *hoc*, Febris & æstus spirituum: sub *hoc*, Dolor & laceratio spirituum: sub *hoc*, Dyspnœa & obsessio spirituum: sub *hoc*, Tussis & fatigatio spirituum est. *Remedium:* Medicamentum dejectorium, potens & multum movens ac nihil promovens. De *morbo* vidimus. Videamus de *remedio*, & ostendamus morti januam aperuisse.

§ 37. VERUM. Ista sane particula cum minime heic otiosa censeri queat, nescio quid aliud ab ea exspectes, nisi ut sequentem orationem præparet ad reddendam rationem ejus, quod in præcedente erat propositum. Conjunctiones *completivæ* enim etsi ornatus magis causa, quam rerum necessitate inventæ videantur: tamen augent sensum orationis: atque ita augent, ut pene societatem ineant cum Subdisjunctivis, sive his, quæ utramque partem ponunt ad electionem.

§ 38. In prima parte dictum erat: *Scomphus pleuritide detentus mortuus est septima delirans.* In altera: *Scomphus bibit catharticum & purgatus est non multa, quique pridie purgationis mente constabat, purgatus deliravit.* Ergo *delirium*, & *mors* hinc sequuta, *causam* habent *aut* Morbum, *aut* Medicum. Quippe *alterutra* eligenda. *Si* Medicum, utique *non* Morbum. *Verum*, non Morbum: est enim, & discernentis, & adversantis, atque contrarium affirmantis: *ergo*, Medicum. Quod argumentis probandum infallibilibus.

§ 39. MEDICAMENTUM. Quemadmodum φάρμακον Græcis dicitur ἀπὸ τῆς φαρμάσσειν, ἢ θεραπεύειν, expositore Hesychio: ita *Medicamentum* Latinis à *medicari*, hoc est, curare valetudinem. Nonius: *Medicamentum est, quo homines curantur*: hoc est,

est, omnis illa apparatio, quæ Naturam humanam, quaqua ratione dispositionem ejus mutando, conservare apta nata est.

§ 40. *Communi* hac notione Medicamentum est, quidquid *aut* Culina parat, *aut* Officina: præsertim ex *præscripto* Medici, & ad *valetudinem* Hominis, *cum* tuendam, *tum* restituendam. *Vetus* hæc notio est, & Hippocrati expressa l. de Med. purg. circa init. ὑπολαμβάνειν δὲ χρὴ καὶ τὰ σιτία τὰ τρέφοντα ἡμᾶς φάρμακα εἶναι· *Sed & cibos, qui alunt nos, habere pro pharmacis oportet.* Tam enim *medicina* Sanitatis sunt, quam Mortalitatis.

§ 41. *Propria* medicamenti notio ad illa solum spectat, quæ vim non alendi habent, sed agendi in corpus & Naturam aut invitandi aut inritandi in officium, quoties id ignavius obit. Hæc non aliunde petuntur, quam ex *medicinis*, ut appellat Comicus Amphitr. IV. sc. 1. 5: hoc est, *tabernis* Medicorum seu *officinis* Pharmacopœorum, ut nunc appellamus.

§ 42. Et hæc rursus *latior* est significatio. *Stricte* enim dicitur de *Purgante*, tam *sursum*, quam *deorsum*. Habes eodem libro locum egregium apud Hippocratem, qua de interrogandis ægrotum, antequam purgantis quid exhibeas.

§ 43. *Strictissime* vero accipitur de eo dumtaxat *Purgantium* genere, quod *per secessum* ejicit τὰ ἀλλότρια, *aliena*, ut appellat Galenus Progn. II. 14. vide Foesium in Oecon. ad φαρμακοδίφν.

§ 44. Hoc loco se significatio non ultra *Purgans* extendit. Non extendere, effectus arguit. Non enim est aliud medicamenti genus, quod in Morbis acutis & inflammationibus facere delirium queat.

§ 45. At quia simpliciter dicendo, *medicamentum bibisse*, cautum non erat dubitationi, Vomitioni illud, an Alvo ducendæ esset datum: idcirco mox addit, *dejectorium*.

§ 46. BIBERAT. Et hoc *formam* Medicamenti, spectat sicut, quod vidimus, *materiam* Remedii. *Medicamenta* parantur *forma* Solida *aut* Liquida. *Illa*, ut diutius morentur, & agant cum tardius tum efficacius: *hæc*, ut promtius & subeant in corpus, & se exerant. *Illa*, ad devorandum comparata: *hæc*, ad bibendum sunt.

Hæc,

Hæc, nauseæ plus satis, si non nimis habent: sed *illa* magis.

§ 47. DEJECTORIUM. Verbum idoneius aliud non occurrit, quo Græci vis exprimatur. Hoc adeo visum est Grammaticis insolens, ut hactenus locum in Lexicis non invenerit. Foesius, cum sæpius apud Hippocratem τὸ καθαρτικὸν legatur, unum modo locum monstrat. Gorrhæus etiam unum apud Galenum, Meth. med. VII. 13. ubi Interpres quidem nobis ad Latinum præivit, Fabius Pacius vero in com. p. 397. defendit Græcum, adversus eum, qui reposuit in margine καθαιρετικῶν, non sine errore, inquit.

§ 48. Galenus sicuti clare exponit, quid sit Φάρμακον καθαρτικὸν: ita iisdem verbis scrupulum injicit facientibus medicinam, non contemnendum. Τὸ ἧπαρ τὸ κυρτὸν, πολλῆς μὲν ἐμπεπλησμένα κακοχυμίας διὰ τῶν ὑπηλάτων τε καὶ καθαρτικῶν ἐνομαζομένων ἐκκαθαίρεται Φαρμάκων· *Hepatis curva, multâ siquidem impleta sint cacochymiâ, alvum subducentibus & catotericis dictis medicamentis expurgantur*. At ad Glauc. II. 2. atque Meth. med. XIII. 17. eadem expurgari vult διὰ νεφρῶν, *per urinas*. Consule, quo loco dixi, Fab. Pacium, & expende, an possis acquiescere in ipsius conciliatione. Ego forte alias inveniam opportuniorem locum hæc examinandi.

§ 49. Cæterum cum sit non unum *genus* eorum, quæ per alvum seu secessum purgant, è re præsenti erit obiter notasse, *quot* sint, & *quod* eorum heic intelligendum sit.

§ 50. Veteribus *duo* erant eorum genera: ἐκκοπρωτικὰ καὶ ὑπηλατικά. Galenus VI. de Fac. simpl. qua de Aloe: ὑπάγει δὲ καὶ γαστέρα, τῶν ἐκκοπρωτικῶν καλουμένων ἔστι Φαρμάκων· *subducit vero etiam alvum, cum sit ex medicamentis Eccoproticis dictis*. Ita vero dicuntur, quæ intestinis stercora solum subducunt.

§ 51. Τῶν ὑπηλάτων meminit Hippocrates de Vict. acut. II. 11. & IV. de Morb. t. XXXI. Erotianus hoc verbum exponens ait ita dici τὰ τὴν κάτω κοιλίαν καθαίροντα, *quæ inferiorem ventrem purgant*. Si ita est, etiam priora recte sub his comprehenderis. Ex altero tamen Hippocratis, quæ dedi, loco deprehenderis dici de *catharticis* proprie dictis, sive quæ *per alvum* expurgent, non

quæ *ab alvo*. Ex eodem disces, hæc ipsa rursus duplicia fuisse: ἰσχυρὰ καὶ μαλακώτερα, *valida & mitiora*. Hæc Galenus ad Glauc. I. 10. vocat ὑπήλατα ἐπιστέα, *purgantia lenia*. Illa hodie *eradicativa* vocamus, auctoritate barbarorum interpretum Ibn Sinæ.

§ 52. Quibus constitutis, *quod genus* putabimus heic venisse in usum? *Summum* non exigo: *imum* non admitto. *Medium* uterque si ego & tu concedimus, diremta lis est. Non potes vero tu hoc non concedere, si intelligis vim vocis, qua appellat. Κατωτερικὸν namque est, quod ad inferiora sive ad alvum depurgat à vasis & visceribus supra intestina positis. Regio *prima*, Chilificationis organo circumscribitur: *altera*, Sanguificationis: *tertia*, Nutritionis seu Habitu corporis.

§ 53. *Prima*, evacuationis respectu, ultima est. Huc enim confluunt, ceu in communem cloacam, non ea tantum quæ Chilo exsiccato relinquuntur, sed & quæ à Sanguine deponuntur. Superior itaque *secunda* regio est. *Hanc* ergo quod purgat medicamentum, quia ad inferiorem depurgat excrementum, idcirco κατωτερικὸν, *dejectorium* recte dicitur. Præcipitat quippe peccantes materias ex superiore loco ad imum & corporis novissimum.

§ 54. MEDICAMENTUM *biberat dejectorium*. Quod? quando? quare? *Nihil* horum certo dici potest, tacente Magistro. Sed neque intererat illa scire. Non *primum*: quia agitur de Remedio, non de Materia remedii. Non *alterum*: quia toto tempore, quo Morbi furor urget, illicita Purgatio est. Non *tertium*: quia nulla in pleuritide tutum est purgare ante declinationem; præterquam ubi id incipiens morbus postulat. Sed in his cum omnis rei cardo versetur, oportet non dicere, sed docere.

§ 55. De *primo* primum. Qui novit, quid *remedium* inter & *materiam* ejus intersit: novit etiam, non esse locum *materiæ*, ubi non est *remedio*, cujus executioni illa servire debet. Frustra quis, inquam, sollicitus sit de *purgante*, ubi *purgatio* prohibetur. Vicissim, ubi *purgatio* seu *remedium* nociturum putatur: ibi nihil in *purgantium* sylva reperire est, quod dari innoxie queat.

§ 56. Si quod ergo nominasset Dictator, v. gr. helleborum nigrum,

nigrum, quem II. Vict. ac. t. II. ait conferre Lateris sub septo dolori: posteritas sibi persuaderet, peccatum esse non in *purgando*, sed in *purgante*. Potuisse enim *purgationem* utiliter institui & feliciter succedere, si modo *vel* Lenitiva fuissent antiquitati ad manum atque delectum, *vel* hunc instituisset ratio. Nunc temere fortium è genere datum esse helleborum, sive in inopia haberi delectus non potuerit, sive in copia cæcutiverit ratio.

§ 57. At ego: *peccatur* non in uno, ubi noxa est in omnibus. Lupus erit, quemcumque ex Lupi-catuli selegeris. Hoc audiant, qui *lenioribus* Veteres caruisse falso sibi imaginantur, & nesciunt, Mercurialis succo & id genus aliis ventrem suppurgasse. Audiant, qui Rhabarbarum pene numquam non tuto dari, multis in perniciem, scribunt. De *illis* dicam aliquando plenius. De *hoc* adi sis quæso Adolphi Occonis epistolam, quæ est XV. earum, quas collegit Scholzius, & in Cratonianis lib. II. p. m. 268. Adde & Manardum Epist. med. XVII. 6. & Fernelium Meth. med. v. 9. & Sennertum v. Inst. p. I. s. I. c. XI. Sed & laboris pretium erit vidisse, quid ebuccinatoribus istis ex Jul. Alexandrini Salubr. XXVI. 3. opponat Hofmannus I. de Med. offic. XXIX. 12.

§ 58. De *altero* expressus & repetitu dignissimus est locus apud Galenum II. Vict. ac. t. XI. Qui quia prolixior est, pro Græco Latinum dabo: sed ex illo: interpres enim non ubique satisfacit. *Novisse igitur illa oportet & meminisse, omnino vero non uti, memores illius aphorismi* (I. 24.) *quo dicit, In acutis morbis raro, & in principiis utendum esse purgantibus. Quum igitur morbus non solum fuerit acutus (cujuscemodi Pleuritis est,) sed & cum febre vehementissima: multo magis vitanda est exhibitio purgantis medicamenti, ac per venæsectionem potius vacuandum, etiamsi ad hypochondrium dolor pertineat. Nam etsi minus hinc, quam ex purgatione, sequatur commodi: multo tamen id securius est. Præsertim cum periculum plane nullum venæsectio habeat: maximæ vero sint calamitates, quæ à purgatione incidunt, inprimis cum quis inexploratam ægrotantis naturam habet. Sunt enim aliqui naturâ purgatu difficiles; quidam à levi medicamento purgantur copiose. Vnde si ignores naturam hominis, periculum est ne aut nimium evacues, aut nihil, aut moveas quidem, sed parum promo-*

veas. Ista vero omnia maximis damnis afficiunt acute ægrotantes, & quæ non facile, sicut in febrium expertibus, corriguntur.

§ 59. Occasio horum erat, quod Hippocrates, in Dolore lateris sub septo transverso, suasisset nigro veratro alvum, aut peplio ducere, juxta illud quod est Aphor. IV. 18. Galenus id facere nisi προεξευκρινήσαντα non vult, nisi inquam *eum qui prius bene expenderit*, quid fieri tuto & cum fructu queat. Prudens monitio, & utinam semper esset Practicantibus ob oculos! Quod si vero tanta sit opus circumspectione, ubi etiam in Purgatione remedium est: si quando hæc non indicatur, neu requiritur, quid satis adhiberi cautionis potest ad faciendum bene, quod fieri omnino non debet?

§ 60. Hippocrates l. de Affect. t. VIII. in Pleuritide, si alvi ducendæ necessitas est, consulit τὴν κοιλίην θεραπεύειν ὑπάγοντι καὶ ψύχοντι κλύσμασι, *ventrem mollire infusis in eum subducentibus & refrigerantibus*, hoc est, leni clystere. Qualem Celsus jubet parare *ex aqua, in qua fœnum græcum, vel ptisana, vel malva decocta sit*: lib. II. cap. XII. Cave vero putes præceptum illud non ad omnem pleuritidem spectare. Dubitationi quippe locum ne relinqueret, protinus addit: οὕτω γὰρ τῇ νούσῳ τῇ ξυμπάσῃ συμφερώτατα, *sic enim huic Morbo & quidem Omni convenientissima* applicaveris.

§ 61. Etiam ultra hunc casum se Præceptoris consilium protendit. Auscultate quæso Rhabarbaristæ, & revocate ad animum quæ repræsento ex aureolo libello de Med. purg. prope fin. οὐ χρὴ τοῖς ἰσχυροῖς τῶν πυρετῶν φάρμακα καθαρτήρια προσφέρειν. ἀλλ' ἄν τινα δέῃ, ὑποκλύζειν χρὴ ὁποσάκις ἂν βούλει· ἀκινδυνότερον γάρ. *Febrium validis medicamenta purgantia offerenda non sunt. Si quo verò opus sit, subluere alvum oportet, quotiescumque volueris: minus periculosum quippe.*

§ 62. Etiamne vero *periculum* subest suffusis in alvum, quod *minus* hoc *periculosum* dicat; neq; simpliciter, *tutum?* Sane subest. Practici norunt, non raro ex *lenitivo* Enemate, etiam quale Sennertus II. Pract. II. 16. laudat, largissimas accidere dejectiones. Qui ex ipsis veram causam non norunt, prætendere materiæ copiam,

piam, & ad exitum paratæ consuerunt. Sed ut, qui equo currenti & generoso subdunt calcaria, facile præcipitant in furorem: ita qui Naturam suarum rerum satagentem insuper extimulant, raro non cogunt præpostere quid agere.

§ 63. Inquiet hodiernorum aliquis: Concedi id posse de *validis* Febribus sive Ardentibus dictis: male tamen ad *acutas* simpliciter trahi, qualis comitari Pleuritidem consuevit. Celsum ergo audi lib. II. 12: *Alvus si vehementius fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo numquam in adversa valetudine medicamentum ejus rei causa recte datur, nisi ubi is morbus sine febre est. At ubi febres sunt, satius est ejus rei causa cibos potionesque assumere, qui simul & alant, & ventrem molliant.*

§ 64. Imo audi ipsum Hippocratem; cujus dogmata sunt prorsus irrefragabilia, ceu testimonium habentia à sanissima Ratione & certissima Experientia. Locus, qui extra omnem dubitationis aleam ponit quod urgemus, extat l. de Vict. acut. com. IV. t. 22. ὁκόσοι, inquit, δὲ τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων εὐθέως ἐπιχειρέουσι λύειν φαρμακείη, οὐ μὲν ξυντεταμένου καὶ φλεγμαίνοντος, οὐδὲν ἀφαιρέουσιν. οὐ γὰρ ἐνδιδοῖ, ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. τὰ δὲ ἀντέχοντα τῷ νουσήματι καὶ ὑγιεινὰ συντήκουσιν. ἀσθενέος δὲ οὐ σώματος γενομένου, τὸ νόσημα ἐπικρατέει. ὁκόταν δὲ τὸ νόσημα ἐπικρατήσῃ οὐ σώματος, τὸ τοιόνδε ἀνιάτως ἔχει. *Quicumque inflammationes in principio morborum protinus præsumunt solvere purgando, ejus quidem quod in partem impactum est & tumorem atque inflammationem facit, nihil auferunt: neque enim sequax est, quamdiu crudus est affectus. Quæ vero resistere morbo debent, sana nempe, colliquefaciunt. Infirmato autem corpore, morbus invalescit. Quum vero morbus superaverit vim corporis, ille hoc insanabiliter habet.* Quæ pene, cum provocatione ad hunc locum, totidem verbis repetuntur l. de Helleborismo t. II.

§ 65. Galenus in com. se refert ad Aph. XX. lib. I. & ibi se hunc locum exposuisse monet. Verum nisi sic accipias, *veritatem* hujus loci, ejusque *rationem* & propositam & expositam dicto Aphorismo, frustra adieris istum commentarium. Etenim ne mentionem quidem facit heic illius. Præterquam quod ita se

gerat, ὡς εἴ τις περὶ πόλιν ἀίγις, *velut si quis urbem clypeus circuiret.* Quo alicubi Plutarchus utitur de iis, qui se magnis putant defungi levi brachio posse.

§ 66. De *tertio* res minus aperta videtur: attamen non est. *Videtur*: siquidem attendunt juniores & ad flendrium illud, quod in praxi passim vident obtinere; & ad inconsideratam locutionem, qua uti consuevit scribacium vulgus, quod alii ex aliis sua compilare & obsoleta obtrudere pro novis gaudet. Quisquis hæc limis adspicis, patere me specimen producere ex Sennerto, centonariorum coryphæo. Is II. Pract. II. 17. posito pro fundamento, *Pleuritidis causam principalem esse plerumque Cacochymiam*: hinc infert, *Purgatione pariter ac Venæsectione esse opus: hanc præmitti tamen, illam sequi tutius.*

§ 67. Desidero *hujus* videre apud Hippocratem *vel* Præceptum *vel* Exemplum. Mihi certum, *alterutra* contentum abstinuisse semper ab altera. *Sanguinem* mitti, non facta Purgandi mentione, jubet I. de Morb. t. XXV. & in pectoris pleuritide, II. Vict. acut. 10. & IV. ejusd. 73. 74. 75. *Purgare* jubet, Venæsectionis mentione non facta, III. de Morb. t. XXII. quem locum paulo post exhibebimus: & II. Vict. acut. II. & IV. ejusd. 76. 77. in pleuritide hypochondrii. Qua de Sennerti dubitationem p. m. 239. confer cum t. 76. ejusdem lib. IV.

§ 68. *Purgationem* deinde Sennertus pag. 246. talibus circumscribit conditionibus, ut liqueat esse non semper necessariam. Cum est, præfert Galeni placitum: qui se prima, secunda, quarta, etiam quinta dedisse medicamentum scribit, non sola quarta, quod Hippocrates præcipiebat l. eodem t. 76.

§ 69. Sedenim, non advertit, *primo*: Male se ad *omnem* Pleuritidem trahere, quod de *hypochondriaca* scribit Dictator. *Deinde*: Quæ vis præcepti sit, τῷ πλευριτικῷ τὴν γαστέρα ὑπεκκάθαιρε, *huic pleuritico ventrem subpurga.* Etenim τὸ ὑπὸ ibi non tam *locum* expurgationis, quam *modum* significat. Nisi enim *subpurgare* heic sit leviter purgare, seu leni medicamento aut ea dosi dato, quæ dare in periculum nequeat: concilia mihi hunc textum cum t. 44. præcedente. Quem mox quoque dabimus.

§ 70.

§ 70. Esto tamen, significet *purgationem per alvum*: nihilominus bene monet, φαρμακοῦν δὲ πέμπτον. τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς τρεῖς ὑποκλύζειν. *purgandum quarto: tribus autem primis diebus clysterе ventrem subducendum esse.* Quippe spes est, per enemata tenuem & sequacem materiam evocari posse. Si non respondeat, καὶ ἐὰν μὴ κατίζῃ ἅπαξ, ὑποκάθαιρε, *& si non remittat sic, suppurga*, inquit.

§ 71. An & locum heic invenit *præceptum* de non dando Pharmaco potenti, ubi satis perspecta morbi natura non est? Extat hoc l. de Loc. in hom. t. XLVI. Sane etiam heic ἀγαθοῖσιν ἰητροῖσιν αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας, *bonis medicis similitudines* creant *errores atque difficultates*: VI. Epid. VIII. 49. Habes exemplum apud Ballonium I. Conf. XCVI. Quod totum legi hortor & cum nostris diligenter expendi.

§ 72. *Denique*: Sennertus non advertit, *Purgandum* esse, Præceptori ratum esse, & *cautionem* concernere *aut* Materiam purgantis, *aut* Formam materiæ. De qua decernere nemo nisi in individuo, Socrate aut Platone, hoc, illo potest.

§ 73. Sed porro monstremus, In *nulla* Pleuritide, *principio* Morbi id speciatim non exigente aut præterito, *purgandum* esse ante declinationem.

§ 74. De *hoc* interdictum *primo* est in III. de Morb. t. XXII. ἢν δὲ ὁ κάμνων χολώδης ἢ τῇ φύσῃ, καὶ ληφθῇ τῇ νούσῳ ἀκάθαρτος ἐών, πρὶν ἀναπτύεσθαι τὸ σιαλον χολώδες τῷ φαρμάκῳ καθῆραι χολιῶδες. ἀναπτύοντι δὲ ἤδη χολώδεα, μὴ δίδου τὸ φάρμακον. ἢν γὰρ δῶς, τὸ πτύσμα οὐ δυνήσεται ἄνω ἀνιέναι, ἀλλ' ἑβδομαῖος ἢ ἐννατῖος ἀποπνιγήσεται, ἢν μᾶλλον καὶ τὰ ὑποχόνδρια ἀλγέῃ. *Quod si æger bilioſus sit natura, & corripiatur morbo non purgatus, priusquam spuatur saliva bilioſa, medicamento bilis purganda bene. Iam spuenti vero bilioſa ne dederis pharmacum. Si enim des, sputum non poterit sursum prodire: sed septimo aut nono suffocabitur, præsertim si etiam hypochondria doleant.*

§ 75. Natura proni in bilem nisi sponte eam vel arte repurgent in tempore, de facili cum in alios à bile morbos, tum in pleuriticum incidunt. Quod ergo ante morbum fieri debuit, invadente

dente morbo negligi non debet. Dictat hoc Aph. xxix. lib. II. Ἀρχομένων τ νόσων λῦ τι δοκέη κινέειν, κίνει. *Incipientibus morbis si quid videtur movendum, move.* Rationem dat sequens: quia περὶ τὰς ἀρχὰς, πάντα ἀσθενέστερα, *in initiis omnia sunt impotentiora*; scilicet ad nocendum, cum agitantur.

§ 76. *Numerus*, quo loquitur, tractum temporis significat. Habent enim *initia* morborum latitudinem suam, & sæpe insignem, etsi non semper parem. *Incipere* igitur Morbi heic dicuntur, non cum primum faciunt insultum; sed quamdiu post hunc non augentur novis symptomatis; neu vel Morbus ipse prodit se vires sumere, vel Natura se morbum aggredi.

§ 77. In pleuritide *augescentis* morbi signum faciunt sputa. Priusquam ergo hæc appareant, opportunitatem purgandi & ipsa in herba morbum jugulandi prætermittere, non est memoris καιρὸν *occasionem* dici, ἐν ᾧ χρόνῳ ὁ πολὺς, *in qua temporis non multum est*: Præc. init. Dum ergo occasio est, *purgandam bilem bene* esse, bene præcipit. *Bene* purgat, qui tempore, loco, modo purgat, & cum euphoria patientis. Quæ sperabilis non est, præterita occasione. Præteriisse hanc, sputa prodeuntia monent.

§ 78. *Iam spuenti*, inquit, sive quamprimum spuere cœpit *biliosa, ne dederis pharmacum.* Quare non? Quia *si des, nequibit prodire sputum.* Quare? Quia *spiritus* ab opere incepto avocatur & dissipatur. Quia *bilis* efferatur, agitatione partim, partim subtractione freni. *Freno* bili serum est. *Serum* etiam à mitissimis funditur & effunditur. *Sputo* non amplius procedente & stagnante, mors in olla. confer Aph. VII. 16.

§ 79. Cæterum hæc dilucebunt clare, si & *alterum* locum consideremus, quem me ex IV. Vict. ac. 44. producturum proposui. Agit in illo de *febribus*, quibus in initio tenues sunt urinæ. His, inquit, κοιλίῃ ὕπαγε καὶ ἀρχὰς κλυσμῷ. Φάρμακα δὲ μὴ πρόσαγε τέτοισιν. λῦ γάρ τι κινήσης τὴν κοιλίην, τὸ οὖρον ὁ πέπανται. *ventrem in initiis subducito clystere. Pharmaca vero non offer illis: nam si quid moveris per ventrem, urina non coquitur.* Quare non? Quia ad *coctionem* virtute opus, & quiete. At *utramlibet* Purgationes, κινέουσι μὲν σφοδρῶς τὸ σῶμα, ῥήσσουσι· *vehementer corpus commoventes*,

ventes, frangunt. Ita Galenus & veriſſime ait in commentario.

§ 80. Dabo, ais, *quod* turbare non poſſit: *lenitivum.* Sed hoc *vocabulo* hodie quia tirones capimus, imo decipimus, quid *illo* intelligis, quæſo? Num *aliquod* è genere τῶν ὑπηλάτων, an vero τῶν ἐκπροθητικῶν? Si *ejus*, quæ ſolummodo alvum ſuis fecibus deonerare queunt, jam clyſma ſufficit. Sin *ejus*, quæ vere purgant: dic age, cui in præcipiti caſu ſic confidas, ut neceſſe non habeas metuere, ne quid eveniat eorum, quæ evenire interdum Præceptor notat initio l. de Med. purg. ἐσθ' ὅτε αὐτὸ τὸ φάρμακον οὐ καθαίρει· ἐσθ' ὅτε ἄλλα καθαίρει, ἃ οἷα εἴωθε. ἐσθ' ὅτε καὶ ὑπερκαθαίρει. *Eſt ubi idem medicamentum non purgat: eſt ubi alia purgat, quam conſuevit: eſt ubi ſuperpurgat.*

§ 81. Ad *omnia* Medicamentum pronum eſt in Febribus acutis (quo in genere *Pleuritidem* Sennertus quoque & merito habet 11. Pract. 11. 16. p. m. 228.) præcipue cum ἀκμάζουσιν ἢ καταγίζουσιν, ut loquitur Hipp. Aph. 11. 29. & 111. de Morb. t. XXIV. unde ſi non eſt aphoriſmus tranſumtus, ſaltem accipere interpretationem ſuam debet. Debet, inquam, quid τὸ ἀκμάζειν ſignificet, explicari ex loci alterius plane paralleli verbo καταγίζειν. Faciamus nunc obiter: plenior quippe tractatio pertinet ad doctrinam de *temporibus* Morborum pathologicam.

§ 82. Philoxenus in Gloſſario: *Vigeo*, θάλλω, ἀκμάζω. Cyrillo tributæ Gloſſæ: ἀκμάζω, *Vigeo, adoleſco, pubeſco, vireſco.* Onomaſticon: *Vigeo*, ἐπακμάζω. Sed cum in eo etiam interpretes concordent, *vigere* Latinis eſſe, quod ἀκμάζειν Græcis: quare hoc præſumo teſtibus probare? Ut ne tironibus ſit dubium. imo ut perſuadeam ipſis: Latinos vim vocis Græcæ & ſciviſſe bene, & bene expreſſiſſe.

§ 83. Quod tamen ut plene liqueat, non erit præter inſtitutum oſtendere *originem* Vocis utriuſque. *Græcæ* quidem hanc exhibet Etymologici auctor. Ἀκμὴ, ἡ ἀκροτάτη ὀξύτης & σιδήρου κυρίως. ἰῶ ξηρῶ [lege, ξυρῶ] ἴσον ἀκμῆς. ἀφ' ὃ τὸ ἥκω, ὄνομα ῥηματικὸν ἡκὴ, ὃ σημαίνει τὴν ὀξύτητα· ἢ ἀφὸ παντὸς ἴσου. ἀκὴ ἔν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ μ, ἀκμή. *Acme, ſumma acies ferri proprie. In novacula ſtat acie. Ab* ἥκω, venio, *nomen verbale eſt* ἡκὴ, *quod ſignificat*

aciem. Quæ per omnia penetrat. Igitur ἀκὴ dicitur, & pleonasmo litera m, acme. Ex quo cum sit ἀκμάζω, paret dici de eo, quod se acute atque celeriter movet ac promovet, atque adeo vi agit quod agendum est.

§ 84. Hoc vero *vigere* Latinis erat. Festus: *Viget dictum videtur à vi agendo, sed non in agendis hostilibus rebus, verum in his quæ celerrimo concitatoque animo ad bonam tendunt frugem.* Papias: *Vigentes, virtute pleni, quasi vi agentes.* Et in hoc consensus est Grammaticorum: & ne vocari quidem, meo arbitratu, in dubium potest.

§ 85. Jam si memineris quæ dixi Exerc. VI. 28: in Morbo nihil fieri nisi Natura faciente: facile intellexeris, à *natura* Vigorem esse principaliter: à *morbo*, occasionaliter, sive quatenus hic illius functionibus impedimento est. *Quod* cum removere Natura nequit actione ordinaria, tum vero necesse habet se induere virtute extraordinaria & quæ sufficiat superandæ necessitati & imminenti exinde periculo. Itaque *vigor* Naturæ munus recte dicitur, ceu vi agentis non res hostiles & vitæ noxias, sed contra hostem, contra Morbum, ut ab hujus violentia & quassatione fragilem corporis ollam vindicet atque præservet. Quæ sane bona fruges illa est, ad quam vigendo seu vi intenta tendit.

§ 86. Quoniam vero *materia* Morbifica velut crabro irritatur cum excitatur, & aculeis pungens intolerabilibus magis magisque lacerat *spiritum*, Naturæ negotiorum procuratorem: idcirco est, quod *vigere* Morbus quoque dicatur tum, quando exacerbatus furit & operæ plurimum atque molestiæ creat Spiritui.

§ 87. Hoc tempore, hoc modo sævientibus contra seinvicem, *hinc* Spiritu contra morbum, *hinc* Morbo contra spiritum; necessario Corpus, procelloso velut turbine jactatur, nec aliter ac navis irato in mari. Hoc vero est, quod ante oculos nobis ponere Hippocrates voluit, vocabulo usus καπυρίζειν. Est enim, Hesychio autore, καλαιγὶς, ὄμφοερὰ ἀνέμου σφοδροῦ καὶ ἡ τῶν ὑδάτων ζάλη· *Procella, impetus venti vehementis & aquarum fluctuosa tumultuatio.* Unde καλαιρίζεσθαι θάλασσα dicitur Theæteto Scholastico

lastico I. Epigr. XLVI. 12. quod Horatio *mare iratum*, II. Epod. II. 6. & *tumultuosum*, III. Carm. I. 26.

§ 88. Jam si scias, quo *tempore* Morbi fiant ista: sciveris vel ex te, si modo res medicas sapis, quid in illo tibi sit faciundum. Si nescis aut dubitas, adi sis Hippocratem locis, quæ jam ante monstravi. Nempe, quod ad *prius*, Aphor. II. 30. ubi περὶ τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰ τέλη, πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα· *Circa initia & fines, omnia remissiora: circa vigores autem, vehementiora* dicuntur. Quod ad *posterius*, Aphor. præcedentem. Quo jubet ἀρχομένων τε νούσων ἢν τι δοκέῃ κινέειν, κινέειν· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν· *Incipientibus morbis si quid videtur movendum, movere: vigentibus autem, quiescere*: hoc est, ut I. Aph. 20. explicatur, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν· *Non movere, neque innovare, neque purgantibus, neque aliis irritamentis, sed sinere*: hoc est, omittere etiam quæ in principio forte feceras, nec impedire deinceps ulla ratione Naturam suo in opere; quin liberum facere faciundi pro se quæ novit, quæ cupit, quæ potest.

§ 89. Quæ *novit* primum: ἀπαίδευτος μὲν ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ ἐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει. *Natura quippe licet ab aliquo instituta aut docta non sit, tamen quæ oportet, facit:* VI. Epid. v. 2.

§ 90. Quæ *cupit* deinde: cupit vero ἐς ἃ μιν πέφυκεν, *ad quæ nata est* Natura: l. de Arte XIII. 55. *Nata* vero est ad conservationem ejus, quod fecit. Fecit autem corpus. Inquam: quo modo malleus in manu fabri format imaginem, Esai. XLIV. 12: sic Natura in manu Dei facit corpus, Jobi X. 8. Quemadmodum corpus constitutum deinde gubernet ac conservet, egregie dicit Aretæus. ἡ φύσις, inquit, πᾶσι σημαίνει, καὶ ὑγρῷ, καὶ πνεύματι, καὶ στερεοῖσι, καὶ τῇ τούτων εὐταξίῃ, καὶ ξυμμετρίῃ, ἐς ζωὴν διέπει τὸν ἄνθρωπον. *Natura omnibus adest, Sanguini, Spiritui, Membris; atque horum inter se coordinatione atque commensu vitam homini prorogat*: l. de Caus. & sign. Acut. II. 3. Hippocrates nervose: ἡ φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν· *Natura sufficit omnia omnibus*: l. de Alim. IV. 9.

§ 91. Quæ *potest* denique: potest autem omnia valens: sed afflicta, multa non potest. Quæ idcirco nec exspectare ab ipsa,

nec postulare oportet. Nam qui φύσιν, ἐς ἃ μὴ πέφυκεν, ἀξιώσειε δύνασθαι, *Naturam, ad quæ non est nata, autumat posse*: ille Hippocrati dicitur ἀγνοεῖν μανίην, ἁρμόζουσαν ἀνοίη μᾶλλον, ἢ ἀμαθίη· *insanire insaniam, quæ mereatur amentia potius, quam inscitia* appellari: l. de Arte t. citato.

§ 92. Cæterum, quando *vigent* Morbi sive, ut dixi, vi agunt majore (qua certe agunt quoquo modo ac tempore increscentes) tum oportet non solum Medicum, sed & Ægrotantem quiescere atque abstinere medicinis. Et hoc exerte præcipitur loco altero quem indigitavi: nempe III. de Morb. t. XXIV. Ὅταν καταιγίζουσιν αἱ νοῦσοι, ἡσυχάζειν καὶ τὸν κάμνοντα καὶ τὸν ἰητρὸν τῇσι θεραπείῃσιν· ὅκως μὴ κατεργάσηταί τι κακόν. *Quum furunt Morbi, abstinere tam AEgrotantem quam Medicum medicationibus oportet.* Quare? *Ne* hic vel ille *efficiat aliquod malum.*

§ 93. Quo ne vero τῆς θεραπείας *vocabulum* ex præjudicio forte aliter heic interpretere, quam vel tuæ intentioni expediat, vel exspectationi decumbentis: accipe ejus genuinam & maxime his, quæ diximus hactenus, consentaneam acceptionem è Galeno ipso. scilicet, quo ne, si citra tanti Magistri auctoritatem hæc diceremus, assensum non impetrarent. Locus est in com. Aph. VI. 38. Τὸ θεραπεύειν, inquit, διττόν ἐστιν. ἓν μὲν τὸ, πάντα πράττειν ὡς ὑγιὴς ἀποφῦναι τὸ πεπονθὸς μέρος· ἕτερον δὲ, τὸ προνοεῖσθαι τὴν ἁρμόττουσαν τῷ πάθει πρόνοιαν, ὅπερ ἐστὶ παρηγορεῖν τε καὶ πραΰνειν αὐτὸ, καὶ μαλισθ' ὅταν ᾖ μεθ' ἑλκώσεως. *Medicari, duobus modis* vel *dicitur* vel *fit. Vnus consistit, in omnia agendo ut sanitati restituatur Patiens pars. Alter vero, in procurando ut convenienter Affectui provideatur, hoc est, ut mitigetur & mulceatur ille, ac maxime quum fuerit cum ulceratione.*

§ 94. *Therapeia* igitur, vi conjugatorum, *geminam* Medicationem significat: Veram & Palliativam, quam vocat seculi stilus.

§ 95. *Vera* hoc satagit, ut Pars male affecta, & per Affectum impedita fungi functiones suas, integritati pristinæ restituatur, *Quam* ut procuret, non tam curat tollere illam umbraticam *dispositionem* Partis, quem vulgo & esse volunt & vocant *morbum*: sed ipsam

ſam *materiam* Morbificam, in qua Præternaturalis iſta diſpoſitio (quæ revera nihil aliud eſt, quam *Ens rationis* ſeu *Relatio*, ut egregie oſtendit Hofmannus in Animadv. ad Com. Montanum cap. 1. & 11.) fundatur, & qua poſita ponitur, abeunte abit.

§ 96. Vulgus medicorum *continentem* Morbi ſeu diſpoſitionis in Parte præternaturalis *cauſam* nuncupat: tam recte, ac ſi Sapientiæ profeſſor lapides & ligna vocet *cauſam* Domus jam conſtructæ & habitatæ.

§ 97. Ergone noſtri neſciunt? *primo*: à Galeno l. de Diff. ſympt. cap. 1. *cauſam* dici, quæ ſuapte natura ei, *quod fit*, partem aliquam generationis confert? atque adeo Rerum dumtaxat *fientium* Cauſas eſſe, non autem *factarum*? ſive, ut clarius loquar, Res quaſlibet tum ſolum mereri *nomen* Cauſæ, cum generant aliquid; non autem, cum id ipſum à ſe, quaqua ratione, genitum factumve eſt? *Materia* igitur, ex qua *fit* Res, quem Morbum vocamus, & in qua *factus* fundatur Morbus, non eſt *cauſa* Morbi, ſed *pars*. Verbi gratia: Calculus obſtruens Urethram, non eſt *cauſa* Iſchuriæ, ſed *pars*. Sic neque Putridum ſanguinis eſt *cauſa* Synochi, ſed *pars*.

§ 98. Id *rationi* ſe ſerenanti à præjudiciis de facili liquebit, ſi conſideret omnem reſpectum, quem habere *materia* poteſt. Poteſt autem referri *vel* ad Efficiens *vel* ad Effectum: idque dupliciter, *quatenus* Factum eſt, *aut* Eſt in fieri. Si ad *efficiens* Materiam referas, non cauſa eſt, ſed cauſatum potius; non agens, ſed patiens revera. Si ad *effectum*, interim dum fit, tum veræ habet rationem *cauſæ*, nempe ut diſtinguatur à privatione. Sin ad *effectum*, ſeu rem generatam cum eſt, jam iterum eſt, non cauſa, ſed pars. Inquam, *pars*: & quidem *eſſentialis*, Vere *aut* Quaſi. *Vere*: ſi res facta eſt Subſtantia. quæ nihil eſt aliud quam Forma in materia. *Quaſi*: ſi res facta eſt Accidens in materia fundatum & exiſtendi continuitatem ab eadem accipiens.

§ 99. Galenus ergo recte, loco quem laudavi: τὴν μένουσαν διάθεσιν οἱ ἕλληνες ὀνομάζουσι πάθος· ὥσπερ καὶ τὸ πεποιηκὸς, οὐκ ἔτι δὲ ποιοῦν, αἴτιον· *Græci permanentem diſpoſitionem*, ſive quæ in exiſtendo non pendet à conſervatione ſeu continuata effectione

Efficientis, *nominant Affectum* & morbum : *quemadmodum hoc, quod* illum *fecit, nec amplius facit, Causam.* Quod se Philosopho si non debet, consentit egregie. Etenim ille VII. Metaph. t. 55. clare inquit. τὸ ὃ ἐκίνησε πρῶτον αἴτιον ἐπὶ δ γίνεσθ ζητεῖται· *Causa, quæ movit primum, in his quæ fiunt, quæritur:* non igitur in his, quæ facta sunt. confer Fab. Pacium in com. ad I. Meth. med. pag. 292.

§ 100. An non meminere *secundo*? à Philosopho IV. Metaph. II. *efficientem* definiri, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τ μεταβολῆς, *unde principium motus?* At vero *motus* est res fluens. Cessante igitur *motu*, certum est cessare *actionem* Rei moventis seu Causæ efficientis. *Res* enim *movens*, quatenus suo motu aliquid efficit in alio, Causa dicitur efficiens. confer ad Metaph. VII. 7.

§ 101. An ignorant *denique*, aut absurdum putant? In *accidentibus* quoque reperiri aliquid quod *materiæ* instar sit, & aliud quod sit instar *formæ?* Sane utrumque secretam habet intellectionem: sed verba non habemus, quibus *veram* à *quasi* Materia separemus, & distinguamus *formam*, quæ cum Materia vera constituit Substantiam, ab *ea* quæ cum Quasi-materia constituit Accidens materiatum. Cujuscemodi est v.g. in bello, Acies: in populo, Senatus: in disciplinis, Methodus. *Aciei* namque *materia*, Milites sunt: *forma*, Dispositio ad pugnandum comparata. *Senatus* itidem *materia* Optimates civium sunt: *forma* vero, Consessus in curia ad consulendum. *Methodi* denique *materia* Res docendæ sunt: *forma*, Series ordinata & apta ad docendum.

§ 102. Simile *nobis* Morbus est, quicumque à Materia seu materialis est. Sic *Synochi*, ut maneam in exemplo, *materia* est Putridum sanguinis: *forma*, Febris seu fervor Spiritus excitatus à Natuta ad istud putridum & mortuum Sanguinis à vivo secernendum & excernendum. Sic *ischuriæ*, proprie dictæ, *materia* est Calculus vel Grumus sanguinis: *forma*, Obstructio urethræ. Quæ *heic*, ut ibi Sanguis, *subjectum* Morbi est, qui suus utrobique non aliter, ac vinculum pedibus accidit. Pedes ligati male sunt ad ambulandum dispositi. Ambulationis impeditæ causa est, non funis, non constrictio; sed funis constringens, quem Vinculum vocamus.

§ 103.

§ 103. In *hujuſcemodi* Morbis *vera* Curatio, *directe* quidem, ſpectat *ablationem* Materiæ peccantis ſeu diſponentis Partem ad male agendum : at *indirecte* Formam curat, ſeu diſpoſitionem Partis præter naturam. Novit quippe *formam* Rei, deſtructa materia, exiſtere non poſſe: poſſe vero *materiam* Rei, deſtructa forma.

§ 104. Itaque non curat *vere* & fideliter, qui *aut*, Impoſtorum more, extinguit *febrim* Sanguine non depurato; *aut*, Chirurgorum more, repellit *calculum* ab Urethra in veſicam.

§ 105. Dic mihi, quiſquis hæc legis, ingenue, an putes *ſanam* Veſicam eſſe, quam intra fluitat calculus? aut *ſanum* Sanguinem, quem putredo contaminavit? quamvis *heic* Febris abſit, nec *ibi* Obſtructio adſit? Heic quia non præſumo dicturum hoc, cui ſanum eſt ſinciput: parco rationibus, ut tempori parcam, quibus *non ſanas* eſſe, ſed *affectas* Partes illas, facile poſſem & clare demonſtrare.

§ 106. Accepto itaque hoc nunc pro confeſſo, quæro iterum, quo in *cenſu* Rerum præternaturalium putes ponendum *vel* Calculum in veſica natantem, *vel* Putridum in ſanguine fluitans? Non certe *ſymptomatum*: niſi oſtenderis *morbum* Veſicæ *aut* Sanguinis, quem velut umbra corpus fuerit ſequutum, & quem hactenus oſtendit nemo.

§ 107. Nemo non, inquis, adſcribit *cauſis*. Si etiam tua, amice, hæc ſententia eſt, fac intelligam *primo*: quei *nomen* Cauſæ conveniat Rei non cauſanti? conveniat, inquam, *calculo* Non obſtruenti? *putrido* Non fermentanti? Nam velim & oportet te manere in reſpectu ad hos Morbos: & revera nequeas alios utrobique comminiſci, & non mutare ſtatum cauſæ.

§ 108. *Deinde:* quemadmodum *cauſet* Calculus obſtructionem, *aut* Putridum febrim? De *illo* mihi imaginor: cum Veſica ſe comprimit, ut exprimat Urinam, tum initio ſequi, velut pomum aquæ innatans eam ſequitur quocumque deffluit, ac mox ad anguſtias Urethræ cum pervenit, in eas porro & urgeri à reliqua Urina & impelli à Veſica expellente. De *altero* hunc animo modum concipio: Quia iſtud *putridum* eſt Sanguis mortuus, & morte gravis

vis ac crassus: *idcirco* & moveri & per angustias transire difficilius: *hinc* Fuliginum plus coacervari, & Excernendorum minus excerni: *hinc* Spiritum irritari & velut irasci atque effervescere in Febrim.

§ 109. *Quos* si plausibiles *modos* non existimes, cedo mihi *vel* similiores Vero, *vel* commodiores Utili, & viridi caput tibi lauro redimiam. Sin putabis tolerabiles esse, *quomodo* Principium sunt, unde motus efficienter & effective procedat. Hoc scisco: *an* Calculus, ab alio non motus, se movet ipse? sua sponte? sua virtute? & eum in finem, ut obstruat Urethram? Si sic: mirum, si non & istius *motus*, ἡ μὲν νόησις καλεῖται, ἡ δὲ ποίησις. ἡ μὲν ἀπὸ τοῦ ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους, νόησις· ἡ δ' ἀπὸ τοῦ τελευταίου τοῦ νοήσεως, ποίησις· *pars altera Intellectio dicatur, altera Effectio. Intellectio, respectu principii & speciei*, præceptæ scilicet animo pro exemplari rei gerendæ: *Effectio, respectu ejus quod ultimum intendit intellectio.* vide Philosophum Metaph. VII. 7.

§ 110. Quisquis ista (ut Nicandri Alexiph. 222. dicam verbis) λοξῶς δὲ κόραις ταυρώδεα λεύσσεις, *Aspicis obliquo taurinum lumine*, atque mihi ex Aristophanis Nubib. act. III. sc. 1. 6. respondes, *stultitiæ* esse, in Lapide

Τὸν δία νομίζειν ὄντα τηλικουτονί·

Tot annos natum credere esse quem Iovem,

sive à Creatore inditam Calculo virtutem faciendi motum ἀπὸ τοῦ σώματος, *ex se* aut *per se*: noli & hoc credere, putare me aliquem tam cæcum auribus ac mente existere.

§ 111. Ergo per se clarum est: *Calculum* non semetipsum movere, sed moveri aliunde ad obstruendum. Par ratio est & Putridi sanguinis & multorum talium. Non ergo *calculus* Obstructionis *causa*, sed *materia* est. Nam *causa* est, quæ agit: at *materia* agitur atque impellitur in angustias. Ubi cum hæret, jam in *urethra* Morbus est, & hic *morbus* Accidens urethræ. *Morbus*, inquam, cujus τὸ *formale*, Obstructio: τὸ *materiale*, Calculus sit. *Qui* Morbus procul omni controversia est *accidens* Urethræ. utpote huic addibile aut subtractile citra ullam essentiæ mutationem: prorsus ut tu aut ego alius non sumus ligati aut illigati.

Neque

Neque magis *ligatura* Pedibus nostris est accidens; quam *morbus*, Urethræ.

§ 112. Cedo, inquis, rationibus istis, & concedo, *calculum* Ischuriæ *morbi* Materiam esse, *non* Efficientem. Sed urit jam calculus iste mentem: *quid* Calculus sit, non obstruens, sed natans in Vesica. Verbo: *Morbus fiens*. Sane, *morbus*. Quia *materia*, Principale morbi, jam est ibi. *Principale*, inquam, Medicum: non Logicum. *Medicum*: quia Medicus res curat, non notiones. Nam *logicum* est Forma, sive *id quod* Materiæ dat esse & dici tali rei. Utputa *obstructio* Calculo dat esse & dici Ischuriæ, seu *vere* & *facto* Morbo. Quid namque aliud est *Ischuria*, quam *calculus obstruens urethram*.

§ 113. At *calculus* Fiens est *fiens* Ischuria. *Fieri* enim non potest, ut *crescente* Calculo, non aliquando vel magnitudine ipsius obturetur os urethræ. Quo facto, *factus* Morbus est: quia jam acquisivit eam *calculus* Formam, per quam vere jam & existat & dicatur *morbus*, Ischuria nempe. *Dicatur*: quia tum *vere* Dispositio præter naturam est: tum enim actu, ut pridem in potentia, *disponit* Membrum ad male agendum, ad retinendum lotium, quod reddendum erat. *Existat*: quia tum *vere* Functionem lædit, seu intercedit Excretioni urinæ.

§ 114. Ut enim *umbram* Corpus post se non mittit, nisi illustratum: sic *symptoma*, Morbum sequens velut umbra, existit ad præsentiam *non* Materiæ morbificæ, *sed* Formæ seu ponentis illam Materiam in actu, quo sit, quod dicitur, Morbus; quo possit facere, quod facit, Symptoma: sic *functio* læditur, *non* existente Calculo in vesica, *sed* Urethram obstruente. Non *obstruit* vero, nisi *vel* Minor in eam adigatur, *vel* Major arcte ipsi opponatur. Quod itaque calculo *vel* Fienti materiam addit unde augeatur, *vel* Factum, quaqua ratione, adigit in canalem urinarium, id *vere* Efficiens causa est *ischuriæ*, Morbi.

§ 115. Jam repeto ergo: *qui* Calculum urethræ impactum non exigit aut eximit, sed retro trudit, neque satisfacit *indicationi* Morbi, quæ est *ablatio* Calculi, non *mutatio* Habitudinis, τῆς ἀκέσεως, in calculo. Sic omnino *sanitati* Ægrum non restituit, quam-

vis id se facturum &, si succedat, seciſſe glorietur, qui *febrim* extinguit *non depurato* Sanguine ab inquinamentis ſuis. Manet quippe *materia* Morbi; idque cum *potentia* ad Diſpoſitionem vel priorem vel deteriorem; eaque *tali*, quæ facile rurſus ducatur in *actum*, modo ſuperveniat *efficiens* Cauſa, quæ *formam* Materiæ, *obſtructionem* Calculo, *febrim* Putrido ſuperinducat. Quare vocamus illam *ſimulatam* Medicationem.

§ 116. *Simile* quid facit *palliativa* Medicatio, quæ dicitur. Nempe *hæc* Morbo non tollendo ſtudet, ſed mitigando & mulcendoque. Hæc *mitigatio* in Doloribus fit *ſtupefactione* Spiritus, ut ne ſentiat dolorem: in Fluxionibus, *adſtrictione* Viarum, ne quid tranſmittant materiæ: in Ulcerationibus, *incruſtatione* Cavi, quo ne ſanies ſordeſque emanent amplius. Tales *medici* ſæpe faciunt Ægrotanti, quod *eunuchi* Artaxerxis faciebant Hamani. Cujus quidem faciem tegebant tamquam ſubtracturi oculis & iræ Regis: interim & Regem verbis inflammabant & Hamanem mentione patibuli Mardochæo erecti in ſublime perniciter agebant: Eſtheræ VII. 8. 9. 10.

§ 117. Jam ergo conſtare arbitror, *quid* Galenus intelligat voce θεραπείας ſeu *medicationis*. Videlicet, *omne* Negotiorum genus, quod in *morbis* & circa *ægrotos* Medicus gerit: *ſive* ex Naturæ mandato, *ſive* ex Conſilio; idque hoc fine, ut periclitantem *aut* à Deſperatione ſervet, *aut* Spe lactet inani. *Primus* caſus obtinet in Vera medicatione: *alter*, in Palliativa interdum: *tertius*, in Simulata. *Iſto* Medicus facit, quod facit, bene: *illo*, utiliter: *hoc*, temere.

§ 118. Galeno itaque tam *latè* Medicationis vocem accipiente, & Hippocrate *omnem* Medicationem, dum *viget* & *furit* Morbus, interdicente; paret ultro, *interea* temporis penitus atque penitus *abſtinendum* Purgantibus eſſe, cujus cujus generis. Ratio (dicta § 80.) eſt: *quod* Purgans *aut* nihil purget ejus quod volebas purgari, *aut* aliud quam oportet, *aut* immodice.

§ 119. Si *nihil* aut *aliud* purgat, dediſti ſaltem fruſtra, ſi non temere. Si *immodice* purgat, in ſummum periculum adduxiſti jam periclitantem ex Morbo, & factus es tantum non proditor Naturæ.

Naturæ. De *periculo* res clara est. Præterquam enim, quod τὸ καλῶ πολὺ ἢ ἐξαπίνης κενῶν, σφαλερὸν, *plurimum & repente vacuare, periculosum* dicatur Aph. II. 51: habemus etiam Aph. VI. 16. argumentum ab *experientia*, quæ vere stultorum in talibus magistra esse solet. Ὑπὸ πλευρίτιδος ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγιγνομένη, κακόν· *Pleuritide detento diarrhœa superveniens, malum.* Idem dicitur I. de Morb. t. VI. & dicit Petr. Salius in com. II. 45. ex hoc loco in Aphorismos esse transpositum.

§ 120. *Malum* id, ut signum & causa. *Signum* quippe est, adeo occupari Spiritum circa morbum, ut interim omittat assumta chilificare. Quæ vero Spiritus non concoquit, Febris corrumpit. Alimentum vero in ventriculo corruptum ἐξεθέρμηνε, καὶ ἐτάραξε ἂν τὸ σῶμα, καὶ ἐποίησε διάρροιαν. τοῦτο δὲ ὀνομάζεται, ἕως ἂν αὐτὴ μοίνη σαπεῖσα ἡ τροφὴ ὑποχωρήσῃ. *excalfacit, & turbat corpus, facitque diarrhœam. Ita vero nominatur, quamdiu solummodo putrefactum alimentum secedit:* III. de Diæt. XII. 248.

§ 121. *Causa* vero mali est non unius, tum *quoad* Morbum, tum *quoad* Naturam seu medicum morbi. *Natura* quippe avocatur ab opere bono & utili ad pravum & nocivum, à coctione Materiæ morbificæ opportuna ad excretionem malignæ importunam. Sub qua *Spiritum* profundi ac consumi non minus est necesse ac periculosum, ac est cum empyis pus, aut aqua hydropicis finitur effluere copiosius. *Morbus* interea, dum alvus profluit, qua *materiam* suam recrudescit: non tantum, *quia* Sputa retinentur, sed & *quia* Humores, qui fermentabantur, subsidunt & qualitates acquirunt coctioni redintegrandæ ineptas ac Parti simul molestiores.

§ 122. Fortassean putabit aliquis, *malum* Diarrhœam solummodo facere ἐν τῷ ἐχομένῳ [τυπέσι κατεχομένῳ καὶ βιαζομένῳ] ὑπὸ πλευρίτιδος· *in eo qui habetur [hoc est, detinetur & vim patitur] à pleuritide*, atque adeo in vehementi dumtaxat affectu: nam ἐπὶ μέτροι μετρίᾳ πλευρίτιδι, διάρροιαν ἐπιγιγνομένην, δυνάσθαί ποτε τῷ λόγῳ τῆς κενώσεως ὠφελῆσαι· *in mediocri Pleuritide, diarrhœam supervenientem posse nonnumquam, ratione vacuationis, prodesse.*

§ 123. Galeni hoc commentum est; sed commentū. Nam, ut hoc

certum est, *malo* Diarrhœam *majore* supervenire *graviori* Pleuritidi. ita & hoc: *malo* Diarrhœam *majore* supervenire, quo tempore quæque *gravior* Pleuritis est. Talis vero *omnis* est, quum *viget* in Naturam, & in *ipsam* Natura. Neque est quod vetat, ἔχεσθαι *haberi* Ægrotantem dici tunc, quando & vehementius affligitur & pessime valet & tota Natura occupata est si non à Morbo, omnino contra Morbum, ut se ab eo liberet. Verbo: ἔχεσθαι Ægrotus dicitur & in *vehementi* Morbo, & in *vehementia* Morbi.

§ 124. Quo intendisse mihi videtur Duretus, acerrimi vir judicii, quum com. ad 1. Coac. 77. sic reddit Aphorismum: *Si cui in dominatu pleuritidis diarrhœa superveniat.* Etenim *dominatur* Pleuritis quæcumque & quandocumque vehementior est. Sed isthuc non intenderit, ut forte quis ex antecedentibus putabit se probare posse: nihil refert. Nam præter quod recte dixerit tamen, neque stamus in talibus *dictorum* Authoritate, sed *experimentorum* Veritate, & nitentium his *rationum* Utilitate.

§. 125. Concedo interea: *Diarrhœam* aliquando, ratione vacuationis, *prodesse* Pleuritico: sed eo *primum* casu, quem Galenus dicit, ὅταν φαίνηται τὰ τῆς πέψεως σημεῖα, τοῖς πάθεσι παρόντα, καὶ ἔτι φόβος ἐστὶν, ἀλλὰ μὴ ἀκινδύνως· *quum apparuerint coctionis signa in ipsis affectibus* (hoc est, iis quæ ex Locis affectis prodeunt) *neque ullus est metus, quin citra omne discrimen.* Sed cui nasus muccosus non est, facile heic odorabitur Galeni jejunitatem. Tunccine *morbus*, cum *domitus* est, dominatur? aut *habet* Ægrum, cum *cocta* Materia, *victa* vis est? Ergone non attendit, *malum* in Aphorismo prædicari de *diarrhœa* ὑπαγομένη, non ὑπαινομένη? de ea quæ *supervenit* Pleuritidi vigenti & magnitudine vigoris ac malignitate humoris excreti; non de ea, quæ *se ostendit* Morbo declinante & Natura judicante seu excernente è vasis Cacochymiam, quæ originem Pleuritidi dederat?

§ 126. *Alius* casus est, quando *diarrhœa* Pleuritidi adest, priusquam ejus Materia sit firmata in Latere seu musculis intercostalibus. Hoc casu quippe *Natura* valens, & omnibus se expediendi occasionibus invigilans, insurgit quandoque in Materiam turgentem,

gentem, καὶ ἀνεῦρίσκει αὐτὴ ἑωυτῇ τὴν ἔφοδον *& adinvenit ipsa sibi viam*, VI. Epid. v. 2, qua hostem visceribus exturbet, antequam se firmare queat in Parte, quam invasit. Sed *hic* quoque *casus* quid ad Aphorismum? Qui cum præsupponat Ægrum *haberi* à Pleuritide, saltem necesse est, ut *pleuritis* Facta sit, nec tantum fiens.

§ 127. Hippocrates II. Coac. XVI. 13 (secundum Duretum: unde cito, ut ejus tibi commentarium una opera commendem.) expedire ad salutem ait, πύελον πᾶσι πλευριτικοῖσιν εὐπετέως τε καὶ ταχέως ἀναπτύεσθαι, *ut sputum omnibus pleuriticis ex facili atque cito expectoretur*. Nempe ratio est, quam ex observatione dat Coac. 7. cap. ejusdem: πτύαλον τριταῖον μὲν ἀρχόμενον πεπαίνεσθαι, καὶ πτύεσθαι, θάσσους ποιέει τὰς ἀπολύσιας· *Sputum quod tertio die incipit coqui & spui, citas facit discessiones*. Jam vero inter *conditiones*, quas adesse necesse est, ut cita & suppuratio & expectoratio fiat, requirit *hanc* quoque Coac. 23. sequente, ut ne sint χολώδεες αἱ τῆς κοιλίης διαχωρήσιες· *biliosæ alvi dejectiones*. Hæ namque materiam præripere & occasionem solent futurorum abscessuum. vide sis vel heic Duretum, & vel ideo ut alios quoque à Galeno videas dissentire.

§ 128. Jam ergo, si est *malum*, Diarrhœam supervenire pleuritidi: non erit *periculosum*, Purgantibus illam accersere? *præsertim* Rhabarbaro, igneo medicamento? ut jam de Diaprunûm solutivo nihil, nihil de similibus medicinis & adhuc deterioris commatis dicam, quæ vidi etiam à famosis Practicis offerri.

§ 129. Galenus præterea IV. Vict. acut. 44. magno utitur argumento, à *quiete* Naturæ necessaria iis in rebus gerendis, quæ spectant *coctionem* Ciborum, & æmulam huic *maturationem* Humorum morbificorum. *Quemadmodum Natura*, inquit, *assumto in ventrem Cibo, indiget quiete cæterarum functionum, quo possit coctioni tantum vacare: par ratio est coctionis Humorum in venis*. Sit ratio par: non est necessitas par. Si enim *sano* Corpore & ad *coquendos* Cibos, familiare opus, *necessarium* est Spiritui *quiescere*, hoc est, non avocari ad alia: quanto magis erit *ægro* Corpore & ad *maturandos* Humores pravos ac sæpe rebelles valde, atque opus insuetum, laboriosum, periculosum?

§ 130. *Deinde*: Si *coctionem* Ciborum interturbet Naturæ consulta actio: *maturationem* Humorum non interturbabit Medici inconsulta molitio? Ergo si cavere *Natura* debet, ne quid aliud agat, quam quod pro salute sua agendum est: non cavebit *Medicus*, ne cogat illam agere, quod in perniciem suam aget?

§ 131. Imo vero, *externæ* Quietis, sive *quam* Medicus tenetur præstare, tanto major heic necessitas est: quanto *interna* minus à Morbo conceditur. *Labori* vero, quem Morbus creat, tanto plus additur laboris: quanto *plus* & *melius* ex judicio vulgi fuerit Ægrotus expurgatus. Etenim laudare *purgationem* Vulgus, etiam nostrum solet, quæ multa everrit, modo torminis faciat non multum.

§ 132. Quin tanta est in multis *supinitas*, ut non credat à Purgatione *malum* esse, quodcumque non eodem die & inter purgandum supervenit: tanta *perversitas*, ut etiam hoc casu, errorem suum fateri, non dicam apud *alios* erubescat, sed apud *seipsum* nolit. Sane *suum* errorem si agnoscerent, caverent in posterum, neque iterum vellent in naufragium agere ad eumdem scopulum. Quin, *more magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium*, tironibus dicerent: *Cave, hic scopulus est.* Sed *levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt*, inquit Celsus VIII. 4.

§ 133. Imo *nec detrahi* sibi patiuntur. Nec equidem miror. Quotidianæ enim observationis est, *nullibi* Homines sensibiliores esse, quam in rebus lucri & damni; præsertim qui quæstui serviunt. Inde videas *peccato* manifestiore, præut negari queat, quæ non folia ficus prætendi? Si aliquid *injussu* factum est suo, quam id norunt arripere & sæpe non obscure ponere in causis deteriorationis. Parvum *errorem* quam attollunt. *Errorem* si causari non licet, neu *quod* Morbum potuerit exacerbare: itur ad sacram anchoram, ad *malignitatem* Humorum; quique suo discessu, ut molestiam in præsens, sic meliora mox omnia sint redditurі pro istis malis. Si fallat *prognosticum* (uti non potest non fallere, pravis meliorum abitu factis deterioribus) reditur ad *indolem* Morbi & ad reliquias Materiæ morbificæ, &, uno alterove die intermisso, ad *purgationem* rursus. scilicet! ut

sui

Unable to display this page

Unable to display this page

etiam persuadeat & suo ipsorum commodo obtineat, prætendere solet Purgandi necessitatem, Humorum copiam ac pravitatem, Morbi præterea deteriorationem & quod illis non in tempore vacuatis imminet periculum, si non vitæ, longitudinis saltem morbi.

§ 145. Eapropter *duo* habet in turpibus & fugiendis cavendis. *Alterum*, & Hippocrati damnatum l. de Med. purg. est: διδόντα φάρμακον ἀνθρώπῳ, ἀποκτεῖναι· *Si, qui dedit medicinam homini, occidat.* Neque enim ignorat, *Sectæ suæ non convenire, causas ulli præbere mortis: nec exitio, sed saluti hominum quæsitam esse medicinam.* uti fatetur ille apud Apulejum medicus Metamorph. x. p. m. 386. *Alterum*, Non purgari à medicina, quisquis accepit. Tam enim *timidi* nomen, quam *tumidi* horret: tam *imperiti*, quam *incauti*. Etenim persuasum est vulgo, Non minus *timiditate* Rem negligi, quam *tumiditate* præcipitari.

§ 146. NON MULTA. Ex *excretis* hoc, an *excretionibus* fuit æstimatum? Qui purgantur, *parum* licet singulis vicibus, modo *sæpe* exonerent, gratulari sibi & bene sperare solent. Etiam hoc jubet Medicus bonus, si quæ oportet, excerni videat. Sunt enim *excretiones* Materiæ morbificæ, si *paulatinæ* fuerint, *tutissimæ:* Aph. II. 51.

§ 147. Verisimile est, ad Scomphum *vocatum* Hippocratem, *cum deliraret* ille: ac tunc intellexisse, *purgatum fuisse*; sed, *non multa*. Quibus verbis adstantes & necessarios periclitantis credo innuisse, *neque* Plus justo purgatum fuisse, *neque* Non satis. *Non multa* enim, multorum *respectu* Multa non sunt: sunt, *respectu* Paucorum. *Quæ* si adstantium opinio fuit, ut fere simili in casu esse comperimur etiam hodie, *neque* Medicus apud illos, *neque* Medicamentum apud Medicum venit in suspicionem.

§ 148. Novum non est, *peccare* Medicum, & non deprehendi. Quis enim *deprehendat?* Certe *non* vulgus: *non*, quod curatur: *non*, quod curat. Non *hoc*: quia intueri *non* Remedium solet, *sed* Materiam. Quæ si *leniorum* è genere fuerit, peccatum non censet. Non *illud*: quia facta solet ex eventu notare. Unde si quod purgans *modum* in purgando non excedit, peccatum non putat.

§ 149. Sed *quare* Hippocrates, cum toties excreta jubeat non copia æstimare, sed substantia, 1. Aph. 2. 23. 25: suo nunc ipse à consilio abit? Ut ostendat, Medico ne quidem conjecturam suam respondisse.

§ 150. Ea enim vis phrasios est, ut significet *infra expectationem pauca*. Nititur autem hæc *Expectatio* non solum *opinione* Cacochymiæ præsentis, sed & *notis* Medicamenti viribus. Nisi enim *compertæ* Virtutis pharmacum propinavit, præsertim in Morbo acuto, ubi præceps occasio est, & peccare, nedum bis, non licet: successum ægro quei potuit, aut sibi polliceri. Nisi etiam credidit corpori *subesse* Cacochymiam, & vacuationis egentem: nimis temeraria fuit & inexcusabilis medicinæ oblatio.

§ 151. Quibus *intra* Purgationem & Venæsectionem tantum non tota Ars est, serio satagunt, *Ne quid minus*. Nempe eam fere quovis in morbo opinionem ingerunt ægrotantibus, scatere corpus humoribus pravis, magnam sentinam & à longo tempore congestam esse exantlandam. Unde *copia* æstimantes quod purgandum est, quid mirum *copia* æstimare quod purgatum est? Sed in hoc non raro hic ille ἐξαπάτη καὶ ἐξαπατᾶται *fallitur & fallit*: ut de iis ajebat Hippocrates l. de Vet. med. t. 111. 10, qui rejecta veteri & bene constituta Medicina novam cudere conabantur.

§ 152. Sed *quare* Scomphus purgatus est *non multa?* Quia cruda adhuc & confusa sanguini bilis fuit. At *cruda* vetantur purgari, 1. Aph. 22. Neque persuadeo mihi, *audere* Pharmacum ægro dare, qui non didicit cocta à crudis dignoscere: *aut* Purgare medicum voluisse cruda; sed aliquid *causæ* Morbi demere, ut hodieque prætendimus, qui in Morbis à cacochymia ad purgationem velut sacram anchoram confugimus.

§ 153. Vidit forte ægros aliquando φανερῶς ὑπὸ τῶν πόνων καὶ τοῦ θέρμους ἀπαλλάσσεσθαι *egregie simul à dolore & calore liberari*, postea-quam essent à bile purgati, seu sponte seu arte: l. de Vet. med. t. xxxiv. 116. Hoc *imitari* voluisse, nihil est credibilius, nihilque dici magis aut facere ad excusationem Medici potest.

§ 154. Verum hoc concesso, fateamur necesse est, non illum *ratione* Medicinam fecisse, sed *consilio* atque *experientia*. Quod revera

Unable to display this page

gatum deliraſſe. Quæ verba quia ſentiebat ſic accipi poſſe, quemadmodum nos accipienda urgemus; eapropter mox ſe corrigit, ſed muſſando, velut non auſus Scapham ſcapham. *Non dicit purgationem attuliſſe delirium, verum narrat quod actum eſt, ut tu conjectes an attulerit.*

§ 159. Ego vero, & Batavo ore: Imo hoc ipſum dicit, adeoque expreſſe, *Purgationem attuliſſe delirium*; ut nulla vi alium in ſenſum rapi verba queant. Quin *ipſa* Valleſii excuſatio, mera accuſatio eſt: ceu mox audiemus. Et *quare* Hippocrates non æque heic rem aperte dixerit ac ſæpe alibi feciſſe videmus. De *Scamandro* diſerte v. Epid. t. VII: αὖθις πίων τὸ καθαρὸς ἰσχυρὸν [φάρμακον] ἐστερινὸς, ἡλίῳ ἀνιόντι ἔθανεν. ἐδόκεε δ' ἂν πλείονα χρόνον διενεγκεῖν, εἰ μὴ τῷ φαρμάκῳ τῷ ἰσχυῷ. *Iterum bibens illud admodum vehemens medicamentum veſpere, Sole oriente mortuus eſt. Videbatur autem diu vitam toleraturus, niſi vis medicamenti interveniſſet.* Ita & *Theophorbum* in Lariſſa mortuum ait ὑπὸ ἰσχύος φαρμάκου ἄγαν, *à violentia medicamenti nimia*: text. VIII. vide & textum XVI. & quid ibi de *adoleſcentis* ex Eubœa, & *cujuſdam* Viri, quem nominat, exitu pronunciet.

§ 160. Profecto (quid ni repetam enim?) *notari* Errores, intereſt Artis & Poſteritatis: & quidem duabus utrobique de cauſis.

§ 161. *Artis* intereſt, *primo* & potiſſimum: *Quod in vicino ſæpe quædam notæ poſitæ* ſunt, quæ ſi *non bonos, ſed imperitos decipiunt*, etiam ab his ipſis notatæ attenduntur ſolicitius & caventur ſtudioſius; præſertim junioribus, qui ſcientes in rebus humanis tam nihil fauſte feliciterque agi, quod aliquis error non interpolet, meliora malunt alieno errore quam ſuo doceri. *Deinde* etiam, ut *ne protinus crimen Artis ſit, ſi quod Profeſſoris eſt.* Quod eſt, ut & prius, ex notatione Celſi II. 6.

§ 162. *Poſteritatis* intereſt, *primo*: Ne publicus fiat error, aut ſi factus eſt, recti locum teneat. Novimus, quid Seneca dicat l. de Benef. IV. 36: *Demens eſt, qui fidem præſtat errori.* Novimus, quid moneat ejuſdem operis V. 2: *Quæramus quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum.* Sed *error*, quamdiu convictus atque condemnatus non eſt, etiam aliis atque aliis errandi cauſa & auctor

auctor est. Præterquam quod auctoritatem acquirat diffundendo se ad plures, & acrem sæpe stimulum, contra quem deinde durum sit calcitrare volenti illum corrigere. Ab *auctoritate* vero metuendum non est, si *contradictum fuit*, hoc est, *allegata justa læsio contra id quod agitur*, ut Pratensis exponit Ulpiani verbum quod est in l. nam ita Divus. 39. ff. de Adoptionibus. *Deinde*: Ne suo quisque tempore omittat errores notare & contradicere illis, quo ne tradantur per manus & latissime evagandi sibi viam faciant.

§ 163. Et *istas* & *plures* forte *causas* habuit Præceptor, quare censuerit operæpretium esse, imo necessarium, *errores* Memoriæ sacros facere. Eapropter, qui sibi non pepercit, ceu vides textu XIV. in historia Autonomi; cur parceret aliis? *Quibus* pepercit tamen, non nominando. *Quo* certe se ostendit errores odisse, non errantes. *Hoc* enim prudentis non est, neque suæ sibi infirmitatis conscii. Non *prudentis*: quia errorem notanti proposita esse emendatio debet, non offensio. Non *hominis*: quia cujusvis est errare, & stare se putantis videre ne cadat, 1. Cor. x. 12. Quam vero nobis gratum est lapsis erigi, nec imprudentiæ interim argui: tam est errantium multis emendari, nec interim profitui.

§ 164. DELIRAVIT. Τὸ παραπλῆν proprie est *cudere monetam falsam*. Lucianus Hermotimo p. m. 600. καθ' τὰς ἀργυρογνώμονας διαγιγνώσκειν ἅ, τε δόκιμα καὶ ἀκίβδηλα, καὶ ἃ παρακεκομμένα· *cum argentariis dignoscere qua proba & sincera sint, & quæ adulterata.*

§ 165. Jam quod in rerum Fortunæ commerciis sunt *nummi*: id sunt *verba*, in negotiis Animorum. *Verba* autem, rebus, veritate, significatu probantur: ut *nummi*, materia, pondere, & iconio.

§ 166. *Sic* loqui, ut, cui loqueris, putet te ad cor suum loqui; tu vero, si ferat res, capi verbis tuis nequeas: ea & *prima* & subtilissima sermonis adulteratio est. *Hæc* studii Politicorum est, quos vocant hodie: hoc est, hominum suam sapientiam sapientium, non Dei. eorum inquam, quorum in manum datam tertam ait S. Ijob IX. 24. nam cœlum eorum est, qui scientes nos

alios aliorum membra esse, depositio mendacio loquuntur veritatem quisque proximo suo: Eph. IV. 25. Psal. XV. 2. Possis *iconii adulterium*, aut *significatus* nominare.

§ 167. Species *altera* & stultissima est, figmenta loqui, & involutam fabulis veritatem. *Qualis* priscorum Philosophia fuit, & omnis Gentilium multorumque inter Christianos hodie Theologia est. Hoc *adulterium* est *ponderis*. Quod verba non habent nisi à Veritate cum originis, tum enunciationis atque significationis. *Illam* qui occultant, recte meritoque dicuntur cum ratione insanire, & auferre clavem cognitionis, & non tantum ipsi non ingredi, sed & ingredi volentes arcere. *Hujus* quoque rei & vel maxime culpabiles sunt, qui nostra in arte mirifice nescio quæ Secreta usque in cœlum laudibus extollunt, pudenda interim invidentia in secreto habent omnia: ignari, *Medicos ubique locorum laborare non tam penuria remediorum, quam legitimæ Methodi ad bene medendum cognitione. Quæ revera est Artis nostra secretum secretorum secretissimum: eheu, quam paucis notum!* Sunt hæc Cl. Guidonis Patini Doct. Medici Parisiensis & Professoris Regii, Domini & Amici mihi colendissimi verba ad me privatim scripta; sed profecto dignissima, quæ non chartaceis modo tabulis inscribantur æternitati, sed & cordibus eorum omnium, qui faciunt medicinam & facere ad proximi commodum satagunt.

§ 168. *Tertia* species est, quod vocamus *materiæ adulterium*; quia res non dicit, ut dici debent & amant, tam Audientis ratione, quam Dicentis. *Tale* est turpiloquium, vaniloquium, & omnis sermo eorum, quos cum ratione loquendi dono aut Natura non donavit, aut Morbus privavit. Atque hujus proprie consideratio spectat ad Medicos.

§ 169. Qui ergo per morbos mente moventur, dicuntur παραληρεῖν Græcis, propterea quod κόπτουσι ῥήματα ἄνευ λόγου καὶ αἰκίᾳ τοῖς πράγμασι, *cudunt verba præter rationem & aliena à rebus.* Id *proprie* Latinis est *delirare*, hoc est, de lira seu recto rationis recedere & aberrare. *Liram* veteres vocabant fossam rectam, quæ contra agros tuendos ducitur, & in quam uligo terræ decurrit. auctor mihi Nonius.

§ 170.

§ 170. Τῶν παραφρόνων seu *delirantium* duo sunt propria. *Vnum*: Non habere illud διηνεκὲς *perpetuum*, quod in Phrenitide esse solet. *Alterum*: Impingere in *certum* Objectum velut in scopulum, & dicto factove ostendere quassam mentis cymbam. Possis ex Aristotele hoc intelligere l. de Aud. mirab. p.m. 1152. E. ubi narrat, πινὰ ἐν Ἀβύδῳ παραφανῆ τῇ διανοίᾳ, καὶ εἰς τὸ θέατρον ἐρχόμενον ὅτι πολλὰς ἡμέρας, θεωρεῖν ὡς ὑποκινούμενον τινῶν καὶ ὑπομαίνεσθαι· καὶ ὡς κατέσχε τὸ παραπῆς, ἔφησεν ἐκεῖνον αὐτῷ τὸν χρόνον ἥδιστα βεβιῶσθαι.

§ 171. Quæ carmine reddidit Horatius II. Epist. II. 128.

fuit haut ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro:
Cætera qui vitæ servaret munia recto
More, bonus sane, posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ.
Hic, ubi cognatorum opibus, curisque refectus,
Ad sese rediit: pol me occidistis amici,
Non servastis, ait: cui sic extorta voluptas:
Et demtus per vim mentis gratissimus error.

Confer & Lucianum l. Quomodo hist. conscr. p. m. 657. & Athenæum in Deipnos. XII. fine.

§ 172. Sæpe vero etiam τὸ παραπῆναι significat id, quo gravius accidere homini non potest: τὸ μαίνεσθαι, inquam, *insanire* sive, ut Celsus loquitur III. 18, *animo desipere*, & *consilio falli*, ac *furere*. Non sine ratione igitur Gorrhæus monuit in Definitionibus, *verbum esse apud Medicos ambiguum*. consule Foesium quoque in Oeconomia, in voce Παραφρονή.

§ 173. PURGATUS *vero deliravit*. Quandoquidem hoc *ratione* ostendi jamante, supersedere nunc licebat: præsertim cum, *revera* Vallesius aliter non intellexerit. Ait enim: *quantum suspicor, nisi accepisset pharmacum, aut non obiisset, aut non tam cito: tumque fortasse sine delirio, aut delirium multo posterius accidisset.*

§ 174. At quoniam præoccupatus falsa opinione animus ad veri rationem admittendam durus admodum atque perdifficilis inve-

invenitur; prudentis est etiam tollere, quem offendiculo fore lapidem suspicatur. Quamobrem, ut ne quis hoc *unicum* Exemplum putet à *medicamento* Delirantis esse, & ex illo *regulam* non faciendam: sistimus *alia* quoque, & quæ evenere in Morbis citra inflammationem; ut hinc intelligas quanto periculi magnitudo major sit in Pleuritide atque id genus Inflammationibus aliis, ubi ex *morbo* Spiritus est in delirium pronus.

§ 175. Exemplum *primum* est, quod suggerit Ballonius in Consil. 1. 96. *Novimus mulierem*, inquit, *cui post phlebotomiam cum datum esset medicamentum sequenti die, quia inane fuit medicamentum & non potens satis, statim delira facta est.* Scompho nostro fuerit ne *missus* Sanguis ante acceptum Medicamentum, non dicitur. Si *non* fuit: vix quisquam hodie non gravius peccatum censeat. Sed *fuisse* missum, verisimile est. Ab antiquo enim id notum fuit, quod *remedium magni & recentis doloris sit sanguis missus*: Celsus IV. 6. Si *fuit* ergo, hactenus *similis* est casus.

§ 176. Nihilominus *dissimilis* in duobus. *Primum* in eo, quod Mulier ista *nullo*, Scomphus *acuto* laboraret Morbo. *Tum* in eo, quod Mulieri *nihil*, Scompho *non multum* egerit Medicamentum. Atenimvero tantum abest, ut ea disparitas præjudicet nobis, ut econtrario adjudicet quod postulamus. Si enim sanum corpus & quod præservationis duntaxat gratia utitur auxiliis, tanto cum periculo sumsit medicamentum, idque impotentius præut purgare potuerit: quanto erit periculosius in acuto morbo & ipso morbi furore medicamentum exhibere, quod putes purgando fore?

§ 177. Dicat aliquis: Ista *mulier* Delira idcirco facta est, quod medicamentum fuerit *inane*, & præter exspectationem nihil purgaverit. Neque enim *delirium* evenisset ipsi, si *potens satis* accepisset pharmacum. Nunc quia turbavit Corpus, neque quidquam exturbavit; quia movit Bilem, neque emovit: idcirco delata hæc in Cerebrum fuit &, occupata Mentis arce, delirare fecit.

§ 178. Fateor, si quid recte judico, eo aurigare Ballonium & ipsissimam veri speciem habere rationem istam, si aliunde delirium

rium quam à *bile* in Cerebrum decumbente non est. Non esse, ostendam aliquando multis, si vivo, rationibus & præeunte Hippocrate, omnis boni nobis auctore. Mox interim exponam meæ sententiæ in hoc negotio summam.

§ 179. Nunc velim hoc solummodo intelligere: quare *statim* Delira facta sit, si *nihil* Medicamentum egerit, nec potuerit agere? Et quare *nihil potuit*? An quia *lenissimi* generis esset? an quia *humorum moli* proportione non respondebat? Si *istud* fuit: quei quisquam umquam tutus à delirio erit qui pharmacum bibit? præsertim in Febribus? præsertim acutis? præsertim inflammatoriis? præsertim si potentius, imo vel medii ordinis bibit? Si *illud* fuit: quei potuit Cacochymiam agitare, & tam potenter, ut efferretur in Cerebrum? Si *agitavit* tantopere: quei non potuit vel aliquid ad se trahere & educere? loquor ex sententia vulgi.

§ 180. Ut jam non dicam: *utrum* dicatur, egregie *accusari* Medicum, *vel* Inscitiæ, *vel* Imperitiæ. *Inscitiæ* est enim, æstimare magnitudinem rei nocentis, materiæ peccantis, cacochymiæ præsentis non novisse. *Imperitiæ* est, æstimare proportionem rei juvantis, materiæ medicæ, purgantis exhibendi non novisse. *Imo*, inquis, *neutrum* ignoravit: sed maluit bis bene, quam semel male. Sed revera hoc mantelum est, & pulchrum, & in quo facile hærent oculi eorum, quibus introspicere in arcana Artis negatum est. Si scivit, *quæ* & *qualis* & *quanta* Cacochymia esset, quam ibat purgatum: cur non satisfecit indicationi? Quæ est ἀδυναμία medica, cujus Hippocrates meminit in Lege III. 39: si non hæc est, *minorem* se Morbo & exigentiæ Rei præbere? Quod vel imprimis fugiendum est in Morbis acutis. In his enim, (ut Aretæus II. Curat. acut. I. egregie) oportet ἀνίξοα, ἤδ' ὠκέα ἔμμυαι τὰ ἀλεξήματα, *pari passu auxilia* cum morbo, *quin celerioreire*, ut prævertat, & viam illi ad occidendum intercipiat.

§ 181. Exemplum *alterum* ipse ego vidi. Mulier ex tertiana convalescens, & nescio quid causata accipit à Medico familiari infusum Rhabarbari & Senæ cum duabus drachmis Diaphœnicon seu Electuarii è Palmulis. Purgatur cito & copiose, nec molestè tamen. Vesperascente die ad os reficiendum cappa-

res sumit ex oleo & aceto. Hinc mox ingentia tormina, dejectiones plurimæ, inquietudo summa, delirium, mors, & illa nocte.

§ 182. Per me licet *infelicem* hunc *casum* adscribere *errori* Purgatæ, non *vigori* Purgantis. Habeo tamen *rationes*, quæ mihi persuadeant huic potissimum tribuere. Perfrequens observatio est, *Purgantia* mane sumta, præterpropter meridiem absolvisse videri, & interquiescere adusque vesperam, tunc resumere vires & denuo purgare, imo & copiosius, quam mane, Humores à corpore prodigere. Docti & hoc sumus per Magistram stultorum: *Aceto* pene nihil par esse ad impellendum Purgantia, præsertim acria, in hypercatharsin. *Vtriusque* mihi rationes etsi sint in promtu, non nunc promam tamen.

§ 183. Potius nunc exponam, *quemadmodum* Delirium à purgatione fiat. Namque hoc dicendum restat. Dicam quod sentio & sufficere huic loco potest. Nam ex fundamento rem arcessere, & demonstrare, nec animus, nec locus est.

§ 184. *Purgantia* igitur stimulando irritant Spiritum, magis, minus, prout vel ipsa valent, aut valet Spiritus, sive obtusior hic aut sensilior est. Spiritus irritatus accenditur & flagrat ardentius, & se ac sanguinem, vehiculum suum, agitat concitatius. Qua agitatione ut sanguinem fundit & sæpe effundit in hypercatharsi: ita & se profundit. Profusus, lassus, attenuatus, accensus, irritatus, tot modis præter naturam affectus, uti non potest à Cerebro refrigerari & tranquillari & aptari ad munia rationis: ita nec potest à Mente regi & dirigi & figi in objectum seu propositum rationi ad considerandum: imo sæpe nec vult, præsertim si imaginibus addicta est; atque tunc

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

§ 185. Vidimus *historiam*. Viderimus frustra, si non hoc docere nos potest: *Abstinendum purgationibus esse in pleuritide*. Quo de quia nobilis est Vallesii commentarius, & is non in omnium manibus, meretur exscribi, quamvis prolixior paulo. Quo quidem in labore me pudet pigrari, quando spes est promovendi aliorum studia.

§ 187.

§ 186. *Certe in pleuritide*, ait, *non est multi usus expurgatio. Nam vel in iis, quæ pertinent ad inferiores costas & ad hypochondrium siniuntur, in quibus Hippocrates de Vict. acut.* II. 76. *jubet pharmaco uti, videtur Galeno id esse periculis multis plenum, ac proinde, quoad fieri possit, agendum sola sanguinis missione. Non tamen proinde numquam est expurgandum. Nam in inclinatione, remittente inflammatione; cum corpus totum malo aliquo succo abundat, magnum expurgationi thoracis compendium affert expurgatio totius corporis. Sed & antequam fluxio in parte firmata sit, aliquando (etsi rarius) ob dictas inflammationes* [costarum notharum] *utile est revulsoria uti expurgatione. Id quod ne temere facias: sed cum febris non omnino magna, & missus sit sanguis satis, & succi à sanguinis natura degenerent, & nihilominus facultas fortis ad ferendam alvi fluxionem* (Aph. VI. 16.) *& ad inflammationis tempus legitimum transigendum, & natura propria hominis non repugnet, sed is sit qui facile expurgetur. Tantæ difficultatis est, Pleuriticum nondum inclinante morbo expurgare. Læduntur enim mille modis: aut aucta Febre & Inflammatione ab ipsis medicamentis: aut debilitata Virtute & Morbo nihil minuto, quod non evacuetur quod oportet, neque unde oportet: aut quod commoveantur multa, evacuentur vero pauciora, velut huic evenisse est probabile.*

§ 187. Quas rationes velut in compendio nobis exhibuit olim Cælius Aurelianus Acut. II. 19. *Purgativa*, inquit, *medicamina, quæ Græci καθαρλικὰ vocant, acrimoniæ causa, stomachum tumentem, atque hypezocota membranam acuunt in tumorem: & in periculum ventris effusionem provocantia, magnificam passionis ingerunt vehementiam.*

§ 188. Atque hæc causa est, quare *neque* Cælium cap. 18. *neque* Celsum IV. 6. videas facere aliquam purgationis mentionem. Quin *ille*, si venter fluxerit, somno accersito, si permittat accessio, cohibere suadet, quo ne phlebotomiam impediat. Ex recentioribus confer Hollerium in I. de Morb. int. XXVI. in scholiis, qua inquirit, *Pleuritidi cathartica cur minus conferant.* Consule sis Zacutum quoque II. Med. princ. hist. XXII. q. 23. § *Prima.*

§ 189. Profecto sunt *istæ*, quas audivimus, *rationes* momentosissimæ. De quibus mihi licet lectori dicere, quod A. Varius

dicere confessori solebat de testibus: *Aut hoc rationum satis, aut nescio quid satis sit.* Refert M. Tullius de Finib. II. 19. p. m. 152.

§ 190 Quando itaque tales sunt, debebant merito nos revocare à *Slendrio* Practicorum. Si quem tamen nequeunt, hunc saltem terreant vestigia & infelicium *exempla*. Scomphi vidimus: & vidit procul dubio plura Sol, quæ nunc terra abscondit. Nunc *aliud* ecce è Ballonio Consil. 1. 96. quod aliquoties jam laudavi. Exhibet autem nobis historiam *pleuritidis* Nothæ seu hypochondriacæ, ut vocat. De qua vix quisquam ambigit, admittatne *purgationem*, an non. Adeo id ratum censent. vide sis Vascum Castellum v. Exerc. med. cap. XI. diff. 1.

§ 191. Ballonii autem non omnia exscribo, sed ea dumtaxat, quæ faciunt in rem præsentem. *Cum circa finem diei quarti dubitaremus*, inquit, *an quarto secanda vena esset in tanta siccitate morbi, febre, difficultate spirandi, dolore: Ecce primarius medicus videns nostras sectiones inutiles, ratus collectionem esse quamdam, ad catharticum confugit, idque vehemens admodum, ut vi deturbaretur humor qui infra diaphragma consisteret. At cum humor nullus esset infra diaphragma morbi autor, irritum medicamentum fuit, & duabus post horis hypercatharsin induxit, & perturbationem tantam, ut brevi ægro intereundum fuerit.*

§ 192. Tantum *peccatum* Primarii si peccant, & in vulgo ob Scientiæ partim, partim Sapientiæ, quin & Experientiæ opinionem celebres: *quid* sperandum ab his, qui sine *ulla* Experientia, & cum *tenui* Scientia, saltim non ea quæ sit necessaria & sufficiens ad faciendam artem, creantur Doctores, hoc est, imperatores vitæ & necis? Quod ad cæteros, ille equidem mihi

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

XIII. *Oenia-*

XIII.

Oeniades Famelicosus.

Hipp. v. Epid. t. 11. 6.

Ἐν Οἰνιάδῃσιν ἀνὴρ νόσῳ εἶχετο. ὁκότε ἄσιτος εἴη, ἔμυζεν αὐτὸς ἐν τῇ γαστρὶ ἰσχυρῶς καὶ ὠδυνᾶτο. ἢ ὅτε φαγόνλι τὰ σιτία τριφθείη, καὶ χρόνος ἐπιγίνοιτο μετὰ τὴν βρῶσιν τῶν σιτίων, μετ' ὀλίγον, ταυτὸ τοῦτο ἔπασχε. καὶ ἐφθίνε τὸ σῶμα καὶ ἐτήκετο. καὶ τροφὴ οὐκ ἐγίνετο οἱ ἀπὸ τῶν σιτίων ἐσθίονλι. καὶ ὑπεχώρεεν ὁ σῖτος πονηρὸς καὶ συγκεκαυμένος. ὁκότε δὲ νεωστὶ βεβρωκὼς εἴη, αὐτὸν τοῦτον τὸν χρόνον ἥκιστα ἔμυζε, καὶ τὸ ἄλγος εἶχεν αὐτόν. ἔτι φάρμακα πίνων παντοδαπὰ καὶ ἄνω καὶ κάτω, οὐδὲν ὠφελέετο. φλεβοτομούμενος δὲ ἐν μέρει ἑκατέρῃ τῇ χειρὶ ἕως ἐξαίμου ἐγίνετο, ἔπειτα ὠφελήθη, καὶ ἀπηλλάγη τοῦ κακοῦ.

APUD *Oeniadas vir morbo habebatur. Quoties sine cibo esset, sugebat ipsius in ventriculo fortiter & cruciabatur. Et quum pasto cibi essent contriti, ac tempus interveniret post comesturam cibi, non diu post, idē hoc patiebatur. Et tabescebat corpus ac liquescebat. Neque ali contingebat ipsi ex cibis edenti. Sed secedebat cibus pravus atq; combustus. Quū vero recens pastus esset, hoc temporis ipsum minime sugebat, vel dolor habebat ipsum. Hic medicamēta bibens omnigena & supra & infra, nihil proficiebat. Verum venam inciſus per vices in utraque manu donec exsanguis fieret, deinceps profecit, & liberatus est malo.*

COMMENTARIVS.

§ 1.

EXERCITATIONE *præcedente* Fugiendi exemplum: *nunc* Imitandi damus. *Ibi* exitum vidimus, sub bona spe; tristem: *heic* lætum videbimus sub certa desperatione. *Ibi*, Temeritas quid designet: *heic*, Ratio quid præstet. *Ibi*, Imperitiam, quod puero gladium: *heic*, Manum velut Dei esse remedium conveniens. *Casus* rarus est, & hoc ipso dignior consideratu. Præterquam, quod non minus admirabili rerum varietate se commendet, quam felicitate successus; quem hodie nemo auderet sperare, si primum res tentanda foret.

§ 2. APUD OENIADAS. In peregrinatione, quam circa Thessaliæ urbes obierit, vidisse hæc Hippocratem, doctissimus Foesius scribit in præfatis libri: illiusque argumentum esse *scriptionis genus, pressum, leviter subnotatum, ac tumultuario quodam modo ad memoriæ subsidium in conjectanea comparatum.*

§ 3. Quo in judicio uti acquiescere tuto possumus: ita non possumus in eo, quod sequitur. *Quo plerumque nomine subobscurus est, & in referenda ægrorum historia diminutus, curationes vel tenuiter attingens, vel fere negligens, morborum ortum aut casum jejune denuncians, ac pene ægros leviter subindicans. Qua in ægrorum recensione ita se comparasse videtur, vix ut Medici personam sustinens, sed ut è plebe spectator quidam.*

§ 4. Miror hæc melius non consideratum, antequam scriberet. Animum quisquis advortit, deprehendet aliter scribi & relinqui posteris, quæ scripta sunt, non potuisse; neque per negligentiam Viri stetisse, quo minus ista clara & plena numerisque suis omnibus absoluta habeamus. Quæcumque vidit Ipse, ea sunt non minus ad posteritatis informationem accurata, ac quæ extant in aliis Epidemiorum libris. Quæ accepit ex ore Medicorum, referre non aliter potuit, ac illi narrabant.

§ 5. Multa vero etiam à Vulgo accepisse, dubium non est. At huius nota est socordia in attendendo, indiligentia in observando,

vando, negligentia in memorando, ruditas denique in narrando. Solet animum populus non nisi ad talia advertere, quæ potentius movent sensus, quæque admirationem sibi, aut stuporem faciunt. Nulla vel optimi Medici tanta esse sagacitas potest, quæ sufficiat expiscandis ex populo omnibus ad plenam notitiam necessariis: adeo ille infidus custos præteritorum est.

§ 6. Noluit tamen Hippocrates quidquam perire sibi eorum quæ intellexerat: utpote certus, nihil debere Medicum παρεορᾶν *prætervidere*, ceu monet ipse VI. Epid. II. 17. & ex ipso nos supra XII. 34: nihilque esse observatum, quod non facem præferre novis & observandis queat.

§ 7. Ita sane oportet, & hoc animo cum Hippocrate peregrinari, *ut rei medicæ effectus & successum per multos locos cognoscas, & in his variis modis exercitere*: quemadmodum de ipso Soranus refert in Vita. Audiant qui è nostris Gallos, Italos, Germanos adeunt: & caveant, ne reduces, profecti quidem, sed nihil profeciisse comperiantur.

§ 8. Quanto æquius est, & emunctioris nasi, de hoc *quinto* Epidemiorum libro judicium doctissimi Vallesii in Proœmio. *Habet illud peculiare, quod in aliis multi desiderant, historias fere omnes & modos quibus curati sunt ægroti, continere. Ut hac ratione fieri possit, ut utilior, quam alii omnes, evadat hic liber, quia Practicæ medicinæ habet multo plus.* Cui equidem judicio, ceu verissimo nihil ego quod addam, præter merum assensum, non invenio. Addo tamen hoc votum: utinam imitarentur quotquot Medicinam factitant hodie, & multos nobis atque ex fide darent Observationum suarum libros!

§ 9. VIR. Hoc *nomen* Sexus, ætatis, status, dignitatis est.

§ 10. *Dignitatis* hoc loco esse, non credimus. Medicorum quippe mos est, etiam hodie, lubenter nominare personas, quorum curationes feliciter sibi evenere. Facile enim se multitudo credit, cui intelligit se credidisse Nobiles & magnates, quique multa habent cum vita amittenda. Nempe, quemadmodum

Laudat venales qui vult extrudere merces;

& quotquot matutinis nescio quid raucum cornu inflat,

Surgite

Surgite jam pueri, vendit jentacula, pistor:

ita Medici (præsertim οἱ ἐπιθυμέοντες ἐκχαυνοῦν τὸν πολὺν ὄχλον qui dicuntur Hippocrati l. de Artic. s. III. 20, sive *qui in hoc sunt toti, ut aucupentur auram popularem*) pene omni tempore atque loco arripiunt occasionem sua recte facta rememorandi. Galenus in hoc quam sedulus & quantus fuerit artifex præconiandi suas laudes, videre est l. de Diff. puls. III. 3: & I. Progn. III. 37: & I. Epid. III. 17: & inprimis de Præcogn. ad Posth. qui liber eum solum in finem videtur scriptus. Ubi vide quam magnifice cap. VIII. prædicet Boethi liberalitatem, qui sibi ob curatam uxorem miserit quadringentos aureos.

§ 11. *Mos* iste hodieque eorum est, qui quæstui serviunt. Is enim quoniam major ex populo est, quemadmodum Celsus notat lib. III. cap. IV: hacpropter se illi student quam maxime commendare. Experti scilicet, quam parum dent *Six & Cinq*: &, quod dent, non habeant *As & Deux*.

§ 12. Etiam exemplis docti, quam raro alicui se primores & opulentiores urbium, præsertim magnarum, credere soleant, priusquam respondere barbam mulgens ausit, TOT. Quia namq; *Medicina*, quam facimus hodie, *Empiricæ* similior est, & sororgermana ejus, quam in Urbe domina orbis suo tempore vigentem tot libris vexavit Galenus; licet se, quod esset Empiricorum sermonibus institutus, odisse illam posse neget de Loc. aff. III. 2: quia etiam *Rationalis medicinæ* vix ullas ex Academiis certas rationes adferimus: quia denique *artem medendi* indoctus vel intelligere nostras rationes (utpote suis Maximis maxime contrarias) vel judicare de præstantia cujusque nostrum non potest, eoque magis metuit esse primus, in quo experimentum fiat: eapropter est, quod aliud se commendandi argumentum efficacius non inveniant juniores, præter peritiam experiundo comparatã.

§ 13. *Deinde* incertum est, an VIR *maritum* heic significet, seu eum qui habebat uxorem. Non est necesse. Neque enim agitur de Tabe dorsali. de qua Hippocrates II. de Morb. t. XLIX: λαμβάνει δὲ μάλιστα νεογάμους, καὶ φιλολάγνους· *Corripit maxime novos maritos, & amantes veneris.*

§ 14.

§ 14. Significare *sexum*, uti dubium non est, sic dictu levius, & infra Præceptoris dignitatem. Cujus hoc ubique studium esse videmus, ut dicenda dicat verbis propriis atque emphaticis.

§ 15. Emphasis heic illa est, ut significet *aliquem* mediæ ætatis, quæ alias *tutissima* dicitur Celso lib. II. cap. I. ex Aph. II. 39. utpote *quæ neque juventæ calore, neque senectutis frigore infestatur*: & idcirco neque cum Adolescentibus tabi, III. Aph. 29; neque cum Senibus marasmo est obnoxia. Cæterum discemus ex hoc casu verum esse, quod Hippocrates dicit I. de Morb. t. xx: διαφέρει ἐς τὸ εὐπετεστέρως τε ἀπαλλάσσειν καὶ δυσπετεστέρως ἀνὴρ γυναικός. *Differt, quod ad facilem ac difficilem curationem, vir à muliere.*

§ 16. MORBO. Definit. auctor p. 394. l. 36: Νόσος ἐστὶ δυσκρασία τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, ἢ δυσκρασία τῶν ἐν ἡμῖν χυμῶν, ἢ τῶν φυσικῶν δυνάμεων παραποδισμὸς, ἢ τροπὴ σώματος ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἰς τὸ παρὰ φύσιν. *Morbus est Intemperies eorum quæ prima sunt secundum naturam: aut Intemperies eorum, qui in nobis sunt, Humorum: aut Naturalium facultatum impedimentum: aut Corporis mutatio ex eo quod est secundum naturam in id quod præter naturam est.*

§ 17. Quarum definitionum *prima*, Primæ corporis nostri substantiæ convenit. Quam Hippocrati constituere dicuntur τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σώματα· *Continentia, & Moventia, & Contenta corpora.* Nota: *corpora.* Morbus ergo priscis Auctoribus (è quibus sunt collectæ Definitiones istæ) *corporum intemperies*, non qualitatum erat, quod somniat Galenus, & refutat Hippocrates l. de Vet. med. t. XXII. & seq. aliquot.

§ 18. *Altera*, concernit Humores. In *quibus* Morbum agnoscere piaculum est Galenistis, & nescientibus Sanguinem non minus esse Partem corporis ac Manus aut Oculus.

§ 19. *Tertiam*, ad Spiritus refero. Hos enim *facultatum* appellatione sæpe venire etiam apud Galenum est in confesso. Vide ad Hofmannum II. Inst. III. 7. & III. earum IV. 4. Si qua *intemperies* Morbus est, in solo Spiritu est. Cæteræ enim partes vitaliter calent à Spiritu, non seipsis. Quid vero nobis cum Temperamento mixti, cadaveris?

§ 20. *Quarta* & novissima comprehendit quæcumque præter

naturam in corporibus noſtris generantur. Græci πάθη vulgo & παθήματα vocant. videſis Galenum 1. Epid. 1. 23. de Præſ. ex pulſ. III. 1. Meth. med. II. 3. Hæc ipſa in præſenti ab Hippocrate comprehenduntur appellatione νόσου *morbi*. Diſerte l. de Flat. t. 11. 22: αὐτίκα γὰρ λιμὸς, νοῦσός ἐστιν. ὃ, τι γὰρ ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καλέεται νοῦσος· *Primum enim fames, morbus eſt. Quidquid enim vexat hominem, hoc dicitur morbus.* Plutarchus in Sympoſ. VI. 8. Zuingerus in com. & qui eum ſequitur Hofmannus III. Inſtit. II. 2. late heic patere *morbi* ſignificationem volunt. Eſto: jam enim nihil attinet hoc impugnaſſe. Dicam tamen de eo aliquid ſuo tempore. Jam *ſymptomata* ſi velis venire heic appellatione Morbi, nihil in præſens refert: cum & ipſa magnam partem *morbos* eſſe deprehendas, in ſua natura ſi conſideres.

§ 21. HABEBATUR. Ita ad verbum. Græce enim eſt, εἶχεν. Cornarius vertit, *tenebatur*. Foeſius vero, *detentus*. At hoc eſt, ἐχόμενος. quo de jam dixi ad Scomphum, x. 7. Sed & *utrumque* nimium heic videtur, *ſive* Morbum adſpicias, *ſive* Symptoma morbi.

§ 22. *Morbi* primum non ea vehementia fuit, quæ lecto affixum *detineret*, neu ſineret intereſſe rebus ſuis. Unde vulgus ne quidem adſcribit *tales* Ægrotantibus: quin initio, cum quem videt ſolito vegetius appetere, amplius edere, citius concoquere; optime ſani hæc, & pancratice valentis indicia putat. Etiam iſta cum modum excedere animadvertit, tamen pro Ægroto non habet, quamdiu agit ὀρθοπαιδίω, ſtat, ambulat, ſuiſque negotiis præſentiam ſuam accommodat.

§ 23. *Symptoma*, quod heic maxime in oculos incurrit, Eſuries præfeſtina eſt. Huic vero etiam *neutrum* verbum videtur quadrare. *Tenere* enim & *detinere* non recte dicuntur, quæ de facili abſiſtunt affligere. Quemadmodum nec *teneri* recte dicitur, qui medicinam habet paratam & promtam ei, quod affligit. Hoc vero *Fames* heic, ſeu indigentia alimenti eſt: cujus medicinam vel balbutire primum incipientes norunt in penu eſſe. Expertus & noſter fuit. Quoties enim jejunio æger adivit penum, ſolatio fuit. Contrito cibo, rediit prius malum, & labor actus. Ut toties velut novo morbo videretur, *corripi* quoties in cibum fame ſtimularetur. § 24.

§ 24. *Corripiendi* verbo aliud aptius heic non reperio quod reddam pro Græco, si omnino non pateris ita me Dictatoris verba interpungere, ut exhibui. Nam in libris aliter, & secundi coli initium est finis primi. Omnes enim hoc modo: Ἐν οἰνιάδησι ἀνὴρ νόσῳ εἶχετο, ὁκότε ἄσιτος εἴη. ἔμυζεν αὐτοῦ ἐν τῇ γαστρὶ ἰσχυρῶς καὶ ὠδυνᾶτο. Quæ si retinenda censeas, melius non reddideris, quam hoc modo: *Apud Oeniadas vir morbo corripiebatur, quoties sine cibo esset. Sugebat ipsius in ventriculo fortiter, & cruciabatur.*

§ 25. Ita, quod alicubi apud Lucianum est, λιμῷ ἐχόμενοι: id Henr. Stephanus reddit, *fame correpti*. Non aliter *fames* morbus, ac *febris* corripit. *Febre* quis *corripi* dicitur, non solum cum prima vice invaditur; sed & quotquot paroxysmis. Par ratio *famis præternaturalis* est. Quamquam enim non ipse *Morbus*, causa famis cesset: cessat *fames* tamen, furor morbi, ad certum tempus. *Præsentis* enim morbi, à quo fames ista fuit, velut paroxysmi sunt toties repetens toties sedata esuries.

§ 26. Sicuti vero tolerabilis est ista *cum* Interpunctio *tum* Interpretatio, & facile à me conceditur eligi, quod cuique videbitur convenientissimum rei: ita nec meam temere quem sinam damnare. Præterquam enim, quod novimus non alium facilius quam interpungendi errorem admitti, præsertim cum non eadem ejus ratio fuerit seculis priscis, quæ sequioribus: accedit, quod nostra & simplicius & planius historiam proponat.

§ 27. *Propositionem*, inquam, in primo colo: *expositionem*, in sequentibus. *Propositio* est: *Apud Oeniadas aliquis morbo habebatur.* Quo vero? Hoc quia diserte dici non poterat, sive *ignotus* esset, sive *innominatus* seculo, respondetur velut interroganti; *Quoties sine cibo esset, sugebat ipsius in ventriculo fortiter & cruciabatur.* Quæ responsio si cui videtur infra dignitatem tanti Viri esse, nego esse. Verum est, *nomine* Morbi ignorato, *naturam* jubet è symptomatis cognoscere. An non hoc satis? Quid refert, *quemadmodum* Morbus nominetur? Quid confert *nomen* ad Curationem?

§ 28. Galenus de Diff. febr. II. 6. mota quæstione, quemad-

modum nominandus sit *humor* Epialam febrim faciens, respondet Prodico: ὅς τις αὖ ἐν τῷ σώματι χυμὸς ὑγρὸς ἦ καὶ ψυχρὸς, ἡμεῖς μὲν ὀνομάζομεν φλέγμα, σὺ δ' εἰ βούλει κάλει σκινδαψόν. ὅτω ἔγωμοι μέλει τῶν ὀνομάτων. *Quicumque in corpore humor humidus fuerit & frigidus, nos quidem nominamus Pituitam: tu vero, si vis, voca Scindapsum. adeo quippe me non tangit cura nominum.* Neque tangere Medicum debet, nisi eatenus, ut nolit passim usitata commutare cum novis, quamvis in significando aptioribus. Qui faciunt, nolunt aut ipsi intelligi, aut alios. Verba sunt nummi intellectus. Minus valent probiora quidem, sed minus intellecta. Conabimur tamen de *nomine* Morbi mox satisfacere sollicitis. Nunc redeo ad Interpretes.

§ 29. Cornarii illud, *tenebatur*, rejectaneum non est, si non de *tempore* Affligendi, sed *modo* accipiatur. Nam & fugacia mala sæpe, cum invasere, intolerabilem adferunt molestiam, & metum incutiunt magnum. *Tenent* ergo, quem apprehendêre, id temporis occupatum atque impeditum, ut, velit, nolit, cogatur omni negotio, quantumvis necessario atque urgente, prius habere, ad quod vocat Fames. *Tenemur* vero, quotquot Esuries ventris sui mancipia fecit, neque permittit propter aut privatas aut civiles aliquas necessitates observare tempora capiendi cibum. Tales vere sunt λιμοκοίλιμοι, & servi ferocis bestiæ.

§ 30. Foesii quoque licet acceptare interpretamentum, & *proprie* heic accipere τὸ νόσου: si nempe respicimus ad *naturam* Affectus, qui Virum hunc tenuit, imo *detinuit* & se totum sibi ac cibo dare compulit. Revera enim illa molestia, ille dolor, quo toties cruciabatur, quem toties placabat, non fuit nisi *symptoma* Morbi gravioris & in ipsis Venarum medullis insidentis. Quod vero Morbus facit per Symptomata, non potest non putari ipse fecisse. *Illud*, inquit Justinianus IV. Inst. VII. 8, *in summa admonendi sumus, id quod jussu patris dominive contractum fuerit: directo quoque posse à patre dominove condici, tamquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset.*

§ 31. VIR MORBO *habebatur*. Cujus nominis aut generis? Magnum hoc quæsitum est, & in arte *Logicum*, hoc est tale, quod

quod disputabile revera in contrarium est, sed usum in actionibus non mutat, docente Galeno III. de Loc. aff. 1. Tuto itaque ignorare cum hoc tum illud licet. Interea, quo ne silentio heic ceu mantelo videar vel scrutandi inertiam tegere, vel inveniendi spem abjectum ire; conabor & in hoc satisfacere curiosulis istis, qui majoris sæpe curæ ducunt ejuscemodi scire, quam quæ necesse habent ad factitandum. Ideo multi utilia non capiunt, quia supervacuis sunt repleti.

§ 32. Sed antequam hoc agam, Vallesii in transitu conjecturam consideremus. Ille oculis in *unum* duntaxat *Symptoma*, neque præcipui momenti defixis, inde tamen, *quid* Morbi tenuerit Oeniadem, sic satis fidenter promit. *Fortis fuctus in ventriculo*, inquit, *& dolor, nisi cum recenti cibo madet, fieri potest, vel ob Melancholici succi circa hypochondria redundantiam, vel ob Maximam toto corpore fientem dissipationem.* Quanto equidem consultius Empirici olim, qui de *affectu* non pronunciabant, nisi post expensam τῶν συνδρομῶν sive *concursionem*, quam vocabant, sive *concursum* Symptomatum, quæ sensibus simul & eodem tempore offeruntur. vide ad Galenum Meth. med. II. 4.

§ 33. Pergit deinde & ostendit illum *fuctum* atque *dolorem* Oeniadæ à priore causa non contigisse. Argumentum ejus primum est: quod *Melanchymia non faciat tantam fecum exustionem & duritiem, neque tam citam ciborum contritionem, nisi esset atra bilis admodum exusta.* Alterum est: quod, *neque si talis sit, faciat ut corpus totum tabescat, & partes alimentum non sentiant, nisi aut desint cibi quos capiat, aut atra bilis toto corpore redundet, atque ita totum corpus siccet dissipetque.* Tertium est: *Quod si à melancholia hypochondriaca nascitur malum, necesse sit pharmacis hunc succum extrahentibus juvari.* Quia nempe *tales melancholici nulla ex re solent magis præsentaneum auxilium sentire, quam ex purgatione.*

§ 34. Quando igitur huic causæ locus in præsenti non erat; necesse, ipsius judicio, fuerit alteri. Concludit enim: *Cum igitur hæc haberet omnia* (videlicet, Fecum exustionem & duritiem, Ciborum contritionem citam, atque Tabem totius corporis) *& nihil pharmacis juvaretur, necesse erat fieri ob Maximam dissipatio-*

Unable to display this page

§ 39. *Deinde* : Annon revera tot *nomina* Morbo dat, quot quis Symptomata ejus atque ſigna enumerat? Quid eſt in Arte familiarius, quam Morbum ab eminenti aliquo & ſpecifico *ſymptomate* denominare? Ecquid vero aliud *ſymptomata* ſunt, quam Signa? Ecquid *ſigna*, præſertim Diagnoſtica aliud, quam totidem Nomina morbi?

§ 40. *Symptoma* & *ſignum* & *nomen*, unum ſunt, & non unum. *Vnum*, materialiter: *non unum*, formaliter. *Vnum ſunt*, quatenus res una eſt, quæ vario reſpectu aliter atque aliter nominatur tantum. *Non ſunt unum*, quatenus diverſum uſum reſpiciunt, & ex hoc appellantur. *Symptoma* eſt & effectum & ſignum & nomen Morbi. *Effectum*: quia & germen & fructus ejus. *Signum*: quia Medico notat cauſam ſuam, ſeu Morbum detegit notumque reddit. *Nomen*: quia hoc ceu proprio vocabulo appellat Morbum & deſignat alteri.

§ 41. *Proprio*, inquam: quia nihil eſſe χαρακτηριστικὸν, niſi *proprium* poteſt: ſive ἴδιον ſimpliciter, ſive ἰδιαίτατον ſit. Illud, *imperfectum* Logici: hoc, *perfectum* nuncupant. Illud, *generis* nota: hoc, *ſpeciei* eſt. Illud, *pathognomonicum* in Semeioticis: hoc, *diagnoſticum* Signum vocamus. vide ſupra Exerc. IV. 51.

§ 42. Porro, ſicuti *germen* & *fructus*, Plantæ: ſic *ſymptomata*, Morbi naturam denotant. Sed ut *germen*, Plantæ genus; *fructus*, ſpeciem notificat: ita & *ſymptoma*, Morbi, ſi *pathognomonicum* eſt, Genus; ſi *diagnoſticum*, Speciem demonſtrat. Exemplum ecce in exemplo præſenti. *Fames* & *tabes* procul dubio erant *effecta* Morbi, quo tenebatur Oeniades: quare & *ſigna*. & *tabes* quidem, Pathognomonicum; *fames* vero, Diagnoſticum. Jam vero, quam facile erat ab alterutro *nomen* Morbo imponere?

§ 43. Quare *Symptoma* quodcumque *proprium*, eſt & ſignum & nomen Morbi, ſi vis. *Signum*: quatenus per ipſum noſcitur & dignoſcitur. *Nomen*: quatenus per ipſum nuncupatur, & nuncupatus agnoſcitur. Niſi enim *nomen* ſciveris, *cognitio* rei perit. Hæc ratio eſt, quare Hippocrates Progn. III. 47, *ſigna* ὀνόματα vocet. Verba ſunt: ποθέειν δὲ χρὴ οὐδενὸς νουσήματος ὄνομα, ὅτι μὴ τυγχάνῃ ἐνθάδε γεγραμμένον· *Non eſt vero quod deſideres ullius morbi ſignum, quod non ſit heic ſcriptum.*

§ 44.

§ 44. Ubi ad unum omnes *nomen* reddunt, ubi *signum* ego. At vero propositum Præceptori erat, non *nomina* Morborum, sed *signa* tradere: neque quævis, sed *prognostica* tantum: neque omnium, sed *acutorum* tantum, & qui pendent ex acutis: neque rursus singulorum, sed *paucorum* & è quibus ejusdem naturæ cæteri queant ab artifice æstimari.

§ 45. Cæterũ τὸ ὄνομα heic *signum* significare, satis clarum videtur è protinus sequentibus. Redditurus quippe rationem, quare nemo ullius morbi, cujus nominatim mentio & prognosis ibi non est tradita, desiderare tamen signum debeat, ait: πάντα γὰρ ὀνήσει ἐν τοῖσι χρόνοισι τοῖσι προῤῥηθεῖσι κείνῃ, γνώσῃ τοῖσι αὐτέοισι σημείοισιν· *Omnes enim qui in temporibus prædictis judicantur, nosces his ipsis signis.*

§ 46. Nempe cujusque *generis* Acutorum par est in eventu ratio: quare & *iisdem* Signis hic prænoscitur. Prædicturus igitur considera, cujus *generis* sit Morbus præsens, acutissimi, peracuti, an acuti. Si *acutissimi*, normam habes Anginam: si *peracuti*, Otalgiam in juvene: si *acuti*, Pleuritidem. Quare nullum *nomen*, nullum *signum* Morbi merito desideres, supra quod scriptum est hoc in libro. Observa modo, quæ paucas ante lineas Dictator jubet observare.

§ 47. Adscribo his confirmandis, quod ad significationem τῶν ὀνόματῶν· seu *nominis* pro *signo* sumti, quæ admirabilis Scaliger habet in l. de Caus. ling. Lat. cap. LXXVI. *Nomen*, inquit, *est nota rei permanentis. Itaque in ipsa appellatione comprehensa est vis quædam actionis: quasi ipsum esset causa quædam notionis. Nam à Nosco est Nomen: est enim imago quædam, qua quid noscitur: instrumentum quasi quoddam cognitionis: ac veteres quidem rectam viam insistêre, cum dicerent, quasi notamen. Verum minus recte bonam sententiam explicarunt. Notatum enim posterius est quam Notum: sic Notamen, quam Nomen: ut è contrario ab hoc illud potius sit. Multo minus audiendi sunt, qui à Græco ὄνομα, quod παρὰ τὸ νέμειν, sicut & νόμος, deduxere: quoniam quo pacto lex suum cuique tribuit: ita & nomen suam cuique imaginem rerum reddit. neque enim recte deductum intelligas ex ipsa, quam temere auferunt, vocali: sed ὄνομα rei ut titu-*

lus

lus fuit, à juvando, quasi ὄνεομα: cujus usu rem agnosceres. Quibus, quia clare dicunt intelligenti quod volo, nihil adscribo.

§ 48. Quod si interea sese probare ista acceptio nulli præ novitate queat, & quis omnino contendere velit, τὸ ὄνομα esse quidem *signum*, non significare tamen; ego me propterea non induam, quin patiar & equidem haut invito recipi vulgarem: at cum eo, ut ne Galenum audias huc deerrans. Quo de Cardanus ad illum locum Progn. IV. 44: *Nulla est deterior Galeni, quam in hoc commento, interpretatio.* vel ideo, quod πάχα ἰδὼν tantum non *falsum* dicat se putare id, quod Hippocrates ibi profitetur; nempe, quod *nullius* Morbi nomen hoc in libro non sit scriptum. Quod judicium displicuit, & merito etiam, Hier. Mercuriali in Præl. ad hunc locum. Et hæc quidem in transitu, ut multa.

§ 49. Ostendimus vero præclustria *duo* Symptomata, unde denominari hic morbus poterat: *Famem* & *Tabem*. Quod à *neutro* tamen appellaverit, ratione feciſſe, non temere puto. Dabimus hanc, ubi illud propius ostenderimus; & quidem de *Tabe* primũ.

§ 50. Extat II. de Morb. t. LXIV. *descriptio* Morbi, qui inscribitur Αὐάντη, *Siccatorius* Interpretibus. Qui nisi occupassent, *tabes* rectius redderetur è Celsi III. 22: quod nempe, ut Festus ait, *Tabem eam, quæ faceret tabescere, apud antiquos usurpatum.*

§ 51. Apud Cornelium nostrum, *altera species tabis est, quam Græci καχεξίαν appellant, ubi malus corporis habitus est, ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt: aut cum malis medicamentis corpus affectum est: aut cum diu necessaria defuerunt: aut cum inusitatos & inutiles cibos aliquis assumsit, aliquidve simile incidit. Huic præter tabem illud quoque nonnumquam accidere solet, ut per assiduas pustulas aut ulcera summa cutis exasperetur, vel aliquæ corporis partes intumescant.* Confer ad hæc Cæl. Aureliani quæ scribit Tard. III. 6.

§ 52. Quod si vocabulum *nimis latum* putes, vide, velisne *Nutrimenti cessationem* vocare cum Cælio cap. 7. *Nutrimenti cessatio*, inquit, *quam Græci atrophian vocant, ab accidenti nomen sumsit. Contingit in passione constitutis plurimus cibi appetitus, tum corruptio,*

quibusdam fastidium: item tenues atque latentes tepores sunt, neque febricula jugiter, & quibusdam inter plurimos dies soluta.

§ 53. Morbus ipse, qui dicitur *Auante*, hisce notis describitur ab Hipp. Οὐκ ἀνέχει ἄσιτος, οὐδὲ βεβρωκὼς, ἀλλ' ὅταν μὲν ἄσιτος ᾖ, τὰ σπλάγχνα μύζει, καὶ καρδιώσσει. καὶ ἐμέει ἄλλοτε ἀλλοῖα. καὶ χολὴν. καὶ σίαλα. καὶ λάπην [scribe, λαπτὴν.] καὶ δριμὺ. καὶ ἐπὴν ἐμέσῃ, ῥάων δοκέει εἶναι ἐπ' ὀλίγον. ἐπ' ἦν δὲ φάγῃ, ἐρύγματα οἱ γίνεται, καὶ φλογιᾷ. καὶ ἀποπατήσειν ἀεὶ οἴνεται πολύ. ἐπ' ἦν δὲ καθίζηται, φύσα ὑποχωρέει. καὶ τὴν κεφαλὴν ὀδύνη ἔχει. καὶ τὸ σῶμα πᾶν ὥσπερ ῥαφὶς [lege, ῥαφίσιν] κεντέειν δοκεῖ, ἄλλοτε ἄλλη. καὶ τὰ σκέλεα βαρέα καὶ ἀσθενέα. καὶ μινύθει. καὶ ἀσθενὴς γίνεται. Reddebam: *Non sustinet sine cibo, neque pastus. Quippe si sine cibo sit, viscera sugunt, ac corde dolet (premitur fame, anima deficit) & vomit alias alia: modo bilem, modo salivas, modo spumam crassam, modo acre. Vbi vomuerit, levior videtur esse ad breve tempus. Quum vero pastus fuerit, ructus ei fiunt, & ardet facie. Videturque multum semper depositurus: ubi consederit, crepitus exit. Caput dolor habet: Corpus totum velut acubus pungi videtur, modo hic, modo illic. Crura gravia sunt, & infirma. Tabescit denique, & debilitatur.*

§ 54. *Morbus* iste si bene expendatur, & intelligantur *rationes* Symptomatum, non poterit non videri germana soror ejus, qui Oeniadem afflixit; atque adeo Hippocratico more vocandus, Ἄλλη αὐάντη, *Tabes alia.* Rursus, si bene expendantur & comparentur *utriusque* Symptomata, non poterit non videri discrimen & ratio, quare Αὐάντην, *tabem* Hippocrates appellare non voluerit. Si *communia*, inquam, huic cum Oeniadis morbo spectes, etiam hic erit *Auantæ* species: sin *propria* cuique, rectius illi *aliud* Nomen & aptius dabitur.

§ 55. *Communia* habent: Non posse sine cibo esse. Ventriculo vacuo sentire suctionem, & corde dolere aut animâ deficere. Denique tabescere & consumi. Sunt hæc pauca quidem, sed principalia & à morbo quæque suo proxime profecta; & vel hoc nomina sufficientia reducendis ad *genus* unum, unoque nominandis *nomine* Morbis hactenus consimilibus.

§ 56. *Propria* sunt *Auantæ*: Non ferre cibum, sed gravari ex eo:

eo: nec durare posse nisi illo revomito, & tunc videri levior. Ventriculo vacuo & morso, mox vomere, nunc hoc, nunc illud. Ventriculo saturo, ructare, & facie flagrare. Desidendi perpetuum desiderium, & vanum. Capitis dolor. Corporis punctiones crebræ, & crebris locis. Crurum impotentia.

§ 57. *Oeniadæ* propria erant: Non modo ferre cibum, sed & melius habere hoc sumto, sumtumque continere & conficere præpropere, & ob id immodicum esurire. Dejicere rarius, sed cibum corruptum combustumque. Corpus colliquefieri. In quibus siquidem, instituta comparatione, magnum cernitur discrimen: ita in hoc sita ratio est, quare Hippocrates non dixerit, *Auanta habebatur*; sed, *morbo*, simpliciter.

§ 58. *Alterum* symptoma, *à quo* Morbus non nominatus nominari poterat, & revera nominatur hodie, *Fames* est. A qua nemo non nostrum Oeniadæ *morbum* appellaret βούλιμον ἢ βουλιμίαν cum Græcis, *furcillam* cum Latinis. De *hoc* quidem Morbi vocabulo constat ex Collectore veteris Lexici, quod Cyrillo adscribitur. Βούλιμος, ὁ μέγας λοιμὸς, *Furcilla*. Τὸ λοιμὸς, pro λιμὸς, suspicor à typotheta esse. Librarii enim si fuit error, mirum cur non correxerit Vulcanius? Usurpavit vero iterum *furcillæ* vocabulum Leunclavius in vertendo Xenophonte, p. 206. E. & p. 329. E. Quæ quidem *furcillæ* notatio, uti minus est obvia, ita & passim ignorata.

§ 59. Ὁ βούλιμος, ad verbum est, *magna fames*. Hofmannus III. Inst. XXIX. 5: *Cauto opus est, ne, quod vox jubet, Magnam famem interpretemur*. Atqui sic interpretati sunt *non* Medici tantum, *sed &* Non-medici.

§ 60. *Medici* primum. ita enim Alex. Trallianus lib. III. cap. IV: Ὁ βούλιμος καλούμενος, ὡς καὶ τὄνομα δηλοῖ, μέγας ἐστὶ λιμός. *Bulimus qui dicitur, ut & nomen indicat, magna est fames*. Ita Actuarius I. Meth. med. XXI: *Fames ingens, quam* βούλιμον *nuncupant*. Quin & Agellius ex Erasistrati I. Διαίτεων ita scribit XVI. 3: *In eodem libro Erasistratus vim quandam famis non tolerabilem, quam Græci* βούλιμον καὶ βούπεινα *appellant, in diebus frigidissimis multo facilius accidere ait, quam cum serenum atque placidum est.*

§ 61. Medicis tribus tres *Non-medicos* subſtituo. Quorum tamen unum audivimus modo. Reliqui ſunt Heſychius & Feſtus. Heſychius: Βέλιμος, μέγας λιμός· *Bulimus, magna fames.* Feſtus: *Bulimum Græci magnam famem dicunt, adſueti magnis & amplis rebus præponere* BV, *à magnitudine ſcilicet bovis.* Ridere ſi libet mirificam originationem vocis hujus, adiſis ad Jo. Matth. Gradium in IX. Raſis II. 6. § *Quid nominis.* H. Nobis enim in prolixa, etiam ſine iis, futura tractatione non vacat exſcribere nugas.

§ 62. Notatu dignum eſt (quare autem? conſtabit ſuo tempore) *particulam* Βᾶ originis Laconicæ eſſe. Heſychius iterum: Βᾶ, τὸ μέγα καὶ πολὺ δηλοῖ, λάκωνες· *Bu, magnum atque multum ſignificat Laconibus.*

§ 63. Animadvertit è noſtris primus Braſavolus ad Aph. II. 21: *βᾶ eſt particula intenſiva apud Græcos, ut* βάπαις, i. e. *magnus puer.* Hoc utitur Ariſtophanes Veſpis p. 516. E: ὢν ἔτι βάπαις. Interpres: *adhuc catulaſter.* Utrumque quia minus intellectum, liceat aliquid in tranſitu lucis philologicæ adferre.

§ 64. Scholiaſtes: ὁ βάπαις ἢ ἡλικίας ὄνομα, ὁ νέος, ἐφῆλιξ· *Catulaſter vero ætatis nomen eſt, juvenculus, adoleſcens.* Lege vero ἀφῆλιξ. nam ἐφῆλιξ eſt *coætaneus.* Heſychius: βάπαις· νέος μέγας, ἀφῆλιξ, μέγας παῖς. Confer ad Pollucem II. Onomaſt. II. 4. Eſt autem βάπαις idem, qui καρόπαις dicebatur aliis. Heſychius: καρόπαις· ἔπακμος παῖς, *adultus puer.* Noſtrates: *volwaſſen jongen.*

§ 65. Latinum nomen nos docent Gloſſæ. Lex. Græcol. vetus: βάπαις· *Caruleſter*: lege, *Catulaſter.* Gloſſarium: *Catulaſter*, βάπαις· Cæterum *catulaſter* ſeu *magnus puer* etiam Belgis dicitur. qui ea ætate eſt, qua *catulire* incipit, hoc eſt, oſtendere ſe velle maritari, ut Varro interpretatur de Re ruſt. II. 9.

§ 66. E quibus reſtituere debebant egregium & hactenus in mendo reſictum Vitruvii locum VIII. 4: *Expoſuit eſſe in ea terra* (Iſmucenſi Afrorum) *ejuſmodi fontes, ut qui ibi procrearentur, voces ad cantandum egregias haberent. Ideoque ſemper* (ejus loci incolas) *tranſmarinos catulaſtros* (libri, *cataſtos.* quo de videſis Philandrum in Notis, & quam ſe fruſtra torqueat.) *emere formoſos,*

mosos, & puellas maturas, eosque conjungere, ut qui nascerentur ex his non solum egregia voce, sed etiam forma essent non invenusta. Confer ad Adr. Turnebum Advers. XXIV. 7.

§ 67. Cæterum quod Festus ajebat, *à similitudine bovis* (quod vulgi judicio magnum est animal) desumtam rationem vocis esse, videtur colligi ex illo Aristophanis in Ranis act. III. sc. I. 20:

ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν,
Ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δεῖν' ἅττα μορμορωπὰ
Ἀγνῶτα τοῖς θεωμένοις.

Interpres: *verba duodecim bubula elocutus*
Est, quæ cristas haberent, & supercilia terrifica,
Larvata, spectatoribus ignota.

§ 68. Scholiastes: βόεια· μεγάλα καὶ τύπου πλέα. ὀφρῦς ἔχοντα· ὑψηλὰ καὶ ὑπερήφανα. μορμορωπά· καταπληκτικὰ, φοβερά. ἐκ μεταφορᾶς τῆς Μορμοῦς τῆς τὰ βρέφη φοβούσης. Quæ libri non bene interpungendo valde habent confusa & obscura. Ῥήματα βόεια εἰπεῖν Græcis est, quod Horatius reddidit, *sesquipedalia verba, ampullas projicere*, l. de Arte poet. 97. Ubi *sesquipedalia* non sunt nimium producta & longa verba, qualia multa sunt ab Aristophane ex scenæ usu conficta: sed quæ grande quid sonare videntur, cum audis; cum vides, ampullosa reperis, ceu inflata vento jactantiæ, cæterum inania rei & rationis. Cætera non attingo, ne videar Grammaticam profiteri.

§ 69. Constat ergo, recte βούλιμον reddi *Magnam famem.* Quid ergo Virum doctissimum movit scribere quod vidimus? Galeni auctoritas. *Vt enim*, inquit, *Galenus nos erudit* Aph. 11. 21, *est quasi perpetua lipothymia, ortum habens ex Magna fame.* In Græco est: κατάπτωσις γάρ ἐστι δυνάμεως ὑπὸ τῆς ἔξωθεν ψύξεως ὁ βούλιμος, ἀρξάμενος μὲν ἀπὸ πείνης. ad verbum: *Bulimus est collapsus facultatis ab externo frigore, incipiens à fame.* Non spero fore, qui vitio mihi vertat, si paribus armis cum Hofmanno depugnem, auctoritati auctoritatem, uni plures opponam.

§ 70. Non repeto, quod ex Erasistrato audivimus ab Agellio. Nobilis est locus apud Auctorem Definitionum: Βούλιμός ἐστι διάθεσις καθ' ἣν ἐπιζήτησις ἐκ μικρῶν διαλειμμάτων γίνεται

τροφῆς. ἐκλύονται δὲ καὶ καταπίπτουσι, καὶ ἀχροοῦσι, καὶ καταψύχονται τὰ ἄκρα, θλίβονται τε τὸν στόμαχον, καὶ σφυγμὸς ἐπ' αὐτῶν ἀμυδρὸς γίνεται. *Bulimus est dispositio, in qua ex parvis intervallis fit requisitio alimenti. Deficiunt vero & concidunt, & decolorantur, & refrigerantur extrema, affliguntur ventriculo, & pulsus in ipsis fit obscurus.*

§ 71. Ecce morbum & symptomata ejus. *Morbus*, est dispositio famelicosa, sive ex brevibus intervallis repetens cibum. *Symptomata* sunt, exolutio virium & quæ sequuntur. Ægineta II. cap. 51: βούλιμον λέγω τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀτροφίαν· *Bulinum appello excedentem atrophiam.* Heic *quid* per *atrophiam* debeas intelligere, Celsus te docebit III. 22: *Tabis species plures sunt. Una est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurritur, tollit. ἀτροφίαν hanc Græci vocant.*

§ 72. Scio hæc vapulare Hofmanno III. Inst. CXXXII. 1. Quam immerito tamen, facile quivis viderit, cui modo lecta sunt & intellecta, quæ scribit Hippocrates l. de Loc. in hom. t. LII. & seq. Quod vero corpus defectu alimenti non alitur, id necesse est *famelicum*, imo *famelicosum* esse. Theod. Priscianus denique *præter consuetudinem edaces*, *bulimantes* vocat II. cap. 29. Adderem & è Cæl. Aureliano locum, nisi is postea mihi necessario repetendus foret.

§ 73. Quando igitur *talis* Oeniades erat, & quoties quidem redire ad cibum cogeretur, *quamobrem* Hippocrates non ab hoc *symptomate*, Bulimo haberi, dixit? An quia *notum* illi hoc malum non erat? Scio multos, si quod *nomen* Morbi non offendunt apud Præceptorem, protinus arbitrari *novum* Morbum esse & incognitum ipsi. Sed faciam aliquando, si Dominus vult, tam clarum, fuisse ipsi *cognitum* Bulimum, quam est me scribentem vivere.

§ 74. *Causa* vero duplex illi fuit. *Una*, à Causa: *altera*, à Symptomate. *Causa* Bulimi, *externa*, Frigus est. *Symptoma* vero, *proprium* quidem atque inseparabile, est Defectio animæ. Oeniadæ igitur cum neque à *frigore* Morbus suus esset, neque *defectio* Animæ superveniret, non equidem licuit, qui habebat ipsum *morbus*, Bulimum nuncupare. Prudenter igitur abstinuit *nomine* Hippocrates,

tes, quod rei non satis quadraret. Quantum enim fieri potest, danda semper opera est, ut

Conveniant rebus nomina quæque suis.

§ 75. QVOTIES. id est, quot vicibus. Nobis *cibus* ceu Mortalitatis medicina singulis diebus est necessaria. Unde & *quotidianum* petere jussit ILLE, qui noluit nos esse sollicitos de Victu & amictu, sed ante omnia quærere Regnum cœlorum & Justitiam ipsius, sub plena ac certa fiducia, fore, ut huic vitæ necessaria adjiciat PATER *noster qui in cœlis est*, quique sciens his suos indigere, & aperiens manus suas & satians omne vivens benevolentia, dat omnibus in se sperantibus cibum suum in tempore suo: Matth. IV. 32. 33. Psal. CXLV. 15. 16.

§ 76. *Sanorum* vero alii *semel* quotquot diebus, plerique *bis*, nonnulli etiam *ter* & *quater* Cibum sumere sunt assueti. De *veterum* circa hoc more, vide licet Casauboni Animadv. ad Athen. lib. I. cap. VIII.

§ 77. *Quot* vicibus noster hanc servitutem servire fuerit coactus, non dicitur. Cæterum cum *vigoris* causa & mulcendæ *famis* acerbæ, Cerberorum latrantissimi, id facere cogeretur: *fames* autem, cibis subito & vix contritis, rediret & urgeret iterum iterumque: facile constare potest, quanta vi adigeretur hoc saxum volvere, & usque ac usque revolvere.

§ 78. SINE CIBO. Ἄσιτος passim apud Lexicographos exponitur *jejunus*, sive qui illo mane Panem non gustavit aut Cibum non sumsit, atque adeo *cibi vacivitate* adhuc *laxis lactibus* est, ut Phædromus Curc. ait act. II. sc. III. 40. Galenus 1. Epid. I. 28, οἱ ἀσίτους dici Græcis ait οὓς μὴ προσενεγμένους σιτία· *eos qui non assumunt cibos.* Qui dicuntur τροφὴν μὴ λαμβάνοντες, *cibum non capientes*, Aph. II. 8..

§ 79. Hippocrati III. Epid. ægr. III. post Stat. pest. ἄσιτος dicitur in fine, qui ἀσίτως in principio. Ita vero appellabant eum *qui cibum* aut *non appetit*, v. Epid. XXI: aut *etiam fastidit & aversatur*, Aph. IV. 17. Quamquam, ut verum fatear, mihi Aph. II. 32. aliaque loca consideranti videatur, in *significatione* Pathologica τὸ ἄσιτος rectius *inappetens* reddi: τὸ ἀσίτως vero, *fastidiens*

stidiens cibum. Multi certe cibum non appetunt, qui tamen nec fastidiunt.

§ 80. Et istæ quidem sunt *usitatæ* hactenus & *notæ* significationes. *Quarum* tamen nulla quadrat ad præsens negotium. Tantum enim abfuit, ut non appeteret cibum, ut sine eo durare non posset, neu tolerare anxietates, quibus cibi vacuum torqueret morbus.

§ 81. Ἄσιτος ergo heic, ut recte Interpretes, est *qui sine cibo est*, sive cujus Ventriculus nihil vel accepit illo die vel habet cibi, quia absumsit, quando quando id erit. Consumto enim alimento, quod erat assumtum, fames fit. Qui *famet*, ἄσιτος est, *sine cibo*, ventre vacuo, famelicus & esuriens seu cupidus edendi. Unde illud, ὁκόπε ἄσιτος εἴη, alius forte mallet verti, *quoties esuriret*, aut (è Celsi 1. 2. fine) *inani corpore esset.*

§ 82. ESSET. Cornarius quidem sic: simplicius & rectius. Foesius vero, *perseveraret.* Varroni in IV. de LL. initio, *perseverare est perstare in eo, in quo oportet manere.* Græce est, ἐπιμένειν. Oeniades famem urgentem quamvis cum constantia animi & quadam severitate tolerasset: tamen dicendus non erat *perseverare sine cibo.* Etenim, ut ibidem Varro ait, *in quo non debet pertendi, si pertendit, pertinacia est.*

§ 83. Si quid vero est, in quo *pertendi* nec debet, nec potest, Fames est. *Non debet*: quia durare vita viresque sine eo nequeunt. *Non potest*: quia aliud necessitatis æque durum telum non est, ac famis. Videbimus in hoc ipso, quæ passus fuerit statim ac cibus ei contritus esset. Non spero autem adeo quemquam insanire, ut vitæ non pertæsus & habens quo latrantem stomachum placet, tamen malit esurire & dolere magis.

§ 84. SUGEBAT. Græce est, ἔμυζεν. quamvis ἔμυσεν libri non recte edant. Foesii heic annotatio est VII. 234. F: *Calvus istud omisit. Cornarius de ventris fuctu intelligit. Ego vero de ventris strepitu, rugitu & murmure, aut stridore quodam intelligi malim, in eamque significationem Hippocrati dici multis exemplis alias testatum faciemus. Etsi potest de peculiari ventriculi sensu sumi, quo penuriam convenientis alimenti ejusque, quod affine est & amicum, appetentiam præ se fert.*

se fert. Est autem sensus ille molestia quædam & dolor ex suctu & compressione ortus. In tali commentatione ecquid certi est? Negat: ait. Nec aliter in Oeconomia. ubi reperies illa loca seu exempla, ad quæ modo provocabat.

§ 85. Nobis quia certum est, *fugere* & *strepitum percipere*, res esse adeo diversas, ut præsenti in casu simul stare nequeant: necessario alterutrum eligendum est, & vel Cornario adhærescendum, vel Foesio. Cujus si Oeconomiam adeas, dubites, uspiamne apud Hippocratem τὸ μύζειν *fugendi* significatione veniat. Quamvis enim dicat Hesychium τὸ μύζειν exponere θηλάζειν, λείχειν, πίεζειν: ex Hippocrate tamen vel unum non producit locum. Quin ubi hoc significatu interpretatus fuit Cornarius: ibi *se ventris rugitu & sono quodam lubentius intelligere* profitetur: nuspiam tamen vel minima lubentiæ suæ reddita ratione. Dictatoris hoc, non doctoris est.

§ 86. Arbitrium ergo ad nos quia devenit, dicimus: Hippocrati non modo *consentaneum*, sed & huic loco *necessarium* Cornarii interpretamentum esse, & nullo modo convenire, quod substituit Foesius.

§ 87. Ad probationem *primi*, unum dumtaxat nunc, eumque pro omnibus locum exhibeo ex l. de Carn. t. VIII. 70. τὸ δὴ παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ σωέχον τὰ χείλεα μύζει ἐκ τῆς μητρέων τῆς μητρὸς, ἢ ἕλκει τινὰ πνεῦμα, καὶ τὸ πνεῦμα τῇ καρδίῃ ἔσω· τοῦτο γὰρ θερμότατόν ἐστιν ἐν τῷ παιδίῳ· ὅταν περ ἡ μήτηρ ἀναπνέῃ. *Puerulus in utero continens labia fugit è matrice matris, & trahit cum alimentum tum spiritum corde intro (hoc enim calidissimum est in puerulo) quamdiu mater respiraverit.*

§ 88. Cujus loci *non ille* sensus est, quem vulgo affricant: *nempe*, Fœtum suo ore atque agitatione labiorum (perinde ut solet infans è mamma) fugere lac, quod *per cæcos quosdam ductus in mammis genitum ad uterum remeat*, uti Prosp. Martiano visum in Notat. p. 50. c. Quemadmodum enim ore fugat, qui *continet labia*, id est, clausa habet & constricta?

§ 89. *Sensus* est: Quia constat, fœtum ore inaperto nutriri in utero, necesse est fugere ex ipsa matrice (cui velut Zoophytum

Unable to display this page

Unable to display this page

se ait, & hinc *doluisse*: quid aliud intelligere datur, quam Suctionis magnitudini parem fuisse magnitudinem Doloris?

§ 100. CRUCIABATUR. Cornarius: *dolebat*. Foesius: *dolorem percipiebat*. Utrumque revera heic minus mihi videtur, præut *vel* Vim genuinam verbi Græci exhauriat, *vel* Effectum respondere causæ suæ ostendat. Certe plus est ὀδωξῶν, quam πονεῖν: plus ὀδυνη, quam πόνος.

§ 101. Sunt apud Græcos *tria* Vocabula, πόνος, λύπη, ὀδυνη: & ab his *tria* Verba, πονεῖν, λυπεῖσθαι, ὀδωξῶν: quæ *dolorem* & *dolere* significant, sæpe *promiscue*, sæpe *certo respectu* ad Corpus *aut* Animum *aut* utrumque. Invitat nos locus iste, quem explicatum imus, ut plenius aliquid de singulis dicamus.

§ 102. Πόνος proprie est *labor*: ut accipitur in illo, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, *labores præcedant cibos*, VI. Epid. IV. 28. Ducitur enim πόνος à πένομαι *efficio*. Nemo certe *laboris* molestiam subit, nisi ut quid efficiat.

§ 103. *Effectio* continuata fatigat. Unde τὸ πονέειν *fatigari* recte reddit Interpres Aph. II. 48. Inde & *labor* dictus Latinis, quod labare faciat vires, attritis inter agendum & dissipatis Spiritibus, valendi auctoribus.

§ 104. *Fatigatio* continuata dolorem creat. Quemadmodum? docet Hippocrates II. Diæt. XXXI. 460. & deinceps. Illapropter & pro *dolore* dictus est πόνος, Aph. II. 46. 47. & sæpesæpius alibi.

§ 105. *Dolor* continuatus & Corpus lædit & nocet Membris: efficiens velut ἀνάπαυσιν τὴν ἐν τῷ ζῆν, ut loquitur Epicurus apud Laertium X. 787. B. hoc est, *Cessationem rerum omnium, quibus in vita fruimur, & actionum, quibus fungimur*: uti pleniſſime interpretatus est de Epicuro optime meritus, imo de Philosophis omnibus, Petr. Gassendus ὁ πάνυ, in Eth. Epic. p. 1303.

§ 106. Propter illud vero molestiæ, quod corpori adfert dolor, & quo hominem impedit rebus suis suam præsentiam commodare & frui, etiam βλάβος καὶ νόσον Græcis, *noxam* ac *morbum* significat. Galenus ad Aph. IV. 32: ὁ πόνος τῶν τε σφοδρὰν κίνησιν σημαίνει, καὶ τῶν ὀδυνῶν, καὶ τῶν βλάβων· *Labor, & vehementem motum*

motum significat, & dolorem, & noxam seu *morbum*. Confer ad Erotianum in Πόνοι σιτίων.

§ 107. Licuit vero mihi τὸ πόνος heic commutare cum Latino *labor*: quod æque apud hoc late pateat. Sumitur enim pro *opera* primum. Cicero in II. Tusc. p.m. 352: *Interest aliquid inter laborem & dolorem. sunt finitima omnino; sed tamen differunt aliquid. Labor est functio quædam vel animi vel corporis gravioris operis, & muneris: dolor autem motus asper in corpore, alienus à sensibus. Hæc duo Græci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra* (addit) *uno nomine appellant.* πόνος nimirum: ceu notat laudatus modo Gassendus eodem in opere p. 1341.

§ 108. Sumitur secundo pro *fatigatione*. Ita iterum Tullius in IV. Verrinar. *nullo labore faciebat*, i. e. tam facili negotio, ut minime lassaretur faciendo.

§ 109. Sumitur tertio pro *dolore*. Lucretius de Rer. nat. II. 1:

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.

Ad quæ insignis Criticus Casp. Barthius Adversar. XXXIII. 1: *Nondum notata est vis* & laborem *Græcanica. Est enim* labor *hîc* dolor: *nam alioqui dolor suavitati & jocunditatis affectui opponitur. Atque inde est quod* laborare *Latinis* ægrotare *sonat.* & non tantum Corpori, sed & Animo tribuatur. Ita idem Barthius XXXII. 7. apud Senecam l. de Tranq. c. 1. legit: *Non ignoro etiam quæ in spem laborant, Dignitatem dico & Eloquentiæ famam, & quidquid ad alienum suffragium venit, mora convalescere*: & explicat, *Quod enim ex alieno suffragio pendet, recte* in spem *ægrotare atque angi* (*hoc enim ex verborum serie & sententiæ hoc loci* τὸ laborare *valet*) *dicitur; non vero* in speciem, *cujus alia res est, nec his verbis grata. Optime vero, spes, quæ tota dignitates & famam præstolatur, ex alieno utraque suffragio.*

§ 110. Λύπη vero, *proprie* quidem videtur referenda ad *animum* solum, & ea esse, quæ dici *ægritudo* solet, seu animi ægri affectio. Ita Aristoteles in Eth. VII. 13. & alibi, aliique usurpant passim. Stoici apud Stobæum p. 176. definiunt λύπην δ' εἶναι συστολὴν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ· αἴτιον δ' αὐτῆς, τὸ δοξάζειν περὶ φαῦλον,

καὶ πάθος· *Aegritudinem, quod sit contractio animæ adversans rationi: causa vero ejus, opinio recens mali præsentis.*

§ 111. Brevius apud Laertium Zenone VII. p. 504. D: λύπη μέν ἐστι, συστολὴ ἄλογος. Quod in Tusc. IV. p. 410, Cicero reddidit: *Aegritudo est animi adversante ratione contractio.* Tusc. III. p. 377. etiam πόνου καὶ λύπης discrimen curate proponit. *Proprie, ut agrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet, non sejunctum à dolore.* Et paulo ante, quæ huc referre oporteat: *Itaque præclare nostri, uti alia multa, molestiam, solicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt.* Quæ quemadmodum in specie definiat, vide in IV. p. 411. & apud Stobæum d. l.

§ 112. Porro se *latius* quoque vox λύπη extendit: ad *corpus* scilicet. Alexander Dubit. IV. 6. disputans, *utra* duarum, λύπη, an πόνος, Voluptati opponatur; quando πόνος est *afflictatio corporis*, λύπη, *contractio animi*; propterea posteriorem hanc præfert: *quoniam*, inquit, πόνος *corpori solum competit*, λύπη *vero* τῆς θλίψεσι καὶ σώμασι, καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς, *tam corporis, quam animi afflictationibus competat: uti & utriusque relaxationibus*, τῆς ἀναλύσεσι *competit Voluptas.* Paret ex Hesychio quoque: cui λύπη, πόνος exponitur, tamquam sint ἰσοδυναμοῦντα *æquivalentia* seu ejusdem in significando valoris. Et ita revera est, si spectes usum apud Auctores. ut necesse habeas *proprietatem* à Subjecto petere.

§ 113. Christus, ille benedictus in secula, redemtionis pretium se pro suis oblaturus Patri, & jam adiens passiones suas, imo experiens iram Justi, exigentis satisfactionem pro peccatis nostris, ait: Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου. *Undiquaque afflicta est anima mea usque ad mortem:* Matth. XXVI. 38. Marc. XIV. 34.

§ 114. Ubi *animæ* appellatione Hominem totum venire (ut Gen. XIV. 21. & pluribus in Sacris locis) paret ex collatione cum Luc. XXII. 44. ubi ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, *Sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram* defluxisse memoratur. Quod sicuti insigne humanæ infirmitatis argumentum fuit: ita fieri sine plusquam gravissima afflictatione humanitatis nequivit.

§ 115.

§ 115. *Grumos sanguinis*, præter Servatorem, qui sudaverit, observatus fuit nemo: qui *sanguinem*, unus, saltem quo de mihi constat: qui *ichorem sanguineum*, admodum pauci.

§ 116. Exemplum *ejus, qui* Sanguinem sudarit (quia & Christi hostibus omnem omnino ansam eripit dubitandi de possibilitate facti, & multis præterea de causis dignissimum memoria est) lubentissime exscribo ex Historicorum nostri seculi veracissimo atque augustissimo Thuano Hist. sui temp. lib. LXXXII. p. 69. ed. Francof. A. 1621. qua de Sixto V. Pont. Rom. *Ad hos casus*, ait, *qui fortunæ imputari potuerunt, accesserunt & alii à voluntate novi Pontificis profecti, qui naturæ ejus ab humanitate abhorrentis, qualis antea credi noluerat, plenam fidem fecere. quamquam alii id ab illo de industria factum putant, ut natalium humilitatem magnitudinis animi ostentatione & ingentis cœptis pensaret, magnaque statim initio magistratus de se tantæ dignitati ostenderet. utcumque sit insigne severitatis specimen dedit, in causa juvenis cujusdam Florentini, qui quod in heri sui ædibus in transtiberina regione latrunculatoribus de asino quid postulantibus aut exsequi volentibus sola denegatione simpliciter restiterat, quamquam postea non Aquarii, qui amissum asinum reposcebat, sed heri sui eum fuisse constitisset, nihilominus ad mortem damnatus est, ita Sixto volente ac jubente. nam quo minus Recuperatores in juvenem mortis sententiam ferrent, urbana lex obstabat, quæ quemquam ob ejusmodi crimina ante* XX *annum completum morte affici vetat. Cum duceretur ad supplicium juvenis multorum commiserationem excitavit, ipse præ doloris vehementia lacrymas cruentas fundere, & sanguinem pro sudore toto corpore mittere visus est. quod multi pro certo documento acceperunt, naturæ festinati crudeliter judicii severitatem impugnantis, & de magistratu ipso quasi percussore ultionem reposcentis.*

§ 117. Qui *ichorem sanguineum* sudarit, ejus *exemplum* quidem adfert Schenckius ex observationibus Wolphii p. 458. sui operis: *causas* vero Philosophus de Part. anim. III. 5. ostendens; non fieri facto ob *cachexiam* Corpore fluxo ac raro; ob *cruditatem* vero Sanguine serosiore, dum in venis eum coquere Calor exiguus nequit.

§ 118. Nihil horum quia in Servatore fuit, demitur humanæ ratio-

ratiocinationi omnis occasio extenuandi, quod *sine* Exemplo est (videsis Bezam in Annot.) non *sine* Ratione tamen. *Quam* etsi video vix reddi posse: tamen, quia Naturæ humanæ &, excepto peccato, nostræ per omnia simili (Hebr. II. 14. IV. 15.) id accidit, eique sanæ & valenti: non arbitror, non licere nobis aliquid adferre, quod & fidei nostræ confirmandæ sit.

§ 119. In *angore*, seu *ægritudine* Animam premente, coarctari Spiritum corporis in Corde, ostendunt summæ pectoris angustiæ. Quas oportet propterea tanto majores esse, quanto Animæ afflictiones sunt majores. Has vero quia certum est fuisse tunc in Mediatore tantas, quantas Divinæ justitiæ rigor exigebat: certum est, & angorem fuisse maximum. Satana præsertim & tunc & mox in cruce ad desperationem impellente. Post solemnem namque tentationem Diabolus abscessit ab ipso ἄχρι καιροῦ *ad tempus*, Luc. IV. 13. Istius vero noviſſimæ tentationis testis haut dubie fuit *cum* Angelus corroborans ipsum, Luc. XXII. 43; *tum* Vox illa constantiæ & fiduciæ in Deum patrem pleniſſima: *Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?* vide rursus Bezam nostrum Notis ad Matth. XXVII. 46. & Hebr. V. 5.

§ 120. In tanto autem Luctæ angore, in tanto Precum ardore occupato & abstracto à corporalibus muniis Spiritu, organo Animæ & retinaculo Sanguinis, quid ni putare licet, *modo* aliquo *simili* Sanguinem manasse è poris seu cutaneis arteriolarum osculis, *quo* Sudorem quotidie in morientibus & sæpe in gravi metu ac subita Cordis oppressione videmus? Profluens vero sanguis dictum factum coivit in grumos, non aliter ac vena emissus grumescere solet evanido spiritu. Quo non parum contulit noctis frigus.

§ 121. Ὀδωὴ denique, quod tertium erat, neque de *solo* Corpore, neque de *solo* Animo usurpari, sed promiscue de *utrovis* solet. Id è locis vel mille ostendi potest. Sufficit unus, quem sufficit Hesychius. Ὀδωὴ· λύπη, πόνος. ταπείνωσις ψυχῆς [τῶν] ἀλογείων, ἢ ἀλγηδών. Ubi *priora*, ad Animam: *posteriora*, ad Corpus utrobique refero. *Animæ*, inquam, sunt λύπη & ταπείνωσις. *Corporis* vero, πόνος & ἀλγηδών. *Vtrobique* rursus *priora*, Causæ rationem:

poste-

posteriora, Effecti habent. *Causæ* sunt, λύπη & πόνος: *effecta*, ταπείνωσις & ἀλγηδών.

§ 122. Non est *animus*, qui, si λύπη *ægritudo* prehendit non ταπεινᾶται, non remittitur, non demittitur, humiliatur, abjicitur. Sapiens: *mœror in corde viri humiliat illum*, Prov. XII. 25: XV. 13. Imo non est qui illo casu, cum cor mordetur, non putet, demitti se & contrahi animo, rectum esse. Cicero Tusc. IV. p. 410: *Est igitur ægritudo, opinio recens mali præsentis: in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.*

§ 123. *Mala* vero, quorum præsentia ægrescit animus atq; submittitur, ἀλόγεια vocabant illi potissimum, qui Epicuri dogmata amplexabantur: uti videre est apud Gassendum rursus p. 1377. Latine reddunt, *aliena* aut *incommodantia*, prout *hoc* vel *illud* loco quadrat magis. *Aliena* quidē, quia ἀδὲν πρὸς ἡμᾶς *nihil ad nos attinent*, sicut ostendit Arrianus ad Epict. III. 26. p. m. 366. *Incommodantia* vero, quia animo molestiam creant, non tam sua, quam nostra culpa. videsis Eugraphii Notas ad Ter. Andr. act. II. sc. III. 37.

§ 124. Non est præterea *corpus*, quod laborando non doleat: præsertim laborem si obeat non consuetum, Aph. II. 49. *Consuetudo enim laborum* (inquit Tullius Tuscul. II. p. 353.) *perpessionem dolorum efficiet faciliorem.* Tum quoque *laboriosis exercitationibus dolor intercurrit nonnumquam: sed ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.* Ad callum tamen non pervenitur, nisi διὰ πολλῶν πόνων καὶ ἀλγηδόνων *per multos labores atque dolores*, ut alicubi Xenophon loquitur: significans, *causam* Doloris, laborem esse. *Modum* seu rationem ab Hippocrate repetendum monui § 104. Hesychius ἀλγηδόνα, πόνον exponens ostendit, ita dici illum *proprie* Dolorem, qui ex labore oritur.

§ 125. Cæterum ὀδυνή, *dolor* redditur vulgo. Patimur: etiam de *minore* dici, quoties licet sine cura loqui. Non propterea tamen debet *vis* vera atque *natura* Verbi deperire, aut *hoc* impedire, quo minus *pleno* significatu reddatur, quandocumque id Subjecti ratio exigit, ut proprie atque signate loquamur, ita ut decet osores litium, quarum non alia esse fecundior genitrix quā amphibologia solet. *Plena* Vocis illius interpretatio est, quando

ærumna vertitur, cum Animæ; *cruciatus*, cum Corpori tribuitur.

§ 126. *Arumna* Ciceroni *ægritudo laboriosa* definitur Tusc. IV. p. 411. prorsus ut ὀδυνὴ Stoicis λύπη ὀδυνηρὰ, apud Laertium Zenone VII. p. 505. B. *Laboriosa* vero dicitur, quæ plena angoris, doloris, sollicitudinis, molestiæ, afflictationis est. *Ægritudinis* istæ species sunt: *angor*, premens: *dolor*, crucians: *sollicitudo*, cum cogitatione: *molestia*, permanens: *afflictatio*, cum vexatione corporis. videsis jammodo laudatum in Tusculanis locum, & Stobæum in Ecl. Eth. p. 176. ubi Græca reperies, quæ Cicero in Latium transtulit.

§ 127. Magnum quid ergo ὀδυνὴ seu *ærumna* est. Magnum, si *animum* spectes: magnum, si *corpus*, animo condolens. *Vexatio* enim, qua æger animus afflictat corpus, grave verbum est. *Vexari proprie dicitur* (auctore Agellio II. 6.) *qui fertur & raptatur, atque huc, atque illuc distrahitur.* Ita *jactatur* Corpus, cum semel Animus, non amplius sui potens, vehitur opinione præsentis mali. Ex *hac* Dysphoria etiam vulgus metiri *anxietatem* Cordis consuevit.

§ 128. *Anxietas* ista corde cum sedet, exest animum. Eapropter est, quod Etymologici auctor ὀδυνᾶν deducat, ἀπὸ τοῦ ἐδειν τὴν ψυχὴν, *ab eo quod edat animam.* Quod quia malorum maximum est in hac vita, idcirco Pythagoras serio dehortatus est suos, μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν, *Cor ut ne roderent suum.* videsis Erasmum in Adagiis: & inprimis Lil. Gyraldum in Pythag. Symb. XV. p. m. 118. Etenim revera nihil aliud est *ærumna*, quam πυρκαϊά τις ἀνήφαιστος καὶ ἄξυλος· *rogus quidam sine flamma & ligno.*

§ 129. *Cruciatus* quis dicatur Latinis, ex usu magis auctorum perdisci, quam commentariis Grammaticorum debet. Cicero de Haruspic. respons. p. 492: *quos vulnere, ac dolore corporis cruciari, ac consumi vides.* Idem de Finib. II. p. 131: *inter eum, qui potiatur expetitis corporis voluptatibus, & eum, qui crucietur summis doloribus, medium esse eum, qui utroque careat.* Et postea p. 152: *cumulatus cruciatibus maximis toto corpore, nulla nec adjuncta, nec sperata voluptate.* Seneca Epist. LXXVIII: *Quos cruciatus, quanta mala pertuli? In equuleum impositi non sic distrahuntur. Nulli umquam fuit pejus.*

§ 130.

§ 130. Quibus è locis (quid enim attinet plura sollicitare?) satis hoc potest perspici, *cruciatum* significare Dolorem vehementem corporis, quiq; animam in consensum pertractam conficiat mœrore ac desperatione sæpe. Quæ quia in *cruciariis*, seu cruci affixis aut suffixis, non certiora quam miseriora sunt: idcirco *cruciatum* appellarunt Latini omnem πόνον λυπηρὸν, *dolorem corporis cum ægritudine*. Nostrates: *pijne die aen 't hart gaet*. Stoici: ὀδύνην εἰσδύνουσιν καὶ καθικνουμένην. q. d. *dolorem penetrantem & ferientem cor*, prementemque illud anxietate & ægritudinis specie non una. Ubi *cordis* nomine *animam* intelligi, hospitem cordis, principale animalis aut hominis, ut fere in Sacris semper, dubium non est.

§ 131. Atque ex his jam æstimanda venit *vis* verbi ὠδυνᾶτο, quod est in textu. *Hoc* vero hoc loci plenam emphasin requirere monstrat *subjectum*, quo de prædicatur; nisi mavis *membrum*, cui attribuitur. Hoc, *ventriculum* esse, vidimus. Dixit enim: *Sugebat ipsius in ventriculo fortiter, & cruciabatur*. Suctionis *sedem* Ventriculum esse, præsertim qua cum ipso stomachus circa præcordia committitur, experimur esurientes καὶ ἀλγέοντες τὴν καρδίην *atque dolentes cor*, quacumque de causa.

§ 132. Hippocrates I. Prorrh. II. 40. & I. Epid. III. ægr. IV. cumque eo vetustas tota καρδίην, *Cor* vocant, quod recentiores τὸ στόμα τῆς γαστρὸς, *os ventriculi*. Adisis Erotianum in καρδιώσσειν, & Foesium in καρδιαλγία & στόμαχος. Hanc vero *partem* esse tenerrimi & acutissimi sensus cum tangitur afficiturque, ostendunt symptomata. Quorum nulla sunt nullius etiam membri, quæ pari vehementia, æque cito, æque subito, æque graviter in consensum trahunt Cor hominis.

§ 133. Cæterum, quia prout valet Afficiens, ita variat Affectio: necesse est, prout sugitur aut mordetur Cor, ita & passionem ei, modo parvam, modo magnam evenire. *Illam* ego ex Hippocrate πόνον, *dolorem* nuncupavero: *hanc* vero, ὀδύνην τῆς καρδίας, *cruciatum cordis*; tam in Sanis, quam in Ægrotis. Quod *discrimen* clare videris, si attendis, in historia uxoris Epicratis I. Epid. III. ægr. V. Huic enim cum altero à partu die accidisset

καρδίης πόνῳ: decimo, & aucto morbo exacerbatoque, καρδίης ὀδυνη supervenit.

§134. Sed heic video paratam mihi objectionem: Quare ergo non dixit ἐκαρδιάλγει *corde dolebat*, ut 11. Epid. 11. initio? aut ἐκαρδίωσε *cruciabatur corde*, ut 11. de Morb. t. LXIV. ? quo de arbitrabimur postea. Nunc respondeo: quia *neutrum* heic quadrat.

§135. Non *prius*: quia auctore Erotiano, καρδιαλγεῖν λέγεσθαι, τὸ μὴ ναυτίας καὶ ὀδυνης ἀνιᾶσθαι τὸ στόμαχον· *Corde dolere dicitur, cum quis cum nausea atque cruciatu afflictatur stomacho.* confer ad Galenum 1. Epid. 111. 21. & Hesychium in καρδιώτιδιν. Heic vero nauseæ nulla mentio. Neque enim morbus à Ventriculo est, aut vitiosis in eo humoribus.

§136. Non *posterius*: non si laxius accipitur; neque si strictius. Quando *latius* significat, synonymum prioris est. Ita Eustathius Odyss. δ'. p. 1508. l. 52. refert Ælium Dionysium τὸ καρδιώτιδιν apud Homerum exponere ναυλοῦν καὶ ἀλγεῖν τὴν καρδίαν. Et Galenus 11. de Fac. alim. qua de Piris, ait nihil aliud significare quam *symptoma succedens stomacho morso.* Si, *quale* hoc Symptoma sit, requiris, reperies in antecedentibus ναυτίαν καὶ ἔμετον, *nauseam & vomitum.* Quorum, ut dixi, nihil est heic.

§137. *Strictior* verbi usus est, ad quem nos manu velut ducunt Erotianus & Eustathius, locis quæ laudavi. Erotianus: ἔστι δὲ καὶ ἕτερος καρδιωγμὸς ὁ τῆς καρδίας κυρίως ἢ ἁπλάγχνα διωγμός. τετύφθαι ἀθρόως καὶ σφοδρῶς καὶ παλμὸς ἐν αὐτῷ γινόμενος. Barth. Eustathius reddit: *Est autem & alter cardiogmus, cordis proprie erosio, id est palpitatio, quæ frequenter, & vehementer in ipso fit.* Aliud δηγμὸς, aliud est διωγμός. Hesychii glossæ τὸ διώκειν exponunt etiam φεύγειν μεθ' ὁρμῆς, *fugere cum impetu.* Fuerit ergo καρδιωγμὸς heic διωγμὸς τῆς καρδίας, *impetuosa fuga cordis.* Quæ quid quæso aliud est, quam *præceps lapsus virium?* συγκοπὴ dicta Aretæo primum in 11. de Caus. acut. 3, ac cæteris postea Græcis: Latinis, *animæ defectio*: ceu postea exponam plenius.

§138. Sed neque *huic* Oeniades dicitur obnoxius. Certe huc si res ipsius devenissent, conclamatum fuisset. Prudenter igitur Hip-

Hippocrates abstinuit iis verbis, quæ aliquid dicunt præter *anxiosum* Ventriculi *cruciatum*: videlicet Nauseam, præterea au defectionem dicunt. Cætera apud auctorem, verum est, medicinam poscunt; sed parare non vacat.

§ 139. Constat ergo καρδιωγμὸν priscis seculis dictum, quam sequentibus καρδιακὴν διάθεσιν Græce, *cardiacam passionem* Latine quoque vocarunt Medici: ceu videre in Def. med. & apud Cæl. Aurelianum II. 30. & seq. ubi Soranum definiviſse eam ait *solutionem celerem atque acutam*, Cordis scilicet. Dixerat enim in fine cap. XXX: *Est igitur in nobis proprium, atque vigens, & dominium vitæ continens, cor: quapropter tamquam magna passio ab ea parte, quæ vim summæ potestatis habet, nomen sumsit.* Quid ibi τὸ *proprium*, quod Græci κύριον, significet, reperies in II. Physiol. XV. 14. Καρδιώττειν igitur est *animam deficere*: non quavis tamen de causa; sed occasionem præbente Affectu corporis.

§ 140. Hoc vero clarum est ex Eustathio. Verba attende, quibus inquit: "Οτι ἀθυμίαν ὅτι λύπη φέρει τὸ,

αὐτὰρ ἐμοὶ κραδίη καὶ θυμὸς,
Αὖτις ἐνὶ στήθεσι καὶ ἀχνυμένῳ περ, ἰάνθη.

Καὶ ὅρα ὡς νῦν μὲν, ἰαίνεται καρδία· ὁπότε δὲ ἄλλως πάσχει, τότε τὸ καρδιώττειν ἐπ' αὐτῆς λέγεται. Quorum quidem iste sensus est: *Exponit deinde quæ sit ægritudo, dicens:*

cor mihi cum animo certe,
Pectore contracto rursus mœrore fatiscit.

Vbi ecce nunc quidem, ἰαίνεται *(solvitur) cor. Quando autem alio modo patitur, tunc* τὸ καρδιώττειν *de ipso dicitur.*

§ 141. Quibus abunde satis innuit discrimen, quod est inter ἰαίνεσθαι & καρδιώττειν. Nempe ἰαίνεσθαι dicitur, qui ex Animi affectu deficit: καρδιώττειν vero, qui ex Morbo aliquo corporis. Ubi *morbi* appellatione comprehendi velim quidquid homini qualemcumque & quavis ratione molestiam exhibet. Juxta illud Antiphanis Medici apud Stobæum Serm. CCXXXIX:

"Απαν τὸ λυπῶν ἐστιν ἀνθρώπῳ νόσος·

Homini quod est molestum, id omne morbus est.

Hoc ipsum tamen apographum est ejus, quod est I. de Flat. II. 23.

ὅ, τι γὰρ ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καλέεται νοῦσος· *Quidquid enim ægre facit homini, id vocatur morbus.*

§ 142. Proporro, quia inter omnes *defectionis* Causas nulla manifestior, interque manifestas nulla gravior *Fame* est; eapropter vetustissimis temporibus dicebantur καρδιώττειν, qui sequentibus βουλιμιᾷν, seu Anima deficere propter famem. Quod quia nostris auditu novum, si non insolens erit: si erubescere nolo, non debeo videri hoc mihi credi, non auctoribus velle.

§ 143. Hesychius: τὸ καρδιώττειν ab aliquibus ait exponi δάκνεσθαι στόμαχον ὑπὸ λιμοῦ, *morderi stomacho à fame.* Ubi non tam *morsum stomachi*, quam huic succedens symptoma, *animæ defectionem* intelligendam esse colligo & ratione bona deduco ex iis, quæ è Galeni II. de Alim. fac. protuli § 136.

§ 144. Suidas: Καρδιώττειν σικελιῶται, ὃ ἡμεῖς βουλιμιᾷν. Ἀπολλόδωρος ἐν ἕκτῳ περὶ ἐπιχάρμου, οὗτοι σικελιώτας φησὶ τὸ τὸν στόμαχον ἐπιδάκνεσθαι ὑπὸ λιμοῦ καρδιώττειν λέγειν, ὅπερ βουλιμιᾷν λέγει ξενοφῶν. id est: καρδιώττειν *Siculi, quod nos* βουλιμιᾷν. *Apollodorus in* VI. *de Epicharmo, Siculos ait* καρδιώττειν *dicere, quum stomachus valde mordetur à fame, quod* βουλιμιᾷν *dicit Xenophon.* Pollux II. Onom. IV. 45: καρδιώττειν *Dores dicunt pro eo quod Xenophon* βουλιμιᾷν. Quisquis legisti apud Strabonem Geogr. VI. p. 267. Dores in Siciliam aliquando transfretasse & Megara condidisse, facili negotio Pollucem Suidæ conciliaveris. Τὸ βουλιμιᾷν ubi reperias apud Xenophontem, & quid pro eo reddiderit Leunclavius, monstravi supra § 58.

§ 145. Cæterum, quod præter Xenophontem à cunctis Grammaticis auctor non citetur alius, qui idem verbum & eodem significatu usurpaverit: ex hoc tantum non certo argui videtur, cæteris quidem Græcis inusitatum fuisse, acceptum vero ab eo, qui indicavit ipsi ignoranti, *Quis* esset *affectus*, quo defectos offendebat in via milites. Hermogenes Tarsensis, de Forma dictionis Xenophontis, testatur ei peculiare esse τὸ χρῆσθαι λέξεσι, πολὺ τῶν ἄλλων τῇ φύσει διεστηκυίαις λέξεων, *uti verbis, multum ab aliis verbis natura distantibus.* Neque dubito heic exemplum nos habere. Facianius, hoc ut liqueat, paucis.

§ 146.

§146. *Famere* & *fame deficere*, plane diversa sunt, & ut Causa atque Effectum distincta. *Defectus* enim est *effectus* Famis. *Deficere* autem ob famem aliumve stomachi cruciatum, id erat καρδιώττειν, ceu docui. *Famere* autem usque eo, ut in defectionis periculum adducare, id erat λιμώττειν. Galenus Aph. II. 16: Λιμώττειν *illos dicimus, qui per inopiam ciborum ad summum pervenere famis.* Hesychius itidem λιμώττοντας exponit πάνυ πεινῶντας *valde esurientes. Hoc vero Lacedæmone dicebant* βουλιμιᾷν.

§147. Atque hanc *genuinam* Verbi significationem esse, colligi non modo ex iis potest, quæ supra dixi de origine τοῦ βούλιμος: sed & ex Alex. Aphrodisei Probl. II. 73. ubi, in *causam* Picæ prægnantium inquirens, sub finem ait: τοῦτο πάσχουσι καί τινες βουλιμιῶντες καὶ κολικεύομενοι, τῷ πάλιν πληροῦσθαι τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ἀλλοκότων χυμῶν. ὅθεν τὸ καθαρτήριον αὐτοὺς μεγάλως ὠφελεῖ. *Hoc patiuntur etiam quidam bulimantes & colici, propterea quod repleatur os ventriculi absurdis humoribus. Vnde purgans ipsis magnopere confert.*

§148. Alex. Trallianus etiam VII. 4. sub finem meminit Mulieris, quæ putabatur *bulimo* laborare, quod quantumvis multa comederet, tamen saturari se negaret. Ea, acceptâ hierâ, excrevit Vermem duodecim cubitos longum. Quo ejecto, inquit, τότε τῆς ἀμέτρου καὶ μανιώδους ὀρέξεως ἐπαύσατο. ἐγνώσθη οὖν ὡς οὐκ ἦν βούλιμος. *Mox immoderata ac furiosa appetentia cessavit, innotuitque Bulimum non fuisse.* Quibus in locis cum *defectionis* nulla mentio fiat: paret, non esse de *essentia* Bulimi, quin hanc totam consistere in eo, quod vox dixit, in Fame ingenti.

§149. Hoc vero uti ex superfluo probemus, ex Aristophanis Pluto act. IV. sc. III. 23. sistimus locum, qui suspicioni defectionis ne rimulam quidem aperit. Sycophantam animo ad se ingredi turbato atque minaci videntes Cario & Iustus, ait ille, ὡς σοβαρὸς εἰσελήλυθεν ὁ συκοφάντης· *quam turbidus aut minax ingreditur Sycophanta?* respondet Justus: δῆλον ὅτι βουλιμιᾷ· *perire paret ex fame.* Scholiastes: βουλιμιᾷ] πάνυ λιμώττει, καὶ πεινᾷ λίαν. ἀπὸ τοῦ βου ἐπιρρήματος, ὅπερ ἐπιτασεώς ἐστι δηλωτικὸν, ἀντὶ τοῦ λίαν. ὥσπερ καὶ ἐν τῷ βούπεινα, μεγάλῃ πεῖνα. τινὲς δὲ εἶδος νόσου φασὶν, ἐν ᾗ πολ-

λὰ

λὰ ἐσθίοντες, ἢ πλησθέντες. τὸ γὰρ συκοφαντῶν τοιοῦτον ὁ τρόπος. Reddo: βουλιμιᾷ, *admodum famet, & esurit valde. Est à particula* BU, *exaggerationis significativa, pro valde. Vt & in* βόπτνα, *magna esuries. Quidam vero ajunt speciem morbi esse, in quo multa edentes non saturantur. Sycophantarum namque is mos est.* Quo ne vero nescisse etiam recentiorum Medicorum acceptionem ejus verbi videatur, protinus è Galeni commentario ad Aphor. 11. 21. subjungit illa verba, quæ exhibebamus § 69.

§ 150. Et vero non videtur quid amplius dicere voluisse, quisquis ille ἐμπείρων *eventignarus* fuit, qui Xenophontem sollicitum docuit, ὅτι σαφῶς βουλιμιῶσι, καὶ ἐὰν τι φάγωσιν ἀναστήσονται· *quod revera fame premerentur, & si quid ederent, surrecturos.* Quasi diceret: Noli, dux, consternari: sola fames est, quæ enecat homines: fac quid edant, erigent se & pergent: neque enim illa à morbo defectio atque prostratio est. Nostras diceret: *Het is van klink klare honger, dat se leggen blyven*: ex mera fame est, quod jaceant & retro maneant.

§ 151. Atenimvero quia *animæ defectio* & illustre Symptoma est, & de facili accidit extreme esurientibus, quin & familiare est iter facientibus per nives: eapropter deinceps dicti sunt βουλιμιᾶν, quotquot *anima præ fame deficerent*: quasi hoc *aut* proprium sit vehementer esurientibus, *aut* constare de famis magnitudine nequeat, nisi ex hoc symptomate. Atque ita τὸ βουλιμιᾶν paulatim successit in locum *duorum* Verborum λιμώττειν καὶ καρδιώττειν, *famere & deficere.*

§ 152. Unde factum, ut *posterioris* quidem verbi vim prorsus hodie nostri ignorent. Nempe de solo *morsu stomachi* exponentes ignorent, inquam, proprie significare, *Animam deficere* vehementia doloris, quem patitur Membrũ & membri consensu Animus. Certe, *quemadmodum* Corporis dolor sine aliqua solutione (sive sese Causa deforis insinuet, sive ab intrinseco existat) non est: *sic neque* Animi dolor fit, quin fiat ipsius quasi quædam solutio, seu quasi contusio, vellicatio, morsio, laceratio, distractio, &c. res pari ratione Anima ac corpori ingrata, inamœna, dura, aspera, molesta, inimica.

§ 153.

§153. Et QUUM. Præcedente colo dictum erat: *Oeniadem*, quoties sine cibo esset, suctionem fortem passum, & cruciatum in ventriculo. Quæ narratio quia videri poterat nihil novi dicere, & quod non accidat iis, qui jejunium non ferunt, ut adolescentibus & pueris præcipue, præsertim qui inter ipsos sunt vividiores, Aph. 1. 13: idcirco *factum* clarius expressurus, & à *morbo* esse ostensurus, in considerationem vocat *tempus*, quo ista evenerint.

§154. Medici *tempus* Cibis coquendis passim concedunt septem horarum, præter propter. Atenimvero experientia nos docuit, observatore Walæo nostro, non æque cito omnem cibum acquirere in ventriculo eam commutationem, qua transit in chilum, quin lac de die horæ spatio suam perfectionem accipere, tardius olera, & his tardius legumina, panem, pisces, carnes, præsertim bubulas, & id genus. vide illum Epist. 1. de Motu chili. § Ita cibus, & seq. Nostrum cibos etiam solidissimos citius consumsisse, & ob hoc iterum iterumque esuriviisse, mox videbimus.

§155. PASTO. *Pasci* proprie brutorum est. Plautus sic in Mostell. act. IV. sc. 1. 22: *Ire vis, mula, foras pastum.* parœmiali, si quid recte video, forma. Nostrates dicerent: *Gy soekt te brassen op eens anders beurs.*

§156. Eidem rursus τὸ *pascere*, est edere, & de homine usurpatum eleganter in Rud. act. IV. sc. VII. 12:

In ætate hominum plurimæ
Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atque in eas plerumque esca imponitur:
Quam si quis avidus pascit avariter,
Decipitur in transenna avaritia sua.

§157. Certe *plenus laqueorum* Mundus est, *plenus decipulorum.* Quæ nullibi non disponit ille Adversarius, qui perpetuo obit terram, & ambulat in ea indefessus quæritans quem decipiat & capiat devoretque velut leo rugiens: Ijobi 1.8. & 1.Pet.1.8. Qui uti procul dubio quotidie secum illud Plauti Bacchid. act. IV. sc. VI. 22. mussitat:

Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petet:
Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus:

ita certe vigilandum est nobis, & orandum, ne ipsius in casses incidamus præda petita: 1. Pet. IV. 7. Luc. XXI. 34. 35. 36.

§ 158. Cæterum, cum & alii Latinitatis auctores, tam soluta quam ligata oratione *verbum* quod dedimus, usurpaverint eodem sensu; ceu videre apud Ovidium V. Trist. VIII. 14. & Æl. Spartianum p.m. 6. l. 2. & quos ad hunc locum citat Is. Casaubonus in Notis: licuit certe nobis pro φαγόντι, *pasto* reddere. Præsertim hoc loci, ubi revera de *bruta fame* agitur, quæque Oeniadem, ὡς ἄλογον ζῶον, [καὶ] φυσικὸν, *ut brutum animal, & naturæ ductum sequens*, 2. Petr. II. 12, doloris stimulo coegit ire pastum, non exspectatis temporibus, quibus nos ratio & civiles necessitates obstringunt & assuefaciunt.

§ 159. Quomodo qui ventri servit homo, affectu bruto, φάγος dicitur Matth. XI. 19. Interpres, *edax*, reddit: vetus, *vorax*: non male uterque, alio licet atque alio sensu. *Edaces* enim multi cibi dicuntur Columellæ VI. 2. *Voraces* vero, qui præ aviditate tuburcinantur. Qui id faciunt, quia raptim manducant, odisse animam suam dicuntur Arabibus. Deinde & multum simul aëris ingurgitant, unde fluctuationes in ventriculo molestæ, & cruditates malæ, genitrices plerorumque morborum. confer ad Hofmannum V. Inst. XXIX. 5.

§ 160. CIBI. Σιτία Galeno (Vict. ac. IV. 91.) dicuntur μάλιστα μὲν οἱ ἐκ πυρῶν ἄρτοι, ἢ ἁπλῶς ἅπαντα τὰ ὁπωσοῦν σκληραζόμενα· *Præcipue quidem ex tritico panes, tum simpliciter omnia*, quæ alendo sunt, *quomodocunque parata*. Heic par est, *hoc modo* nos accipere. Velim *deinde* heic τῶν σιτίων appellatione pariter ποτὰ καὶ βρωτὰ *potulenta ac esculenta* intelligi, præeunte iterum Galeno, imo Hippocrate ipso in VI. Epid. V. 24. Velim *tertio* heic intelligi σιτία, *alimenta* quæcumque generis valentioris sunt. Celsus II. 18, *id valentissimum vocat, in quo plurimum alimenti est.*

§ 161. Quia namque justo solitoque citius quidem conficeret cibos, minus vero proficeret ex cibis; admodum vero est simile, si non suo instinctu, saltem Medici suasu sumsisse talis materiæ cibos, quæ & plurimum aleret & calori robusto apta minime intus vitiaretur. *Fere enim sequitur* (ut ibidem Celsus) *ut*

quo

quo valentior quæque materia est, eo minus facile concoquatur (addo, *& corrumpatur,*) *sed, si concocta est, plus alat*, tardiusque depereat. ἡ γὰρ δυσαλλοίωτος τροφὴ, δυσεξανάλωτος, inquit Hippocrates l. de Alim. t. XII. 31. *Quodcumque alimentum difficulter coquitur, difficulter consumitur.* Proprie δυσεξανάλωτον illud est, quod semel appositum membris perquam difficulter à calore atteritur & cum insensibili transpiratione digeritur.

§ 162. Quare vero σιτία dixit, *alimenta*, plurium numero? Ut significet, *tam* Valentis generis non fuisse, quod sedare famem posset: *tam* Difficilis concoctionis non fuisse, quod non citissime conficeret rabies. Quia namque constat ex sequentibus, Medico usum: vix dubitandum videtur, quin si talem cibum capere jusserit, qui & plurimum nutriendo valeret, & ægerrime concoqueretur.

§ 163. ESSENT CONTRITI. Celsus in procemio: *Ex naturalibus actionibus quam maxime pertinere ad rem concoctio videtur. Huic potissimum insistunt (qui Rationalem medicinam profitentur,) & duce alii Erasistrato, atteri cibum in ventre contendunt: alii Plistonico, Praxagoræ discipulo, putrescere: alii credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui.*

§ 164. Hippocratis hanc sententiam esse, variis è locis doceri potest. Insignis est, quem reperies I. de Diæt. XIII. 134. Difficilis vero, quem IV. de Morb. XVI. Difficilis hic, inquam, est non exercitatis in doctrina Præceptoris. Apud quos quia paucis eum exponere sufficienter nequeo, non ingrediar hunc campum, ut ne digrediar à proposito & incautus deerrem longius. confer ad Galenum de Vict. acut. II. 22. & de Fac. nat. III. 7.

§ 165. Quod nunc videndum, hoc est: quare si *per calorem cibos concoqui* voluerit, nunc *conteri* dicat? Non equidem sine ratione. Nam, uti ex Hippocratis sententia recte Galenus de Vict. ac. II. 22. docet, δεῖ τὴν πέψιν εἶναι παραπλησίαν ἑψήσει, ὡς ὑπὸ θερμοῦ γιγνομένη, οὐ ξηροῦ καὶ αὐχμώδους, ὁποῖόν ἐστι τὸ τῶν πυρετῶν, ἀλλ' ὑγροῦ καὶ ἀτμώδους, οἷον τὸ κατὰ φύσιν ἐν τοῖς ζώοις ἐστίν· *oportet coctionem esse similem elixationi, utpote à Calido factæ, non sicco & æstuoso, quale est Febrium; sed humido atque vaporoso, quale quod se-*

cundum naturam in animantibus est. confer ad Philosophum Meteorolog. IV. 3.

§ 166. *Elixatio* vero quemadmodum fiat, quotidie discere in culina est. Ibi videre est, panem aquæ aut lacti incoctum, motu igniculorum (qui per ollæ corpus penetrant in liquorem primum & hinc in panem) dissolvi panem & attenuari & liquefactum permisceri cum aqua aut lacte, atque ita redigi in unum corpus quasi homogeneum, quam pultem nominamus. Non aliter Spiritus à corde per ventriculi tunicas subiens in cibum potumque, agitando eos dissolvit & conjungit in unum, quod Chilum vocamus. Adi & Seb. Bassonem l. de Actione II. 2. & inprimis, qui Gallice intelligis, la Chambre in Conject. de Digest. v. 36. quo certe nemo ex Recentioribus explicuit Concoctionis modum melius, saltem ad meum sensum.

§ 167. Paret ergo *vaporosum* Calidum requiri ad chilificationem, seu fusionem cibi & potus cum eo concorporationem. Quod si non tale, sed *æstuosum* fuerit, hoc est, fervidum & siccum, nihil hoc ad concoctionem ineptius est. *Fervoris* enim vehementia facit, ut vapores ex humido geniti non subeant fundantque cibos, sed consumantur temere.

§ 168. *Siccus* & *acris* Calor, suis aculeis ubique ciborum solida forans, hoc unum agit, ut totidem fenestras aperiat, quibus evolet à se solutum & attenuatum humidum nativum seu gluten aridorum. Hoc vero quid aliud est, quam *conterere*, sive quæ inter se cohærebant, non tantum comminuere, sed & disjungere, atque dissipare quidem subtilia utiliaque, retinere vero exsucca & inepta nutriendo.

§ 169. Rhabarbarum pulverare volentes aliquantum torrent in sartagine, ut ita glutinum naturale exsiccent & solvant compagem aridiorum. Experimur vero abire cum illo illud fastidiosum atque igneum, cui potestas data purgandi erat, sive potius ad purgandum stimulandi Naturam.

§ 170. Non aliter in nobis *fervidus calor* ex Alimentis absumit *spirituosum* ac *glutinosum* illud, è quo noster cum Spiritus reficiendi, tum Corpus nutriri debebat. Oeniadæ vero talis calor cum fuerit,

fuerit, non potuit, non debuit alio verbo nobis, quod fieret, significare. Vere *contritio* Ciborum, non *concoctio* erat.

§ 171. AC TEMPUS. Plutarchus περὶ Εἰ. p. 392. E. venuste: ὥσπερ ἀγγεῖον φθορᾶς καὶ γενέσεως, ὁ χρόνος· *Vterus quidam corruptionis & generationis*, *Tempus est*. Etenim *tempore* quod non fiat, nihil est sub cœlo. *Nihil*, quod non ex aliquo fiat. *Ex quo* quid fit, id desinit esse, quod erat. *Quod fit*, incipit esse, quod non erat. Non *qua* Materiam, sed *habitudinem* Materiæ, quam *formam* vocamus. confer ad Philosophum 1. Phys. VII. 63. & 1. de Cœlo IX. 92.

§ 172. Una *materia* Chili est, quæ Cibi ac potus: *forma* horum & illius non una. Quum *cibus* ac *potus* à Spiritu naturali agitantur, attenuantur, concorporantur; oritur certe alia dispositio particularum, in quas motu Calidi comminuuntur, quam erat in acceptis. *In his*, quæ erat, pereunte, existit quæ non erat. Atque ita corruptio unius est generatio alterius. quo de consule Philosophum in 1. de Gen. & corr. III. 17. Atque ita rursus, ut quantum *perfectioni* decedit unius, tantum accedat alterius. *Gradibus* quippe hæc, ut tempore fiunt.

§ 173. *Quo* tamen breviore modo, modo longiore opus esse diximus; prout *materia* Alimenti rarior aut densior, & *Ignis* coquens subtilior aut corpulentior est. *Quæ* rarior, facilis concoctu: *quæ* densior & compactior, difficilis deprehenditur in coquendo, vel in culina. Quare vero ex hac quoq; non eâdem operâ discimus potestatem Ignis; & hinc prout valet, ita validius illi aut infirmius ad coquendum offerre? Ostrea super prunis in thermanterio aggestis suffocare volenti pene fames & mora bilem in nasum conciunt: succende chartam, citius coquuntur quam asparagi.

§ 174. Hoc si intelligis, desines mirari, quare Hippocrates II. de Morb. t. XLVI, in veræ Tabis curandæ præceptis dicat: ζωμὸν ἢ μὴ ῥοφείτω. μηδὲ βάπτεσθω. ἰχθύσι ἢ χρήσθω, σκορπίοισι, καὶ στλάγχεσιν ἐφθοῖσι. *Iusculum ne sorbeat: neque intingat. Piscibus vero utatur, scorpiis, & cartilagineis coctis.*

§ 175. Qui pisces *cartilaginei* dicantur videsis apud Aristotelem III. Hist. anim. 1. quem cum primum fuisse, qui hoc nomen

eis impoſuerit, Rob. Conſtantinus ait, fallitur egregie. Fefellit tamen ipſum Plinius lib. IX. cap. XXIV. *Cartilaginea Græce in univerſum Selache appellavit Ariſtoteles primus, hoc nomine eis impoſito.* Hippocrates *genus* nominans, oſtendit jam tum publice conſtitiſſe, quæ ejus eſſent ſpecies.

§ 176. Quare vero appellentur σελάχια, colligere eſt ex iis, quæ de ipſis ſcribit Galenus in III. de Alim. fac. XXXVI. Τραχὺ καὶ λαμπρὸν ἐν τῇ νυκτὶ τὸ δέρμα τῶν τοιούτων ἐστὶ ζώων. διὸ καί τινες ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν ὠνομάσθαι φησὶν αὐτὰ σελάχια. *Aſperum*, inquit, *& ſplendidum noctu tergus illorum eſt animalium. Vnde & ab eo, quod luceant, vocari illa Selachia ajunt.* Heſychio τὸ σέλας exponitur, φῶς, αὐγὴ, πῦρ, φλὸξ, φέγγος & πυρὸς, λαμπρότης· *lux, fulgor, ignis, flamma, ſplendor ignis, nitor.*

§ 177. INTERVENIRET. *hoc eſt*, Interponeret ſe rei gerendæ, atque adeo omnem quaſi adminiſtrationem negotii, circa Ciborum concoctionem neceſſarii, ad ſollicitudinem ſuam revocaret.

§ 178. Cæterum *intervenit* Tempus functionibus obeundis, *non* ut Cauſa quædam principalis, *ſed* ut Conditio neceſſaria ſeu Cauſa ſine qua Natura nihil efficere poteſt. Neque aliter ac doloribus coquendis, etiam cibis intervenit. De illo Seneca Epiſt. LXIII: *Cum intervenit ſpatium, omne, quod angebat, extinguitur, & pura ad nos voluptas venit.* Ita cum intervenit tempus, omne, quod aſſumtum eſt, concoquitur, & purum ad corpus alimentum venit.

§ 179. Notare vero heic eſt *ſingularem* Significationem ἐπιγίνεσθαι. Vidit *eam* Foeſius quoque, & conatus exprimere vertit: *ubi poſt cibi ſumtionem tempus aliquod interceſſiſſet.* Cornarius paulo laxius: *quum tempus poſt cibi eſum acceſſiſſet.* Judicabit interim peritus lector, quod ex his interpretamentis malit.

§ 180. POST COMESTURAM. Catonis hoc verbum eſt cap. CLVII. ubi Braſſicam, quæ *criſpa* Romanis, Græcis σελινοειδὴς à ſimilitudine Apii vocatur, *ſeptem habere bona in comeſtura* ait. Quod ſeſe verbum mihi non raritate commendavit, ſed bonitate & analogia cum multis id genus. Ut enim κτίσις *creatura*,

φύσις

φύσις *Natura*, κλάσις *fractura*, ῥῆξις *ruptura*, & centum alia id genus recte atque significanter redduntur: ita & βρῶσις *comestura*.

§ 181. Significatur vero ejuscemodi verbalibus, *non tam* Motus seu actio, *quam* Id, ad quod agendo tenditur ac devenitur, Res acta seu facta, Opus.

§ 182. Ciborum concoctio quamvis jam inter edendum inchoctur, urgetur tamen & promovetur tum præcipue, quando assumto quod assumendum erat, Ventriculi orificium superius se constrinxit eo fine, ut ne vapores cibarii exhalent, sed sint medium emolliendi ac eliquandi solida & disponendi ad fluorem.

§ 183. Hoc est, quod dicit præpositio, *post*. Vult enim de *tempore* intelligi, quod inter absolutam Cibi sumtionem & confectionem intercedit.

§ 184. De *bonis* Brassicæ, quorum modo faciebam mentionem, nihil attinet heic dicere, ne extra oleas. Curiosus interim, cuique salivam Cato movit, legat aut ipsum ibi, aut Plinium xx. 9.

§ 185. CIBI. Σιτία singulariter quare nunc dicat, qui modo pluraliter, non alia mihi ratio videtur, quam quod ventriculo recepti cibi, quot generum etiam fuerint, non nisi unam constituant massam ac materiam chili ex ea coquendi.

§ 186. Heic ego aurem vello illis, qui τὸ μέλλον τροφή, *futurum alimentum* Hippocrati l. de Alim. t. II. 5. dici *cibum* putant, etiam antequam assumtus est. Si enim locum hunc ipsum bene examinent, & conferant cum t. x. 23. (ubi, qui cibi & qualiter præparati conferant singulis ætatibus, Præceptor docet) facile sententiam suam cum meliore commutabunt: præsertim si & Galenum addant l. de Opt. sect. cap. XLV.

§ 187. NON DIU POST. *comesturam* Cibi, an *contritionem* Comesti? Non videtur interesse, *de utra* intelligas. Tam enim brevi intervallo conterebatur cibus, ut assumtus primum videretur. Satius tamen ad *inanitatem* Ventriculi referre, ceu causam suctionis & cruciatus. Nempe *pasto* Molestiæ istæ cessabant. Cessabant autem, donec cibi essent contriti, inque intestina delapsi. *Præsentibus* enim & *bonis* Ventriculus semper ἀπολαύει *voluptatur*, hoc est, doloris à fame delinimentum capiens voluptatis

tatis quodam (levi licet, nec duraturo) sensu perfunditur.

§ 188. *Sensus* iste *beneficio* Vaporum contingit, qui excitati ab ingesto cibo non modo Ventriculum æstuantem humectant leniuntque; sed & in Sanguinem rapti, hujus cum Fervorem temperant, *tum* Spiritus recreant aliquo modo. Gaspar Asellius l. de Lactib. c. XI. istud verbum de *vera* Ventriculi *nutritione* interpretatur. non equidem male ex sententia Galeni: male tamen ex decreto Naturæ, cujus satis ille parum consultus fuit.

§ 189. Quoties miseri *hujus* Oeniadæ conditionem apud animum revolvo, redit ante oculos mihi *imago* Erisichthonis. cui Cererem fingit Ovidius Metamorph. VIII. 749. molitam genus pœnæ miserabile, & Famem rogasse, ut vellet sacrilegum illum *pestifera lacerare fame*. Fame vero dicta Cereris peragente, seque viro inspirante, ecce mox in ipso

furit ardor edendi,
Perque avidas fauces immensaque viscera regnat.
Vtque rapax ignis non umquam alimenta recusat,
Innumerasque faces cremat: & quo copia major
Est data, plura cupit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt poscuntque simul: cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperque locus fit inanis edendo.

§ 190. IDEM HOC PATIEBATUR. Videlicet *fortem* Suctionem & *permolestum* Cruciatum illum, quem vidimus & exposuimus in præcedentibus. Unde certe apparet, quam improbus interpellator sit Venter famelicus, quamque ex vero Poeta Odyss. ή. 216. dixerit:

Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο
Ἔπλετο, ἥ τ' ἐκέλευσεν ἔο μνήσασθαι ἀνάγκῃ,
Αἰεί τ' ἐσθέμεναι καὶ ἐνιπλήσασθαι ἀνώγει.

Pro quibus hoc nunc sesquidistichon, quod incidit, repono:

Non est esurie gravior dominante tyrannus,
Venter & immemores non sinit esse sui:
Vsque jubens edere & bibere & sine fine repleri.

§ 191. Adeo *iste* Morbus, qui tenebat Oeniadem, erat impla-

placabile malum, ut minimæ etiam moræ impatiens invaleſceret amplius impatientia, neque prius latrans & iratus venter placaretur, niſi

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο:

Poſtquam exemta fames, & amor compreſſus edendi

eſſet, nec eſſet tamen, ceu modo vidimus. Græcum illud Poetarum coryphæi quod eſt Iliad. α'. 469. tranſtulit Latinorum primus Æneid. VIII. 184. ubi confer Lud. de la Cerda.

§ 192. ET TABESCEBAT. Galenus in Exegeſi: φθίνῃ, δηλοῖ σωλήκεϑ, ἰσχναίνεται, μειοῦται, ἀτροφεῖ. quæ Foeſius in Oeconomia reddit: *colliqueſcit, extenuatur, cibum non ſentit.*

§ 193. Verbum hoc noviſſimum poni videtur pro *non proficit ex cibo.* Celſum dicere, *medicinam ſentire*, pro melius habere poſt medicinam, auctor eſt Henr. Stephanus, loco tamen non indicato. Me non memini legiſſe, quamvis diligenter legerim, quem ab Hippocrate ſecundum habeo. Non ideo tamen meritiſſimum virum accuſo. quotuſquiſque enim non ſæpe inter legendum dormitat?

§ 194. Sit ita eſt, ut Stephanus vult: nihilominus dubito, an τὸ ἀτροφεῖ reddatur recte, *cibum non ſentit.* Maluiſſem è Celſo III. 22, *tantummodo non alitur*, hoc eſt, adeo parum alitur, adeo contra imminuitur, ut *videatur* Nutritio ceſſare. Unde & Aurelianus Tard. III. 7, *nutrimenti ceſſationem* dicit, quam Græci ἀτροφίαν. Tam vero bliteum neminē puto, qui *revera* Nutritionem ſibi perſuadeat ceſſare poſſe, ſuperſtite vita. Hofmannus III. Inſt. CXXXII. 1: *Nutritio cum aboletur, ipſa mors eſt. Vita enim & nutritio pari paſſu ambulant. Oportet ergo vocabulum heic accipiatur de imminuta nutrione.* Omnino: & hoc ſe optime intellexiſſe Celſus oſtendit.

§ 195. *Deinde* dubito, an ſatis bene τὸ φθίνῃ exponatur ἀτροφεῖ. *Atrophia* quippe cauſa eſt τῆς φθίσιος, *imminutionis, extenuationis, colliquationis* Corporis ſeu molis carnoſæ. Si patimur tamen metonymiam; patiamur alibi, non heic. Mox enim *cauſam* Tabis atrophiam dabit.

§ 196. *Denique* cum Hippocrates heic, ut alibi, conjungat φθίνῃ καὶ σωλήκεϑ; ac revera plus ſit *colliqueſcere*, quam *tabeſcere:*

Unable to display this page

possunt non magis ac magis impurare Sanguinem, nectar vitæ, simul & offendere Viscera multis incommodis.

§ 202. *Pejor* vero colliquatio manifesta est, ut signum quoque & causa. Ut *signum*: quoniam quæcumque Excreta conspurcata sunt ipsarum partium liquamine; omnia & singula pro se quæque feruntur tantum non certissimo exitio ægrotantium. Significant quippe Ignis liquefacientis flagrantem subtilitatem, & Vim spiritus exolutam. Ut *causa*: quoniam ob morticinum fœtorem, quo gaudent illa liquamina, frequentes animæ defectiones accidere consuerunt. A quibus quid exspectes, nisi ut indies in deterius eant res ægrotantium.

§ 203. NEQUE ALI CONTINGEBAT IPSI. Cornarius: *& alimentum ipsi non contingebat*. Foesius: *Neque alimentum percipiebatur*. impersonaliter. Cornario & mihi placuit personam designare, præeunte Auctore; &, dictante ratione, abeundum non esse à perspicuitate & singularitate historiæ, quæ narratur.

§ 204. Placuisset: *Neque alimentum percipiebat*. Placuisset inquam, nisi *aliud* esset, *alimentum* capere; *aliud*, percipere. *Capere* alimentum dicitur, qui assumit, mandit, deglutit, atque suum facit, suoque corpori acquirit. *Percipere* vero, qui, postquam assumta ventriculo contineri desierunt, fructum ex iis, eumque perfectum capit. *Fructum* ex alimentis percipimus, quando in Sanguinem transeunt. *Perfectum* fructum vero, quando Sanguis apponitur atque assimilatur Partibus nutriendis.

§ 205. Ex dictis paret, qua heic significatione veniat τροφὴ *alimentum*. Propriissime scilicet. *Alimenti* vox enim sumitur *vel* Improprie *vel* Proprie. *Improprie* rursus *vel* late *vel* stricte.

§ 206. *Late*, pro Victu seu omni eo, quod ad alendum corpus quaqua ratione necessarium est. Iavolenus l. 6. ff. de Alim. leg. *Legatis alimentis, cibaria, & vestitus, & habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest*. Ulpianus l. 43. de V. S. *Verbo* victus *continentur quæ esui potuique, cultusque corporis, quæ ad vivendum homini necessaria sunt*. Græcis βίος & βίοτος dicitur: Hippocrati ac medicis, διαίτα. De *hac* voce videsis ad Galenum III. Epid. III. 9.

De *illa* vero Eustathium ad Hom. Iliad. ξ. p. m. 971. l. 51.

§ 207. *Stricte* pro Specie victus, Cibariis videlicet, seu cibis potibusque, ut accipiunt Iurisconsulti iterum l. 15. ff. de Statu lib. Latini *victum* quoque appellant, & *amictui* contradistinguunt. Joh. Jac. Wissenbachius, Collega olim & amicus noster, in Man. ad tit. de Verb. & Rer. sign. l. 44. § 7: *Victus nomen quasi regula Lesbia plus minusve continet pro ratione ejus cui applicatur.* Minus non continet, quam id ex quo vivitur, seu materiem reparandi quod de substantia corpori decessit.

§ 208. *Proprie* accipitur tripliciter. Id vero discimus ex famigeratissimo simul & vexatissimo loco Hippocratis l. de Alim. II. 5. Τροφῆς δὲ τὸ τρέφον τοῦτο τροφὴ, καὶ τὸ οἷον τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφή. Quæ verba Latine ecce cum fœnore. *Alimenti* (seu ejus quod forinsecus ad Humani corporis jacturam resarciendam assumitur, quodque variis Naturæ laboribus, ut nutriendo sit, aptari postulat) triplex ratio & gradus est. Nam *quod nutrit*, sive quod actu assimilatur & fit substantia partis, *hoc* & vere *alimentum* est, & κατ' ἐξοχὴν seu propriissime dicitur. Quod vero aptum nutriendo quidem est, sed actum nutriendi non præstat, hoc *quasi alimentum* vocatur. Quod vero ad nutriendum aptum fit, nondum est, hoc *futurum alimentum* appellatur. Hoc mihi quidem *proxime*, Chymus: *remote*, Chilus est. Alimentum *potestate*, Sanguis vasorum est: *actu*, Vasis effusus & affusus partibus.

§ 209. De *hoc* intelligo, quod ait, *non contingebat ipsi ali.* Quamvis enim suum *cuique* Sanguinis demensum distribueretur Partibus, non apponebatur tamen, multo minus transibat in substantiam nutriendi.

§ 210. Verum, *hujus* Rationem ut videamus, ex re erit obiter & *Naturam* Sanguinis & *modum* Nutritionis exposuisse.

§ 211. Quod ad *naturam* Sanguinis, sciendum *primo*: Constare id, quod vasis continetur, duobus: *Calido* & *Humido*, ut l. de Princ. t. IX. 79. 80: seu *Igne* & *Aqua*, ut I. de Diæt. t. V. 48, appellantur. Unde & ζέον ὕδωρ, *fervens aqua*, passim à Philosopho dicitur. vide de Part. II. 2. Quemadmodum *fervet* Aqua vi Ignis suscepti: *ita* Sanguis vi Spiritus. τὸ αἷμα γὰρ οὐκ ἔστι τῇ φύσει θερμόν· οὐδὲ γὰρ

ἄλλο

ἀπό τι ὕδωρ· ἅπαξ θερμαίνει. *Sanguis enim non est natura* sive per se *calidus* (*quemadmodum neque alia aliqua aqua*) *sed calefit*. l. de Corde t. x. fine. Celsus IV. 3: *Neque enim natura sanguinis est, ut utique caleat, sed ex his, quæ in homine sunt, is celerrime vel calescit, vel refrigescit*. Hoc *primum* Naturæ organum est, cum in movendo, tum in nutriendo. τὸ μὲν γὰρ πῦρ δυνάμει πάντα μὲν πάντες κινοῦσι· τὸ δὲ ὕδωρ, πάντα μὲν πάντες θρέψαι. *Ignis enim potest omnia omnino movere: Aqua vero, omnia omnino nutrire*: I. de Diæt. v. 52.

§ 212. *Aqua Sanguinis* ergo est, quæ nutrit atque omnia conservat nutriendo. *Nutrienda* corporis, duo sunt: Spiritus & Solidæ partes. *Horum* gratia αἷμα ὑγρὸν καὶ στερεὸν, *Sanguis humidus ac solidus* est, l. de Alim. t. XI. 26.

§ 213. *Humidum* Sanguinis cave Serum putes. Est *pars* Sanguinis, sicut *butyrosa* Lactis, pinguis & aeria, seu tenuis ac levis, facillimeque inflammabilis, & idcirco nutrimentum seu succendiculum Spiritus. τὰ μὲν γὰρ ὑγρὰ καὶ μαλακά ἐστιν αὐτῷ [τῷ πυρὶ] τροφή· *Humida enim & mollia sunt ipsi* [*Igni*] *alimentum*. Quomodo autem? quoniam ἔνι καὶ ἐν τούτοισι ξηρότης οὐκ ἀναλισκομένη ὑπὸ τοῦ πυρός· *ineſt & in ipsis siccum, quod non consumitur ab igne*: I. de Diæt. XII. 132. 133. ideoque Ignis fit. Τὸ ξηρότης *siccum* verti, præeunte Præceptore l. de Vet. med. t. XXXIV. 115.

§ 214. *Solidum* sanguinis est illud κολλώδες *glutinosum*, quod sanguine misso, nec moto, coit in fibras: l. de Princ. t. IX. 80. Unde nunc *fibrosum* Sanguinis appellamus. Hoc natura terreum, lentum, ductile, minimeque ad inflammationem idoneum est. Τὰ μὲν γὰρ στερεὰ, τῇ φύσιν ἐν τῷ ξυνεστηκότι καὶ ξηρῷ, οὐκ ἀναλίσκει τῷ πυρὶ ἐς τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἐξικμαστέα γίνεται, καὶ ξυνίσταται· *Solida quippe, quæ naturam in consistenti & sicco* positam habent, *non concedunt Igni in alimentum, sed præfirma fiunt, & consistunt*: I. de Diæt. t. XII. 129.

§ 215. Ex hoc *omnia* Membra membrorumque partes constitui, toto libro de Principiis docetur: aliis plus ejus, aliis minus accipientibus. adisis & expende. Hoc ipsum igitur sicuti est *materia* Constitutionis, ita & Nutritionis, vulgo dictæ; hoc est, reparationis ejus, quod Partibus deteritur fungendo. *Materia* hæc per se *alba* est. Quod enim in vasis rubeat Sanguis, id ha-

bet per accidens; ceu dudum animadvertit & demonstravit Hier. Reusnerus in Schol. ad Willichium de Urin. probat. c. VII. p. 79.

§ 216. Iam *modum* Nutritionis consideremus. *Primo*: Solidum sanguinis, quod fundente Igne partim, partim diluente Sero, valde est fluidum, pulsu Cordis & vehente Spiritu deducitur in Partium cujusque cava, sub specie vaporis; quem Hippocrates, à parte meliore sui, πνεῦμα *spiritum* vocat l. de Arte t. XVII. 76: à sequiore vero, *νοτίδα vaporem*, l. Med. t. VI. 73.

§ 217. *Secundo*: quia necessario Sanguis tanto minus calet, quanto abest à fonte caloris longius: idcirco Solidum illud sanguinis, sub specie vaporis in Partium angusta propulsum, & sic à Sanguine in vasis fervente sejunctum, necessario tepescit & densescit.

§ 218. *Tertio*: Seri vaporibus aqueis insensibiliter à Membris (sive intro sive, foras) exhalantibus, magis deinde Solidi particulæ coeunt. Coeuntes vero fibrescunt & tenacitate substantiæ adhærescunt, paulatimque acquirunt modum substantiæ similem ei, cui sunt appositæ.

§ 219. Hos sive *gradus* sive *modos* Appositionis alimenti ad partes Avicennistæ nobis designant, cum Alimentum ultimum sive Solidum illud sanguinis, à Massa vasorum exhalans in Partium cavernulas, primo vocant *rorem*, mox *cambium*, novissime *gluten*. De quibus videsis plenius ad Cl. Plempium nostrum in II. Fund. Med. III. 3.

§ 220. Ex dictis vero apparet: *Alimentum*, ut sit tale, opus habere certo ac peculiari substantiæ modo. Quo sine possibile non est, ut præstet corpori fructum, quem desiderat. Nam & heic verissimum est, quod Poeta canit de Arte poet. 1. 106.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

§ 221. *Modus* iste *quædam* Materiæ conditio est, quam ex sinu velut ejus educit *aut* Industria *aut* Natura sumentis. *Industria* primum, multis modis præparando & aptando ad concoctionem. *Natura* deinde, coquendo & aptando ad nutritionem. *Industria* alimentum Naturæ præparat coquendo ad ignem, & masticando

ac

ac subigendo in ore. *Natura* rursus hoc sic præparatum porro aptat nutriendo, dum ex eo *Chilum* primo, mox *Sanguinem* facit: utrobique, *quod* Inutile, secernens & excernens; *quod* Utile vero, indesinenter calefaciens ac movens & promovens ad usum suum.

§ 222. Hoc *utile* vero ὑγρὸν ἐὸν κινέεται ὑπὸ πυρός· κινεόμενον δὲ, ζωπυρεῖται· *humidum cum sit, movetur ab igne: dum movetur autem, vivificatur* seu vitalem calorem concipit.

§ 223. Dum nempe *Calidum* illud, quod Alimentorum materia habet inditum sibi à Creatore, educitur in actum & vegetatur à Calido nostro, & utrumque contemperatur Humido sic, ut ἑκάτερον κρατῆσαι παντελῶς διώκεται, *neutrum superari in totum queat*: hoc est, *non* Calidum ab humido, *non* Humidum à calido: 1. de Diæt v. 54.

§ 224. *Humidum* deinde hoc ipsum, quia, si liquidum est nimis, non potest adhærescere Partibus nutriendis, idcirco, ὑπὸ τε κινήσιος καὶ ὑπὸ πυρὸς ξηραίνεται καὶ στερεῦται, *à motu ac igne siccatur & solidatur*, atque ita requirit Illum suæ substantiæ modum, quo aptum est, quamprimum tepescit, glutinescere & sua tenacitate adhærescere firmiter ei, cui affusum est.

§ 225. Quibus, quantum in rem præsentem, præhabitis in promtu erit ratio, *quare* Oeniades bene comedens, tamen fructum ex cibis solidum non perciperet.

§ 226. *Principio* parum & id valde aqueum ac crudum à cibis assumtis delatum fuit in venas. Hoc suo adventu potuit non quidem comprimere *æstum* Sanguinis, reprimere tamen, ὥσπερ εἴ τις ἐπὶ ὕδωρ ζέον, ἕτερον ψυχρὸν ὕδωρ ὑποχέοι, παύεται τὸ ζέον. *quemadmodum si quis ad aquam ferventem, frigidam affundit, defervet fervens*: l. de Genit. VI. 19.

§ 227. Hoc ipsum *deinde*, quod à Ventriculo infunditur Sanguini, quia ineptum est vivificari & qua substantiam usque eo spissari, ut in tempore & loco fibrescat & agglutinari Partibus nutriendis queat: hinc est, quod moram non trahat in Cavis partium; sed ejus quod aqueum est magis, evolet foras & pereat, quod terreum magis, redeat cum Sanguine in vasa, & igniatur magis, magisque fiat alendo ineptum.

§ 228.

§ 228. *Denique*: Partes solidæ, Humidi cum advectitii defectu, tum proprii detritu, fiunt aridæ atque porosæ. Hinc habent, quod moram Sanguini transfluenti facere nequeant: inde vero, quod transfluentis nihil agglutinari possit. Ut jam non dicam *igniri* Partes, & hinc penitus reddi inidoneas cogendis vaporibus, si qui forte nonnihil utiles ad ipsas deferuntur.

§ 229. Optima igitur ratione Dictator *collapsum corporis* acceptum retulit *defectui nutritionis*. Cujus insignem quoque locum habes 1. de Morb. t. xxx. ubi modum ostendit, quo moriuntur homines & pereunt ex Phrenitide. Meretur adscribi, cum ob paralleliam, tum ob Sanguinis circulationem, cujus illustre habet vestigium.

§ 230. Ait ergo: παραφρονέουσιν ἐν τῇ νόσῳ διὰ πανὸς, ὅτε τὸ αἷμα θερμόν τε καὶ ὑπεκινημένον τὴν εἰωθυῖαν κίνησιν. καὶ ὅτε παραφρονέοντες, ὅτέ τι τῶν παρεσφερομένων δέχονται, ὅ, τι ἄξιον λόγου. ὅταν δὲ παρέλθῃ ὁ χρόνος, μαραίνονταί τε καὶ μινύθουσιν ὑπό τε τοῦ πυρετοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ μηδὲν τρέφεσθαι. *Delirant in morbo continue: quia Sanguis est & corruptus & concitatus qua consuetam motionem. Tum quia delirantes nihil quidquam eorum, quæ offeruntur, accipiunt, quod sit effatu dignum. Quum vero processerit tempus, marcescunt & tabescunt cum à febre, tum ab eo quod nihil nutriuntur.*

§ 231. Verba cedro digna, & è quibus discere possis quæ sunt maximi in arte momenti. *Primum*: Deliria quemadmodum obtingant hominibus ex corruptione Sanguinis & perturbatione Motus ei familiaris: non autem ex Intemperie nescio qua Cerebri, ut cum suo heic deliro duce delirant hodie Galenistæ.

§ 232. *Deinde*: Sanguinem εἰωθυίᾳ κινήσει *perenni motu* moveri in corpore. Quid enim aliud est εἰωθυῖα κίνησις *consuetus motus*, quam qui τὸ εἰωθὸς διαπράττει, *ex more suo continenter agit*, quod agere ad necessitatem Naturæ debet? Quæ necessitas cum sit calefaciendi Corpus & suum cuique Membro demensum distribuendi: non potest non *perennem motum* Sanguis habere, habens in se quidquid est ad vitam necessarium. Nam, ut Aretæus eleganter de Curat. acut. II. 2, αἷμα ἡ φορή. αἷμα δὲ πάντων τροφή· πάντων δὲ θέρμη· πάντων δὲ χροιή. Latine dixero: *Sanguinis est*

est æstus. Sanguini vero omnia alimentum, omnia calorem, omnia colorem debent. Reddidi, ut potui. Nam *optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse est esse deterius*, inquit Quinctilianus Inst. x. 5.

§ 234. *Denique*: Mors quemadmodum obrepat consumto corpore & in consumti locum nihil reposito. Unde & hoc discas, *quid* Oeniadæ fuisset sperandum, nisi Hippocrates velut è cœlo adfuisset & servasset ipsum.

§ 235. EX CIBIS. Videtur hoc *sine causa* addi: cum aliunde ali, quam ex Cibis, non detur. Verum *hoc*, non *illud* est. Verba quippe innuunt, non potuisse aliquem cibum offerri, qui cederet ipsi in alimentum. Nam si quid ejus raperetur in venas, id nutrire non potuit ob causas jammodo allatas. Præcipuum corrumpebatur & secessit per alvum, ceu mox audiemus.

§ 236. EDENTI. Hoc quoque verbum facile quis habeat in superfluis. Quei fructum enim ex cibis percipiat, qui aliquem non sumit? Edas & bibas oportet, ut vivas. Οὐ γὰρ οἷόν τε ζῆν ἄνευ τροφῆς· *Neque enim ulli datum est vivere sine alimento*, inquit Philosophus in Polit. i. 8.

§ 237. Quare non? Causam reddit Lucretius de Rer. nat. IV. 856:

Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quod natura cibum quærit cujusque animantis.
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multis modis docui; sed [vero] plurima debent
Ex animalibus his, quæ sunt exercita motu:
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur;
Multa per os exhalantur, cum languida anhelant.
His igitur rebus rarescit corpus, & omnis
Subruitur natura: dolor quam consequitur rem:
Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus;
Et recreet vires interdatus; atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.

§ 238. Hoc adeo non ignoravit Hippocrates, ut etiam professus sit l. de Ætate (quem libri conjungunt l. de Carn. t. XXI. 5.)

ὅτι ἑπτὰ ἡμερῶν ὁ αἰὼν, *septem dierum esse ætatem* Hominis: & hoc ex eventu manifestum dixerit. εἴτις ἐθέλοι ἑπτὰ ἡμέρας φαγεῖν ἢ πιεῖν μηδὲν, οἱ μὲν πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἐν αὐτῇσιν. εἰσὶ δέ τινες καὶ οἱ ὑπερβάλλουσιν, ἀποθνήσκουσι δ' ὅμως· *Si quis vult septem diebus nihil edere aut bibere, plerique quidem moriuntur in illis. Sunt tamen, qui excedunt, sed moriuntur nihilominus.* Nempe si in proposito aut necessitate illa perseverent.

§ 239. Plinius lib. XI. cap. LIV: Homini *non utique septimo lethalis inedia: durasse & ultra undecimum plerosque, certum est.* Quæ si ab Hippocrate accepit, ita accepit, ac si voluerit neminem sine cibo vitam posse ultra septimum protrahere. Non hoc Præceptor ait: sed, plerosque diutius non producere; quosdam tamen. Quinam vero sint, qui perseverare sine cibo potuque diutius possint, qui minus diu, didiceris vel ex aph. XIII. lib. I. Ubi si *senibus* adstituas, qui tales constitutione corporis, non solis annis sunt: perspicies rationem, quare multi narrentur multos annos durasse cum pauciſſimo cibo aut potu tantum.

§ 240. Oportet ergo *subsit* Emphatici aliquid verbo *edenti*. Subest illud: Quamvis Oeniades *sæpe* admodum & cibi *tantum* caperet, quod videbatur abunde alendo esse: tamen non alebatur.

§ 241. Nihil est, quod vulgus magis soleat admirari, quam videre aliquem belle edentem, nec tamen proficientem. Sæpe id videre est in convalescentibus à morbo, cum cibo utuntur copiosiore, quam conficere calor attritus possit: Aph. II. 8. Unde ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν διψιῶντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀποτίθενται· *ut plurimum omnes debiles, circa initia quidem cibum bene sumentes, neque quidquam proficientes, tandem rursus aversantur illum*: Aph. II. 32. Τὸ φαύλως ἔχειν, *male habere* heic passim exponunt Interpretes: inconsiderate. Loquitur enim de *convalescentibus* Aphorismus, ut juxta cum Galeno diserte fatentur commentatores, & clarum est ex collatione cum Aph. 31. & 8. Dicuntur autem *convalescere*, morbo defuncti & debiles, quando incipiunt resumere vires, & fieri rursus habiles ad obeunda munera intermissa. At

male

male habere, qui adversa valetudine afflictantur, sive qui cum morbo adhuc luctantur. Foesius in Oeconomia: Φαύλως ἔχειν *est valetudine ambigua uti, neutro esse statu, medioque inter sanum & ægrum.* Equidem bene. Verum cum *duplex* iste Status neuter sit, Decidentiæ & Convalescentiæ: de *utro*, an *utroque* est accipiendum? De *utroque* accipiam, cum dabitur *prioris* exemplum. Quod mihi observatum non memini.

§ 242. SED. Græce est καὶ. Quæ *particula* tametsi raro non est *copulativa*; aliquando tamen vim induit *adversativæ*, sive quæ rei propositæ subjungit aliam priori adversantem. Theophrastus sic usurpat Hist. plant. III. 10. ubi Taxum ait ὅμοιον τὸ φύλλον ἔχειν τῇ ἐλάτῃ, καὶ λιπαρώτερον ἢ καὶ μαλακώτερον, *habere folium simile abieti, sed pinguius atque mollius.* Non aliter accipitur Actor. x. 28.

§ 243. Potest etiam *conjunctio* καὶ accipi ut *expositiva*: quemadmodum in illo Æneid. I. 6: *Lavinaque venit Littora.* Sic apud Theophrastum de Caus. plant. IV. 12. illud, καὶ καθ' τροφὴν, ita sumit eruditissimus Interpres, acsi scriptum fuisset, κατά γε τροφήν. vide pag. 247. 2. A.

§ 244. *Vtro* modo sumas, in idem recidet sensus. *Propositum* auctoris est, reddere rationem, *quare* Oeniades non nutriretur ex cibis, tametsi eos & ea quantitate sumeret, ut videretur necessario fructum ex illis percepturus. *Cibus*, ut nutriat, concoqui, defecari, assumi, perfici, distribui, apponi denique Partibus debet. *Horum* nihil, inquit, fiebat: *sed* secessit corruptus atque combustus. Unde tantum aberat, ut ali posset, ut certo tabescere debuerit & liquescere, & perire consumtus: quia id, unde sperabatur merito alimentum, cedebat in detrimentum.

§ 245. SECEDEBAT. *Mortale* nihil sine alimento vivere, certum. *Alimentum* vero nullum sincerum est: nullum tam utile, cui mixtum non sit inutile. Hinc est, quod *confectionem Alimenti non minus necessario sequantur Excrementa, quam fabrum scriniarium Scobes*, ut lepide Hofmannus ait v. Inst. xxxv. 1. Quemadmodum igitur *necessaria* Homini est Alimenti ingestio, ut fructum ex eo quæsitum percipiat: *ita &* Excrementi egestio, ne damnum ex eo non quæsitum accipiat. De hoc negotio varia sunt apud Græ-

cos usitata verba, quæ pudentiore alio, aut aptiore reddi Latine non potuere, quam illo quod præscripsimus.

§ 246. *Secedere*, ὑποχωρεῖν, quis dicitur *proprie*, quando se separat ab hominibus & confert in locum secretum, ad faciendum, quod ipsis coram, multis de causis non libet, non licet. Ita Dominus Iesus volens discipulos ex itinere ad se reversos paulum quiescere, ὑπεχώρησε κατ' ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον, *secessit privatim in locum desertum*: Luc. IX. 10. Marc. VI. 31.

§ 247. Causa *honoris*, quem debemus Deo, proximis, nobis ipsis, non licet nudare membra, quæ peccatum docuit ἀπρεπῆ εἶναι τοῖς σώμασι, *minus honesta esse corporis*, 1. Cor. XII. 23. Idcirco jussi erant Israelitæ exire castris ad secessum, ibi fodere, desidere, & terra mox tegere τὴν αἰσχημοσύνην *turpitudinem suam*. ita namque LXX. vocant hoc, quod homini εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλει, *in alvum abit, & in latrinam ejicitur*. vide Deut. XXIII. 12. 13. 14. Matth. XV. 17. Vide vero vel inprimis rationem, qua Legislator absterrere populum ab ista turpitudine committenda atque spurcitie objicienda oculis prætereuntium satagit. Christiani (pudendum dictu!) hac in parte ita se gerunt, ac si Sanctus Israelis in castris, in urbibus, in medio ipsorum non ambularet.

§ 248. *Græca* in hoc negotio usurpata, varia sunt, ut dixi: pleraque tamen eâdem ab origine, ab illo nempe verbo, quod jamjam audivimus ex ore Doctoris summi. *Simplex* est τὸ χωρεῖν. quod est, *aliquo tendere & ferri*. Qua significatione venit Præceptori in l. de Nat. hum. II. 13. ubi corpus dicitur πρὸς βίλιν χωρεῖν *ad robur ire*, cum, expositore Galeno, θερμὸν γίνεται *calescit*.

§ 249. Sed & *sequiore* significatione usurpat Aph. I. 23. Ubi τὰ χωρέοντα dicuntur, cujus cujus generis *excreta*, & quaqua demum parte exeuntia vel educta. Speciatim de *urina* dicitur II. Prorrh. t. XXXI. fine. ubi quod est, αὖ τὸ ἔρον χωρέῃ, Celsus reddidit, *si ferri urina incipit*. lib. II. cap. VIII.

§ 250. *Visitatiora* tamen Hippocrati sunt hinc *composita*. quæ potissimum tria sunt: ὑποχωρεῖν, διαχωρεῖν, ἐπιχωρεῖν. Sunt autem

tem hæc *propria* Excernendis: quemadmodum Excernenti est τὸ ἀποπατεῖν.

§ 251. Etenim τὸ ἀποπατεῖν vi vocum componentium est, *de via decedere*, atque ita se separare à conspectu hominum. Quod quia facit omnis homo pudens ventrem levaturus, & ad hoc secessum quærit: hacpropter *metonymice* huc translatum verbum est. Ideo etiam ἀποπατὼ (quod frequens Hippocrati de Excretione alvina) Erotiano exponitur ἀφόδευσις, q. d. *deviatio*. Foesius etsi apud Hippocratem dicat significare & *secessus* ad exonerandam alvum, & *dejectiones* ipsas: loca tamen non profert, nisi duo & quibus de *excreto* sumitur, non de *excretione* vel itione ad excernendum.

§ 252. Interim isto modo usurpavit Aristophanes Acharnan. act. 1. sc. 11. 39: εἰς ἀπόπατον ᾤχετο. Interpres: *in latrinam ivit*. fy! Scholiastes: Ἀποπατὼ λέγει, τὸ ἐκδεδιητημένης τροφῆς ἢ ἄφοδος· παρὰ τὸ ἐκτρέπεσθαι τὴν ὁδόν. πάτος γὰρ ἡ κοινὴ ὁδός. *Secessus dicitur, exsuccati alimenti dejectio: quia deceditur de via*, alvi nempe à ciborum scoriis exonerandæ gratia. *Nam* πάτος *est communis via*.

§ 253. Τῷ ὑποχωρέειν sæpe, sæpius τῷ διαχωρέειν, raro τῷ ἐκχωρέειν utitur Hippocrates: numquam tamen aliter, quam *medice*, hoc est, Significatione sequiore, & *qua* Actionem, & *qua* Agens.

§ 254. *Qua actionem*, non memini dixisse de alia, quam qua satagit Natura ὑποκαθίζεσθαι, *sublevari* à saburra inutilium & recrementorum, quæ una cum alimentis subiere in corpus. Hæc quia *aquea* partim, partim *terrea* sunt: quorum *illa* in Vesica; *hæc*, in Alvum confluunt: homo autem æque *vesicâ* depleta, quam *alvo* exonerata levatur, fiatque ad omnia agilior atque expeditior: eapropter est, quod Præceptor utroque in negotio usurpet utrumque verbum. De *urinis*, Aph. VII. 66: de *fecibus*, II. Prorrh. IX.

§ 255. Interim illo *discrimine*, quod notat Galenus ad Aph. II. 18. prope finem. Sed illa rursus *cautione*, quod ad verba ipsius, ut ne τὴν γαστέρα *alvum* ibi cum Interprete reddas, sed *ventrem*. Si enim istis: ὑποχώρησις δὴ τὸ κατὰ τὴν γαστέρα μόνων λέγει: voluit Galenus hoc, quod Leonicenus reddidit, *Subductio solum de*

iis dicitur, quæ per alvum dejiciuntur, aperte hanc sententiam refutat Aphorismus jam à me laudatus modo. Hoc vero voluisse, collegeris non obscure ex dictis ad Aph. VII. 64. Nec aliter intellexit Duretus III. Coac. IV. 1: *Et vero Galeni judicium est in commentario ad Aph. prædictum, τὴν διαχώρησιν, tametsi de alvo transmissa fere dicatur: tamen de aliis quoque dici excretionibus. Quod non admittit ἡ ὑποχώρησις, quæ soli alvo transmissæ semper tribuitur.*

§ 256. Verbum *tertium*, τὸ ἀποχωρέειν de *exeuntibus* per Alvum & Vesicam usurpatum reperies Aph. VII. 69.

§ 257. Quod attinet *agens*, cujus istæ actiones sunt, certum est, nuspiam *personæ* Verba præscripta tribui, semper vero *rei*. Non, inquam, *homo* dicitur ὑπο-ἢ-διαχωρέειν, sed *materia* quæcumq; in secessu excernitur. Duretus indicato loco: Διαχωρέειν. *quo verbo, transitus significatur eorũ, quæ excluduntur* διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, *per loca commoda exclusioni dicata: sed, ut jam attigi, pertinet* κατ' ἐξοχὴν, *ad ventris dejectionem. qua sponte fertur alvus, non coacta, non ægre, ut se exoneret fecibus rerum earum quæ assumuntur, ope adjuta fibrarum, in quibus vis est circumagendi feces atque ciendi peristaltico motu intestinorum proprio, donec transmissæ fuerint & exclusæ.* Unde Celsus ex II. Prorrh. IX. illa verba, ἢν ἀπόπατος διὰ πλείονος χρόνου οὐ διαχωρέη suis adscribens vertit: *Vbi pluribus diebus non descendit alvus.* eleganter.

§ 258. Quemadmodum namque recrementorum *secretiones* Naturæ sunt munia: ita & secretorum *excretiones*. Quamvis enim *has* sustinere ad tempus & differre potest homo: non potest tamen pro arbitrio ciere, aut ciente Natura cohibere. In infantibus & quos Natura gubernat, non Ratio, videre est omne genus Inutilium excerni ἀπὸ ταυτομάτου, *sponte sua*, hoc est, Naturæ pulsu & directu ad loca singulis convenientia. Etiam in adultis & catis quid Ratio potest in Sudoribus movendis? Multi invitissimi sudant. Multi cum sudare maxime volunt, tamen non sudant. Quid etiam in Menstruis feminarum potest? quibus illa singulis mensibus velut ad edictum Prætoris comparent.

§ 259.

§ 259. Sed & in his, in quibus se Ratio quid posse putat, quid potest? Naturam excreturientem sufflaminare pro tempore, & morari tantisper, donec eo secedamus, ubi honeste onus licet deponere. Hoc ipsum tamen quanta sæpe conjunctum cum molestia, quanta cum anxietate, imo periculo, etiam vitæ est? Avia materna CLARA WONDERER, patritia familia apud Noribergenses oriunda, Harlemum ad nuptias filiæ IACOBI *dela* FAILLE, honoratissimi viri, Compatris sui profecta & sponsæ assidens, desubito urgetur ad secessum. Pudor vetat surgere, & negotium facessere convivis, & quasi neglecti inante Naturæ præstandi officii conscientiam prodere. Dum ergo omni vi reprimit Naturæ laborem, fit fervor in Sanguine tantus, ut is perruptis catarractis suis summo cum impetu & tanta copia se profunderet per os, ut deficiente anima sublata inde pro mortua, & mortua fuerit diebus non admodum multis post.

§ 260. Quinetiam de TYCHONE BRAHE, summo viro, constat & memorat Gassendus in Vita lib. v. p. 206. cum ad cœnam apud illustrem Rosemberchium consideret non emissa, ut pro more habebat, urina, & paullo largius biberetur, tendi vesicā sensisse & aliquantisper quidem, sed denique tamen nihil moratum conviviorum leges, è mensa abiisse ac domum petivisse; verum orificio vesicæ obturato, & vi expultrice præ nimia retentione labefactata, urinam jam tum reddere non potuisse. Gravissimis exinde cruciatibus, vigiliis, interna febri, delirio obortis, sed tandem sua animo restituta serenitate, pladicissime exspirasse undecimo die.

§ 261. Meminit Tranquillus, Claudium Cæs. *meditatum edictū, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi: cum periclitatum quemdam præ pudore ex continentia reperisset*: vide c. 32. Extat & 11. Epigr. XLIV, Nicarchi de Peditu ventris ejusque viribus seu crepitu carmen perelegans. quod vel ideo me non pudet exscribere, quia scire etiam illa, quæ pro obscœnis habemus, non est obscœnum, & omnino licet in talibus etiam agnoscere sapientiam Creatoris, qui corpus animale sic condidit, ut halitibus intra se compressis inutilia & nocitura possit ejectare. Audiamus ergo, quem laudavi, Poetam. Πορδὴ

Πορδὴ δοπκλείνῃ πολλὰς ἀδιέξοδ' ἔσω·
Πορδὴ καὶ σώζῃ, τραυλὸν ἱεῖσα μέλος.
Οὕτω εἰ σώζῃ κ' δοπκλείνῃ πάλι πορδὴ,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσον πορδὴ ἔχῃ δυνάμιν;

Quæ ego, etsi non versibus æquis, sic Latine tamen reddere sum conatus:

Sat crepitus multos, nequiens prorumpere perdit:
Et servat, raucum rustica musa canens.
Ergo si jugulat crepitus, si liberat idem;
Quis neget hunc magnis Regibus esse parem?

§ 262. Non igitur injuria Stoici *etiam crepitus ajebant æque liberos, ac ructus, esse oportere.* auctor Cicero Famil. IX. 22. Et sane sanitati flatus retentos quia plurimum obesse comperiuntur Medici, idcirco præceptum Anglorum regi à Salernitana schola fuit:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum.

§ 263. Cæterum poeta *peditum* Cantui comparans facit me meminisse ejus, quod memorat Augustinus de Civit. XIV. 24: *Nonnulli ab imo sine pudore ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur.* Subnotat ibi Lud. Vives: *Talis fuit memoria nostra in hac terra Germanus quidam in comitatu Maximiliani Cæsaris, & Philippi ejus filii: nullum erat carmen, quod nō ille crepitibus podicis redderet.* Sed *unde* homini flatuum quod sufficeret ad inflandum illud cornu? Ab *aere* procul dubio. Quem in Ventriculum quoque, maxime tunc ire, cum vacat & hiante stomacho, certissimum est. Institutionistas inter primus notavit ex Hippocrate Hofmannus III. Inst. XXX. I. & LXI. 5.

§ 264. CIBUS. Foesius in Annot. VII. 234. F: Σῖτος *hic ciborum reliquias & excrementa significat, ut supra lib.* IV. *& alias plerumque apud Hippocratem. Istum autem locum subindicare videtur Erotianus his verbis:* σῖτος πονηρὸς· νιῶ τὸν σῖτον αὐτὶ κοπρίης πέπαχε. De *hoc* quidem non dubito: poni, inquam, pro *stercore* seu, ut proprie nominatur, *homerda.* Certe id evincunt loca à diligentissimo viro producta in Oeconomia. Verumenimvero, quisquis locum præsentem considerabit, τὸν Σῖτον heic videbit non *ciborum*

borum reliquias & excrementa significare, sed *cibum* ipsum.

§ 265. Dilucet clare hoc *cum* ex Antecedentibus, *tum* ex Subsequentibus, *tum* ex Re ipsa. Ex *antecedentibus*: si enim *reliquiæ* dumtaxat Ciborum secedebant, quare corpus sartum tectum conservare non potuit? præsertim cum solito frequentius comederet & consumeret celerius? quare contra emacruit, extabuit, colliquit? Ex *subsequentibus*: nam si sola *excrementa* Ciborum exibant, quid opus his purgatis erat, cum sponte irent? aut si horum quædam relinquerentur, quare, cum omnis generis medicamenta sumeret, nullum ex his levamen sensit? Ex *re ipsa* denique: dijudicari quippe, quid secederet, non potuit, nisi ex Excretis: ἰδεῖν γὰρ καὶ ἀναχώρησιν, *inspicere enim & dejectionem* oportet; monente nostro l. de Vict. ac. t. XLVII. Tam enim hoc turpe non est Medico, facienti officium: quam non est Regi sanaturo tangere strumam pediculosi. Visis excretis vero, licuit Cibum esse, qui excerneretur; sed corruptum, sed combustum.

§ 266. Si *talis* fuit, unde licuit, *Cibum* fuisse? *non* Alvi feces? *non* Corporis liquamen? Ex consistentia & qualitatibus aliis, spectari in talibus solitis. *Feces alvi* cum comburuntur, siccantur duranturque. vide ad Galenum 1. Prorrh. II. 6. *Colliquamentum*, quod cernitur in dejectionibus, prætenue, oleosum, putidum est. vide rursus ad illum III. Epid. III. 72.

§ 267. PRAVUS. Non eâdem phrasi heic σῖτος πονηρὸς, *cibus pravus* dicitur; qua τροφὴ πονηρὴ, *alimentum pravum*, Aph. II. 36. Etenim *pravo alimento uti* dicitur, qui, *sive* Sponte, *sive* Coactus, sumit ordinarie tale, quod *aut* Sua natura pravum, *aut* Suæ naturæ est. *Sua natura* pravum est, quod simpliciter mali succi est, sive quod μοχθηρὸν εἴωθεν αἷμα γεννᾶν, *vitiosum consuevit sanguinem gignere*, uti Galenus loquitur in com. Catalogum talium exhibet Celsus II. 21. Respectu *naturæ Sumentis* pravum Alimentum est, quod ipsi, quacumque demum de causa, non confert. *Qui* Vitæ genus habet actuosum, *qui* Calidum acre, eorum in ventriculo teneri & delicati cibi raro non corrumpuntur.

§ 268. Præsenti in casu *cibus pravus* idem est, qui depravatus coquendo. Hesychius: πονηρὸν, κακοπαθῆ. Ita vero dicitur, quod

male affectum est, & affectione hac vitiatum, vitioque accepto malignum. Glossarium : *Malignus*, πονηρός. Isidoro in x. Orig. *malignus* dicitur, *qui malitiæ opus peragit*. Peragit vero *non unum* Cibus in ventriculo jam factus *malignus*.

§ 269. *Quæ* autem sint illa *mala*, ipsa ex origine vocis, optime cognoscitur; si modo tam verum quam simillimum vero est, Latinis *malum* dedisse Græcorum μαλὸν ἢ μαλερόν. Dideceris quippe ex Hesychio atque Eustathio τὸ μαλερὸν significare inter alia, ὀξὺ, ἰσχυρὸν, καυστικὸν, μαραντικὸν, φθαρτικὸν τῶν ἀπαλῶν σωμάτων. Adfertur & τὸ μαλὸν pro *exitioso*. Quorum *nihil non* est in tali cibo, *qualis* Oeniadæ in ventriculo fiebat. Igneo quippe calore ustus cibus, factus est egregie *acris, vehemens, ustivus, tabificus, & corruptivus mollium corporum*, atque ita *exitiosus*

§ 270. Debebatur *acrimoniæ* (qua acute afficiebat ventriculi atque intestinorum tunicas, & incessanter eas lancinando stimulabat) quod retineri cibus nequiverit. Debebatur *vehementiæ*, quod illum morari intra se intestina non sinerent, sed ad excessum continenter promoverent, atque ita toties cogeretur patiens secedere & se deonerare, quoties escam sumeret, & sumtam perverteret vis ignea. A qua ut urebatur, ita & *ustivam* vim concepit, & *tabificam* illam, qua *corrupit* carnes & quidquid præterea est *mollium corporum* in homine.

§ 271. Nequiit enim fieri, ut non istius *famis* Vis rabida raperet in Sanguinem una cum aquosis etiam particulas terreas subtiles atque ustas. Non possum vero *hoc*, quod tali in casu rapitur intus, ulli rei aptius comparare, quam fumo querno. Qui cum maximam partem aqueus sit : vapor tamen secum vehit crassum quid & acre. Salem fixum arsenicalem vocant secretorum Naturæ rimatores, & nobilem ex eo parare medicinam docent contra Cancrum, oppobrium Chirurgorum.

§ 272. *Istæ* particulæ in partium molles delatæ, neque hinc relatæ aut evadentes cum eo quod perspirat, macerant ipsas & attenuant & liquefaciunt adjumento non exeuntis fluoris. Obcutis quippe ariditatem atque contractionem perspiratio fit minor : minore copia inquam, & materiæ subtilioris tantum, quæque

que avehere secum nihil crassiusculi possit. Unde *exitium* tandem certum est: dum videlicet multa deteruntur Substantiæ solidæ, apponuntur vero pauca.

§ 273. Quorum jam *effectuum* respectu recte rursus *ille* Cibus πονηρὸς fuit ab Hippocrate dictus, hoc est, expositore iterum optimo Grammaticorum, κακὸς, δῆνὸς, κακοῦργος· *malus, gravis, maleficus.*

§ 274. Dicitur, inquam, recte primo, *malus.* Vocabularium vetus: *Malus dicitur* à μέλας, *quod sit niger & perversus.* Eamdem originationem & Isidorus agnoscit in loco, quem jam laudavi. Probat judiciosissimus Scaliger de Subt. ccc. 3.

§ 275. Profecto *niger* est, & *perversus* talis cibus. *Niger*, colore, substantia, effectu. *Colore*: quemadmodum? dicam ad sequens in texu verbum. *Substantia*: est enim νεκρὸς, *mortuus*; utpote spiritu vivo nequaquam imprægnatus, quemadmodum Chilus ex cibo rite confectus. *Effectu* denique: quia ἀνιαρὸς, *tristificus* & *formidabilis* est. Adfert tristitiam cum dolore, quo affligit. Adfert *formidinem* cum tenebris, quas offundit spiritui, reddendo sanguinem fuliginosum & turbidum.

§ 276. Etiam *perversus* est, hoc est, versus à bono, & versans in malo, uti eleganter in Elegantiis explicat Valla lib. v. cap. xxxi. *In malo* quemadmodum *versetur* atque occupetur, vidimus. Sed *bonum*, à quo versus est, quodnam est? *Officium* primo, quod debebat corpori. *Hoc* vero est, *alere* seu resarcire jacturam, quam variis ab causis patitur corpus. *Facultas* deinde faciendi hoc officium. Δυνάμις *facultas* Hippocrati dicitur, quæ ἰδιότης καθ' ὅλων τὴν οὐσίαν, *Proprietas totius essentiæ*, Galeno in VI. Epid. IV. 5. & sæpe alibi.

§ 277. Ita vero esse evidentissimum est legenti considerate eam l. de Vet. med. partem, qua irrefragabilibus argumentis refutat Præceptor *opinionem* de Qualitatibus primis, quam suo tempore, prorsus ut hodie, fovebant Medici. Quod vero *proprietatem totius suæ essentiæ* amisit; quodque alium è contrario *modum materiæ*, aliasque *qualitates* toto genere diversas à naturalibus & Naturæ nostræ inimicas admisit: id vero est, quod *mali-*

gnum vocamus. *Talis* autem est Cibus, qui quoquo modo est corruptus, eoque magis si præterea sit combustus.

§ 278. Recte secundo *gravis* hic ipse dicitur: non ideo quidem, quia sua natura ponderosus est; sed quia molestus corpori est. *Ponderosum* esse, liquebit instituta comparatione cum Chilo. *Hic* enim instar floris lactei totus est spumosus seu Spiritu naturali humidoque plenus. *Ille* contra cœni instar compactus & turbidus. *Molestus* vero corpori, non tam pondere est, quam qualitatibus antedictis, quibus usque & usque Naturam stimulando omnem ejus ordinem subvertit.

§ 279. *Maleficum* denique recte dici, non aliis probare argumentis necesse est, præter quæ suppeditant mala ipsius opera, quæ proposuimus. Et vero quid aliud exspectes à malefico, quam maleficia? Caput autem maleficiorum, quæ improbe Cibus iste admittit, illud est, quod fraudulenter corpori subtrahit nutritionis instrumentum. Hoc vero etiam pejus est, quia tegitur per officium. Dum enim aliquid submittit corpori, quo placare videatur furorem famis velle, ceu Cerbero offam; interim serpit damnum à se creatum, certam perniciem, serius, ocyus, allaturum.

§ 280. ATQUE. *Corruptionis* ciborum in ventriculo modus non unus est. Galenus *triplicem* nos docuit l. de Sympt. caus. III. 1: *duos* Communes, *unum* Proprium. *Communium* quidem *alter* est, quando fit ex illis Cruditas acida: *alter*, quando fit Cruditas nidorosa dicta. *Proprius* denique est, quando prout cujusque cibi natura est, ita fit alia atque alia. *Alii* enim ut putrida stercoris aut fimi: *alii* pisces crudos, aut indicibilem atque absurdum putorem redolent. Oportebat ergo dici, *cujuscemodi generis* Corruptio ciborum accideret Oeniadæ: præsertim cum ex alia atq; alia causa fiat quælibet illarum. Quam sciviſſe intererat ad curationem quam maxime. Quare non satis habuit dixiſſe, *secesſit cibus pravus*: addidit, *atque*

§ 281. COMBUSTUS. *hoc est*, ustione consumtus. Non quod *totum* Cibi redigeretur in nihilum: sed quod *totus* Cibus ardore immodici ignis redderetur exsuccus, nidorosus, inutilis.

§ 282.

§ 282. *Exſuccus*: quia privabatur illo *ſucco*, qui è Cibo ac potu elici coctione ſeu temperatione humidi & ſicci debuit à Calore naturali in alimentum corpori. Hic eſt, quem Medici recentiores *cremorem* Chili nominare jam ſolent, ad diſtinctionem ejus *pultis*, quæ in Ventriculo ceu publica olla coquitur quotidie, & *chilus* vulgo dicitur, & habet (juxta illum ſuccum) *ſcoriam* quoque ſeu recrementa ciborum. *Succus* ergo nobis pars melior chili eſt. Donatus ad Eunuch. act. II. ſc. III. 26: *Succus eſt humor in corpore, quo abundant bene valentes. Succus proprie, quaſi ſugus: quod eum ſibi ex alimentis membra ſugant, ut ſe repleant*, atque reficiant eo. Hunc ſanguini infuſum & vim fervoremque Cordis expertum, *chymum* vocamus, ad diſtinctionem non Chili tantum, ſed & Succi ſeu cremoris ejus jam exucti & ſurſum per Venas chiliferas commeantis.

§ 283. *Nidoroſus* dicitur à nidore Medicis, quem ructuoſus ejus ſpiritus effert. *Nidor* Grammaticis eſt odor nidens ſeu redolens aduſtionem. *Quem* cum accidit aliquem experiri ex ſaliva, ructu, vomitu, rancidis: indicio eſt, *Pingue* ciborum amburi & tranſire in quid ſimile Bili. *Simile*, dico: neque enim *vera* Bilis eſt. Interim non eſt, cur mori recepto non inhæreamus, modo neſcii non ſimus, ita dici per ἀναλογίαν ſeu comparationem communium accidentium, odoris, ſaporis, coloris, conſiſtentiæ, poteſtatis, & ſi quod præterea eſt.

§ 284. *Inutilis* denique: non ideo tantum, *quia* Non prodeſt: ſed &, *quia* Obeſt. Nã *inutile* auctoribus Latinis dicitur, & quod alienum eſt ab utilitate communi, & quod noxam nocere, & damnum dare atque perniciem poteſt. *Vtrovis* modo *combuſtum* Cibum inutilẽ eſſe dilucet ex iis, quę de corruptione dicebamus in proximis.

§ 285. QUUM VERO. Iſta ſunt reſumentis filum abruptum. Abruperat reddendæ rationis cauſa, primo: *quare* Oeniades poſt ſumtam eſcam mox iterum reſumere cogeretur? quia nempe vacuo ventriculo intolerandum dolebat. Secundo: *quare* Ipſe nihilominus conſumeretur? quia non alebatur ex cibis. Tertio: *quare* Non aleretur? quia aſſumta non ad corpus accederent, ſed per alvum ſecederent. Quarto: *quare* Secederent & fruſtrarent

exspectationem vescentis? quia non elixarentur in succum utilem, sed urerentur in pravam noxiamque fecem.

§ 286. *Quibus* expositis, redit ad querelam, saltem præcipuam Patientis. Comperimur indies, vel de *solo* Dolore conqueri ægrotantes, vel *solum* causari &, si quæ præterea sunt symptomata, huic acceptum referre. Hinc toties illam vocem audias: nequeo præ dolore aut crescere aut florere.

§ 287. RECENS. Hesychius: νεωστὶ· ἀρτίως, πρόσφατος, πρὸ μικροῦ· *Recens: dudum, nuper, paulo ante.* Quæ uti omnia dicuntur de parvo tempore (horæ unius duarumve aut trium) noviter præterlapso, quale heic procul omni dubio intelligendum: ita non admodum refert, quodnam ex istis reponas. Malui tamen cum Interpretibus hoc reddere, quod & Græco propius, & certius, & simplicius esset.

§ 288. Τὸ νεωστὶ, *nove*, ni fallor, proprie est. At quia hoc pertinet ad rem, non tempus, uti Manutius docet Epist. 11. 21: idcirco prætuli τὸ *recens*; ceu quod pertinet ad tempus, non rem. *Dudum* aut *nuper* potuissent dari: non dedi, quia etiam de remotiore tempore frequentari solent, comparatione facta ad remotissimum, tanquam antiquissimum. Referuntur enim non tantum ad horas, sed & dies, imo & menses, aliquando & annos.

§ 289. At *recens*, non potest aliter, quam de eo tempore intelligi, quod *paulo ante* fuit. Quo ipso verbo etiam illud simplicius est: fortasse & significantius. nam & particula *re* significat iterationem. Atque adeo verissimum hoc in Oeniade fuit. Toties enim, ut supra dicebamus, exstimulante, hortante, jubente, cogente dolore resumens cibum, visus fuit & recidere in morbum & renovare laborem.

§ 290. PASTUS ESSET. De hoc verbo cogitationes meas promsi jamante. Neque habeo nunc addendum præter quod concernit verbum Græcum, ejusque interpretationem. Græce est: βεβρωκὼς εἴη. Hoc Cornarius reddidit: *cibum accepisset.* Rectius *escam* dixisset. Lexicõ vetus: βρῶμα, *Esca.* Significat enim στερεὰν τροφὴν *solidum alimentũ*: uti paret, collatis Apostoli locis, qui sunt 1. Cor. 111. 2. & Hebr. v. 12. Et certe, ut & ante dixi, dubitandum non est, signi-

significasse illo verbo, tale cibi genus sumsisse virum, quod uti commolitione indigeret, ita & negotium exhibere calori posset.

§ 291. Deinde, non dicit Hippocrates, neque statuto opus est, *decubuisse* Oeniadem, atque ita ei debuisse dari cibum, ut acciperet. Etenim accipimus ab aliis, quæ porriguntur. Hoc vero, nisi decumbentes & lecto affixi, non solemus. Quamdiu enim sumus ὀρθοστάδιοι, stamus, ambulamus, nullum nostro nobis ministerium est jucundius atque in promtu magis. Hacpropter nemo non adire penum & sibimet ipse mavult sumere cibum, quam præstolari donec offerat alius.

§ 292. In arte τὰς προσφορὰς *oblata* pertinere ad decumbentes, ostenditur Aph. II. 33. *Oblata* vero, ex usu Græce loquentium, esse *cibos quibus vescimur*, docet Casaubonus ad Athenæum VIII. 14. Dicam ergo ipsius verbis: *quare interpres non recte*, ad ea quæ offeruntur. *saltem adderet*, in cibum. *Quamquam id quoque non probo.*

§ 293. Multo minus, quod commenti sunt Brasavolus & Mercurialis. Qui, non obstante, quod Galenus τὰς προσφορὰς de *cibis oblatis* tantum & recte esset interpretatus: nihilominus voluere extendere significationem ad *omne* id quod offertur & adhibetur, ad Medicamenta pariter ac Alimenta: insigni errore. quem errasse miramur sane viros Græce doctos, præsertim Mercurialem, philologum præterea egregium.

§ 294. Sed præbuit illis occasionem Galenus III. Epid. III. 55. ubi ait προσφερόμενα λέγω, καὶ κοινῶς ἅπαντα τὰ βοηθήματα, καὶ ἰδίως τὰ ἐδώδιμα καὶ πόμενα· *Oblata dici, communiter quæcumque auxilia: proprie vero, cibos ac potus.* Inde & προσφορὰ exponuntur Hesychio τὰ ὑπηδεῶς προσφερόμενα, *quæ apposite fiunt ad sanandum*, diceret Fernelius Therap. I. 2.

§ 295. Ergone nesciendum est, *aliter* τὰ προσφορὰ accipi, *aliter* τὰς προσφορὰς? Hesychius iterum: προσφορον· ὑπηδόν, ἁρμόζον, οἰκεῖον· *idoneum, congruum, familiare.* Suidas: προσφορα· χρήσιμα, *utilia.*

§ 296. At ἡ προσφορὰ, *esca* est proprie. Theophrastus de Caus. plant. IV. 10: *Semina*, ait, *quæ leviore alimento utuntur,*

καρπο-

κρεφοπέρων ποιεῖν καὶ τ προφορὸν, id est, *leviorem cibum praestare*; ut loquitur Celsus II.18. Gaza vertit: *usum ciborum facere leviorem*: inepte sane. Non obstante, quod ἡ προφορὰ pro *cibi usu atque sumtione*, ab ipso Theophrasto interdum usurpetur. Videre id laudato loco. Ubi Loti radicem dicit habere intus album quid & farinaceum, quod elixum vel assum praestet quid ἡδὺ ἐν τῇ προφορᾷ, hoc est, *gratum cibis*, vertente Plinio XIII.18. Et hinc, docente ibi Scaligero, προφέρειν est *pascere oblatis cibis*. Sunt itaque αἱ προφοραὶ in aphorismo *cibi aegro oblati ad vescendum*. confer l. de Loc. in hom. t. LIV.

§ 297. Neque alia *intentio* Aphorismi est, quam ostendere ὑ μικρὰν τῷ κάμνοντι τ σωτηρίας ἐλπίδα, *non parvam aegrotanti spem salutis* affulgere, si valeat Natura. An autem *valeat*, docet cognoscere è duobus, iisque maximis, quae geruntur ipsius ductu: videlicet, Ratione & Coctione. Quae si recte fiant, *bonum* sunt, & quidem ἐν πάσῃ νόσῳ, *in quovis morbo*. Etenim multa sunt in morbis bona, quae non sunt in omnibus tamen. *Omni in morbo* bonum est, *mente valere*, & *bene habere circa cibos*.

§ 298. Dicuntur vero ἐρρῶσθαι τὰ ἀμφοτέρω, qui περὶ ἀναγκαῖα *circa necessaria*, ut vocat Praeceptor Coac. I. 103, nihil à ratione alienum, nihil ineptum, tamquam sui aut immemores aut negligentes, committunt. Dicuntur vero οὐ ἔχειν πρὸς τὰς προφορὰς, non solum quibus appetitus manet, ut nimis anguste interpretatur Dux interpretum: sed & qui bene & sine molestia conficiunt cibum, & ex eo eatenus proficiunt, ut saltem Corpus sibi sentiant ἀκμάζειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι μᾶλλον ἢ κατὰ λόγον, *perseverare & nihil imminui ultra quod rationi consentaneum est*: Aph. II.28.

§ 299. Porro *utrumque* illud, si cui in morbo eveniat, *bonum* est omnino: *tam* ut Causa, *quam* ut Signum. Ut *signum* quidem: significat quippe *valere* Naturam & constare sibi, quin & habere roboris tantum, quo sufficiat *tum* Corpori de necessariis prospiciendo, *tum* Morbo coquendo & exigendo. *Robur* hoc Naturae quia consistit in copia Calidi & bonitate Sanguinis: quae sunt prima & principalia Naturae instrumenta, quibus omnia ad Sanitatis cum tutelam tum medelam necessaria exequitur: paret,

cur

cur etiam ut *causa* bonum sit bene habere ad cibos, & cum in his accipiendis, tum præterea in necessariis admittendis, ratione duci.

§ 300. Galenus *constantiam* Functionum acceptum referens Partibus solidis seu Membris potius quam Naturæ, hoc est, Instrumentis potius quam Agenti principali, magnis præbuit ansam erroribus. Quos quia omni occasione redarguimus, nihil attinet à proposito nunc divagari longius.

§ 301. Cornarii vero, quam vidimus, hallucinatio excusabilis est: non est Foesii. Qui, illud βεβρωκὼς εἴη exponens *cibum devorasset*, prorsus ad *alium* Morbum abducit legentis cogitationes. Quamvis enim *devoro* etiam modesta significatione pro *comedo* & *deglutio* sumatur: *proprie* est, magna aviditate multum cibi ad se rapere, non mandere, vix gustare, adeoque ventriculum implere, ut oneri sit non tantum, verum etiam revomatur sæpe.

§ 302. Hoc quia *canum* est, hinc *ille* Appetitus caninus fuit sequioribus seculis dictus. Qui *morbus* cum plane alius & alia ex *causa* sit, quam est ille, ex quo Oeniades laboravit, non debuit cum hoc ullo modo confundi. In tota nostri historia verbum non est, si modo recte accipis, quod *Caninum appetitum* sapit.

§ 303. Verum est, cibi vacuus durare non potuit præ stimulo famis. Verum huic satisfacturus non dicitur sine ratione se, ut brutum, gessisse. Verosimile, nihil immoderati in sumendo cibo admisisse, præterquam quod sæpius justo cogeretur se pascere. Verosimile etiam, qualibet vice fuisse cibo non admodum multo contentum & satiatum. Facile enim expletur Ventriculus debilis. Facile etiam gravatur Spiritus imbecillis.

§ 304. HOC TEMPORIS. Quo nempe cibus sumtus detineretur in ventriculo, & contereretur: sive, priusquam contritis cibis & dimissis, denuo igniretur ac doleret. Quantum fuerit id spatium, quod inter sumtionem cibi præcedentem & insequentem intercederet, idcirco non expressit Dictator, quia scire nihil interesset ad rem. Forte & quia non idem fuerit semper, sed longius modo, modo brevius, prout facilioris aut difficilioris digestionis cibi erant ingesti, & magis, minus sæviret morbi furor.

§ 305. IPSUM. Demonstrativum hoc. Quare Foesius ergo non expressit? Cornarius fecit, sed referendo ad tempus, quod diximus, repleti ventriculi: *eo ipso tempore*. Sed res loquitur, spectare ad *personam*. Vult enim Oeniadem ventriculo saturo, saltem placato & occupato in consumendis quæ accepisset, non sentiisse suctionis molestiam. Tunc enim *ipsum*

§ 306. MINIME SUGEBAT, seu fatigabat dolor. Dicit, ἥκιστα *minime*. Scilicet, ut sine dolore numquam fuisse Oeniadem intelligamus: doluisse minus tamen pleno ventriculo: & quidem tanto minus, quo recentius cepisset cibum: atque adeo minime omnium, cum jamjam *pastus esset*. Nempe ejuscemodi in casu seu affectione

Parva sit ardoris violenti pausa parumper:
Inde redit rabies eadem, & furor ille revisit:

uti alia licet, non dissimili tamen de re canit egregie Lucretius IV. 1109.

§ 307. Foesius heic iterum delirat, sive delira Hippocratica aberrat: reddit enim, *tum minime strepitum sentiebat*. Quod rectum non esse, aut consentaneum rei, pridem ostendi.

§ 308. VEL DOLOR HABEBAT IPSUM. *Glossema* hoc esse, plane nullus dubito. Cujuscemodi multa subrepsisse priscis Auctoribus, communis est eruditorum querela, quotquot ipsis illustrandis operam navant qualemcumque. Hippocrates satis habuit dixisse, *recens pastum minime sugebat*. Ideo nempe, quod exhinc ultro sequeretur, *minime etiam tunc doluisse*. Lector ad id, quod principio dictum erat, respiciens adscripsit & hoc margini, ad sensum pleniorem. Unde deinde librarius, rude rerum genus hominum, inferre in texum non dubitavit, quod omnino pertinere ad rem & consentaneum propositis videbatur.

§ 309. Sed non sit generis suppositicii, tamen non probarim expositionem aut Cornarii aut Foesii. qui reddunt, *neque dolor aderat* aut *detinebat*. Neque enim recens pasto aberat omnis dolor, uti jam monui; sed *cruciatus* tantum, seu ἐνέργημα ὀδυνῶς, ut Hesychius alicubi vocat.

§ 310. Interpretes hoc comma sic reddiderunt Latine, acsi Græ-

Græce scriptum fuisset, καὶ ἄλγος οὐκ εἶχεν αὐτόν. Etiam tunc debuissent: *& cruciatus non habebat ipsum.* Hesychius iterum: ἄλγεα: ἀλγηνὰ κακὰ, ὀδυνώμενα, πήματα. Ubi quæ dicantur ἀλγηνὰ κακὰ, ex mox sequenti glossa adverteris. Ἀλγηνή· χαλεπή. At vero χαλεπὸν, si quod aliud, magnum est & plenæ significationis epithetum apud suos: quod Latini idcirco multis reddunt, & æque magnis, sed sumtis semper è natura rei, cui apponitur: par pari quippe nequeunt.

§ 311. *Cruciatus* iste, quo Oeniades afflictabatur cibo vacuus, quam fuerit *gravis*, id est, cum molestus tum acerbus quoque & sævus atque periculosus, intelligi potuit ex iis, quæ variis in locis de hoc *malo* sunt antedicta.

§ 312. Eleganter usus est hoc verbo Androtion, cum Hidrieum diceret, dicendi accepta potestate, χαλεπὸν esse, nec aliter ac Canem solutum vinculis incurrere in obvium quemque & mordere omnes. refert Aristoteles Rhet. III. 4. Latini tales *procaces* appellant, si dictis tantum: *petulantes*, si factis præterea modestiam excedunt.

§ 313. Atenimvero, cum *negativam* libri non habeant, unde eam mutuarunt Interpretes? A sensu: qui postulat certe. Idcirco nos, ut & nihil alieni ingereremus & nihilominus satisfaceremus sensui, particulam καὶ *disjunctive* sumus interpretati. Nam & hoc modo usurpari non modo ab aliis, sed & ab Hippocrate ipso, supra monuimus Exerc. VII. 65. Sed quod dixi, dico rursus: *totum* hoc pro glossemate habeo. quare nec immoror diutius.

§ 314. Hucusque occupati fuimus in expositione eorum, quæ concernunt *naturam* Morbi, & præhabere oportuit ad intelligendum, quæ deinceps de *curatione* Oeniadæ dicuntur. Eam vero *geminam* Hippocrates proponit: *unam*, Præposteram; *alteram*, Præproperam, hoc est, cito ducentem Ægrum ad metam votorum. *Istam* primo exhibet loco: *illam*, ultimo. Quod filum sequemur porro.

§ 315. Hic. Ita mos est apud omnes, ut Pronomine demonstrativo utamur, quotiescumque designare Rem quamdam aut Personam necesse habemus, cujus Nomen aut nullum est,

Unable to display this page

Unable to display this page

§ 325. Atenimvero aliter se apud Præceptorem res habet. *Pharmacum* ipsi commune *nomen* Veneni & Medicamenti est: De *veneno* tamen non usurpat, nisi adjecto τῷ θανάσιμον. Videre id in Jurejurando t. II. 22. ubi Φάρμακον θανάσιμον jurat nulli se daturum. De hoc vide iterum ad Meibomium XIV. 7. De *medicamentis* dici, uti dubium non est: ita esse vidimus, de quibus dicatur. Mirum vero, hujus *vocabuli* ne mentionem quidem fecisse Foesium, præsertim post illam expositionem *verbi* δ Φαρμακεύειν, quam audivimus. In quo tamen agnoscimus parcitum labori nostro. Hoc ipso enim inoffense nobis, & brevius licebit exponere vocabuli usum.

§ 326. Τὸ Φάρμακον ergo Præceptori, *primum*, dicitur de *quolibet* Medicamento, cujus cujus facultatis fuerit. Textus est clarus & nobilis l. de Loc. in hom. t. LIV. πάντα Φάρμακά ἐστι τὰ μετακινέοντα τὸ παρεόν. πάντα δὲ τὰ ἰσχυρότερα μετακινέουσιν. ἔξεστι δέ, ἢν μὲν βούλῃ, Φαρμάκῳ μετακινέειν· ἢν δὲ μὴ βούλῃ, σιτίῳ. *Medicamenta sunt omnia, quæ mutant quod præsens. Quævis autem validiora mutant. Licet vero, siquidem velis, medicamento mutare: sin nolis, cibo.* Ad quæ dari magnus commentarius posset, si hoc ageremus. Aliquid interim de Re, aliquid de Verbis dicendum.

§ 327. De *re* ecce judicium Franc. Perlæ, viri sane docti, quod reperies in com. III. 49. *Generalissime acceptum* pharmaci *nomen omnia comprehendit, quæcumque vel assumta vel admota, humanum corpus immutare possunt, sive in substantia, sive in temperamento, vel quomodolibet aliter: ita ut etiam Venena complectatur. Hippocrates tamen de eo tantum loqui censendus est, quod in ægrotantis corporis utilitatem cedit. Medicamenta enim, ut habetur* II. *Meth. med.* I. *eatenus auxilia dicuntur, quatenus prosunt. De hoc igitur plura perpaucis verbis docentur in præsenti textu. Primo videlicet, in quo Medicamenti ratio consistat, prout distinguitur ab Alimento. Secundo, quam proportionem habere debeat supra humanum corpus, ut illud immutet. Tertio, quod transmutatio fieri possit non modo à puro medicamento, verum etiam à cibo, qui medicamento sus sit, vel medicamento admixtus.*

§ 328. Quibus ego meliora, quantum in rem præsentem, adferre nequeo. Ideo nec piguit exscribere. Imo vero gratum mihi

mihi & volupe est sua auctoribus cum merita laude reddere, & profiteri apud alios, per quos ipse proficiam. Quemadmodum vero quæ exhibui, bona sunt: ita & quæ omisi, ceu ad meum nunc scopum non facientia. quæ tamen si quis adibit, etiam doctior abibit.

§ 329. In *verbis* duo negligere non debui: τὸ μετακινέειν nempe, & τὸ παρεόν. *Istud*, cum ter repetatur, Cornarius quidem constanter reddit, *transmovere*: Foesius vero, tamquam rhetoricans, semper aliud, & primo loco, *dimovere*; mox, *immutare*; denique, *transmovere*. E quibus *primum* tamen habuisse pro palmario videtur: bis enim in mox sequentibus repetit.

§ 330. Numquam ego quidem, cum in ejuscemodi incido, satis mirari possum, tam parum esse sollicitos interpretes, quid pro quo reponant. Quam licentiam ut maximam video in Foesio: ita & detestor maxime. Quisquis interpretis sibi munus sumit, nihil habere prius atque religiosius debet, quam ut paribus omnia reddat. Interpres collybistam se meminerit: speciem mutet, non summam.

§ 331. Τὸ μετακινέειν, *mutare* est propriè & simpliciter; & omnino plus, quam *movere*; nedum *dimovere*, aut *transmovere*. Etenim *moveo*, proprie est de loco meare facio. Particula *di*, in voce secunda, etiam auget significationem, ut *dimoveo* sit valde moveo. Idem manifeste facit præpositio *trans*, in tertia; & fortasse magis etiam.

§ 332. *Mutare* autem est facere ut aliquid aliter se habeat, quam ante. Id quod in genere facimus, quandocumque Morbum aut Morbi causam vel Symptomata sic quoad statum suum convertimus per medicamenta, ut vel desinat esse, vel fiat aliud, vel idem manens existat tamen sub alio accidente. Scaliger ad 1. Theophr. de Plant. p. m. 24. 2. D: *Cæteros motus siquis negare velit motus esse, possit. Mutationes potius sunt. Sola loci variatio, motus est.* De motibus rerum incorporearum non disputo.

§ 333. Nos certe nihil mutamus, quod non movemus. In *excretionibus* res manifesta est. Etiam in *secretionibus*. Etiam ne in *pepasmis*? Certe. Et si non secundum totum materia removetur è sua sede: movetur tamen tota & secundum omnes particulas,

ex

ex quibus congestione fuit constituta. Ita pus fit agitatione cruoris & transpositione partium subtilium & remollitione concretarum. Unde fit, ut in qualitatibus cæteris æque ac substantiæ modo mutetur suppurans cruor. Imo vero *quid* Modus substantiæ est aliud, quam certa ratio materiæ ex particularum componentium quantitate, figura, atque positura resultans. Quæ quidem omnia mutantur motu.

§ 334. De *alterationibus* quid sentiendum? Idem plane. Quid enim calefacere aut refrigerare est, quam alium materiæ modum inducere? Cujus illa respectu dicitur ἀλλοιοῦσθαι *alterari*, i. e. in alteram naturam, & à præsenti diversam, affectione transire. Quæ *diversitas*, si quid aliud quam alius modus materiæ est, quid est?

§ 335. Cæterum constat, ex usu recepto, τὴ ἀλλοίωσιν *Qualitatum* duntaxat *mutationem* dici. vide Galenum 1. Fac. simpl. 1. de Elem. 1. 7. Quæ quia *species* tantum una est mutationum, quas facimus Medicamentis: non recte Galenus de Simpl. fac. 111. 3. ejusque sequaces omnes *Medicamentum* definiunt, quod alterat secundum qualitatem. Quanto verius & ad rem concinnius Hippocrates, qui sua in definitione posuit tale verbum, quod *omni* Medicamento convenit conspicue. Ita enim loquor propter argutulos quosdam, qui forte præsument docere, *medicamenta* etiam Purgationes & sudorum atque urinæ similiumque evacuationes alteratione moliri. Quos scire vellem, Medicinam non rationum subtilitatibus constare, sed effectuum realitatibus. De primo satis.

§ 336. *Alterum* erat, τὸ παρεόν. Interpretes, *præsentem statum*, reddunt & respiciunt ad *conditionem* seu qualitatem *vel* Objecti quod movetur, *vel* Corporis in quo fit motus. Ego vero non dubito Præceptorem intellexisse ipsum *Objectum*, sive, ut nunc vocamus, *Indicans*. In cujus conditionibus absolute necessariis ponitur, ut sit *præsens*. vide Capivaccium in Meth. med. cap. IV.

§ 337. Hesychius: Παρὸν· ὑπάρχον, σωόν. Παρόντα· παρεσκευάσθαι. Certe *indicans* nullum est, nisi in præsenti existat & se intellectui objiciat tale ut liqueat auxilium requirere. Ubi protinus è Galeno objicitur, *Præservatio est indicatio à futuro*, Meth. med.

IV.

Unable to display this page

§ 341. Applicemus ergo, exemplum atque casum acceptantes, quem ipse Capivaccius proposuit. Sit qui quotannis mense Majo incidat in Pleuritidem veram. Huic causa est in Sanguine proculdubio. Quare & *potentia* causandi pleuritidem in eo est semper. At *materialis* & nuda tantum in Sanguine non quantitate, non qualitate aut motu irregulari.

§ 342. Quid si talis esse certis è signis deprehendatur proxime tempus, quo Morbus invadere solet: *num* indicabit præservationem? *Indicans* debet esse *agens*, & quidem in corpus ad demolitionem sanitatis. Hofmannus de hoc VI. Inst. x. 13. suo more, joco-serio inquam: *Mirum, ni dupondii nostri rident, dicentes Non entis nulla est actio.* Profecto quod secundum naturam est, in eam qua ratione concipi, nedum dici possit agere præternaturaliter? *Præservatio* vero est indicatio Morbi sientis seu, quod in idem recidit, Causæ jam agere incipientis. Quare hoc *vanum* est.

§ 343. Sed *neque necesse* dixi huc confugere. Nam si *sanguis* circa familiare morbo tempus *plethora* aut *cacochymia laboret*, jam adest Potentia realis, quamvis remota. Si *fervere* præterea *incipit*, jam adest Potentia proxima. Utrovis casu quid opus ad *futurum* malum prospectare, & ab eo præservare velle; ubi est ante oculos, quod curari postulat & ad se auxilium dirigi? Tolle malum præsens, simul & futura movebis. Sic *scybala* Alvi, sic *calculus* Vesicæ, molestiam adhucdum nullam omnino creantes, tamen postulant auferri, non quia *causæ* sunt potentia, sed quia *res præter naturam* actu, imo Morbi, saltem in fieri. Sublatis istis, omnis una abit metus. In hoc quoque impingit Hofmannus, tantus vir, VI. Inst. x. 14. Sed progrediamur in re incepta.

§ 344. Quando itaque *pharmacum* Hippocrates definit esse, *quidquid, quod præsens, mutat*: dubitari non potest, comprehendisse sub eo omne genus atque omnium facultatum medicamenta seu auxilia pharmaceutica. Id vero, si opus esset, longa exemplorum inductione probarem. Sed nemo potest adeo novus hospes esse in lectione librorum ipsius, qui non ultro hoc observarit. Quo minus vereor, ne quis mihi vitio vertat huic labori brevitatis

vitatis causa superſedenti. Vellem, tam me rerum copia non faceret prolixum; & hæc prolixitas tam nulli esset fastidio, ac mihi non est omni occasione utilia docere.

§ 345. Porro, quamvis ita sit, non solet tamen Præceptor *ullum* Medicamentum nominare φάρμακον, quin simul *adjectivo* quodam significet, quale usurpari in rem præsentem velit. *Solis* in Purgantibus hanc regulam non observat: quin sæpe ea φάρμακα vocat *simpliciter*; etsi etiam adjicere soleat, quo præcise significet *purgans* per inferiora aut superiora. Ita eodem l. de Loc. in hom. t. LI: εἴτις βούλεται φάρμακον πίσαι ὑποχωρητικὸν ἢ ἐμετικόν· *Si quis vult medicamentum bibere dejectorium aut vomitorium.* Alibi in alia offendes utriusque synonyma. Ἐν παρόδῳ nota, τὸ καὶ disjunctive positum etiam heic, ut alibi monuimus.

§ 346. *Ratio* autem, quare per excellentiam φάρμακα appellet, ea videtur, quod præ omnibus aliis sint & frequentioris usus & efficacioris virtutis. Praxis hodierna tantum non in his proram & puppim collocat curationis: vetus, magna cum religione dabat. Celsum audi lib. II. cap. XII: *Alvus si vehementius fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo numquam in adversa valetudine medicamentum ejus rei causa recte datur, nisi ubi is morbus sine febre est. At ubi febres sunt, satius est ejus rei causa cibos potionesque assumere, qui simul & alant, & ventrem molliant.* Qui hæc & hujus generis saluberrima Viri monita elevare hodie non dubitant, non fecisse illum ajunt medicinam: ignari, eamdem fuisse Hippocrati mentem, unde sua pleraque transumsit Cornelius. Hoc vero docebimus alias.

§ 347. OMNIGENA. Quandoquidem φάρμακα nunc *omne genus* Medicamenta, nunc *sola* Purgantia dici à Præceptore intelleximus: existit certe non parva heic dubitatio, de quibus oporteat accipere. Videtur ratio pro Interpretibus stare, qui de *purgantibus* tantum intelligunt. Ratio est, quam Celsus habet lib. I. cap. III: *Si quid corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere.*

§ 348. Inquies: Verum est, corrumpebatur cibus omnis in ventriculo, sed & corruptus secedebat sponte Naturæ: quid ergo

opus purgato erat? Verosimile, persuasisse Medicum sibi, numquam non remansisse in ventriculo reliquias cibi & corruptelæ prioris: has autem velut contagio contaminasse & corrupisse semper novum. In quibus ἐγκαταλειμπανομένοις, *intus relictis*, si posuit Causam mali; quid mirum, omni studio ea subducere corpori conatum? Quotusquisque non idem faceret hodie?

§ 349. Hoc igitur admisso, *altera* dubitatio est circa *materiam* Purgantium. Etenim *varium genus* Purgantium est, ratione Objecti, Modi, Loci. *Objecti* ratione, seu *humoris*, quem ducunt, *alia* Cholagoga, *alia* Phlegmagoga, & sic porro, acceptis à Galeno vocabulis vocamus. *Vocabulis*, inquam: nam ab Hippocrate rem habemus. videre est l. de Affect. t. XXXIII.

§ 350. Cæterum illa licet proprie spectent *cacochymiam* seu Sanguinis vitiosum: solent tamen etiam ad auferendas *cruditates* dari, saltem hodie. Ex qua tamen consuetudine nostra non recte æstimationem facimus veteris. Quare aliquid de his definire velle, tantum non esset cum ratione insanire.

§ 351. Ratione *modi* duplicia esse Purgantia docui exercitatione præcedente XII. 49. Hodie inter *valida* & *lenia* interponunt *mediocria*: nescio, qua necessitate. Arabum id inventum esse, verosimile. Nisi & hi acceperint à Græcis recentioribus. Posteaquam enim descitum fuit à prisca medendi simplicitate & ratione certa, cœpit medicamentis Medicina luxuriare, & in farragine compositionum, præsertim usu probatarum, ponere fiduciam. Testes vel unius Galeni libri pharmaceutici. Quæ persuasio usque eo invaluit tempore, ut hodie sacra Medentium anchora sint, quibus hoc sigillum appendet, *Probatum est.*

§ 352. Etiamne vero, *omne genus*, heic significat, *valida* æque ac *lenia* fuisse in Oeniade tentata. De *his* nullum dubium est. De *alteris* credibile est, à Veratro aut simili aliquo non in totum abstinuisse Medicum, cum mitioribus res ex voto non succederet. Ita enim obtinet apud eos, qui experientiam sibi ducem, non methodum habent, ut, si *leniora* non satis faciunt, ad *validiora* etiam progrediantur. Præsertim quia jam tum usitatum erat etiam elleborum tabidis dare: vide II. de Morb. t. XLVI. & XLVIII.

§ 353.

§ 353. Ratione *loci*, per quem purgant, *alia* Vomitoria sunt, *alia* Dejectoria, ut appellavi exerc. XII. 47. *Hæc*, per superiora expurgant: *illa*, per inferiora. A *dejectoriis* Oeniadem hodie non excusarent Medici, quin ea probarent quam maxime, argumento Aph. I. 21.

§ 354. Quibus non respondentibus, cur putemus non ad *vomitoria* se conversuros, quibus perspectum est, *Morbos* oportere τοῦτο ἐξάγειν ἢ ἑκάτερα ἔξοδος ἐγγυτάτω· *isthac exigere, qua cuique exitus est quam proximus*: l. de Loc. in hom. t. LV. Celsus hinc I. 3, *Vomitum* dicit *utilem plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerunt, vel parum concoxerunt*. Quorum cum pleraque in Oeniade observarentur, vix credi potest à Vomitoriis abstinuisse. Præsertim cum toties ea commendet Hippocrates in Tabe, etiam vera, ut videre II. de Morb. t. cit.

§ 355. *Tertia* dubitatio est circa *formam* Medicamentorum: sicut *quarta* circa *locum*, quo sunt accepta. *Vtramlibet* proxima in textu verba creant. *Priorem* videlicet, τὸ πίνων: sicut *posteriorem* illud, καὶ ἄνω καὶ κάτω. Expendamus etiam.

§ 356. BIBENS. Hoc si *stricte* accipiendum, non potest intelligi præterquam de *liquidis ore sumtis*. Hodie *haustus*, ex formula, vocamus. *Bibere* enim est ore potulenta haurire & sorbere. Cæterum usus obtinuit, ut *haustus* nominemus *purgantes* tantum, & qui uno velut haustu sorberi queunt. Certe non sunt eæ delitiæ in potionibus medicis, ut si quis possit, non velit ebibere eas ἀπόδοσι seu uno spiritu. Novi tamen matronam nobilem, quæ ingratissimas quasque tam lente pitissando sorbillabat olim, ut jurasses nectar & ambrosiam manu infusam tenere. Sæpe mihi cum bibenda medicina fuit, optavi istud palatum commodato.

§ 357. ET SUPRA ET INFRA. Interpretes si audimus, jam constat, hæc quo referre oporteat. Cornarius enim reddit: *pharmaca bibens sursum ac deorsum purgantia*. Foesius, sola constructione mutata: *sumtis medicamentis tum sursum tum deorsum purgantibus*. Sumunt ergo de *loco*, per quem Purgantia exigunt quæ purgant.

§ 358. Eavet ipsis de Unctore quod legitur VII. Epid. t. VIII:

ἔπιον εἰκῆ φάρμακον, ἄνω καὶ κάτω. ἐκ δὲ τοῦ καθάρσιος, πυρετός. *Bibit temere pharmacum, ſurſum atque deorſum. Ex purgatione vero, febris.* Apertius illud l. de Loc. in hom. t. XLV: Ἐπὶ φάρμακόν τις πιὼν ὑπερνοσῇ, καὶ κάτω καὶ ἄνω ὑποχωρέῃ, οἶνον καταῤῥοφεῖν. *Si medicamentum quis bibens ſuperægrotaverit, & deorſum atque ſurſum dejecerit, vinum ſorbeat.*

§ 359. Accedit, quod in Auante morbo, ad quem proxime accedere hunc oſtendimus, jubeat (II. de Morb. LXIV.) φάρμακον πιπίσκειν. πρῶτον μὲν κάτω, ἔπειτα δὲ ἄνω· *purgans bibere: primo quidem dejectorium, deinde vomitorium.* ita enim vertenda hæc eſſe, dilucet ex ſequentibus. Etiam ex iis, quæ t. XLIX. præcedente offendes: φάρμακον δοῦναι πίνειν ἄνω. μετὰ δὲ, πίσαι κάτω. *Pharmacum dare bibendum, quod ſurſum: poſtea vero bibere, quod deorſum* purget.

§ 360. Horum itaque, & quos præterea poſſum monſtrare, locorum ἐκ παραλλήλου ἀντεξέτασις *ſibi juxta poſitorum contentio* facit, uti nunc aſpernari nolimus, quod alibi argumentum ab ea, ceu evidentiſſimum ſententiæ teſtem urgemus.

§ 361. Interea quid vetat illud *ſupra* & *infra* interpretari de *loco*, quo medicamenta admittebantur? ita videlicet, ut *prius* de Potionibus, *poſterius* de Infuſionibus accipiamus? At his τὸ πίνειν, *bibere* non convenit. Ergone neſcis, qui hoc objicis, non eſſe infrequens auctoribus, quod ſequioris eſt generis ſub nobiliore comprehendere? Apoſtolus I. Cor. III. 2: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα καὶ οὐ βρῶμα· *lacte vos potavi, & non eſca*: ſubintellige, pavi, ſeu quod aliud cognatæ ſignificationis verbum. Ita & in illo Homeri Odyſs. γ'. 497: σῖτον καὶ οἶνον ἔχεεν· *effudit vinumque cibumque.* Iterum Iliad. μ'. 319:

ἐδῶσί τε πίονα μῆλα,
Οἶνον τ' ἐξαῖτον μελιηδέα. *edunt maturaque mala,*
Et vinum eximium mellitum.

Quin alterum jam exemplum ex Hippocrate attuli præcedente paragrapho: καὶ κάτω καὶ ἄνω ὑποχωρέῃ, *& deorſum & ſurſum dejecerit.* Dabo plura, ſi hæc non ſufficiunt probandæ rei notiſſimæ. Hoc ergo obſtaculum nullum eſt.

§ 362. In *re ipſa* perquam ſimile vero eſt, Medicum, cum videret

deret catharticis nihil se proficere, & sciret medicamenta stomachum fere lædere, & alvus si sæpius ducitur, hominem infirmare, maluisse deinceps *infusionibus* ventrem & hoc, quod corruptum excernebatur, eluere. Nam, ut bene Celsus II. 12: *Fere eo modo demta materia, superioribus partibus levatis, morbum ipsum mollit.* Quod & vere dictum esse, experientia omnibus diebus affirmat.

§ 363. Quare non possumus non pedibus ire in eam sententiam, quam ante dixerat: *Plerumque alvum infusionibus ducendam esse*: præsertim in Febribus & harum similibus affectionibus. In quibus *medicamentorum dari potiones, & alvum duci non nisi raro debere*, lubentissime concedo eidem monenti lib. III. cap. IV. Cæterum dissimulandum non est, priore loco pro *infusionibus* legi *potionibus*. Sed enim de *clysteribus* Celsum heic sermonem inchoare & loqui deinceps, recte equidem Gul. Pantinus observavit & non potest latere consideranti totum caput.

§ 364. Quam explicationem si acceptamus, optimo jam jure licuit Hippocrati dicere *omnigena* Oeniadem *medicamenta* bibisse & admisisse: potiones, infusiones: sursum, deorsum purgantia: valida, lenia. Atque ita exemplum habemus *Medici* τὰ ἐναντιώτατα ἢ ὡς δεῖ ποιοῦντος· *contrariissima, quam oportet, facientis*, uti Hippocrates de talibus loquitur II. Vict. acut. XIV. 18.

§ 365. Neque enim potuit quidquam contrarius morbo fieri. Præterquam enim, quod toties *potionibus* agitata, toties purgantium calore incensa ejuscemodi corpora magis exardescant & deflagrent: accedit & hoc mali, quod *infusionibus* etiam, quantumvis lenibus, crebrius alvo ducta, *assuescat non ali corpus*, uti de Purgationibus verissime judicat Celsus lib. I. cap. III. Unde necessario magis ac magis Oeniadæ reddebatur infirmum & ineptum ad se resumendum.

§ 366. Iam vero, quod recte iterum & ibidem Cornelius notat, *omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas est*: imo omnibus in morbis *ex imbecillitate maximum periculum est*: III. 4. Medicus ergo quid facere magis contrarium potuit ei, qui non nutriebatur, quam impedire ne nutriretur?

§ 367.

§ 367. Hippocrates denique *omnigena* Medicamenta tentata dicens, non eorum *multiplicitatem* designat tantum, sed & *multitudinem*. Etiam iste mos est imperitorum, si non statim ex opinione eveniat, statim mutare & experiri aliud atque aliud. Non est vero Naturæ infestior alius, quam Medicus inconsultus & præceps. Tales ostendunt se, qui multis & multifariis illam medicamentis nulla non visitatione præscriptis & in horas dispositis inquietant: nihil interim offerunt, quod ex usu siet. Quare, tam operose nihil agente Medico, imo tam studiose male Ægrum habente, non puto fore, qui jam miretur, quod plane noster hic Oeniades

§ 368. NIHIL FROFICIEBAT. quin *deficiebat* indies, magis atque magis tabescente corpore, & diffluente.

§ 369. Vallesius causam hujus partim ab *intemperie* Carnium exigit, partim à *natura* Purgantium. *Quia, ut Hippocrates l. de Purg. med. scripsit, cum carnes calidæ sunt, distrahunt ipsum medicamentum: quanto magis necesse erat distrahi in hoc homine, in quo continenter à ventriculo fugebatur. Cum ergo expurgantia medicamenta calida & sicca sint, intemperiem augebant, ac proinde omnia symptomata.* Propiorem potioremque causam repetas à *fervore* sanguinis, *quem* Medicamenta purgando excitant. confer dicta mihi Exercit. XII. 184.

§ 370. Si ullo in morbo ἐπείκασιν ἔχῃ *verisimilitudinem habet* id, quod Hipp. dicit de Fract. III. 34: τὰ νοσήματα ἕλκεα εἶναι, *Morbos esse ulcera*: habet certe in Tabe. Quid enim aliud *hæc*, qua carnes diffluentes, est quam ulcus, quam erosio, quam abscessus? cujus causa sit in *fuligine* ignea atque mordaci? τὸ μὲν γὰρ θερμὸν, ἐπὶ διεξέρχεσθαι καὶ οἷον διαβιβρώσκειν τὸ συνεχές, δῆλον· *Calidum namque usquequaque pervadere ac veluti corrodere continuum, clarum est*, inquit Galenus in com. *Corrodi* vero carnes (εἰ μὴ πρὸς αἴσθησιν ἐναργῶς, ἀλλὰ πρός γε τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν λόγῳ θεωρητῶς, *si non ad sensum evidenter, certe quod ad veritatem ipsam demonstrabiliter*) ostendunt colliquatio atque emaciatio totius habitus. Quæ quid aliud sunt quam ἀποστάσεις sive *abscessus*? confer ad II. Epid. I. 10.

§ 371.

§371. Quod si hoc fatemur, *Tabem* quodammodo *ulcus* esse; jam reddere causam *non-profectus* est ex iis, quæ leguntur 1. de Morb. t. XVIII. ἡ γὰρ σὰρξ τὸ, τε ἕλκος ὑπὸ τῦ καύματος τῦ ἐν τῷ σώματι ἕψεται, καὶ ὑπερυγραίνεται, ὥστε μήδ' ἰσχναθῆναι, μήτε σαρκοφυῆσαι, μήτε ὑγιανθῆναι. ἀλλ' ὁκόταν ὁ χρόνος περίῃ, τελευτᾷ πάσχων τοιαῦτα. *Caro enim & ulcus à caumate, quod est in corpore, coquitur & valde humescit, adeo ut nequeat vel siccari, vel caro nasci, vel sanescere. Verum progressu temporis moritur ista patiens.*

§372. Docuit eruditissimus Casaubonus in Animadv. ad Athen. III. 19. & ego Exerc. XI. 189, *caumata* Græcis Latinisque auctoribus significare dies anni ferventissimos: quales ὑπὸ κυνὸς καὶ πρὸ κυνὸς, *ante Canem & sub Cane* consuerunt existere, & ἐργώδεας τὰς φαρμακείας, *laboriosas purgationes* reddere, Aph. IV. 5.

§373. Præceptor noster magis heic *proprie* Caumatis vocem accipit: nempe pro πυρώσει, *ignitione* Carnium. *Quæ* fit, quando harum meatus implentur *fuligine* copiosa, ignea, subtili, acri atque mordaci. Quæ dum exspirare propter ariditatem Cutis nequit, macerat carnes, & eliquat, & madefacit liquamine sordido olidoque. Quo non detersо, non excreto, impossibilis est Carnis novæ generatio & corporis ad sanitatem reductio.

§374. Porro, quia *purgantia* Spiritum irritando accendunt, & Sanguinem in fervorem agunt, omnino necesse est, plus Fuliginum & mordaciorum generari, atque interim consumi illud, quod retundendo igni datum est corporibus.

§375. In hanc rem nobilis extat locus in IV. de Morb. t. XXIII. qui etsi prolixior, propterea tamen non pigrabor è Græco facere Latinum. *Calefacto sanguine*, inquit, *exhalat maxime per hoc ὑδροποιδέα, aquei quod est igni advertissimū: relinquitur vero pingue & leve, quod est biliosum, & igni maxime alimento est. Exhalat autem hoc modo. Vti si quis aquam & oleum in lebetem infundens, ligna multa subtus urat longo tempore: aqua quidem multum minuetur (exhalabit enim ex lebete) oleum vero, quia sibi cohæret densumque est, non potest attenuari, neque perinde ut aqua vaporescere. Perinde vero & in*

homine se res habet. Aqua enim calefacto corpore exhalat foras. Biliosum vero, quia sibi cohæret densumque est, non potest in vaporem simili attenuatione resolvi. Biliosum vero attenuatum, magis facit incalescere corpus, (Plus enim & melius alimentum igni suppeditat bilis.) duratumque in corpore aut sede fixa, morbum obfirmat. Pene nihil est in his, quod explicatione egeat, quodque non sit explicandis quæ proposui.

§ 376. Aliquid etiam nobis de *verbo* notandum, quo utitur in præsenti noster. Græce erat, οὐδὲν ὠφελέετο. Pro quo Cornarius: *nihil opis sentiebat.* liberius certe & liberalius. Potest enim quis proficere, & profectum non sentire. Crescentes morbi si coquantur interim, deficere ægrotus videtur, sed proficere certum est. Qui morbo suos nervos incidit, juvat: quamvis juvari se non sentiat ægrotus, imo sentiat sibi vires imminui adhibitis auxiliis. Quemadmodum gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo: quemadmodum securis prosternit robur, non robore, sed sæpe cædendo: sic Natura, sic Ars, quæ mala per longas invaluere moras, domant superantque, non impetu, sed paulatim. Hujus ipse Oeniades dabit mox exemplum.

§ 377. Foesius etiam minus bene, si proprie dixit, *nihil allevabatur.* Hoc modo enim dici verbum de eo solet, quod jacet, sive projectum sit, sive prostratum; prorsus ut simplex, *levari.* Proprie, inquam, *levamen* est casus: quemadmodum videre apud Principem poetarum Æneid. III. 709:

casusque levamen Amitto Anchisem.

§ 378. Nobis *decumbentes* ex morbo dicuntur proprie *allevari*, cum imminuta est corporis ægritudo in tantum, ut se erigere jam in lecto incipiant reconvalescentes, deinde indui, surgere, sedere, ingredi. Ita M. Tullius ad Attic. VII. 1: *bono animo esse cœpi, quod Acastus ea, quæ vellem, de allevato corpore tuo nuntiasset.* Oeniadem decubuisse, nulla toto in contextu litera docet. Ex talibus morbis deficienti fero pedes portare corpus recusant.

§ 379. Sed & *allevare*, est onus alicui facere levius. *Oneris* instar homini est morbus. Nam & symptomatis gravat corpus & grave reddit frangendo vires. Illo modo in metaphora dixit Cicero

cero de Sulla p. m. 357: *coactus est in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.*

§ 380. *Quomodo* si Foesius quoque, ut verosimile, accepit, rerum experientia ipsum ἀκυρολογίας arguit. Quam multa fiunt in morbis bene, sine sensu boni? præsertim in longis? Super hoc fundatum est præceptum Celsi lib. III. cap. 1: *non statim condemnetur, si quid non statim prosuit.* Super hoc Aureliani IV. Tard. III: *Nec recte culpanda virtus est, quæ una vice non dederit sanitatem.*

§ 381. Fere hoc experimur, eo magis videri debiles ægrotos, imo & esse, quo proximiores accedunt ad spem salutis. Medicinis etiam vires conciduntur & consumuntur spiritus. His deficientibus fit corpus grave: ut augescentibus, leve. Vires deficientes, etiam secundum rationem, magis minora, quæ insuper apparent, symptomata gravant & fatigant, quam ab initio longe majora plenas atque firmas.

§ 382. Malui ergo, *nihil proficiebat.* Glossarium: *profecit*, ὠφελήσει. *Proficere* quis in morbis dicitur, multis modis. *Primo* & plene atque secure, cum morbo solutus vires amissas recipit, & majorem indies majoremque progressum facit ad id unde excidit, nempe sanitatem pristinam & virium fungendique robur.

§ 383. *Secundo*, sed dubie (utpote non sine metu recidivæ) quum post morbum supereſt aut *empyreuma* Corpori aut *imbecillitas* Parti. Ad *illud* respicit nobile Celsi monitum, quod è Quartana evadentibus scribit III. 16: *Si febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi à sano quoque aliquamdiu timetur.* Simile est, sed altera conditione nitens, quod habet IV. 5: *Illud quoque in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est, ut quo modo se quisque æger resecerit, eo ut sanus utatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defendatur bona valetudo, quibus reddita est.*

§ 384. *Tertio*, & neutiquam secure, quum superato Vigore, manifeste quidem Morbus declinat, & indies elangueſcit, interim se suis temporibus ostentat ad tempus. Quorum nihil invenire locum in Oeniade nostro potest.

§ 385. *Quarto*, quum vigente Morbo per tempestiva auxilia

gravioris cujuſque Symptomatis vis obtunditur. *Grave* ſymptoma noſtro Eſuries erat, tam brevibus intervallis, tamque magnis ſtimulis repetens & indomitum furens. Tantum aberat, ut ea purgando quidquam de furore remitteret, ut eam pharmaca furiarent magis.

§ 386. Hoccine vero non animadvertiſſe Medicum, & in tempore abſtinuiſſe exacerbantibus! Apparet. Sed quæ cauſa hujus ablepſiæ? Perſuaſerat ſibi, illa demum vere juvantia eſſe, &, quamvis non ſtatim juvarent, non eſſe tamen ad alia tranſeundum, μένοντα δὲ δόξαντα ἀπ' ἀρχῆς, *manente eodem indicante*, Aph. II. 52. *Sæpe enim pertinacia juvantis, malum corporis vincit*, ut eſt apud Celſum III. 12.

§ 387. *Denique*, quum creſcentis Morbi vehementiæ non protinus ſuccumbit Natura, ſed dubio licet marte, pugnare tamen pergit. In *acutis* tempus lucrari, in bonis eſſe indiciis ſolet. Raro non morbi ad ſumma progreſſio eſt profectio ad ſalutem. Morbi quippe ad ſummum progreſſi, ſalutares, ſi in extremo conſtiterint. neque enim poſſunt in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Cum vero non quieſcant, neque ultra poſſint in deterius proficere, reliquum eſt ut in melius concedant. De hoc profectu atteſtantur Signa coctionis. Vide Aphor. IV. 71.

§ 388. *Contra* eſt in longis: *Longus enim morbus cum penitus inſedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par eſt*; ut vere judicat Celſus lib. III. cap. 1. Etiam iſto modo *nihil* Oeniadem *proficere* docebant emaciatio & colliquatio corporis. Quorum ſymptomatum quia *veram* Cauſam, hoc eſt *ipſum* Morbum ignorabat Medicus: idcirco ſanitatem ea in taberna quærebat, ubi inveniendo non erat.

§ 389. Claudam inamœnum hunc diſcurſum joco-ſerio, ſi licet, & amœnitate quadam philologica. Videtur mihi talis Medicus cum Sanitate & ægroto atque adſtantibus ſeu neceſſariis periclitantis ludere ludum, qui χαλκῆ μυᾶ dicitur Heſychio.

§ 390. Pollux illum ludum ſic deſcribit lib. IX. cap. VII: ἡ δὲ χαλκῆ μυᾶ. ταινίᾳ τὼ ὀφθαλμὼ περισφίγξαντες ἑνὸς παιδὸς ἀμφὶ περιστρέφεσθαι κηρύττων, χαλκῆν μυᾶν ζητεῖτε· οἱ δ' ὑποκινάμενοι

μένοι

μένοι, θηράσεις, ἀλλ' οὐ λήψεις. Quem locum uti non intellexit, ita & pessime vertit Rod. Gualtherus: neque meliorem fecit Wolfg. Seberus: multo minus Bulengerus l. de Ludis Vet. cap. XIX. Qui nimis socorditer sequutus suos duces, *Ludum muscæ æneæ* nominat. Sed ecquid est obvium magis, quam ut oscitante uno oscitet & alter? Numquid ergo nemini suboluit de mendo? etiamne fasciatos habuere oculos? Scribe ubicumque, φάλκη μῦα, & subito disparebunt nebulæ. Hesychius: φάλκη· νυκτερίς.

§ 391. Jam mera lux erit, si Pollucis ista sic vertas. *Vespertilio murem. Fascia oculos uni ex pueris obligantes, hic quidem oberrat præconians, Vespertilio murem venabor: respondent alii, venabere, sed non capies.* Hunc ludum pueri lusimus non semel. Hodie etiam eum quot Medici? etiam annulati?

§ 392. VERVM. Transit deinceps Hippocrates ad veram Curationem. Quæ ut Arte inventa, ita & Naturæ grata fuit & probata eventu. Docebit hæc, *quid* Dogmaticus ab Empirico differat, *quid* Ratio à consilio, *quid* Indicatio ab observatione.

§ 393. Noli interim putare Hippocratem nostrum fuisse Dogmaticum. Sectæ hoc nomen est. At eæ longe post ipsum exortæ primum conditæque fuerunt. Conjicere hoc est vel uno è loco Celsi in Præfatione illa nobilissima, qua Sectarum omnium ut ortus auctoresque, ita & placita ac medendi rationem ut succinctissime, ita & luculentissime prosequitur. *Hippocrates Cous,* inquit, *primus quidem ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit, vir & arte & facundia insignis. Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras, & Chrysippus, tum Herophilus & Erasistratus, sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diversas* (nota) *curandi vias processerint. Iisdemque temporibus, in tres parteis medicina diducta est: ut una esset quæ Victu, altera quæ Medicamentis, tertia quæ Manu mederetur. Post quos Serapion, primus omnium, nihil hanc Rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu & experimentis eam posuit. Quem Apollonius & Glaucias, & aliquanto post Heraclides Tarentinus, & aliqui non mediocres viri sequuti, ex ipsa professione se Empiricos appellaverunt. Sic in duas parteis ea quoque, quæ Victu curat, medicina divisa est, aliis rationalem*

artem, aliis usum tantum sibi vendicantibus: nullo vero quidquam post eos, qui supra comprehensi sunt, agitante, nisi quod acceperat: donec Asclepiades medendi rationem magna ex parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quædam in senectute deflexit.

§ 394. VENAM INCISUS. Glossæ Cyrilli: φλεβοτομῶμαι, *Sanguinor*. Quod quia usitatum non est, equidem lubenter abstineo dicere, *sanguinatus*. Foesius: *Vena secta*. Non equidem damno: sed laudo Cornarium tamen, qui etiam ad Personam retulit: *Vbi vena ipsi secta esset*.

§ 395. Diserte τὸ φλεβοτομήμενον, *participium* hoc respicit ad Oeniadem, seu cui vena sit secta atque dimissus sanguis. Etenim ex consequenti *remedium* innotescit ex *materia* sua. Non alio quippe fine *Venam* secamus, nisi ut sanguine misso consequamur illum scopum, quem intendimus.

§ 396. *Scopus* iste circa duo quidem, sed revera multipliciter versatur. *Duo* ista, sunt Spiritus & Sanguis. In *spiritu* ad geminum scopum dirigitur: *unus* est, Ferventium refrigeratio: *alter* vero, Acrium emissio.

§ 397. In *sanguine* ad plures, si modo recte habet Medentium axioma seu maxima: *Vnum*, qua unum, non nisi *unum* indicat.

§ 398. *Vnus* est, Replentis depletio: *alter*, Gravantis deoneratio. *Illi* locus in Plethora est: *huic*, in Cacochymia. *Tertius*, vehementius influentis compressio. Revulsoriam vocant, respectu Contrarietatis terminorum, à quo & ad quem fit. *Quartus*, Copiosius influentis frustratio. Aversoriam alii, alii Diversoriam nuncupant, respectu Viciniæ, quo alliciturire potius, quam quo contendit. *Quintus*, Stagnantis in membro seu parte derivatio. Quam *denique* sequitur Reliqui liberior circulatio. Permultæ igitur sunt, quas ex Sanguine incisâ tempestive venâ misso sperare utilitates atque commoda licet. Quin inductione earum liquet esse altero tanto plures, quam nostri passim consuerunt recensere.

§ 399. Ex istis *duo* insignes in Oeniade se obtulerunt: *unus*, in Spiritu; *alter*, in Sanguine. In *spiritu*, Acrium emissio. In *Sanguine*, Gravantis deoneratio.

§ 400.

§ 400. Spiritui *fuliginem* copiosam & acrem fuisse adsitam, ni fallor, intelligi satis potuit ex iis, quæ supra disserui de causis tabescendi & colliquationis corporis. *Fuliginem*, ducente Natura, per habitum corporis ad cutim propelli, & hinc foras per poros quos vocamus, in confessis est. Ut & hoc: *esse* Terreum quid & igneum, quantumvis subtile sit. Ut & hoc: *esse* Hoc ipsum copiosius & tantum non instar cineris igniti, quo magis uritur sanguis. Denique, *per* Cutim non evadere, nisi evehente subtili aquoso, quod à sero sanguinis evaporat. confer ad Hofmannum III. Inst. CXLII.2.

§ 401. Iam quisquis antedicta mihi percepit bene, potuit ex illis hæc cognoscere: *Sanguinem* Oeniadæ conflagrasse tacito velut incendio, quod σύγκαυσιν vocant Græci. Hinc *fuligines* quidem fuisse accumulatas; *serum* vero imminutum, quodque ejus remanebat, salsius atque acrius redditum. Eaque de causa, sicut admodum nihil per poros potuit amitti: ita nec spem fuisse movendorum *sudorum*.

§ 402. Interea stabit hoc: *Quæ educere oportet, quo maxime vergunt, isthac ducito*: Aph. 1. 21. Ubi τὸ ῥέπειν, *vergere*, significat *inclinationem* Materiæ purgandæ, non quæ actu seu jam motu Naturæ fit; sed quæ fieri desiderat, ut fieri secundum naturam & à Natura solebat.

§ 403. Iam vero perambulanti omnes *medicinas*, non se ullibi offeret apta *materia* Fuliginibus istis educendis, præterquam in *chirurgica*. Verum est, habet & *pharmaceutica*, quæ διαφορητικῶν appellatione insignit ab insigni potestate, quam habent digerendi per cutem. Sedenim ea nihil posse distituta vehiculo, vaporibus è sero suscitatis, certum est. Hoc fundamento nititur *præceptum* de dando bono hausti Aquæ hordeaceæ in Tertiana exacta tunc, cum mador aliquis se ostendit ad promovendum sudorem. habes etiam apud Hofmannum III. Inst. XIX.3.

§ 404. In *chirurgicis* autem primi nominis sunt *Balnea aquæ dulcis*. quæ in Febribus ob retentam fuliginem unice commendat Galenus loco non uno. tu iterum vide, si lubet, Hofmannum III. Inst. XIII. 3. & inprimis V. Inst. XXXVIII. 3. Cæterum belle

ista

ista conducunt, ubi Seri est in corpore quod satis, vel ad sudandum, vel saltem ad vaporandum. Heic non erat. ideo nec sperare quid auxilii ex illis licebat. Quod si bene consideres, nullam tibi dubitationem facient, quæ Galenus scribit l. de Marcore cap. VI. & VII. Accedit, quod, etiam concesso, potuisse Balnea huic intentioni satisfacere, non potuerint tamen alteri & quæ majoris revera erat momenti.

§ 405. Eam *indicationem*, Sanguinis gravantis deonerationem fuisse dixi. *Indicans* scilicet erat Sanguis gravans. Oeniadæ *sanguinem* fuisse prorsus ad nutriendum ineptum, ostendi abunde, ubi causam explicavi, quare ipsi non contingeret ali ex cibis.

§ 406. Ex quibus intelligi potuit, *Sanguinem* debuisse necessario crassescere, lentescere, acrescere, atque nigrescere ad instar picis liquidæ quasi. Quod sane observare est, cum alibi tum potissimum in iis, quibus exuritur Sanguis, sive ab Ardente febre, sive ab Internecina fame. vidimus hoc in eo, cujus memini IX. 51.

§ 407. Talem vero sanguinem *gravare* Spiritum, non facile mittet in dubium, quisquis expenderit vitia, quę enumeravi. *Crassities* enim & *lentitudo* ut Sanguini immobilitatem conciliat, ita & Spiritui laborem creant in movendo illum seu circumducendo per venas. *Acrimonia* deinde non minus negotii facessit in exstimulando ad frequentationem pulsus atq; motus. Unde necesse est fatigari & dolere & deficere magis ac magis. *Nigredo* denique tenebras ipsi & tristitiam offundit.

§ 408. Tot ergo nominibus *gravis* Spiritui sanguis, & quidem sine spe meliorationis, *vel* à Cibis consequendæ, *vel* à Pharmacis: quod aliud potuit excogitari *remedium*, præter Ablationem ejus? Quod si auferendus fuit, non potuit *materia* excogitari, qua auferretur, præter Sectionem venæ.

§ 409. *Hirudines* scio ad hæmorrhoides ciendas in melancholicis applicari: sed quid hoc in negotio ab illis speres, non video. Antyllus quippe apud Oribasium Coll. med. VII. & ex eo Galenus l. de Hirud. c. 1. docent, *trahere* illas sanguinem, non è profundo, sed iis dumtaxat è partibus, quibus admoventur. *Deinde* & hoc observavimus nos quoque, elicere non nisi tenuem San-

sanguinem, imo potius ichorem cruentum. confer ad Hofmannum in Paralip. Officinal. cap. x.

§ 410. IN MANU. Heic protinus incertum est, quid per *manum* oporteat intelligere. *Certum* quippe, & ostendi in II. Physiolog. XIV. 47, Græcis pariter atque Latinis accipi *nunc* latius, *nunc* strictius. *Late*, χεὶρ *manus*, dicitur de *toto* quod utrimque dependet à Trunco summo. *Stricte* vero, de *parte* quæ illius est noviſſima & admirabiliſſima, *cum* ob Structuræ decus, *tum* ob Varietatem usus.

§ 411. *Totum*, quod ad Venæsectionis negotium, recte *dividitur* in Brachium & Manum.

§ 412. *Brachium* nunc voco, quod Scapulas inter & carpos interjacet. Hippocrates modo γῦον, modo βραχίονα nominat. Γῦον l. de Loc. in hom. t. XI: αἱ δὲ ὦλαὶ πρὸς τὰ γῦα ἤρθρωνται, ὅπερ βάλλεται ὅπῃ τὸ ὀστέον τὸ ἐν τῷ γύῳ. *Scapulæ humeris adarticulantur, connexæ oſsi quod in humero est.* Ubi *humerus* proprie pars est superior & unioſsis. Inferior quippe & Ulna radioque constans, βραχίων *brachium* stricte dicitur, ceu videre apud Galenum I. de Fract. init. *Stricte*, inquam: nam *late* etiam dicitur de utraque. videre id l. de Artic. I. 4. & Galenum ibi.

§ 413. In *brachio* Venæ, sectionibus inprimis obviæ, sunt tres: *duæ* humeri; *una* Cubiti. nam sic nunc vulgo, quod *brachium* Celsus lib. VIII. cap. x. 3. *Humeri* sunt, Cephalica & Basilica: *illa*, exterior & minor: *hæc*, major & interior. *Illam* capitis affectibus: *hanc*, Jecoris in dextro, Lienis in sinistro destinarunt Æsculapii nostri, ut Vesalius alicubi appellat: Galenus & Avicenna, inquam. *Illam* vide sis de Adm. anat. III. 6. Meth. med. XIII. II. ad Glauc. II. 2. *hunc*, l. III. f. I. tr. III. 3. & f. XIV. tr. III. 6. 12. & f. XV. tr. II. 7. De quo more quid ex vero judicet Hofmannus, acerrimus talium nugarum censor, habes II. Inst. CVI. 5. 6. *Cubiti* una est, ex duabus prioribus nata, *vena* Mediana dicta passim. Ibn Sinæ non contentus his *venis*, addidit plures l. I. f. IV. d. V. 20. sed omnino inopportunas ad incidendum: quare etiam abiere nobis in desuetudinem.

§ 414. Incidi vero omnes *istæ* Venæ & debent & solent τὰς

Unable to display this page

ripneumonia & Pleuritide ſicca ait ξυμφέρειν τὴν φλέβα ἀποχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ, τὴν σπληνίτιν καλεομένην, ἢ τὴν ἡπατίτιν: *conferre ut vena ſecetur quæ in manu, Splenitis dicta, aut Hepatitis.* Lib. II. de Morb. t. LIII, in Pulmonis eryſipelate jubet ſimpliciter τὰς φλέβας ἀποτύψαι τὰς ἐν τῇσι χερσί: *venas ſecare quæ in manibus* ſunt: nempe Hepatitidem aut Splenitidem, juxta id, quod priore loco erat definitum.

§ 420. Conſtat ergo, Hippocratem & in *brachio* & in *manu* ſecuiſſe venam: at Oeniadæ *quam* inciderit, non conſtat. Perſuadeo mihi, ſi rogentur ſuffragia eorum qui praxin ſecundum Galeni placita faciunt, vix aliquem fore, qui non ſit pronuntiaturus ſecundum *brachii* Venas, quod in eo commodius poſſint, quam in *manu* ſecari. Et videntur illis favere *vitia* Sanguinis quæ propoſui. *Craſſus* enim per magnum foramen exit facilius. *Tale* vero fieri niſi in majore vena non poteſt.

§ 421. Quibus equidem non refragor, vel ideo quod Præceptor non definivit. *Quod* facere non ſolet, niſi cum nihil refert. Ita l. de Superfœt. t. X. præcipit: Γυνὴ ἥτις ἀφικύμων ἐοῦσα πέπαυται κυίσκομένη, φλεβοτομείσθω δὶς ἔτεος ἀπὸ τῶν χειρῶν καὶ τῶν σκελέων. *Mulieri, quæ præfecunda exiſtens ceſſavit concipere, ſanguis inciſa vena mittatur bis in anno à manibus & pedibus.* Nempe heic indicatio eſt recentandi ſanguinem atque vices puerperii quodammodo ſupplendi. Accedit, quod ſæpius mitti ſanguis Oeniadæ debuit. Hoc autem in brachio commodius fieri, quam manu, nemo ambigit.

§ 422. Verumtamen non illa ſunt tanti, ut propterea omnem de *Manu ſumma* cogitationem in re præſenti abjicere debeamus: imo vero prægnantes ſunt rationes, quare eam oporteat præhabere potius.

§ 423. *Vnam* ſuggerit experientia. Quæ etiam nos docuit non ſemel, *ſanguinem* è Salvatella, manu aquis exemta, magno impetu & ſaltu etiam aliquo velut ex arteria exiluiſſe: magno argumento, fuiſſe ibi in proximo ſynanaſtomoſin Arteriæ cum vena, quam ſecabamus.

§ 424. *Alteram* ex hac obſervatione petit ratio. Quæ dictat,

Crassum sanguinem liberius & liberalius effluere ex Arteria quam vena secta: quia est in illis spirituosior, calidior, tenuior, fluxilior, quam in venis. Arteriæ vice vero vena est, in quam proxime locum incisuræ sanguinem transfundit arteria.

§ 425. Hanc *transfusionem* Sanguinis vero, non dicam non ignorasse Hippocratem, sed penitus cognovisse. Quod plusquam clarissimum est ex l. de Loc. in hom. t. VIII. quem exposui II. Physiol. XVI. 160. Deinde & l. de Oss. nat. t. XIII. ubi diserte: φέρουσι δὲ καὶ ὅσα παχείων φλεβῶν ἐς τὴν κοιλίην καὶ τὸ ἄλλο σῶμα, καὶ ὅσα τε ἐξωτάτω, καὶ ὅσα τε ἐσωτάτω· καὶ ἐς ἀλλήλας μεταδιδόασιν· αἵ τε ἔσωθεν ἔξω, καὶ αἱ ἔξωθεν ἔσω. *Tendunt vero etiam à Crassis venis* (i. e. Vena cava & Arteria magna) *ad ventrem ac reliquum corpus, & ab extimis, & ab intimis: atque in se invicem transfundunt: hæ quidem ab internis extra, hæ vero ab externis intra.*

§ 426. Quæ observatio quam sequelam habeat in Arte, cognosci ex eo potest, quod protinus subdit & in eadem fundat præceptum: τὰς δὴν φλεβοτομίας ποιέεσθαι χρὴ, κατὰ τόσδε σκοπέοντα. *Igitur venæsectiones facere oportet secundum has ipsas rationes.* q. d. Sanguinem feliciter & ex arte missuro plane necessarium est attendere ad Venarum cum distributiones tum communicationes: cum perinde non sit, quæ aut quo quæque loco incidatur. confer ad Hor. Augenium de Miss. sang. IX. 2.

§ 427. Denique, *in manu* Dictator incisam venam dicens, quæstiunculam facit curiosulis: *quare* Non in pede etiam secta fuerit Oeniadæ vena? Hujus *causa* non una fuit. *Una* fuit: quod Commodius ibi fieri incisio, quam in pede possit. Hæc sane ratio est, quare in brachio semper incidamus venam, quandocumque nulla est singularis necessitas, quæ suadeat alibi illam administrare. *Altera*: quod Sanguis fervidior sursum, quam deorsum eat. Quod discrimen omnino observandum esse comparet in l. de Med. t. V. 63. Neque quæstionis esse potest, an etiam heic observatum fuerit. *Tertia*: quod Revulsionis quamdam speciem, vel Aversionis præstiterit è brachio missus sanguis. *Definit enim fluere qua nolumus, alio dato itinere*: inquit Cels. II. 10. Oeniadæ fervidiorem justo confluxisse ad ventriculum, demonstratum est in loco.

Quar-

Quarta: quod Chymi seu cremoris attractioni ad cor omnino plus conferre potuerit, & sic refrigerare illud atque humectare magis. *Quinta*: quod Alvum fluxilem habentibus, propter excrementorum Sanguinis tenuitatem atque acrimoniam, conferre possit non parum. Exemplum suppeditat *historia* Mnesianactis VII. Epid. t. XXV.

§ 428. UTRAQUE. Non interest, *utra* Sanguis è manu mittatur, si sola est & una indicatio deplendi. Eo casu tamen *dextram* præferimus omnes. Neque sine ratione, & varia quidem. *Primo* enim dextra se dextræ Chirurgi opponit dexterius & ad secandum accommodatius, quam sinistra. Hanc autem facilitatem sectari expedit, cum nihil impedit. Hoc ipsum tamen non impedit, quo minus in Chirurgo non requiras cum Celso VII. 1, ut sit *manu non minus sinistra, quam dextra promtus*. At quotusquisque pariter utramque exercet? vix reperias in denis unum. *Deinde*: quia Dextra est calidior & plenior. vide nos, si otium est, II. Physiol. XV. 24. *Tertio*: quia Dextra est robustior, & ob id effeminationi minus obnoxia. Illud diserte satis dicitur II. Epid. VI. 14: Δυνάμιν πλείστην ἔχει πυγὴ, ὀφθαλμὸς, δεξιός. *Potestatem maximam habet, mamma, oculus, dexter*. Similiter, & eamdem ob causam, Manus. *Quarto*: quod Fluxiones soleant ἐς τὰ δεξιὰ μᾶλλον καταῤῥέειν, ἢ ἐς τὰ ἀριστερά, ὅτι αἱ φλέβες εἰσὶ κοιλότεραι καὶ πλείονες, ἢ ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσιν· *in dextra magis deferri, quam in sinistra, quia venæ inibi sunt caviores & plures, quam in sinistris*, inquit Præceptor l. de Morbo sacro t. X.

§ 429. Refert econtrario quamplurimum, *utra* in manu secetur vena, quandocumque id *aut* Revulsionis gratia fit, *aut* Aversionis, *aut* Derivationis. In *revulsionibus* enim admirandi quid ὀρθοτομία *rectitudo* præstat. De hac quædam ex Hippocrate meo dixi in II. Physiolog. XV. 12. In *aversionibus* Auxilium *aut* nullum *aut* parvi momenti feres, si neglexeris habere rationem *communionis* Vasorum à Parte mittente ad recipientem tendentium ab eodem ramo. V. gr. Oculo dextro inflammato sine fructu aversionem Sanguinis adhuc influentis moliere in sinistro brachio. In *derivationibus* similiter, nisi eligas sectioni Venam, in quam se exonerare consuerunt Affectæ partis arteriæ.

§ 430. Oeniadæ vero quia opus Sanguine dumtaxat missō fuit, quid opus erat, modo hac modo illa in manu venam solvi, & alternatim è dextris atque siniſtris sanguinem emitti? præsertim cum sufficere videatur, si tantummodo incidatur una? Sanguis enim qua data porta totus *exire* potest & solet, nisi oborto animæ defectu cesset propelli.

§ 431. Dixi causam. Postulabant res ægrotantis, ut Sanguis non semel, sed sæpius; non ex parte, sed totus; non è solis Vasis, sed & ex Habitu corporis educeretur, & hic totus refrigeraretur ac refocillaretur succo novo. Iam vero certum est, utrovis beneficio vix gaudere Partes, quæ non exinaniuntur.

§ 432. Si ita est, etiam è *pedibus* debuit mitti. Si recte percepisti, quæ in præcedentibus docui, ipse tibi ad hanc objectiunculam poteris respondere. Si non perceperis relege, & expende. Quorsum repetam enim?

§ 433. PER VICES. Foesius heic: *Illud ἐν μέρει omisisse videntur interpretes, etsi eleganter & bene loco est positum.* Omisisse vero mirum est, cum Asulanus codex & Frobenianus habeant: illo autem Fab. Calvus sit usus: hunc vero sequutus Cornarius, utpote à se adornatum. Verosimile, pro superfluo habuisse, aut glossemate.

§ 434. Foesius interim bene censuit, *bene loco esse positum*: quin & reddidit bene, *per vices*. Ita enim hodieque mos obtinet apud Practicantes, ut vice *prima* à Dextris, *altera* è Siniſtris, & his vicibus iterumque emittant sanguinem, si ejus missio repetenda est toties. Rationem dedimus.

§ 435. Sed eccur *per vices*? Quia, *primo*, Viribus parcendum, parcendum infirmitati fuit. Infirmus non fuerit, qui non aleretur, imo exhauriretur purgationibus? Celsus II. 10. etiam in valentioribus suadet *istam medicinam, ubi necessaria est, in biduum dividere.* Quare? Quia *satius est primum levare ægrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse præcipitare.*

§ 436. Procul dubio præcipitatus Oeniades fuisset, si κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης, *multum & repente* fuisset evacuatus. Ἐλέγχει γὰρ τὴν φύσιν τὸ ἀθρόον· *prosternit enim naturam quod confertum subitumque,* uti

Unable to display this page

esset necessarius ad Spirituum refocillationem, Sanguinis renovationem, Membrorum restaurationem, audivimus quoque.

§ 441. At *illum* nisi quis lente festinando procuret in tali casu, curabit numquam. Quid ni huc ingeram Sallustianum illud: *Antequam incipias, consulto: ubi consulueris, mature facto opus est.* Recte, *mature*: nam ita dicitur fieri, quod neque præpropere fit, neque serius quam oportet, sed ipso in tempore. In quo medicinam facere, etiam curationis primum est.

§ 442. DONEC. *Adverbium* hoc referri potest, & ad *vices* Venæ sectionis repetendæ, & ad *quantitatem* Sanguinis mittendi. Quocumque referas, idem sensus erit. Nempe, perseverandum esse in auxilio, quod Ars κατὰ λόγον seu *duce ratione* invenit; quodque Natura statim post administrationem sic satis conspicuis testimoniis placere sibi innuit.

§ 443. Omnino heic & in similibus audiendum, quod inculcat Celsus lib. III. cap. 1: *Minus vero removeatur, si quid paulum saltem juvat, quia profectus tempore expletur.* Non enim recte *aut* de Auxilio desperatur *aut* Natura culpatur, quum non statim reddiderint sanitatem. Satis est, si plenam fecerint futuræ valetudinis fidem, perseverationem sui persuadendo.

§ 444. EXSANGUIS FIERET. In hoc quia vertitur *cardo* Curationis, non minus successu felicis, quam aggressu audacis: video allaborandum mihi esse, uti bene intelligatur non modo *istud* Verbum, sed *ipsa* Res vel maxime. Quamquam hujus expositio nulli sane & feliciter possit sub manu succedere sine notitia prioris.

§ 445. Quod ad *verbum* igitur, nemo ignorat, *exsangue* Latinis dici, quidquid est sine sanguine, vel *extra sanguinem*, uti Isidoro placuit in x. Orig. lit. E. Quæ quia non satis explicate dicunt, quod res est (neque enim v. gr. Angelus recte videtur *exsanguis* dici, quod sit *vel* Sine sanguine *vel* Extra sanguinem: neque enim aptus creatus est esse vel in vel cum sanguine) idcirco negative malim *exsangue* dicere, quidquid est non-sanguineum.

446. *Sanguineum* quid dicitur multis modis. *Primo*: Id quod est *ex sanguine* ceu Materia. Ita *partes* cunctæ corporis *sanguineæ* au-

audiunt, quod sint ex Sanguine primum constitutæ: diserte id fatente Galeno l. de Fac. nat. II. 3, & alibi non semel: licet non minus id diserte neget de Usu part. XIV. 3. ubi vide sis Hofmannum n. 964. aut nos II. Physiol. XVI. 12. Græci id αἱμαλιηὸν vocant.

§ 447. *Secundo*: Id quod est *à sanguine* ceu Causa. Ita color sanguineus idem & floridus aut rubicundus est. Qualis pudore suffunditur ex facili iis, qui sunt natura verecundiores. Causam resciveris ab Hippocrate l. de Oss. nat. t. XXVIII. Græcis id est αἱμάλινον.

§ 448. *Tertio*: Id quod est *in sanguine* ceu Subjecto. Unde *purpuream animam* Poeta dixit in Æneid. IX. 349: id est, *non purpurantis coloris sanguinem*, ut vulgo exponunt Grammatici; sed ipsam *animam*, quæ est in Sanguine purpureo. Esse vero, testis nobis omni exceptione major est Moses Gen. IX. 4: Lev. XVII. 11. 14: Deut. XVII. 23. At hoc intelligi, ais, non potest nisi de *anima* bruta, mortali, sensitiva, quam vocamus. Ita est: & apage illos, qui *animam* Hominis, *qua* homo est, imo *quæ* Homo est, isti similem in ortu & interitu mentiuntur, propriam in perniciem. Quia tamen *Mens humana*, quamdiu in fragili hac testa habitat, *animam purpuream* habet pro sede & primo instrumento suo: eapropter *hac* cum Sanguine effusa, necesse est & *illam* abire in locum quem meruit. Græci id ἔναιμον dicunt.

§ 449. *Quarto*: Id quod est *cum Sanguine* ceu Adjuncto. Latini alias *cruentum* dicunt: αἱμαλιηὸν Græci: Euripides, καθαιμον: Dioscorides, ἔναιμον, lib. I. 153.

§ 450. *Quinto*: Id quod est *sanguine præditum*. Quale genus omne est Animantium perfectorum, quæ Philosophi appellant per excellentiam. Simpliciter enim nullum non perfectum est, neque quidquam jussit existere Creator non *bonum*, hoc est, non perfectum in suo genere: Gen. I. 31. Hoc quoque ἔναιμον dici paret, non è Philosopho modo in Hist. anim. IV. 1: sed & Herodoto, cui θεοὶ ἔναιμοί τε καὶ σαρκώδεες *dii sanguine atque carne præditi* dicuntur, qui Apostolo I. Cor. VIII. 5, θεοὶ λεγόμενοι, *nominales dii*. de quibus exstat insignis dissertatio Cl. Cocceji nostri.

§ 451. *Sexto*: Id quod est *sanguine plenum*. Qua acceptione nulla est in arte frequentior. Dicitur & hoc Græcis ἔναιμον. Ita Hippocrates ἔναιμον σῶμα, *sanguineum corpus* dixit VI. Epid. VI. 27. Ita & Phavorino ἔναιμος, πλήρης αἵματος· *sanguineus*, *plenus sanguinis* exponitur. Mitto significationes, seu potius usurpationes vocis alias, ceu nihilum ad nostrum institutum facientes.

§ 452. Totidem vero modis *exsangue* dici cum possit, paret *homonymiam* Voci huic magnam subesse. Cui equidem non ignobilem Græci medicinam fecerunt: *aliud* ἄναιμον, aliud λειφαιμον, aliud ἐξαιμον vocando.

§ 453. Enim *proprie* Id, quod est *natura exsangue*, appellant ἄναιμον. Phavorinus: ἄναιμος, ὁ μὴ ἔχων αἷμα· *Exsanguis*, *qui non habet sanguinem*, neque aptus natus est habere. Quomodo ut ne dubites accipere, nota quod protinus explicans illud, ἀναίμονι δίψῃ, dicat, τετέσιν ἀγγελικῇ. αἷμα γὰρ οὐκ ἔχουσιν οἱ ἄγγελοι, *sanguinem enim non habent angeli*.

§ 454. Huc & Philosophi respiciunt *animalia* distinguentes in ἔναιμα καὶ ἄναιμα, *sanguinea & exsanguia*: Hist. de Animal. IV. 1. Ita & Anacreon alloquens Cicadam & extravagans furore poetico ait:

Ἀπαθὴς, ἄναιμ', ἄσαρκε· Σχεδὸν εἶ θεοῖς ὅμοιος. — *Pati impotens, exsanguis, excarnis: diis similis pene es.*

§ 455. Λείφαιμον vero dicitur Id quod est *casu exsangue*. Hoc de *natura sanguineis* accipiendum esse constat, vel me tacente. Tendit huc expositio Galeni de Vict. acut. IV. 113: λείφαιμοι, οἱ ἐνδεεῖς ἔχοντες αἵματος· *Exsangues*, *qui egeni sunt sanguinis*. Sed rectius id cognoveris è Philosophi Probl. IV. 8: τῶν φοβουμένων τὰ ἄνω λείφαιμεῖ, τὰ δὲ κάτω ὑγραίνονται· *Paventibus partes supernæ deficiunt sanguine, infernæ autem humectantur*.

§ 456. Ubi τὸ λειφαιμεῖν, non est *sanguine privari*, ut Guastavinius: multo minus, *siccari*, ut inepte Septalius reddidit: sed *deficere sanguine*, hoc est, deseri à sanguine, non in totum, sed ad sensum. Hesychius: λιφαιμήσας· ὑπολείψας τῷ αἵματι. Videris vim verbi hujus in illo Senecæ Hippol. act. II. 373:

vadit

vădit incerto pede,
Iam viribus defecta. non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus color.

Cur autem *paventibus* accidat λείφαιμον, require à Philoſopho Probl. XXVII. 10.

§ 457. Sed dicat aliquis: invito Hippocrate me τὸ λείφαιμον, *caſu exſangue* dicere. Nam II. Muliebr. t. XII, Mulieri ex fluxu laboranti vetat aut ſerum aut lac dari, ὦ ἢ φύσι λείφαιμος, *ſi ſit naturâ defecta à ſanguine.* quod & repetit, quamquam alio in caſu, textu XVII. ſequente.

§ 458. Sed oportet diſtinguere inter *naturam* & *naturam*, Propriam & Adſcititiam. Etenim,

§ 459. Natura *propria* Mulier, qua mulier, habet & habere debet plurimum ſanguinis. Ratio eſt, quam Celſus innuit II. 10: quia ſæpe is *in una muliere duo corpora ſimul ſuſtinere* debet. Quæ ratio ſicuti à *fine* petita eſt, quam nos voluntatem Creatoris dicimus: ita aliam nobis Hippocrates ſuggerit à *conſtitutione* corporis. Habet, inquit, σῶμα ἐπιτήδειον πληροῦσθαι· *corpus idoneum impleri.* Quia nempe ἀραιοσαρκοτέρη, *carne rarior eſt.* Idcirco enim εἵλκυσε πλείονα ἀπὸ τῆς γαστρὸς τῷ σώματι τῷ ἰκμάδα ἢ ῥᾷσσον· *trahit corpore plus humoris à ventre & citius.* Adeo etiam, ut, ἐπ' ὦ πληοθῆναι αἵματος τὸ σῶμα, ὦ μὴ ἀποχωρήσῃ ἐπ' αὐτέω, πληρουμένων τῶν σαρκῶν, καὶ θερμαινομένων, πόνος γίνεται· *ſiquidem contingat impleri ſanguine corpus, niſi ſeceſſerit ab eo, repletis carnibus, & calefactis, morbus fiat.* vide ſis I. Muliebr. t. I. & II.

§ 460. Naturam *adſcititiam* appello, quam feminarum aliquæ habent ſibi peculiarem & præter naturam ſexus. Ex quo ſi æſtimes, ut profecto oportet æſtimare, non aliter quam *caſu* eſſe dixeris, in qua eſt. Non enim conſilio obtingit, ſed inopinato: non ex certa cauſa, ſed varia atque fortuita, ac ſæpe latenti: non denique ex lege Naturæ, ſed præter illam, aut opinionem ſaltem, quam de illa habemus.

§ 461. Secundam hanc igitur *privatam naturam* Femina λείφαιμος *exſanguis* dicitur, quæ talis eſt ἀπὸ γενέσιος, *à nativitate,* II. Muliebr. t. XVII: *aut* Obeſitate, l. de Superfœt. t. IX: *aut*

Puerperio, *aut* Morbo, *aut* quocumque alio simili casu vel eventu, qui sit Naturæ communi adversus. Græci recentiores ὀλιγαίμους, *pauci sangues* appellant tales. habes apud Pollucem II. Onom. IV. 44.

§ 462. Denique ἔξαιμον vocant Id quod est *exsangue studio*, id est, data opera: *sive* Juvandi causa fiat, ut in arte; *sive* Nocendi, ut in bello. Suidas: ἔξαιμοι· οἱ λείφαιμοι· οἱ πλεῖστον αἷμα κενώσαντες· *Exsangues: defecti sanguine: qui plurimum sanguinis effuderunt*: Plutarchus de Solert. animal. p. m. 970. D, Elephantum memorat, quo Porus contra Alexandrum prælians vehebatur, quamvis jam male affectum non prius tamen procubuisse, quam βασιλέως ἐξαίμου γενομένου καὶ ῥεῦμα ἐπιόντος, *rege exsangui facto & diffluente.*

§ 463. Attestatur huic expositioni verbum ἐξαιμάσθην, quod est apud Pollucem loco, quem modo allegavi. Id vero Gualtherus recte interpretatus est, *sanguinare.* Catholicon: *Sanguinare, sanguinem emittere vel minuere, vel sanguine inquinare.* Hoc vero est αἱμάσσω, incompositum. Glossæ Philoxeni: Αἱμάσσω, *Cruento, sanguino.* Αἱμάσσομαι, *Sanguinor.* Cujus compositum, ἐξαιμάσσομαι pro *sanguinari*, siquidem in usu quoque fuit, fuit idem prorsus cum eo quod ante habuimus, τῷ φλεβοτομεῖσθαι. vide sis ad supra § 394. De *verbo* plus satis. *Rem* nunc adeamus.

§ 464. De qua Vallesius: *cum ergo expurgantia medicamenta calida & sicca sint, & intemperiem augerent, ac proinde omnia symptomata: unde potius expectari auxilium poterat, quam à refrigerando corpore? ut exstincto calore cessaret dissipatio, & hac cessante, fluctus? Ad refrigerandum autem corpus nullum majus remedium excogitatum antiquis est, quam missio sanguinis usque dum linquatur animo, aut exsangue corpus fiat. Proximum huic vel potus aquæ frigidissimæ, & balneum subfrigidum. Nihil ergo citius poterat huic homini malum tollere, quam eo usque sanguinem mittere.*

§ 465. Quibus in verbis *tria* nobis, quod ad rem præsentem, offeruntur examinanda. *Unum* est: Num mittendo sanguinem accersere animi defectum liceat. *Alterum:* Num in Oeniade id fecerit Hippocrates. *Tertium*: Quid sit exsangue corpus facere.

§ 466.

§ 466. De *primo* Galenus ne quidem dubitat: quin id & præcipit & se fecisse ipsum & felici cum successu testatur multis locis. videre licet ad Aph. I. 23: Meth. med. IX. 4. 5: de Cur. rat. per sang. miss. 12: de San. tu. IV. 4. Neque quisquam est *interpretum* Aphorismorum, qui non idem & præcepisse Hippocratem & præstitisse putet.

§ 467. *Præcipere* videtur Aph. I. 23: ὅκου δεῖ μέχρι λιποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων. *Vbi expedit usque ad defectionem animi ducere, & hoc facito, si sufficiat ægrotans.* Apertius vero l. de Humorib. t. III: ὅκου ἢ δεῖ γιγνώσῃ ἢ λιποθυμῆσαι, [ἄγειν] ἕως ἂν τοῦτο ποιήσῃς· *Vbi vero expedit debilitare aut animi defectum facere,* ducito *donec hoc feceris.* Sic verba & concipienda esse, & recipienda, prorsus certum est.

§ 468. *Præstitisse* etiam conjici videtur ex l. de Vict. ac. t. III: ubi in *Pleuritide* jubet, ἢν ὀξὺ τὸ ἄλγημα ᾖ, ἄγειν πρὸς λιποψυχίην· *si acutus dolor sit, ducere ad defectionem animæ.* Sic & in *Iliaca inflammatione* suadet Aretæus Cur. acut. II. 5: τάμνειν φλέβα, τὴν ἐπ' ἀγκῶνι μεγάλην τῇ χαλκῷ, ὅκως ἀθρόως διεκχέῃ τὸ αἷμα τὸ φλεγμασίης ἡ τροφή, ἢν μέσφι λιποθυμίης· *Secare venam, quæ ad cubitum, incisura, quo confertim effundatur sanguis inflammationis alimentum, quin etiam usque ad deliquium animi.*

§ 469. Hisce *contrarius* videtur Corn. Celsus II. 10: non est tamen. *Videtur*, cum ait: *Semperque ante finis faciendus est, quam anima deficiat.* Gul. Pantinus hoc sic in commentario explicat. *Missionem ad animi usque deliquium produci, nonnumquam non utile solum, sed & necessarium est. Quod ubi Celsus semper fugiendum imperat, vel Syncopen intelligit, quæ animi corporisque sensus ac motiones omnes adimit, & in quam nemo umquam arte inducendus est: vel Lipothymiam gravem, jamque occupantem existimat, quam ipsam quoque semper, ne quid de insperato deterius pariat, devitare præstat. Nam ad levem usque & jam inchoantem tenuiter adducere, sæpe etiam maxime est præsidio.*

§ 470. Nisi fallor, respicit ad *tres* Defectionum sive *species* sive *gradus*, quos constituerunt recentiores. *Prima* est ἔκλυσις, *exsolutio* quæ dicitur, & via est ad lipothymiam. Seneca *lenem dissolutionem*

lutionem appellat in Epist. LXXVII. *quam adferre quamdam voluptatem*, ait *non inexpertum sibi, quos aliquando liquit animus.*

§ 471. Species *altera* est λιποθυμία, *defectus animi*: quæ & ipsa est via ad λιποψυχίαν, ad *defectionem animæ*; quam συγκοπὴν *syncopen* Hippocrate juniores appellarunt, & *tertiam* Speciem fecerunt. Quæ quam sit grande malum, acutum, periculosum, meretur videri apud Aretæum de Caus. acut. II. 3.

§ 472. Qui in *hanc* tuto inducat, nemo est. Qui ad *primam* deducat, & sine periculo, nemo non est. Quid enim familiarius, quam mittere sanguinem, donec is, qui sanguinatur, sentiat alterationem, uti fere loquimur hodie. *Ad animi defectum* mittere in Morbis, præsertim acutis, nec nullius, nec cujusvis est: nec Medici quidem, nisi sobrii & usu doctrinaque præcellentis. *Hujus* enim tantum est conjicere, num *pareſſe ægrotus queat.* Satis igitur benigna Pantini interpretatio est, & ad faciendum securitati quidem patefaciens viam, temeritati contra intercludens.

§ 473. Non aliunde tamen elucidanda est ἐναλλοφάνεια *utriusque* Hippocratis, quam ex semet ipsis. Utervis certe non nisi *duas* Defectionum *species* novit: λιποθυμίαν & λιποψυχίαν, hoc est, *deliquium animi* & *defectionem animæ*. Ita enim etiam distingui Græca posse ad imitationem Latinorum censeo; non ignarus tamen promiscue apud suos usurpari. Videre hæc apud Aretæum II. de Curat. acut. I.

§ 474. Verum est, meminit τῆς ἐκλύσεως præterea Aph. VII. 8. Sed & hoc verum est, quod dicit Galenus ad Glauc. I. 14: εἰώθασι οἱ ἰατροὶ καθ' ἑνὸς πράγματος ἄμφω ταῦτα τὰ ὀνόματα [λιποθυμίαν καὶ ἔκλυσιν] φέρειν. *Consuerunt medici de una re ambo hæc nomina* [*lipothymiam & eclyſin*] *uſurpare.* Paret ex ipso aphorismo. Opponuntur enim, ἔκλυσις & λιποψυχία. Quin esse ἔκλυσιν eamdum cum λιποθυμίᾳ manifestum est ex Aph. II. 36. 41. Contra λιποψυχίαν dictam Hippocrati, *quam* Syncopen nunc nominamus, ostendi clare potest ex l. de Vict. acut. II. 45.

§ 475. Latinos *animum* inter & *animam* feciſſe discrimen, docuerint abunde nos unius Nonii verba & quæ Veterum ille tradidit de Diff. verb. V. 20: ANIMUS & ANIMA *hoc distant.*

Animus

Animus est, quo sapimus: Anima, qua vivimus. Accius Erigone: *Sapimus animo, fruimur anima, sine animo anima est debilis.* Varro Andabatis: *In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima; hinc animus ad intelligentiam tributus.* Multa in hanc rem reperies in Salmasii Notis ad Epict. adi modo fis indices.

§ 476. Medicis *anima*, Vitalis vis: *animus*, Animalis est. Stoicis *hæc* dicebatur θυμὸς, sedes iræ, & cos fortitudinis: *illa* vero ψυχὴ, quod sedem habens in Calido nativo egeat spiritu, qui reciprocatur pulmonibus, ad refrigerium animalis.

§ 477. *Vtraque* multis de causis *deficere* potest: levioribus tamen Animus exolvitur: at Anima non nisi à gravioribus corruit. Plinius lib. xx. cap. xiv. auctor est, *Magnam societatem cum Menta ad recreandos defectos animo Pulegio* esse. At *hoc* aut *illa* quis speret in vitam se revocaturum *defectos anima*, sive quos Syncope corripuit?

§ 478. Celsus l. vii. c. ult. *in Gangræna membrum præcidi oportere, alio loco* (lib. v. cap. xxvi. 3.) *mihi dictum est. Sed id quoque cum periculo summo fit. Nam sæpe in ipso opere, vel profusione sanguinis, vel animæ defectione moriuntur.* Etenim, *deficiente anima* Functiones cessant omnes, cessat Pulsus, cessat Respiratio, & tantum non Vita ipsa: *deficiente animo*, Vox sola aliquibus eliditur; *aliis* ad Motum vis non sufficit: *summum* est, cum non videt, non audit, non sentit.

§ 479. Celsus ergo non sine gravi causa jubet, *Mittendo sanguinem* ante finem facere, *quam anima deficiat*, hoc est, Syncope obveniat. Quæ necessario accidit, si cui quis σφοδροτάτῳ κενεαγγείῳ πιέῃ· *vasa ad extremum subito deplet*, uti loquitur Hippocrates de Vict. acut. 11. 32. Quo respiciens Aretæus de Cur. acut. 11. 6, in Jecoris affectibus acutis jubet ἀπόρως τῷ κένωσιν ἐμποιέειν, τάμνοντα φλέβας τὰς ἐπ' ἀγκῶνι, συχνὸν μὲν ἀφαιρέοντα, μὴ ἀθρόον δὲ· *amplo foramine vacuationem moliri, sectisque ad cubitum venis, copiosum quidem emittere, non universum tamen.* Equidem recte: nam *multos ex profluvio sanguinis intermori* experientia docuit in vulneratis. vide Celsum lib. v. cap. xxvi. 23.

§ 480. Imo refert Galenus Meth. med. ix. 10, *vidisse se duos, quibus*

quibus sanguis mitteretur, in ipsis medicorum manibus perire, qui, postquam animo liquissent, numquam revixerunt. Multi vero, addit, *etsi non protinus, postea tamen præ infirmitate virium perierunt. Quos si quis citra defectionem vacuasset, minime periissent. Quin etiam aliqui inciderunt in longos morbos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Aliis, cum immodicæ vacuationis noxam sarcire non possent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facile ex quavis occasione lasi, alii decolorati ac mali corporis habitu vixerunt: alii ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam inter cutem, orthopnœam, jecoris ac ventriculi imbecillitatem, apoplexiam, deliria.*

§ 481. Hippocrates similiter non sine gravi causa jubet, *Mittendo sanguinem* non ante finem facere, *quam animus deficiat*, hoc est, exolvatur ægrotus, si ferendo id esse jamante Medicus prænosse ex viribus ipsius potuit. *Conditio* namque addita licentiam hoc audendi solis *circumspectis*, hoc est, prudentibus & expertis concedit: quibus sane multa licent, aliis omittenda.

§ 482. Quod ad *istam* interpretationem, mecum est Ferdin. Mena ad Gal. de Sang. miss. cap. XII. fol. 65. in fine. Missus vero *ad animi defectum* usque sanguis uti magnum est auxilium, ita & magna, proter refrigerium corporis, commoda adfert secum: quæ videre est apud Galenum in Meth. med. IX. 4. In cujus commentario tamen Lud. Lemosius nulli hoc tentandum contendit. Argumentis ejus respondit Zacutus 1. Hist princ. med. IX. quæst. VII. confer & Brasavolum in Hipp. de Vict. acut. IV. 74. Sanctorius vero in com. Aph. quæst. XCII, diluit argumenta Averrois, qui in II. Collig. cap. VIII, contra idem illud placitum insurrexit.

§ 483. Summa dictorum est: *licere* Sanguinem mittere, si res flagitat, ad *animi* quidem, non *animæ defectionem*. Imo & *animæ*. Sic enim expresse verbis, quæ attulisti supra § 468. ex l. de Vict. acut. IV. 74. & constanter libri λιποψυχίαν legunt. Non possum diffiteri. Sed nec persuadere mihi, non λιποθυμίαν scripsisse Hippocratem, & mutasse librarium τὴν ἐφάσεως seu *proprietatis* utriusque vocis rudem.

§ 484. In quo prorsus me confirmat Galenus in commentario.

rio. πλέον δ' ἀφαιρεῖν κελεύων, καὶ θαῤῥεῖν μέχρι λειποθυμίας ἄγειν· ἥμαρτεν ἐν τῇ λέξει, προσθεὶς δι' ὃ θαῤῥεῖν προσήκει. διὰ μὲν γὰρ τὴν ὀξύτητα τοῦ ἀλγήματος, ἐπὶ τὸ πλέον ἐκκενοῦν τοῦ αἵματος ἀφικνούμεθα· τὸ δ' ἐᾶν ῥεῖν [lege, τὸ δὲ θαῤῥεῖν,] οὐκ ἐκ τῆς ὀξύτητος, ἀλλ' ἐξ ἄλλων ἔχωμεν· ἐὰν ἥτε δύναμις ἐῤῥωμένη, καὶ ἡ τῶν ἀκμαζόντων ἡλικία, καὶ τὸ πλῆθος αἱματικὸν, καὶ ἡ τοῦ κάμνοντος φύσις πυκνοτέρη τε καὶ σκληροτέρη, καὶ δυσδιαφορητοτέρα καὶ πολύαιμος, ἥτε ὥρα τοῦ ἔτους καὶ ἡ κατάστασις εὔκρατος· οὕτω γὰρ καὶ ἡ χώρα. τὸ γὰρ ἄχρι λειποθυμίας ἄγοντα θαῤῥεῖν, ἐκ τούτων ἡμῖν προσγίνεται· *Amplius vero detrahere jubens, & audendum usque ad deliquium animi vacuare, peccavit in oratione, cum addit, quare expediat audere. Etenim ob acumen doloris plus quidem sanguinis vacuamus: at quod audeamus hoc, id non ex acumine, sed aliis habemus. nempe si sit virtus robusta, ætas adolescentium, abundantia sanguinis, ægrotantis natura densior & durior ac minus perspirans multique sanguinis, anni quoque tempestas ac constitutio temperata: similiter & regio. Quod enim usque ad deliquium animi mittere sanguinem audeamus, ex istis nobis advenit.*

§ 485. Ex istis plane liquet, Galenum fuisse sequutum lectionem, quam urgemus. Aut igitur Præceptor promiscue usurpavit λειποψυχίην pro λειποθυμίῃ, *animæ defectionem* pro *animi deliquio*, aut oscitantia est librarii manifesta in textu, quem proposui. Hoc pergam credere, donec quis alterum asserens monstraverit loca, ad quæ respondere non potero.

§ 486. Nam neminem fore arbitror, qui existimet Hippocratem vehementia dolorum afflictatas vires, & ex parte fractas frangere voluisse præcipitatione in talem casum, unde se sintne erecturæ, incertum sit: at talis est συγκοπὴ, *animæ defectio*. Plusquam aurea sunt ista Aretæi de Cur. acut. II. 3: Ἐν συγκοπῇ μάλα χρὴ τὸν ἰητρὸν πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. μέλλουσαν μὲν γὰρ ἦν προγιγνώσκης, τά τε παρέοντα ἐπεσυμένως συνεργὰ ἔνσεο· ἀτὰρ ἠδὲ ἐξελαίοις ἂν αὐτέην πρὶν ἥκειν. παρεοῦσαν δὲ οὐ ῥηϊδίως διδρήσκουσι οἱ νοσεῦντες. λύσιν γὰρ τῆς φύσιος τὴν συγκοπὴν ἔλεξα. οὐ παλίσσυτος δὲ φύσις λυθεῖσα. τήνδε ὦν μάλιστα μὲν μέλλουσαν κωλύειν. ἦν δὲ μὴ, ἄρτι ἀρχομένην. *In syncope valde oportet medicum attendere. Futuram quippe si prospexeris, etiam præsentia ex consequenti cooperabuntur, ut propul-*

ſes eam, priuſquam iuvadat. Præſentem vero non facile evadunt ægrotantes. Solutionem namque naturæ ſyncopen dixi. Retrograda vero non ſit natura ſoluta. Hanc igitur maxime quidem fut tram prohibeto: ſin minus, primum incipientem.

§ 487. Quando itaque conſtat, *defectiva* Sanguinis miſſione non abſtinuiſſe Hippocratem: *ſecundæ* quæſtionis eſſe dicebamus, *num* in Oeniade illam tentarit? Mihi hoc vel ſuſpicari in mentem non venit. Venit interpreti, quem laudavi. Cujus auctoritas quo major eſt apud noſtri ordinis eruditos, eo ſollicitius nos oportet cauſam hanc agere.

§ 488. *Principio* verum eſt, quod notat Ballonius 1. Conſ. XLIV. in fine: *Ratio, quæ efficiat ſæpe ut primæ venæ ſectionis nulla fere ſit utilitas, eſt quod parca manu nimium ea celebretur. Si enim liberalius ſanguis mitteretur, dubio procul manifeſtior foret utilitas.* Verum in hoc peccaſſe Virum, cui propoſitum erat *exſanguem* reddere ægrotantem, nulla eſt vel ſpecies veri. Quin ratio dictat, illi ſcopo intentum prima quidem vice largius miſiſſe ſanguinem, quod & urgeret neceſſitas major, & vires permitterent magis.

§ 489. *Deinde*, ad definiendam quæſtionem, pretii erit vidiſſe, *quid* Galenus merito requirat ad hunc auſum, & *quibus* in Caſibus audere quis illum debeat.

§ 490. Quod ad *primum*: Hippocratem ipſum requirere ait, ut non fiat niſi ἐῤῥωμένης τ᾽ δυνάμεως, *cum bene valet virtus.* Hippocrates faciendum monuerat, ᾧ ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων, *ſi ſuffecerit ægrotans.* Galenus *ſufficere poſſe* non putavit, niſi firmis & conſtantibus viribus.

§ 491. Celſus ſuum faciens illud quod legitur l. de Aere, aq. loc. n. 76. Zuing. τὸ ἐῤῥῶσθαι interpretatur *bene valere*, l. 1. c. 1. *Valere*, valet cum robore ſanum eſſe. *Sanus* eſt, qui functiones ſuas edit inculpate: Gal. de Morb. diff. II. *Valet*, qui robur ſimul & potentiam adfert ad fungendum: l. de Plenit. VII. *Bene valet*, in quo etiam eminenti in gradu ſanitas ſe atque robur oſtentant. Neque vero aliunde poſſis *ægrotantium* Vires æſtimare, quam ex Functionum conſtanti valentia aut valenti conſtantia. *Vires* autem ſicuti *fundamentum* in Spiritu, ſic *alimentum* in Sanguine,

&

Unable to display this page

quippe, nedum *maximæ*, nullum reperimus signum. *Febris* si forte adfuit, *hecticæ* illa speciem, neutiquam *ardentis*, nedum *ardentissimæ* habuit. *Dolorem* si quis causari velit, cogitet placari cibo hactenus potuisse.

§ 496. Nullo igitur prorsus fundamento asseruit Vallesius fuisse *sanguinem* Oeniadæ missum ad animi usque defectionem. Inquies: nec voluisse id affirmare. Dubitasse enim, innuit aperte particula, *aut*. Voluit interim alterutrum instituisse Hippocratem: *nempe*, Misisse sanguinem donec animo linqueret, *aut* Exsangue corpus fieret. Sed hoc nunc quoque examinemus.

§ 497. Quid enim illis verbis, *donec exsanguis fieret*, Hippocrates voluerit, omnino non explicat Vallesius. Non credo, *voluisse* Sanguinem omnem, qui vasis contineretur, fuisse emissum, atque adeo vasorum πρὸς ξύμπτωσιν ἐς ἔσχατον, *concidentiam ad extremum* perductam. Quam enim hoc sit σφαλερὸν *periculosum*, proque tali recte vereque habitum ab Hippocrate Aph. 1. 3, vel una illa ratio abunde probat, quod Anima sit in sanguine, *Deo teste*, inquit Plempius in Animadv. Praxis cur. Tert. propositæ à Petro Barba p. 26.

§ 498. Unde certissimum est (quod idem Barba scribit in eadem Praxi § Refellitur) *corpus reddi minus exinanitum per sæpius repetitas sanguinis evacuationes, etsi illarum quælibet in moderata fuerit quantitate*. Hoccine vero scire Medicum, & nihilominus audere contrarium facere! Plempius refert feciſse *illum* in Ferdinando Hispaniarum Infante, Belgii subjugati Gubernatore, principe desideratissimo suis. Huic quippe ex Tertiana intermittente, febrium pene securissima laboranti, citra necessitatem, contra artem, tantum sanguinis detraxit è corpore, ut fuerit tandem vacivus virium extinctus. Corpore dissecto vix aliquot cochlearia sanguinis fuere reperta in vasis. Quot autem vicibus, quibus locis modisque carnificinam istam exercuerit, dicitur à Mart. Soers in Assert. thes. de Tert. p. 10, § Statim. Ista quidem sceleratissima carnificinarum est, abuti ad occidendum arte, quæ saluti hominum & quæsita est, atque concessa à Deo. Quidni adstituas hoc exemplum illis, quæ refert Meibomius com.

com. in Jusjur. Hipp. XIV. 16? Præsertim si verum est, quod tum vulgo rumor ferebat, fecisse jussu Senatus rerum Belgicarum in Hispania.

§ 499. Repeto: non hoc Præceptor dictat, in tali casu, qualis Oeniadæ erat, *simpliciter* Omnem sanguinem vasis esse deducendum; sed veterem & exsuccum & nutritioni non modo ineptum, sed & adversum. Talem quippe existere, ratione dudum (§ 225. & deinde) ostendimus non una.

§ 500. Quibus nunc addo *experimentum* simul & *auctoritatem* Hippocratis è 11. de Morb. t. IV. Ὅταν τις τῷ χεῖρα τοῦτο πάσχοντι διατάμῃ, τὸ αἷμα μέλαν ῥεῖ, καὶ θολερὸν, καὶ νοσῶδες. καίτοι οὐδὲ αἷμα δίκαιον εἶπεῖν κατ' ἄνομα, ἀλλ' ἐρυθρὸν καὶ εἰλικιεμένες ῥεῖν. *Quando quis manum hoc patienti inciderit, sanguis niger fluit, & turbidus atque morbidus. Quamquam fas non sit sanguinem nominare, nisi qui rubicundus atque sincerus fluit.* Verum est, de *alio* Affectu hoc dicere Præceptorem: experientia tamen docet & in nostro & in quocumque alio morbo, ubi sanguis squalet, esse illud prius non minus verum. Qui vero talis est, ut ne quidem *nomen* Sanguinis mereatur: meretur ille citra controversiam totus auferri; quia non nutriendo, verum nocendo est.

§ 501. *Quemadmodum* vero istud fieri in Oeniade potuit, novo indies accedente alimento & fomento pravi? Nam *impura corpora quo plus nutriveris, eo magis læseris*: Aph. II. 10. Possem respondere, *frustra* quæri, num fieri possit, quod factum. Nam hoc curatio ostendit. quod maximum esse in Medicina argumentum, nonnemo recte dicit in com. ad Aph. II. 17, si recte memini. Atenimvero non isthoc ense nodos rescindere soleo. Ergo igitur age enodemus non adeo difficilem nodum.

§ 502. Vidimus ante, *omnem* Cibum fuisse huic ægroto corruptum ustione: *ustionem* hanc processisse à Spiritu igneo: *igneum* hunc factum partim *retentione* Fuliginum copiosiorum & acriorum solito, partim *exsiccatione* Sanguinis. Necesse fuit igitur, *sanguine* hoc dimisso, una *fuligines* eventilari, una *spiritum* refrigerari, & hoc refrigerio reddi *aptiorem* cibis coquendis.

§ 503. Et vero quia *mitti* Sanguis paulatim debuit, non potuit

tuit nisi *paulatim* Cibus coqui melius, & in chilum succosiorem. Cujus *cremor* delatus in venas, quamquam impuraretur à sanguine, non læsit tamen, sed quavis vice juvit plurimum. *Non læsit*: quia illa demum Corpora impura læduntur accessu nutrimenti, quorum *ventriculus repletus est pravis humoribus, aut qui ex morbis evadentes prohibent recipere vires*; uti bene Galenus exponit in com. Hanc quippe genuinam fuisse Præceptoris mentem, dilucet ex fine Aph. VII. 66: ubi *sorbitiones* dari vetat *alvo nonpurgata*. Inquinantur enim ibi, & sanguinem purum aut depuratum novis sordibus secum adductis inquinant. *Iuvit* vero: quia magis ac magis Sanguinem humectavit, Spiritum attemperavit, Partes denique ipsas restauravit.

§ 504. Sed videntur hæc tanta beneficia gratis adscribi Chymo. Quid enim, *annon* Nova materia mixta corruptæ simul fuit cum hac ipsa venis semper subducta? Non profecto *tota*. namque negari de *parte*, eaque ipsa crudiore atque inutiliore non potest.

§ 505. Demonstrabo hoc ad oculum, si liceat mihi ponere: *Oeniadem* bis in die Bubulæ libram edere jussum, & Panis similaginei tantumdem. Quippe tam neminem in arte arbitror tironem, qui Hippocratem putet solum *sollicitum* de Sanguine demendo fuisse, non etiam de reficiendo. *Reficiendo* autem idonior esca alia non erat præ *bubula* & *pane*, quem dixi. Etenim neutri quidquam deest conditionis ad talem casum requisitæ.

§ 506. Celso auctore enim *Bubulæ* dotes sunt insignes. *Prima*: Quod sit gravissima, hoc est, plurimum alimenti habeat. *Altera*: Quod sit *ex domesticis animalibus stomacho aptissima*. Unde & *plerique qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt*. Quibus *tertio* accedit, quod *minime intus vitietur*, præsertim *si macra est*. vide sis apud illum II. 18, 24, 28: & IV. 4.

§ 507. Pro quibus Hippocrates, quo ne desumsisse ex eo dubites, l. II. de Diæt. IX. 140: βόεια κρέα, ἰσχυρὰ, καὶ στάσιμα καὶ δύσπεπτα τῇσι κοιλίῃσι· *Bubulæ carnes, robustæ, & stativæ, atque concoctu difficiles ventribus*. Memini, de voce στάσιμα quid scripserim supra exerc. V. 91. 92. Heic reddebam, *tardæ coctionis*: nunc,

stativæ.

stativa. Iam enim sumo vocabulum hoc *intransitive*, pro eo quod stat & statione sua non facile dimovetur. Oportet vero *stationis* appellatione nihil aliud intelligere in Alimentis, quam substantiæ modum compactum atque impervium Calido, ob densitatem & soliditatem solutu difficilem. Atque ita *stativum* est hoc ipsum, quod tardæ concoctionis.

§ 508. Quamquam præsenti in casu liceat etiam *activè* interpretari. Dum enim *bubula* moratur in ventriculo, dum se corrumpi non patitur, neque præcipitat in alvum, neque materiam dejectioni præbet: atque ita *per accidens* Alvum sistit seu fluere non concedit solitæ fluere corruptis & combustis cibis. Non ergo *sistit* Bubula quod est excretioni paratum: sed quod præpropere excernat, nihil alvo suppeditat.

§ 509. De *pane similagineo* effatum est Hippocratis in II. etiam de Diæt. VII. 91: οἱ σεμιδαλεῖ ἰσχυρότατοι πάντων· *Similaginei sunt omnium valentissimi.* Celsus II. 18: *Id valentissmum voco, in quo plurimum alimenti est.*

§ 510. Ecquid vero est σεμίδαλις, ex qua panes præ aliis laudamus. Cyrilli glossæ: Σεμίδαλις, *Similago.* Ea vero *medulla* erat Farinæ triticeæ, hoc est, sincera farina & ab omni furfure repurgata. Dicebatur & *simila*, κατ' ἀποκοπὴν. Hieronymus ad Ezech. XVI. 13: *Simila, medulla frumenti, atque purissima.* Inquies: Non videri panes valentissimos confici ex *simila*, cum hac valentior sit *siligo*. Celsus iterum: *ex tritico firmissima siligo, deinde simila.* Quod sic Græce extulit Ægineta I. 78: πεοφιμώτατος δὲ τῶν ἄρτων ὁ σιλιγνίτης, ἐφεξῆς δ' ὁ σεμιδαλίτης· *Panum maxime alibilis est siligineus, deinde similagineus.*

§ 511. Sed facile est evadere ex hac difficultate. *Similago* prisci usus: *siligo* autem inventi fuit recentioris. Plinio XVIII. 8. 9. *siligo*, tritici delitiæ dicitur: *similago*, flos. Flore contenta veterum frugalitas fuit. Hanc σεμίδαλιν Græci, Latini *similaginem* nominabant, quod esset tota sui similis, seu farina mera, ceu dixi.

§ 512. Mart. Martinius, vir doctissimus, in Lex. philolog. ait Græcum vix Græcum esse. Mirabar legens: vel ideo quod usurpetur Hippocrati, vetustissimo auctori, quem appellat Celsus VI. 6.

VI. 6. Quin & Galenus de Alim. fac. 1. 2, scribit diserte: ἡ μὲν σεμίδαλις, ἑλληνικόν τε ἅμα καὶ παλαιὸν ὄνομα ἐστίν· σίλιγνις δὲ, οὐκ ἐλληνικὸν μόνον. *Semidalis, & Græcum & vetustum nomen est: Silignis vero, ne Græcum quidem.*

§ 513. Hippocrati licuit ergo *ante cognitam* Siliginem dicere, *panem* Similagineum esse robustissimum. Hoc ipsum tamen etiam *post inventam* Siliginem quid vetat affirmare? Nam & in *similagine* Siligo omnis continetur, & præterea Flos farinæ, quam *similam* nuncupant. *Simila* vero firmius alimentum præbet: *siligo*, tenerius. *Firmius* nunc appello, quod coquitur tardius, adhæresci tenacius, digeritur serius. Nam è *siligine* Alimentum, ut cito fit, sic cito perit.

§ 514. *Quantitatem* Bubulæ pariter ac Similaginei, quam præscripsi, tam non metuo nimiam esse, ut plures fore confidam, qui negent sufficere homini famelico & largius esse solito. *Concedam* ego plus, si plus *ferat* Natura, plus *postulet* Consuetudo. cui semper aliquid esse concedendum monemur Aph. II. 16. 17.

§ 515. Nobis interea sufficit ad demonstrandum id, quod est præ manu; & ad quod, illo dato atque concesso, nunc demonstrandum progredior. Obiter tamen & hoc præsuppono: *Sanguinis*, saltem secunda vice & sequentibus, non amplius tribus aut quatuor summum unciis & tertio quoque vel altero summum die fuisse dimissum. Ita hodie faceret vir prudens atque peritus. Quamquam aliter feciisse Galenum videbimus in sequenti.

§ 516. Confecerit ergo Oeniades, post *primam* Sanguinis missionem ex Cibi libris duabus Chili melioris quadrantem: post *alteram*, trientem: post *tertiam*, semissem: post *quartam*, bessem ponderis assumti. neque enim, arbitror, voles me procedere gradu lentiore minoreve, aut admittere scoriæ plus triente in cibis optimæ notæ. In quo si mecum tibi convenit (conveniendum vero est, & certi quid pro incerto statuendum) jam intra primum biduum seu ante iteratam venæ sectionem Sanguini accesserunt binæ libræ Chymi.

§ 517. Statuamus porro, *venisse* Chymi has bilibras ad Sanguinis in emaciato & partim jam exhausto corpore libras sedecim.

cim. Igitur *altera* Sectione venæ si sunt emissæ *quatuor* Sanguinis unciæ, *una* Chymi modo fuit.

§ 518. Post quam, licet copiosior indies Chymus, etiam ob crescentem Cibi quantitatem, influxerit sanguini; non idcirco tamen necesse fateri, plus deinde Chymi, minus autem Sanguinis qualibet vice effluxisse. Ratio est, *una* quidem, quod *proficeret* Viribus & Corpore: *altera* vero, quod simul etiam *perspiraret* liberalius. Sanctorius egregie Stat. med. III. 37: *Illa cibi quantitas est unicuique saluberrima, quæ sine molestia potest à Virtute concoctrice vinci. Vincitur, si, quantum ingeritur, tantum absumitur*, nutritione partim, partim transpiratione. Unde iterum aph. 61: *Illa est viventis optima conditio, dum facta ciborum concoctione corpus persentitur levius, cum tamen sit majoris ponderis.* Hoc enim, bene quem nutriri, arguit: illud, bene perspirare.

§ 519. Sed alia hinc jam surgit dubitatio: Si *quavis vice* Sanguinis non amplius tribus unciis fuit emissus: emittendus vero fuerit librarum sedecim: ergo repeti Venæsectio sexagies quater debuit, antequam Oeniades *fieret exsanguis*, seu liberaretur ab Sanguine isto inutili atque noxio.

§ 520. Falleris, amice, quisquis in has cogitationes consentis. Toties dumtaxat opus incisa vena fuit, donec rediret Spiritui sua temperies & robur agendi, necessaria ad salutem ex toto recuperandam atque constabiliendam. Quemadmodum namque alias in Synocho putrida non quidquid Sanguinis putruit vena secta dimittimus, sed quod oneri potissimum est: ita & heic fieri debuit.

§ 521. Quemadmodum vero ibi Natura deonerata ab onere, non toto, sed prægravante, facilius reliquum gerit, regit, vincit, abigit: ita & in Oeniade factum. Natura vincens enim, subeunte in corpus nova alitionis materia, veterem & inutile pondus *partim* per Transpirationes digessit, *partim* per Urinas, *partim* per Alvum quoque excrevit. Sane quo plus Chymi novi admiscebatur Sanguini exusto; eo hic fiebat dilutior & mitior & ad effecandum quavis via aptior.

§ 522. Si ita est, non equidem recte Historiographus noster,

donec fieret exsanguis, Sanguine misso opus fuisse. *Ista* enim, quam exposui, *ratione* non demebatur corpori sanguis, sed addebatur. *Demebatur* vetus & nocivus: *addebatur* novus & nutritius. Neque hoc dicit Dictator, *toties* Vena incisa fuisse sanguinem missum, *donec* Sanguis ille niger, turbidus, morbidus esset emissus ad oculum omnis. *Hoc* enim *fieri* nec debuit, nec potuit.

§ 523. *Non debuit*: quia Spiritus fuisset ad *languorem* deductus insuperabilem, saltem ad *intolerantiã* quavis etiam minima copia defatigabilem. Si hæc *plethora ad vires* non est, quæ est? Si est, ut est, *plethora* dicitur κατ' ἀνάφεσιν. Non enim *copia* est sanguinis, sed *inopia*. Etiam-ne vero *inopia* gravat? *Gravat* certe Spiritum subtilem & desuetum ferre laborem. *Gravat*, inquam, Spiritum subtilitate *imbecillem*, & desuetudine ferendi laboris *impatientem* vel minimi ponderis oneriſve. Salmasio, eruditorum principi, quamvis seni & debili & decolori & numquam non aquosissimum mejenti, tamen frequens admodum missus fuit sanguis. Memini me frustra dissuasisse, causanti copiam in inopia & oppressum Virtutis revera deficientis.

§ 524. *Non potuit* etiam. Coctione ciborum quippe felicius procedente, & de die in diem plure ac plure Chymo infuso in venam, adeo fuit iste Sanguis dilutus & obliteratus, ut impossibile esset etiam vestigium ejus deprehendere. Non enim heic obtinere putandum est, quod Lucretius ait in 1. de Nat. rer. VI. 29. *vitium vas efficere ipsum,*

Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris & commoda cumque venirent.

Non certe: non enim otiosa umquam in nobis, aut negligens sui est Natura, morborum medicus: quin semper intenta rei pro se salutariter gerendæ, quamprimum potest, semet expedit, & nihil non sanitatis recuperandæ gratia molitur.

§ 525. Quam equidem in *sanguinis* Morbo (qualis iste fuit) consequitur facilius, propterea quod sint ἄστατα τὰ ἐν ὑγροῖσι *instabilia, quæ humidis insunt* mala. Διὸ καὶ εὐμετάπτωτα ὑπὸ φύσεως, *unde & facile commutantur à Natura*, l. de Eleg. t. x. 166: modo *illa* Medicum nanciscatur ὁμόπτωτον, hoc est, talem qui sit

Natu-

Naturæ cum *artis conscius* tum *operæ socius*. Hoc enim elogio *verum* Medicum ceu maximo exornat Medicorum maximus in Præcept. VI. 65.

§ 526. Sed neque metuendum ab *empyreumate* est, quod Corpori sanguis impressit. Sicut enim tempestiva pluvia tam arentem siti Terram rigat, quam æstu squalentem Aerem temperat: sic etiam Chymus æque Membra exsucca irrorat, ac Spiritum ignitum refrigerat atque humectat.

§ 527. Obaceras denique: Si ita est, *unde* Hippocrati constitit, jam factum esse *exsanguem* Oeniadem, & abstinendum deinceps *missione* Sanguinis? Unde constat tibi, Sanguine putrefacto, quando sit satisfactum *indicanti* Subtractionem ejus? Par est utrobique ratio.

§ 528. Concludo ergo: *Exsanguem* facere, non est Medici, si verbum accipis in rigore suo. *Exsanguem* facere, sæpe est Medici, si verbum accipis medice, hoc est, respectu ejus quod peccat & ægrotat. Præcipuorum in arte errorum πρῶτον ψεῦδος est, quod ignorent medici, *modum considerandi* in arte omnem esse respectivum. Hæc ignorantia nobis pro Medicina obtrusit Physicam.

§ 529. Atque ita vidimus, *quid* Remedii attulerit Hippocrates. Restat videndum, *quo* Successu atque Eventu. *Successu* oppido felici: nam *deinceps profecit* Oeniades. Successus felix *eventum* dedit feliciorem & prorsus ex voto: nam *liberatus est à malo*, quem malum habebat desperatum.

§ 530. DEINCEPS. *hoc est*, Ab eo statim tempore, quo Sanguis incisa vena fuit missus, & Spiritus recreatus ac vegetatus contra hostem, qui jugulum ipsi non petebat, sed premebat; non premebat, sed feriebat; quique jugulaturus procul dubio & brevi fuisset, nisi velut è cœlo noster Æsculapius advenisset in tempore.

§ 531. Foesius, certe efficaciter, pro ἔπειτα reddidit, *tum demum*. Includit quippe verbum hoc *comparationem* facti Hippocratis cum eo, quod fecisset Medicus prior: simul velut in speculo ostendens, Ab imperito quid peritus differat. Qui cum porrigeret salutare, statim hoc Natura ambabus ulnis excepit, & inde initium

cœpit rumpendi retia Morbi & evadendi à laqueo Mortis.

§ 532. Valleſii de hoc auxilio hoc judicium eſt in commentario. *Audacter ſane tentata eſt copioſa miſſio ſanguinis in tabeſcente, & alimentum ex cibis non capiente homine, & feliciſſime ſucceſſit. Quotus enim quiſque medicus non abſtinuiſſet ab omni ſectione venæ, ob virium imbecillitatem quæ adeſſe videbatur, & ob penuriam alimenti, & reliqua ſymptomata? Neque tamen temere factum id huic ægroto eſt, ſed prudenter.*

§ 533. Non intelligo, *quei* Idem in eodem negotio & tempore dici ſimul *audacter* facere & *prudenter* poteſt. Quippe nimium ſunt hæc diſparata. Meretur *prudentia* laudem. *Audacia* vero numquam non crimen habet, etiam cum forte juvat. Seneca recte de Benef. IV. 27: *nec audacem quidem timoris abſolvimus.* Δϕλίη δὲ, inquit noſter in Lege III. 39, ἀδωαμίλω σημαίνει· *Timiditas enim impotentiam arguit*: utpote è cujus conſcientia manat.

§ 534. Uti vero *audaces* timent conſcientia inertiæ; ita & tument opinione artis. Cujus umbra veſtitis ſi *fortuna* inſuper faveat, non raro *magni*, magno licet immerito ſuo, apud populum cluunt. *Prudentia* è contrario neque tumida eſt, neque timida. *Nititur* enim recta ratione, comparata diſcendo atque faciendo. *Vnde* & nihil aggreditur, de quo deſperat: & quod aggreditur, id & feliciter curat.

§ 535. Valleſius certe cum ait, *Quotuſquiſque medicus non abſtinuiſſet ab omni ſectione venæ*: innuere haut obſcure videtur, raram eſſe (apud eos, qui σχῆμα μοῦ, καὶ στολὴν, καὶ πρόσωπον ἰητρὸν ἔχουσιν, *ſpeciem & ſtolam atque vultum Medici gerunt*, Lege I. 6.) hodie illam *aut* Scientiam artis, quæ invenire tale Remedium queat, *aut* Fiduciam quæ tentare audeat inventum.

§ 536. Mirum, ſi non *multi* Hippocratem ex ſeipſis metientes dicant, non ratione feciſſe quod fecit, ſed ratiocinatione: ſeu perſuaſiſſe ſibi, *quoniam* Purgantibus, ceu ſecundis, hactenus fruſtra curatus eſſet Oeniades; Miſſione ſanguinis tamen, quamvis infirmitati contraria, poſſe reſtitui. Quia nempe *ſatius ſit, anceps auxilium experiri, quam nullum*: & *multa in præcipiti pericula recte fiant, alias omittenda*: & *nihil interſit, an ſatis tutum præſidium*

ſit,

sit, quod unicum est; ut Celsus loquitur lib. II. 10: & III. 18: & VII. 33.

§ 537. Foesium præterea in stuporem dedisse *insolens* isthæc nostris moribus *curatio* videtur. *Est autem*, inquit, *insigne admodum & rarum exemplum, tantam ventriculi imbecillitatem & dolorem nullis aliis adjutum remediis, misso ex utraque manu sanguine ex toto conquievisse.*

§ 538. Cui ego non aliud responderim præter Boethii illud ex l. de Consol. Philos. IV. 5:

pectora turbant
Cuncta, quæ rara provehit ætas,
Stupetque subitis mobile vulgus.
Cedat inscitiæ nubilus error,
Cessant profecto mira videri.

Sed hoc est, quod ipse noster ait in I. de Diæt. t. XX. 213: πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι γινώσκουσιν· *Multi mirantur, pauci intelligunt.*

§ 539. PROFECIT. Sic reddidi τὸ ὠφελήθη, præeuntibus Philoxeni glossis. Cornarius: *utilitatem percepit*. Foesius: *allevationem sensit*. Omnes bene: quamquam alio atque alio respectu quisque.

§ 540. Foesius in oculis *morbum* videtur atque *symptomata* habuisse. Hæc enim quia ponderis instar gravant ægrotantem & succumbere faciunt, non tantum decumbere, si qua ratione quis ea mitiget atque imminuat, certe *allevat* patientem, non modo onus ipsi faciendo levius atque levius, sed & erigendo jacentem aut extrahendo velut ex aqua & umbra mortis.

§ 541. Cornarius ad *auxilium* respexit, ad Missionem sanguinis. Quod enim pro *suppetiis* Medicus multum celer atque fidelis probum atque probe subministrat, id quoque certam adfert *utilitatem*: quatenus nempe præstat *Naturæ* primum, vindicare se gestienti, instrumentum, quod sit ἐπιτήδειον καὶ λυσιτελὲς, id est, *idoneum juvare & ex toto solvere* Morbum; tum & *Aegroto* fructum atque perceptionem commodi, quod secum velut in sinu illud ferebat.

542. Hinc disce rationem, quare, quod observat Celsus III. 2,

si quis temere habitus, adhuc integris viribus vivit, admota curatione momento, quin miraculo sæpe, *restituatur*. Felices medici, quibus inter initia praxis talis vel unus in splendida persona casus obtingit! præsertim femina? quæ veræ sunt Medicorum buccinæ. Quia enim mulierc ularum animos etiam parva facile movent, & quovis tintinnabulo sonantiorem gerunt linguam; hacpropter Medicum, cujus opera se suosque servatos credunt, magnis ubique & apud omnes extollunt laudibus, sæpe immodicis &, supra quam quis ipse velit aut meruisse se sentiat, ardentioribus. Tu interim, quisquis eris,

Ex ore boni quæ fuerit laus profecta,
Si non videaris meruisse: fac, mereri:

ut bene monet illustris Scaliger, Epidorpid. 1. 56.

§ 543. Nos vero ad ipsum *ægrotantem* intendebamus, ejusque *valetudinem*, cujus causa Naturę suppeditatum Medicus accersitur. *Proficere* quippe Ægrotantium est proprie: ut *prodesse*, Medicorum. *Proficit*, qui sic in via salutis progreditur, ut sentiat se indies plus plusque boni ejus consequi, ad quod votis omnibus contendit. *Prodest*, qui ita pro ægro est, ut hic sentiat se beneficio ejus promoveri ad id, cujus fieri compos desiderat.

§ 544. *Proficit ægrotus*, quum suas sibi Vires augeri atque confirmari sentit, Morbi è contrario langueſcere atque penitus enervari. *Prodest medicus*, quum cito, tuto, jucunde curat. quemadmodum Oeniadem curavit Hippocrates. Quo alius profecto non potuisset, non posset citius curare, aut tutius, jucundiusve.

§ 545. Non *citius*: quia Æger statim à Sanguine misso medelam sensit ivitque prosum ad pristinam valetudinem. Non *tutius*: quia Auxilium nullum æque habemus in potestate ac Sanguinis missionem. Vena incisa ut numquam non certo ille profluit: ita non amplius quam Ars permittit. Medicamenta sæpe non respondent conjecturæ: sæpe spem in totum fallunt. Purgantia etiam plus interdum purgare & vacuare cogunt Naturam, quam ipsa velit, ægro expediat. Non denique *jucundius*: quia Medicus excogitare non potest, quo Materiam peccantem demat minore cum tastidio, molestia, labore, fatigatione.

§ 546.

§ 546. Vallesius etiam ista sub finem commentarii expendens, tantum non Expositoris perfidi vices subit: ita μαγαδίζ. Vide quæso, hoccine non sit ex eodem ore calidum & frigidum efflare: ut jam non dicam, quod Euclio in Aulul. act. II. sc. II. 18:

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Ecce! *Nihil ergo citius poterat huic homini malum tollere, quam eo usque sanguinem mittere. Verum qui curationem aliquanto tardiorem, sed aliquanto tutiorem optaret, mitteret sanguinem aliquanto parcius, & cibaret crassis & lentis cibis, & uteretur potu gelido, & balneo subfrigido.*

§ 547. Epanorthosis ista quid quæso est, si temeritatis quædam exprobratio non est? *Asclepiades*, referente Celso lib. III. cap. IV, *officium esse medici dicebat, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.* Quæ conditiones ita sunt inter se innexæ, ut *fidelis* Medici nomen mereri nullo in casu possit, qui aliquam negligit. Quod si *primam* Hippocrates, quæ caput est cæterarum, temserit, temere profecto egit; & inconsiderate, si non timuerit, ne periculosa esset illa festinatio. Si potuit *tutiorem* viam ingredi, super quo fuit fundata *laus* ista *prudentiæ*, quam commentarii initio tribuebas ipsi? Tam enim igni non est aquæ contraria, quam temeritas prudentiæ.

§ 548. ET. Copula hæc *continuationem* Profectus significat ad usque sanitatis recuperationem. Quasi dicat: Proficiendo profecit & pervenit tandem ad hoc, quod enixe desiderabat. Nam

§ 549. LIBERATUS EST. *Liber* dicitur, cui permissum est suo arbitrio vivere. Si recte, nemo magis *servus* est, quam Ægrotus, sive qui Morbi pariter atque Medici in potestatem venit.

§ 550. *Morbus* quos habet, admodum misero servitutis vinculo attinentur. Lecto affigi, parum est: etiam, affici fastidio cunctarum rerum. Omne genus doloribus affligi, pene intolerabile est. Curis, anxietate, terrore mortis confici, & evadendi spem non videre, miseriarum velut apex est.

§ 551. *Medicus* quos accipit, raro non adstricte rigideque habet:

habet: cupiditatibus omnibus atque deliciis severe interdicens; contra nihil non imperatorio more edicens amarum, ingratum, horridum, molestum; nihilque pene umquam concedens, quod animo collibitum sit suo.

§ 552. Vere igitur recteque dicitur *liberatus*, quisquis sub hasta velut Morbi venditus devenit in manus Medici multum celeris atque fidelis, ejusque officiosa curatione, Natura allaborante, imo benedicente Deo, velut manumissus asseritur Sanitati & Libertati, quam cum illa perdiderat.

§ 553. Quisquis autem factus erit suus, quoties oblitus ante malorum apud animum suum multis in occasionibus instigante Ventre ac Venere dicet,

Afflictus postquam meus à tortore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque cupido?

meminerit, si sapit, respondere pessimis istis consultoribus; Imo, licent omnia,

Excepto, si quid Medici præcepta notarunt.

Cogitet semper, etiam sibi dictum hoc: Ἴδε, ὑγιὴς γέγονας. μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται· *Ecce, sanus factus es. Ne pecces denuo, ut ne pejus quid tibi eveniat*: Joh. v. 14.

§ 554. A MALO. Siquidem, quod Philiscus ait apud Dionem l. XXXVIII. p. m. 79, ὑγιαίνειν σώματι καὶ δὴ μάλα ῥώννυσθαι πρῶτον κατὰ φύσιν ἀγαθόν ἐστιν ἀνθρώποις· *Sanum esse & bene valere, primum est homini secundum naturam bonum*: omnino primum ipsi contra naturam malum erit Morbus.

§ 555. Rectissime vero *morbus* Malum vocatur, quia est & *fructus* Peccati & *viator* Mortis, quæ per peccatum Hominis primi subintravit in mundum & ad omnes deinceps pertransivit: Rom. v. 12. *Peccatum* nunc appello, quidquid homo ἀλόγως agit, hoc est, abdicato rationis imperio committit, ut cupidini atque libidini, brutis affectibus satisfaciat.

§ 556. Democritum ferunt dicere solitum: si *corpus* Animum vocaret in jus, haudquaquam effugere illum posse crimen male administrati muneris. Cum enim Corpori velut præsidio sit impositus & rector datus, tamen pleraque mala omnia Corpori ab Animo

Animo veniunt. Eusebius recte apud Stobæum Serm. XXXVIII. 15: Τῇ ψυχῇ σῶμα ἀνθρώπῳ ἐδίδω ὁ Θεὸς, ὥστε τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα ὑπηρετεῖσθαι. οἱ δὲ πολλοὶ τὸ ἔμπαλιν ποιέουσι, σώματι πρὸς πάντα, καὶ ἐς μᾶλλον τὰ ἐκείνου ὑπουργήματα, τὸ κρέσσον τῷ χείρονι, καὶ θνητῷ ἀθανάτου, ψυχῇ καταδουλούμενοι. Hoc est: *Animæ corpus hominis dedit Deus, ut animæ corpus serviret. Multi vero contrarium faciunt, animam corpori ad omnia, atque adeo sola ipsius obsequia, id quod potius deteriori, & mortali immortale mancipantes.*

§ 557. Hoc vero videre vel maxime est in conviviis nostris. Ut enim nihil nunc de patinarum luxu dicam (quo de videsis judiciũ Venusini II. Serm. II. 71.) quid in istis familiarius, quam vota magnis & plenis poculis facere pro sanitate alterius contra suam. Quod genus insaniæ in quo melior est ea, quam taxat Democritus apud Stobæum Serm. XLIV. 24? Τιμάω, inquit, δίχας παρὰ θεῶν αἰτέοντ᾽ ἄνθρωποι. τὴν δ᾽ ταύτης δύναμιν παρ᾽ ἑαυτοῖς ἔχοντες, οὐκ ἴσασιν. ἀκρασίῃ δὲ ταναντία πρήσσοντες, αὐτοὶ προδόται τῆς ὑγείης τῆσιν ἐπιθυμίῃσι γίγνονται. *Sanitatem precibus à diis rogant homines: nescii sua eam in potestate esse. Per intemperantiam vero contraria facientes, ipsi sanitatis proditores suis cupiditatibus fiunt.*

§ 558. Dictator vero *morbum* Oeniadæ vocat *malum*, non illa vulgari acceptione, sed ἐμφαντικῶς seu *significanter* admodum. Vere enim *malum* Morbus est, qui desperate ægrum habet, & obtorto velut collo trahit ad Mortem, quod malorum Naturæ maximum est atque gravissimum. Vidimus autem quam prope ad ultimam lineam fuerit ille miser pertractus à Morbo suo & protrusus à Medico suo. Ut dicere revera liceat, fuisse liberatum à Malis, iisque duobus magnis, Morbo ac Medico. Profecto, *majus* Morbo ipso *malum* Medicus imperitus est. Talis enim (uti ex Basilio recte idem Stobæus ait Serm. CCXLV. 6.) πρὸς κάμνοντας εἰσιὼν, ἀντὶ τοῦ εἰς ὑγιείαν αὐτοὺς ἐπάγειν, καὶ τὸ μικρὸν λείψανον τῆς δυνάμεως ἀφαιρεῖται· *ad ægrotantes ingressus, cum deberet ad sanitatem eos reducere, etiam illud parum, quod reliquum est virium, aufert.*

§ 559. Quod ne mihi quis eorum, quos tangit hoc, ceu à me profectum dictumve vertat vitio, pretii erit repræsentasse

heic ipsius Hippocratis, è Præcept. II. 12, acriorem longe censuram. ἡ διάνοια παρὰ φύσιος λαβοῦσα, ὕστερον ἐς ἀληθείην [malim ὑγείην] ἤγαγεν. εἰ δὲ μὴ ἐξ ἐναργέος ἐφόδου, ἐκ δὲ πιθανῆς ἀναπλάσιος λόγου, πολλάκις βαρείην καὶ ἀνιαρὴν ἐπήνεγκε διάθεσιν. οὗτοι δὲ ἀνοδίην χειρίζουσι. τί γὰρ ἂν ἦν κακὸν, ἢν τὰ ἐπιχείρια ἐκομίζοντο, οἱ τὰ τῆς ἰητρικῆς ἔργα κακῶς δημουργέοντες; νῦν δὲ τοῖσιν ἀναιτίοισιν ἐοῦσι τῶν καμνόντων, ὁκόσοισιν οὐχ ἱκανὴ ἐφαίνετο ἐοῦσα τοῦ νοσέειν βίη, εἰ μὴ ξυνέλθοι τῇ τοῦ ἰητροῦ ἀπειρίη. Quorum sensus est. *Iudicium quod à Natura incipit, tandem ad veritatem* [imo, *sanitatem*] *deducit. Quod vero non ex dilucida perceptione, sed probabili rationis figmento procedit, sæpe in gravem atque funestam inducit affectionem. Hi vero inviam viam ingrediuntur. Quid enim esset mali, si tantum pecunias auferrent, qui Medicinæ opera male administrant? Nunc vero extra culpam positis ægrotis, quasi haut sufficere videretur ægrotandi vis, nisi accederet Medici imperitia*, magnum se exhibent ipsis malum. hoc enim ex antecedentibus subaudiendum esse, recte monet Zuingerus, & est præter hoc per se clarum.

§ 560. *Vtriusque* hactenus *exemplum* in Oeniade vidimus memoria atque observatione dignissimum. *Vidimus*, in quæ discrimina rerum Vir ille deductus fuerit ab eo, *qui* Medicinam ipsi faceret, *non ex dilucida perceptione*, hoc est, *notitia* aut *vera* Morbi, aut *certa* Causæ, aut *experta* Curandi: *sed probabili figmento rationis*, sive quali quali notione, & superficiaria dumtaxat Symptomatum inspectione, imaginando potius, quam ratiocinando, comparata.

§ 561. *Vidimus*, quemadmodum ex ipsis faucibus Orci fuerit ereptus iterum ab eo, *qui* Natura indice, Arte duce (quarum ὑπηρέτην *ministrum* se profitebatur, I. Epid. II. 51. ubi vide sis Galenum.) sic fecit, sic perfecit Curationem, ut merito dubites, Industria sapientiore, an Prudentia acriore; Ratione solidiore, an Experientia exercitatiore; Dexteritate denique feliciore, an Felicitate dexteriore.

§ 562. Habes præterea *exemplar* heic geminum atque illustre. Et quidem in *altero* Eorum, quos depingit Hippocrates l. de Eleg. IV. 61. Nempe qui ἑωυτοὺς ἐν λόγοισι πείσαντες, οἵονται εἰδέναι

ἔργον

ἔργον τὸ ἐκ μαθήσιος, ἄλλα καθάπερ χρυσὸς φαῦλος ἐν πυρὶ κριθεὶς, τοιουτοὺς αὐτοὺς ἀπέδειξε τὸ πέρας· *sibi ipsis persuadentes logis* (utitur Terentius Phorm. act. III. sc. II. 8.) *opinantur se scire rem quæ solum comperiendo discitur: quos tamen, quale aurum improbum in igne probatum, tales demonstravit exitus.*

§ 563. Quos equidem perquam eleganter l. de Vet. med. XVII. 47, comparat Gubernatoribus malis. Ἐπεὶ οἱ πολλοί γε τῶν ἰητρῶν ταῦτά μοι δοκέουσι τοῖσι κακοῖσι κυβερνήταις πάσχειν. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ὅταν ἐν γαλήνῃ κυβερνῶντες ἁμαρτάνωσιν, οὐ καταφανέες εἰσίν. ὅταν δὲ αὐτοὺς κατάσχῃ ἄνεμός τε μέγας, καὶ χειμὼν, φανερῶς ἤδη πᾶσιν ἀνθρώποισι δι' ἀγνωσίην καὶ ἁμαρτίην δῆλοί εἰσιν ἀπολέσαντες τὴν ναῦν. οὕτω δὴ καὶ οἱ κακοί τε καὶ πλεῖστοι ἰητροὶ, ὅταν μὲν θεραπεύσωσιν ἀνθρώπους μηδὲν δεινὸν ἔχοντας, ἐς οὓς ἄν τις καὶ τὰ μέγιστα ἁμαρτάνων οὐδὲν δεινὸν ἐργάσαιτο· πολλὰ δὲ τὰ τοιαῦτα νοσήματα, καὶ πολὺ πλέον τῶν δεινῶν ἀνθρώποισι συμβαίνει. ἐν μὲν δὴ τοῖσι τοιούτοισι ἁμαρτάνοντες, οὐ καταφανέες εἰσὶ τοῖσιν ἰδιώτησιν. ὁκόταν δὲ τύχωσι μεγάλῳ τε καὶ ἰσχυρῷ καὶ ἐπισφαλεῖ νοσήματι, τότε σφέων τὰ ἁμαρτήματα καὶ ἡ τέχνη πᾶσι καταφανής ἐστιν. οὐ γὰρ ἐς μακρὸν αὐτέων ἑκάστου αἱ τιμωρίαι, ἀλλὰ διὰ ταχέως πάρεισι. *Quemadmodum enim hi, quum tranquillo mari gubernantes delinquunt, non deprehenduntur: quum vero irruerit in ipsos ventus magnus atque tempestas, palam jam omnibus hominibus conspicui sunt sua inscitia atque culpa perdere navem. Perinde etiam mali atque plurimi Medici, quum curant homines nihil grave patientes, & in quos etiam maxime quis delinquens nihil grave committit (sunt vero multi tales morbi, & multo sæpius, quam graves, accidunt hominibus) in talibus inquam delinquentes, non deprehenduntur idiotis* i.e. artis rudibus. *Quum vero curandus obtigerit magnus & vehemens & periculi plenus morbus, tunc eorum delicta atque ars omnibus manifesta fiunt. Neque enim longe sunt ipsorum cujusque pœnæ, sed derepente adsunt.* Græca, quamvis sic satis prolixa quia venustissima tamen, & gravissima sunt, omnino mihi videbantur præscribenda. Quæ tamen poterunt prætervehere, qui non intelligunt. nam qui intelligunt, facile vident, quid distent æra lupinis.

§ 563. In *altero* deinde exhibetur *imago* medici φερωνύμου seu

talis, qui & ob Scientiam ſolidam dignus eſt illo nomine, & Opere ipſo ipſum hoc meretur. Imo *talis*, ut ex Hippocrate pergam loqui, qui καὶ λόγους ἐν ἑωυτῷ εὐπόρους εἰς τὰς ἐπικορίας ἔχει, καὶ οὐκ εὐδιορθώτοισι δικαίως οὐκ ἂν ἐγχειρέοι τῇσι νούσοισιν, ἢ ἐγχειρευμένας ἀναμαρτήτους ἂν παρέχη· *& rationes in ſeipſo expeditas ad auxilia habet, & non bene-corrigibiles morbos merito curandos non ſuſcipit, aut ſi ſuſcipit, etiam extra reprehenſionis aleam ponit*: l. de Arte XXIII. 120. Verus enim medicus ſerio cavet, ne quid temere aut aggreſſus aut molitus videatur umquam. Unde Trophilus medicus interrogatus: τίς ἂν γένοιτο τέλειος ἰατρός; ὁ τὰ δυνατὰ, ἔφη, καὶ τὰ μὴ δυνατὰ δυνάμενος διαγινώσκειν. *Quis fieret perfectus medicus? reſpondit: Qui poßibilia & impoßibilia potis eſt dignoſcere.* memorat etiam Stobæus Serm. CCXLIV. 9.

§ 565. Talis vero Medici καὶ τὴν τέχνην ὁ χρόνος εὐοδέα κατέστησεν, καὶ τοῖσιν ἐς τὴν παραπλησίην οἶμον ἐμπίπτουσιν τὰς ἀφορμὰς δήλους ἐποίησε· *non ſolum artem tempus reddit proſperam, ſed & aliis in ſimilem viam* (id eſt, Morbum aliquem tum cognoſcendi difficultatem, tum curandi ambiguitatem) *incidentibus occaſiones oſtendit*, facemque præfert ad rem feliciter expediendam.

§ 566. *Heic* præferre clariſſimam nobis *vidimus* Hippocratem, & tali quidem in caſu, ubi neceſſario, ſi abſque illa luce nos in viam damus, Ægrotantem devehemus in certam perniciem. Quare, ut tandem aliquando manum de hac quoque tabula tollam, ille mihi & eſt & erit ſemper

Felix, quem faciunt aliena pericula catum.

XIV.

XIV.

Mantissa Oeniadæ.

Galenus VI. Epid. III. 29.

ΚΑΙ τήνγε ἐπεσχημένην ὀκτὼ μησὶν ἤδη τὰ καταμηνία λεπτοτάτην οὖσαν, ἀφελὼν αἵματος οὐκ ὀλίγον, εἰς τὴν οἰκείαν ἕξιν ἐπανήγαγον ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ, καθάπερ καὶ ἄλλας οὐκ ὀλίγας. Ἔνιοι δὲ καὶ ἡμῖν ἀντιλέγειν ἐτόλμησαν, οὐ μόνον διὰ τὴν ἰσχνότητα τῆς γυναικὸς, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἀνορεξίαν, ὑπὸ τῆς φλεβοτομίας αὐτὴν βλαβήσεσθαι λέγοντες. [Ἐγὼ δὲ] τῇ μὲν πρώτῃ τῶν ἡμερῶν ἀφεῖλον οὗ αἵματος, ὡς μίαν καὶ ἡμίσειαν λίτραν, αὖθις δὲ τῇ δευτέρᾳ μίαν, τῇ τρίτῃ δὲ οὐ πολλῷ πλέον ἡμίσεως μιᾶς λίτρας, οὐγκίαι γὰρ ἦσαν ὀκτώ. Ἰατρὸς δ' ἐπιθυμήσει γνῶναι τίνα σημεῖα καὶ ἄλλα τὴν φλεβοτομίαν ἐνεδείκνυτο, περὶ τὴν ἐπίσχεσιν τῶν καταμηνίων. Αἱ φλέβες ἐξεῖχον αὐτῆς αἵματος μέσται φαινόμεναι, πελιδναὶ τῇ χρόᾳ. Διαιρεθέντος

ETIAM *ego defectam octo jam mensibus à menstruis, eamque gracillimam, demens sanguinis non parũ, ad suam valetudinem reduxi minimo tempore: quemadmodum & alias non paucas. Aliqui tamen nobis contradicere ausi sunt; non solum ob maciem mulieris, sed & ob inappetentiam fore dicentes, ut læderetur à venæ sectione. [Sed ego] primo quidẽ die eduxi sanguinis quasi unam & dimidiam libram: iterumque altero unam: tertio autem non multo plus dimidio unius libræ; unciæ enim erant octo. Sed medicus cupiet scire, quæ signa alia venæsectionem indicaverint, juxta cum suppressione menstruorum. Venæ eminebant ipsi sanguinis plenæ apparentes, lividæ colore. Inci-*

δὲ τοῦ ἀγγείου, παραπλήσιον ἦν ὑγρᾷ πίττῃ, καὶ τὸ πάχει. δι' αὐτόγε τοῦτο πολὺ μᾶλλον ἔδοξε κενωτέον εἶναι δαψιλῶς.

sa autem vena, assimilis erat humidæ pici, etiam crassitie. Hoc ipsum vero multo magis videbatur vacuandum esse liberaliter.

COMMENTARIVS.

§ 1.

COMMENTARIO *præcedenti* jam finem imposueram, cum ecce se mihi offert nobilis *historia* Mulieris à Galeno (rebus, ut videbatur, desperatis) curatæ, mirum in modum faciens ad confirmationem eorum, quæ in *curatione* Oeniadæ vidimus admirabili cum industria tum satagentia ab Hippocrate, magno doctore nostro, præstita. Videbar igitur operæ facturus pretium, si hanc *mantissam* Oeniadæ adderem, atque ita duobus & tantis testibus hanc ipsam nostris curandi rationem adprobarem, à qua hodieque Practici, nescio quo panico detenti terrore, consuerunt abstinere.

§ 2. Quo me properantem non parum Jo. Bapt. Silvaticus atque Zacutus Lusitanus instimularunt suis in *eamdem* Historiam laboribus. Quam quidem Silvaticus in Galeni Historiis medicinalibus à se enarratis num. LXX: Zacutus in III. de Medicorum principum historia & primo proposuit loco, & commentario partim, partim quæstionibus aliquot exposuit. In quibus quid viri isti doctissimi præstiterint, nihil me dicere attinet. imo malim te hoc ex collatione nostrarum cum ipsorum meditationibus perdiscere, quam ex singulari meo judicio. Eapropter etiam nolui *vel* Tibi præoccupando inserere semen præjudicii, *vel* Mihi præjudicare suspicione quæsiti atque emendicati favoris.

§ 3. Cæterum animus non est singulatim *hujus* Historiæ omnia excutere: pleraque enim per se sunt clara: multa vero ex iis, quæ ad Oeniadem diximus. Quod nunc potissimum meditamur πρόσδομα, seu *additamentum* ad Historiam præcedentem, duplex erit.

erit. *Alterum*, Impedimenta removebit: *alterum*, Signa dabit Mittendi ſanguinis. Hæc, inquam, præcipue agemus: cætera, ut fors tulit, excutiemus.

§ 4. PRIMO *colo* nobis Galenus *proponit* & Perſonam affectam & Curationem affectus: *illam*, ſic ſatis ad rem accurate: *hanc*, ſic ſatis ad fidem affirmate.

§ 5. *Perſonam* deſcribit à *proprietate* Naturæ & Affectus: *ab illa*, tectius; *ab hac*, nudius. Intelligas vero *mulierem* fuiſſe, & ea *ætate* quæ jam dudum conſueviſſet Menſtruum ſolvere. *Affectus* fuit αἱμοστασία, ἤτοι ἐπίσχεσις τῶν καταμηνίων *Sanguiſtitium*, ſive *ſuppreſſio menſtruorum*.

§ 6. Quem porro *manifeſtat* Durationis & Effecti mentione. *Duraverat* octo menſibus, ſive toties Natura coacta erat fruſtrare exſpectationem ejus mulieris. Neque enim aliud libentius aut liberalius ſolvunt tributum. Quippe ſatis eſt omnibus compertum quod καταμηνίων μὴ γινομένων, ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι· *menſtruis non euntibus, ab utero accidunt morbi*: Aph. v. 57. qui deſumtus videtur ex l. de Morb. mul. t. xv. 5. apud Maur. Cordæum, quem heic, ſi lubet, adi & vide.

§ 7. *Comperta* vero etiam hæc mulier fuit, non ſine periculo vitæ. Iam enim *facta* erat λεπτοτάτη, *gracillima*. Philoxeni gloſſæ: *Gracilis*, λεπτὴ, ἰσχνή. ſic enim reſcribendum, pro λεπτακινὴς, quod habent libri. Liquet ex Onomaſtico: cui *Gracile*, λεπτὸν, ἰσχνόν. Celſus II. 1: *Gracile corpus, infirmum: obeſum, hebes eſt*. Ergo *gracile* Corpus proprie, quod minime pingue eſt, carnoſiuſculum tamen. Hæc mulier etiam *excarnis* erat, quaſi os & cutis, ſceleton vivum, larvalè ſimulachrum. Ut gracillima diceretur, quæ erat λελεπτυσμένη ἄγαν, *præter modum extenuata* ſeu emaciata & plane macilenta. Cauſam repete ab iis quæ dixi XIII. 225.

§ 8. *Curationem* deſcribit & confirmat. *Deſcribit* à Remedio & Succeſſu. *Remedium* fuit, Sanguis in copia demtus. *Succeſſus*: quod minimo tempore fuerit reducta εἰς τὴν οἰκείαν ἕξιν, *ad proprium habitum*. Quo intelligas non ſolum *recuperationem* Corporis ſeu carnium muſculoſarum: ſed & *exſuperationem* Sanguinis pro menſtruo ſolvendi. Quippe niſi Menſtruis de more euntibus, non

poterat

poterat dici restituta suæ valetudini. Oportebat ergo prius fieri habitior & plenior. Naturæ mos est, ut in adolescendo, sic in renovando, prius Individui necessitatibus prospicere, tum Speciei quæ faciunt, curare.

§ 9. *Confirmat* suam hanc curationem Experientia. *Quo modo*, inquit, *alias non paucas* curavi. Videbimus mox, contradictum fuisse illi Curationis rationi: & proculdubio ab iis qui se Empiricos ab experientia nominabant: hi enim tunc Urbem, ut nunc Orbem, implebant. His provocando ad experientiam tacite velut insinuavit, *Multa experiendo fieri, quæ segnibus ardua videntur*, uti egregie notat Tacitus Annal. xv. 59. confer quæ scripsi supra XIII. 12.

§ 10. Ex *omnibus* tamen, quas se curasse profitetur, hoc solum nobis exemplum memorat. Causa fuit, *una*: Quia τὸ κατ' ἐκεῖνον, ὡ γὰρ ἦν ἀφανὴς, ἔνδοξον ἐγένετο· *celebre fiebat quod illi evenerat; erat enim haut ignobilis.* Certe ita est, ut nostrate proverbio fertur: *Pauperum placentæ & Divitum morbi olent longe.* Hinc si quod egregium Medicus in splendida persona facinus animose aggreditur & prospere exsequitur, vel propter hoc unum cluit magnus & omnibus aliis præstantior unus: præsertim si generis illa feminini fuerit, ceu monebam Exerc. præcedente XIII. 542.

§ 11. *Altera* causa fuit, quod contradiceretur isti curationi. Unde non potuit non prospere succedens curatio Curatori adquirere gloriam. Etenim ita est, ut Cicero ait pro Plancio c. 25: *Is glória maxime excellit, qui virtute plurimum præstat.* Medici virtus in cito, tuto, & jucunde medendo sita est omnis. Omne hoc cum præstaret Galenus, & contra sententiam eorum, qui non minus Artem volebant videri, ac ipse, intelligere: nemo sane miretur, si laudibus fuit elatus supra omnes.

§ 12. ALTERO *colo* deinde Galenus exponit, *Quemadmodum* sibi auxilium paranti fuerit contradictum. Ubi se *duo* nobis offerunt consideranda. *Unum* est, Contradictio ipsa: *alterum*, Ratio contradictionis.

§ 13. In *contradictione* iterum duo occurrunt: Personæ & Res.

§ 14.

Unable to display this page

Nam tacitus pasci si posit corvus, habebit
Plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæque:

inquit Horatius 1. Epist. XVII. 50.

§ 18. Interea, ut ante dixi, non est dubium, quin *Medici* fuerint, qui contradicebant. Id mihi è duobus liquet. *Primo*: Quod dicat, aliquos *ausos* sibi contradicere. Contradicunt non raro etiam Ægroti & Necessarii periclitantis: non ex audacia tamen, sed sollicitudine. *Audacia* eorum est, qui de se præsumunt majora viribus. Etiam eorum, qui convictionis dedecus metuentes alios satagunt à proposito absterrere & abstinere. *Deinde*: Quod in contradicendo *inappetentiam* causarentur. quod est, non plebis, sed medicos se profitentium. Unde enim artis rudes sciant, *anorexiam* Venæsectioni obstare?

§ 19. Quod ad *rem ipsam*: Dicebant fore, ut *læderetur* Patiens à *venæsectione* sive Sanguinis incisa vena missione. Quid noxæ metuerint, non dicit. Colligas ex rationibus, quas prætendebant, metuisse omnimodam Appetitus prostrationem ac Nutritionis defectionem. A quibus quid esset exspectandum, facile videre etiam idiotæ poterant. *Idem* hoc *mantelum* cernere est etiam hodie suæ *vel* Ignorantiæ *vel* Negligentiæ prætendere, quotquot in tempore *vel* Non attulisse arguuntur *vel* Adferre urgentur hoc auxilium ab iis, qui curationi suæ superinducuntur.

§ 20. Cæterum, ut ne *sine ratione* viderentur contradicere, & suam *vel* Negligentiam prodere *vel* Insciti am accusare, adferunt duas: *unam*, à Macie mulieris; *alteram*, ab Inappetentia.

§ 21. Quod ad *priorem*, nisi rem intelligamus, non facile intelligemus *argumenti* Momentum, quod in illa se videre putabant, qui volebant esse *contraindicans* Venæsectioni, sive *impedimentum* Remedii magni & magnas vires requirentis.

§ 22. Sunt vocabula *duo* Græcis, λεπτότης καὶ ἰσχνότης: sunt *duo* Latinis, *gracilitas* & *macies*: quæ bene sunt inter se distinguenda, vel ideo quia non raro confunduntur. Hofmannus III. Inst. CXXXII. § 1: *Ἰσχνότης late significat omnem gracilitatem, sive illa secundum naturam sit, sive præter naturam: presse, naturalem.* de qui-

quibus velim arbitrere, ubi noſtra, quæ ſequuntur, legeris.

§ 23. Quæ λεπτότης Græcis, eadem *gracilitas* Latinis eſt. *Gracilitas* autem proprie eſt corporis exilitas. Hæc inde ab antiquo eſt in Virginibus amata & quæſita arte non una. Terentius Eunuchis act. II. ſc. III. 21:

Haut ſimilis Virgo eſt Virginum noſtrarum: quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut gracilæ ſient;
Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe ajunt: deducunt cibum,
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceas,

id eſt, ſtatura decoras arte faciunt inſtar junci tenues, ut ſimul longiores videantur. confer ad Scaligeri Etymologias perperam à Varrone traditas. *Gracilitas* ergo tenuitas naturalis eſt. *Tengerheid* noſtratibus.

§ 24. At ἰσχνότης Græcis proprie eſt, quæ *macies* Latinis. *Macies* autem eſt corporis extenuatio, ſive tenuitas præternaturalis. Belgis, *magerheid*. Perottus: *Macer proprie vocatur exilis atque extenuatus.* Semper autem, quam *decora* Gracilitas, tam fuit *turpis* Macies habita, tam in femina, quam viro. Ovidius diſerte de Rem. amor. I. 328:

In gracili macies crimen habere poteſt:

Græcum *habere* ſignificationem, quam dixi, clare videris ex iis locis, quæ producit Foeſius in Oeconomia. quo etiam appellat Hofmannus.

§ 25. Nobis id abunde dilucet ex præſenti hiſtoria. Cujus *initio* Mulier hæc λεπτοτάτη *tenuiſſima* dicebatur, ſive præter modum extenuata; idque occaſione *defectionis* Menſtruorum. In *progreſſu* Galenus ἰσχνοτῆτα vocat, non λεπτότητα: *maciem*, non *tenuitatem*. Tam enim rudes fuiſſe non arbitror, qui neſciverint (quod oppido tamen in hoc negotio neceſſarium eſt ſcitu, monitore Celſo II. 10.) *intereſſe inter tenue corpus & infirmum*: quale numquam non macilentum eſt. Quod ſi illi rem ſuo nomine appellarunt, neque contradixit Galenus; non eſt dubium, quin ἰσχνότητα illi dixerint *extremam tenuitatem*, conjunctam cum imbecillitate manifeſta.

§ 26. Non ergo ſine ratione *malum* ex Sanguinis miſſione

metuebant: & quotusquisque nostrum non metueret hodie? *Macies* quippe infirmitatem ex atrophia significabat. At ubi *infirmitas* est, non recte hoc agitur, *ut agri vires convellantur: quoniam ex imbecillitate summum periculum est*; inquit, & vere, Celsus III. 4.

§ 27. Ubi vero *atrophia* est, præsumitur paucus esse Sanguis, parumque aptus nutriendo. Unde verosimile, sequutos consilium, quod consulit Rod. à Castro in I. de Morb. mul. IV. § Ad curationem. *Si paucus*, inquit, *sanguis est, adjectione curatio perficitur per alimenta & victus rationem reficientem.* Zacutus diserte: *adjectio potius erat necessaria, quam detractio.*

§ 28. Quod tamen consilium è Celso est, ceu paret è III. 22. *Si tantummodo*, inquit, *non ali corpus apparet, causam ejus attendere oportet: &, si cibi minus aliquis, quam debet, assumit, adjicere; sed paulatim, ne, si corpus insuetum subita multitudine oneraverit, concoctionem impediat.* Atque *istam* Mulieri huic *causam* Maciei assignasse Medicos, vero prorsus simile Anorexia facit.

§ 29. Quin ipse Galenus vetat Sanguinem mittere macilentis. Ita enim diserte I. ad Glauc. XIV. 160: ὁμοίως δὲ καὶ ὅσοι παχεῖς ὑπερβαλλόντως ἢ ἰσχνοί· καὶ γὰρ καὶ τούτων τὰς μὲν φλέβας τέμνειν φυλακτέον, καὶ τὰς ἄλλας κενώσεις τὰς ἀβρώστους διαβητέον. Leonicenus vertit: *Eodem modo & quicumque supra modum crassi sunt, aut macilenti: nam & his venam incidere cavendum est, aliasque evacuationes integras vereri oportet.* Akakias concinnius: *Similiter autem & his, qui habitu sunt immodice vel obeso vel gracili, venam secare, & alio quovis modo affatim vacuare timendum est.*

§ 30. Idem in commentario p. 157: *vacuationem non ferunt nec immodice graciles, aut natura obesi, ob sanguinis inopiam & virium imbecillitatem.* Eamdem causam adfert Montanus in Expl. ad hunc locum p. 422. versa: *graciles non sunt curandi sanguinis missione, quoniam habent calorem imbecillem & paucum sanguinem.*

§ 31. Stephanus Athenienſis, interprete Augustino Gadaldino: *Sane inquisitione dignum est, quonam modo in gracilibus vacuationem respuat: cum ipse tamen sæpenumero pronuntiaverit, graciles quam cæteros sanguine plerumque abundare; magisque, quantum ad hoc spectat, confertas vacuationes tolerare. Et dicimus graciles hic ab ipso dici, non*

qui

qui parum, sed qui supra modum sunt graciles. hæc enim in oratione ponitur. Læduntur vero, quia exsiccantur.

§ 32. Verum hæc non satisfaciunt Hor. Augenio l. de Miss. sang. III. 17: *quia*, inquit, *Galenus mulieri, cum esset extenuatissima, sanguinem copiosum detrahendum curavit. Constat enim diligenter consideranti Galeni verba, solutio propositi problematis, quia gracilia corpora non protinus habent imbecillas vires, neque sanguine destituta sunt. Aut enim venas habent amplas, aut exiles. Quæ amplas habent, sanguinem copiosum continent: quæ tenues, minimæ. In illis vena incidenda: in his omnino abstinendum est. Vires quidem substantiam habet in Carnoso genere, in Spiritibus, atque in Solidis partibus, à quibus illarum essentia tota dependet, ut Galenus docuit Meth. med. XI. 1. Hæc tria simul conspirantia vires constituunt validissimas. At si conspirent duo, unum reluctatur, quod in proposita historia contigit, validæ sunt vires; sed non simpliciter, neque absolute. Habebat mulier carnis penuriam, quia illæ imbecillæ attrahere ad sese sanguinem non poterant: at Spiritus solidæque partes bene constabant. Quando Galenus in gracili corporis habitu venæsectionem inhibere videtur, non est locutus de omni, sed de eo dumtaxat habitu, in quo tenues erant venæ, & spiritus facile dissolvebantur.*

§ 33. Verum hæc non satisfaciunt mihi: imo nec satisfaciunt Galeno & historiæ Mulieris propositæ. quin totum hoc commentum plenum est sophismatis. Quod quia absque demonstratione si dicam, piaculum erit & offendiculo iis, qui non nisi talibus Magistris discunt medicinam: age consulamus his & nostro honori.

§ 34. *Principio* aberrat ab ipso fundamento. *Mulier* ista, non gracilis, sed *gracillima*; non tenuis, sed *extenuatissima* erat, ut ipse loquitur; sive, ut Athenienſis, *supra modum gracilis*. Eratque talis, non *natura*, sed *morbo*; ceu pridem monuimus. *Morbo* iterum non *uteri*, sed *sanguinis*; ceu postea docebo.

§ 35. Quare *distinctio* allata non *casum* Mulieris nostræ concernit, sed nescio *cujus* Individui vagi. Habere namque locum in *natura* Gracilibus potest, si incidat *quæstio* de Mittendo sanguine. *Quæ* enim latas plenasque venas habent, tuto sectionem ad-

mittunt: neutiquam vero, *quæ* tenues, nec elatas. *Istis* sæpe materia supereſt: *illis*, raro non deeſt. Notabile, quod Celſus obſervat II. 10: *Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejuſmodi ſuſtinent.* Vocat *tenuiores*, non qui præter naturam ſunt tenues (quales feminæ, quamvis concipiant, abortiunt tamen, Aph. v. 44) ſed qui minus ſunt carnulenti.

§ 36. De *viribus* deinde quod dicit, à Galeno quidem eſt, non extra tamen omnem teli jactum. Quod enim illam *diſtinctionem* Partium attinet, fateor me non aſſequi acumen Magiſtri. *Carnes*, quæſo, ſunt ne in cenſu Partium ſolidarum, annon? *Si non*: quo pertinent? vide Hofmannum II. Inſt. I. 3. *Si ſunt*: quare contradiſtinguit Solidis? Quoniam *hæ* natæ ſunt ex Semine primum: *carnes* vero ex Sanguine. Sed hoc falſum eſſe ipſo è Galeno oſtendi II. Phyſiol. XVI. 12. Opponerem alia, niſi me tæderet apinarum.

§ 37. De *viribus* ergo ſic melius, meo arbitratu, ratiocinabere. *Vis* eſt modus movendi. *Debetur* itaque *primariò*, Motori: *ſecundariò* Iis, per quæ movet.

§ 38. *Motor* eſt Spiritus, ſeu Ignis calidiſſimus & fortiſſimus ille, qui in Corde ardet fervetque & è Corde ſcaturiens perenni flumine influit in Corpus univerſum. Quoad *ſpiritum*, Vis *fortis* eſt, ſi ille multus aut unitus eſt: *fortiſſima*, ſi multus & unitus. contra, *debilis*, ſi ille paucus: *debiliſſima*, ſi inſuper diſiunctus.

§ 39. *Per quæ* Spiritus movet, ſunt Sanguis & Membra. Quod ad *ſanguinem*, Vis *fortis* eſt, ſi ille moderatus & bonus eſt: *debilis* contra, ſi paucus aut nimius: *debiliſſima* vero, ſi inſuper malus. *Malitiæ* vero ſicuti non una ratio eſt: ſic neque languoris. *Malus* eſt ſanguis putreſcens: *pejor*, putridus: *peſſimus*, corruptus. *Malus* eſt melancholicus: *pejor*, piceus: *peſſimus*, atrabilarius. *Malus* eſt pituitoſus: *pejor*, ſeroſus: *peſſimus*, ichoroſus ſeu colliquatus. Sic & in aliis.

§ 40. Quod ad *membra*, oportet diſtinguere inter *vires* Naturales & Animales. *Naturales* appello, quæ in Coctionibus ſeu alimenti præparationibus cernuntur, & in Excretionibus ſeu alieni

alieni expulsionibus non voluntariis. In *istis* Vis *fortis* est à Partis densitate, uniente Spiritum: *debilis*, à raritate, in qua palatur ille & se remittit de intentione sua.

§ 41. *Animales* potissimum ex Motionibus arbitrariis æstimantur, sive ex Musculorum, inprimis artuum, contentionibus. In *illis* Vis *partim* à Tendinibus pendet, *partim* à Ventribus. *Fortis* quidem à *tendinum* Soliditate dura, duritie lenta, lentitudine tenaci, tenacitate valida: à *ventrium* Fibrositate firma & Carnositate vasta ac densa. *Debilis* contra à contrariis *cum* Tendinum *tum* Ventrium constitutionibus.

§ 42. Ex dictis apparet: *Vires* pendere non nisi *dispositive* à Solidis partibus: revera autem & *effective* à Spiritu seu primo omnium motore: *denique* à Sanguine, utroque modo. *Sanguis* enim *respectu* Membrorum movet *effective*: quemadmodum contra *respectu* Spiritus, qui illo utitur ceu vehiculo & vecte, *dispositive* tantum.

§ 43. Quæ si ita sunt, ut esse aliter non possunt; jam constat, si *conspirent* Spiritus, Sanguis, Musculi, *validißimas* Vires constituere, & esse *robustißimum* Corpus quadratum, succulentum, igneum: *debilißimum* contra, quod excarne, exsangue, segne h. e. sine igne est. Numquam non *vegetum* Corpus est, quod Spirituosum: *languidum*, quod Effœtum & effeminatum.

§ 44. Expende ad hæc, si placet, Aph. XVI. l. v. Τὸ θερμὸν, inquit, βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι· σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας. ταῦτα οἷσι θάνατος. *Calidum* quodcumque usurpatum *nocet* attenuatione & dissolutione Spirituum, atque *hæc* incommoda, imo damna adfert *sæpe* & quovis tempore *utentibus* in se. videlicet, *Carnium* sive musculorum *effeminationem* mollitiemque humidam & flaccidam & ineptam contentionibus validis. *Nervorum* sive ligamentorum, quibus inter se convinciuntur artus & articulationes, *incontinentiam* seu adstrictionis motui necessariæ remissionem resolutionemque. *Animi* in intelligendo *stuporem*, in meditando torporem, in memorando languorem, in zelando ignaviam. *Hæmorrhagias* sive frequentes ichorosi sanguinis è naribus aliisve naturæ locis

&

& cum ſanguine virium profuſiones. *Lipothymias* atque animi primum, mox animæ defectiones crebras. *Hæc* autem eveniunt, *quibus mors* imminet & ſupra caput adſtat.

§ 45. Sed ad cætera. In quibus quod magis mirere, illud eſt, quod diſſerit de *viribus* Mulieris propoſitæ. *Habebat Mulier carnis penuriam*, inquit, *quia illæ imbecillæ attrahere ad ſeſe ſanguinem non poterant: at Spiritus ſolidæque partes bene conſtabant.* Sæpe cum in ejuſcemodi incido, aut meas dolere vices, aut lectoris ſoleo. *Meas*: quod, ſi tam proba ſunt, quam probata vulgo, ego tamen vel ſubtilitatem eorum non intelligam, vel utilitatem non perſpiciam. *Aliorum*: quod, ſi tam improba ſunt, ac mihi non probantur, lector tamen diſtineatur & decipiatur talibus vanitatum vanitatibus.

§ 46. De *tractione* Carnium quod dicit, imaginabile non eſt, nullo etiam ingenii acumine. imo impoſſibile eſſe, perquam ſolide demonſtravit vir doctiſſimus Georg. Ent Apologiæ p. 27. Deo autem ſit laus, qui Harveji diligentia reddidit nobis obliteratam injuria temporum doctrinam de Sanguinis, alimenti partium, ad partes appulſu, & verum illud ac certum fundamentum, ſuper quo ſuam Hippocrates medicinam fundavit, & fundare debet, quiſquis in tuto collocare ſatagit, & firmare contra imbrem inutilitatum & flumina ratiocinationum & ventos diſputationum, quibus, magno quidem duce, veram tamen Medicinam de ſede & dignitate ſua priore dimoverunt.

§ 47. Ego *cauſam* Maciei heic non aliam video, quam Sanguinis ad nutriendum ineptitudinem. Quid namque ſperes boni à *piceo*, exuſto, craſſo, lento? imo ab igne doloſo & tacite carnes depaſcente?

§ 48. Porro neque hoc intelligo, *quemadmodum* Spiritus ſolidæque partes bene conſtare potuerint, *ubi* Carnes conſumebantur, *ubi* Sanguis erat (qualem comperit Galenus) tota ſubſtantia non tantum inutilis, ſed & nocivus. Cum *ſanguis* occulto uritur empyreumate, quid prius *pingui*, Spiritus ſuccendiculo, ſentit vim, perque eam redditur inutile ad hoc, ut ſit materia & fomes Ignis animalis, quem vulgo Spiritum nuncupamus vitalem.

§ 49.

§ 49. Etiamne, isto casu, putas *solidum* Sanguinis retinere illud rorulenti, quod Solido partium adspergit, quodque his adhæresens adglutinatur & adglutinatum assimilatur? Si hoc affirmare nec audes, nec potes; jam docendus sum, *quemadmodum* Solidæ partes, hoc est, seminales, exsangues, albæ, sibi bene potuerint constare. Præsertim cum vel sola Senectus ostendat, non solas Carnes caloris acrimonia tabescere, sed & ipsa Ossa macerari. Unde enim est, quod senescens seipso minor æque ac deformior fiat? Quod sibi ne contingeret, Herculem consita sibi morte prævenisse memorat Lactantius.

§ 50. Ut jam non rogem, *unde* Augenio constiterit, Spiritus Parteſque solidas bene se habuisse? Galenus enim vel minimum ejus indicium non facit. quin econtrario *lapsarum* Virium argumenta & signa præbet tam aperta & splendida, ut necesse sit magnam habeat ante oculos caliginem, qui illa non videat.

§ 51. Equidem non aliud, qui Galeno contradicebant, in *macie* prætendebant, quam quod esset *signum* Virium non sufficientium ad Sanguinis detractionem, seu fulcri earum subtractionem. Quomodo enim macies Signum non fuerit, cum esset Symptoma? Quod si fuit *signum*, fuit haut dubie Morbi, cujus erat symptoma. Ut enim *causæ* per Effecta se manifestant: ita & *effecta* de Causis suis testantur.

§ 52. Si ita est, *quis* Morbus habebat mulierem, cujus *ista* Macies fuerit proximum effectum atque immediatum symptoma? Heic prorsus hæsitaturum scio, qui præter vulgaria Institutionistarum nihil aut didicit aut ipse se docuit. Ego simpliciter ajo, *fuisse* Cacochymiam piceam. liceat quippe sic nominare expressius & ad rei naturam verius, quam *melancholicam* Zacutus nominavit. Hanc *morborum* in censu habendam vel invitissimus fatebere, quisquis legis mihi dicta exerc. XII. 106, & rationi cedere turpe nō ducis, perdendaq; senex fateri, quæ juvenis didicisti.

§ 53. Augenius denique, ut ferulæ Galenum subducat, quam poterat videri contradicendo sibi meruisse (hæccine enim contradictio non est, aliud præcipere, aliud facere?) sic respondet. *Galenus quando in gracili corporis habitu venæsectionem inhibere videtur,*

detur, non est locutus de omni, sed de eo duntaxat habitu, in quo tenues erant venæ, & spiritus facile dissolvebantur.

§ 54. Si ita est, *quare* Galenus hoc non expressit? *quare* non sic præcepit, ut debet, ut potest res fieri? Præceptum est regula faciendi. Illud vero optimum, quod optime faciendo didiceris esse optimum faciendo. *Non potest auctoritatem habere sermo*, ut bene Cassiodorus Epist. 8, *qui non juvatur exemplo: dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Multo iniquius est, incerra & intuta præcipere, & contraria facere. Possunt ne habere, quæ doces firmitatem; nisi ea facto probes? Cui ignotum est Lucretii istud de Rer. nat. IV. 515?

Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona.

§ 55. Longe solidior est Victoris Trincavellii, quam adfert ratio, *quare* Graciles vetet Galenus sanguinare. Extat com. in priorem de Arte cur. ad Glauc. lect. 86. *Ni fallor*, inquit, *magis ad sensum Galeni est: quod hujusmodi homines, qui gracili admodum sunt corporis habitu, etsi venas habeant amplas & sanguine plenas, sanguis tamen ille magna ex parte malus & inutilis est: paucus vero est, qui bonus & naturæ operibus idoneus sit, ut docuit Galenus* VI. *Epid.* IV. 25. *Si enim copiosus ille sanguis bonus esset, caro etiam copiosior generaretur. Unde neque multos spiritus hi habent, neque multum calorem naturalem: cujus substantia (ut ibidem ait Galenus) consistit in spiritu ac bono sanguine. Quare neque vires admodum constantes & validas possunt habere: quo fit, ut facile etiam per vacuationem, præter id, quod nimis exsiccantur, etiam exsolvantur, tam per sanguinis missionem, quam etiam per medicamenta.*

§ 56. Quo verior hæc Trincavelli ratio est, eo magis militat pro iis, qui se Galeno opponebant. Si namque ea de causa timendum est *gracilibus* Sanguinem demere: paret, quo *major* Gracilitas est, debere & *majorem* Timorem esse. Atque ita contradictionis nodus fit insolubilior, atque efficacius docetur, Galenum feciisse contra præceptum. Unde quid sequatur, malim te videre, quam dicere.

§ 57.

§ 57. Noviſſimus illius ad Glauconem libri expoſitor eſt Petrus Camañes. cujus ſententia etſi nodum non expediat, addemus tamen, ut juniores videant, quid ſperare debeant ab ejuſcemodi Magiſtris, qui docent priuſquam ipſi didicerint bene.

§ 58. Ejus ſunt cap. XIV. textu VII: *His obſervatis dicimus, macilentis & gracilibus à natura talibus, exiguas venas habentibus, tum & illis qui per vitam laborioſam, per jejunia & alia tales redditi ſunt, in quibus parum ſanguinis continetur, in his nihil aut parum eſſe evacuandum, & ab evacuationibus integris abſtinendum. Si vero graciles & macilenti venas habeant latas, & colorem verſus citrinitatem, parum aut nihil evacuandi ſunt, quia bilioſi exquiſiti ſunt, qui ex præcepto Galeni Meth. med. VIII. parum aut nihil ſunt evacuandi. Si denique per aliquem affectum macilenti facti ſunt, ſi non fuerint in hectica confirmati, juſte poterit Medicus ipſos evacuare omni genere evacuationis, viribus & morbo poſtulantibus, & conſentientibus, reliquiſque coindicantibus.*

§ 59. Si tempus mihi permitteret hæc ad libellam Rationis exigere, oſtenſu eſſet facile, quam iſta nihil aut parum veri, firmi, tuti habeant: quin rationi non tantum, ſed ipſi Galeno contradicant non ſemel. Verum iſtis & id genus aliis ſuperſedebo tantiſper, donec quis apparentem illam Galeni contradictionem conciliaverit, & quid in iſtis ipſis momenti oſtenderit.

§ 60. Nunc progredior ad *alterum* Impedimentum, quod Venæſectioni objiciebant Medici, quibuſcum res erat Galeno. *Impedimentum* hoc erat Inappetentia. Nam non ſolum ob *maciem* Mulieris, ſed & ob *inappetentiam* fore dicebant, ut læderetur à Venæſectione. Heic iterum videre oportet prius, *quid ſit* Quo provocant, quam *quæ ſit* Ratio, qua aſſertum eunt opinionem ſuam.

§ 61. *Quo provocant*, ſecundo loco, Anorexia ſive Inappetentia eſt. Paulus Ægineta III. 37: ἡ ἀνορεξία, σιτίων ἐστὶν ἀποστροφὴ ἤτοι δυσκρασίας ὑπαρχούσης τῷ στόμαχον, ἢ χυμῶν πλεωσίας. *Inappetentia eſt faſtidium ciborum*, factum *vel ob Intemperiem exiſtentem in ſtomacho, vel ob Humorum redundantiam.* Quibus in verbis duo dicuntur: videlicet, *quid* Inappetentia ſit: & *quibus* ex Cauſis procedat.

§ 62. Quod ad *prius*, recte dictum est: *Inappetentia est fastidium ciborum*: nihil quippe ad *essentiam* Symptomatis hujus exponendam requiritur præterea. imo optandum esset ad hanc normam concipi omnes rerum medicarum definitiones: consuleretur enim & captui discentium & memoriæ cujusque plurimum.

§ 63. Cibos *fastidientium* duplex est genus. *Alterum*, qui dicuntur ἀψίνηστοι Græcis, tamquam ἅμα τῷ ἄψασθαι κορεννύμενοι τροφῶν, qui, simulatque dapes vel libarunt, velut satiati protinus abstinent. Hos olim *tædulos* Latini appellabant. *Alterum*, qui μηδὲ ὅλως ὀρέγονται· *nihil omnino appetunt*, ut Galenus ait de Sympt. caus. 1. 7. Hi cum nullius etiam cibi nidorem ferant, quasi etiam videre non sustineant, ita à quolibet oculos avertunt. Quæ ratio est, quare Onomasticon *fastidio*, ἀποστρέφομαι reddat; & *fastidium* Paulo ἀποστροφὴ *aversio*, imo *aversatio* dicatur potius: quia & omnem & omni tempore morbi fastidiunt cibum.

§ 64. *Utro* jam in *genere* Mulier ista fuit? Τῶν ἀνορέκτων, seu eorum qui nihil assumunt, neque impetrant à se, ut quid assumant. Ita paret è Galeno de Loc. aff. VI. 5. ubi *signa* Mensium suppressorum dicuntur, βάρος μὲν αἴσθησις ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, καὶ ἄση, καὶ ἀνορεξία, καὶ ἀνωμαλία φλεγμώδης· *gravitatis sensus in toto corpore, & anxietas nauseosa, inappetentia, atque inæqualitas horrida*. Non est credibile, non abstinere in totum à cibo, qui perpetuo nauseat, & nauseat cum anxietate, unde & Cor constringi & fauces videantur præfocari. Confer ad Hippocratem 1. de Mulier. morb. t. XXI. & nota bene illa verba: ἀσιτήσει ἄλλοτε ἢ ἄλλοτε, καὶ καρδιώξει· *abstinebit cibo aliter atque aliter, & deficiet præ fame*.

§ 65. Quod ad *posterius*, ad Causas inappetentiæ attinet, nihil heic necesse est requirere, *ex qua* Mulieri nostræ obortum istud fastidium fuerit: multo minus, an *intemperies* Stomachi recte inter illas accenseatur.

§ 66. Satis hoc in præsenti clarum est: *fastidium* Medicos allegasse etiam ceu argumentum, *primo*, Virium si non deficientium, saltem non sufficientium ferendo subtractionem ejus, quo solo Vita niti videbatur: *deinde*, Cruditatis stagnantis in prima regione. Impossibile enim nauseante ventriculo, aut fastidiente,

non

non fieri cruditates ex cibo, quem quis invita Natura, suadente ratione & urgente necessitate, vix assumit.

§ 67. Hoc adeo indubium est, ut in vulgus abierit certa persuasione, Non confici bene, quod quis contra Naturam assumit. Et hoc unde vulgus habet, nisi ex experimento, quod quisque ex se capit? Imo unde, nisi ex hac observatione natus est aphorismus XXXVIII. lib. II? Cujus rationem redditurus ipse Galenus ait: ὅσα γὰρ ἂν ἡδέως προσενεγκώμεθα, εὐεκπέπτως τέτοις ἡ γαστὴρ εἴωθε, καὶ πέπθειν μᾶλλον αὐτὰ ῥᾳδίως· ἀποχωρεῖν δὲ ἀπὸ τῶν ἀηδῶν, ὡς ἤτοι ναυτίας ἐπιφέρειν, ἢ πνεύματώσεις, ἢ κλύδωνας. ὅπερ ἔνι ἐπὶ τῶν πλείστων καὶ εὐχύμων ὄντων γίνεται. *Nam quæ cum suavitate assumimus, ea venter amplexari solet, & multo hæc facilius coquere: recedere vero ab ingratis, ceu quæ nauseas adferant, aut inflationes. quod quidem in plurimis etiam boni succi cibis evenit.*

§ 68. Itaque fieri non potuit, ut *ista* Mulier cruditatibus circa primam regionem non esset obsita. *Cum sit autem minime crudo sanguis mittendus* (vide supra VI. 48. & Galenum Meth. IX. 5.) quãto minus cruditatibus pravis, cujus cujus conditionis, onusto?

§ 69. Et in hoc ipso pro se habebant ipsius quoque Galeni consilium, quod est de San. tu. IV. 5. initio. εἰ δὲ, inquit, τὸ μὲν αἷμα τὸ χρηστὸν ὀλίγον, οἱ δ' ὠμοὶ χυμοὶ πάμπολλοι, μὴ φλεβοτομεῖν. αἱ γὰρ φλεβοτομίαι, τὸ μὲν χρηστὸν ἐκκενοῦσι· τὸ δὲ μοχθηρὸν, ὅπερ ἐν ταῖς πρώτοις μάλιστα φλεψὶ ταῖς καθ' ἧπάρ τε καὶ μεσάραιον ἀθροίζεται, πρὸς ὅλον ἐπισπῶνται τὸ σῶμα. *Siquidem sanguis utilis paucus, crudi vero humores fuerint plurimi, haut incidenda vena est. Venæsectiones quippe, utile quidem evacuant; at pravum, quod in primis maxime venis circa jecur ac mesaræum coacervatur, in totum rapiunt corpus.* confer ad Sanctacrucium de Imped. magn. auxil. III. 12. caput lectu & consideratu dignissimum.

§ 70. Hactenus itaque vidimus, quam non tantum non sine ratione Medici contradicerent Venæsectioni, sed ipse Galenus videri possit contra propria præcepta & principia eam molitus. Supercilliosius igitur dictum fuit: *aliqui tamen nobis contradicere ausi sunt.* Non ipsis, Galene, spiritus contradictionis incentor ad hoc audendum erat, sed sollicitudo, quæ tenebat, periclitantis.

qua saltem tu admonebare ejus quod Hippocrates II. Epid. II. 17. ait, μηδὲν εἰκῇ, *nihil temere.* Cujus culpæ an omnino fueris exors, merito quis dubitet: non propter illa tantum, quę vidimus, dicta factis contraria; sed & propter illa, quæ videbimus.

§ 71. TERTIO *colo* deinceps Galenus narrat, non quibus rationibus occurrerit contradictioni, aut satisfecerit dubitationi, etiam in suis dogmatis fundatæ: sed tantum quid fecerit. Videtur hoc agere tum Galenus voluisse, quod Hippocrates inter notas veri Medici habet l. de Eleg. t. II. 34: ubi illos ait πρὸς τὰς ἀναισίας σιγητικοὺς, *ad objectiones taciturnos* esse. Recte, si præter rationem fuissent. At, non fuisse, vidimus. Quare non potius igitur se præbuit & ostendit ἕτοιμον πρὸς τὰς ὑπακρίσιας, *idoneum ad responsiones?* ut ibidem in Medicis requiritur. Sed expendamus factum, & quid Galenum moverit ad faciendum quod fecit.

§ 72. Quod ad *factum*, Venam tamen incidi jussit, insuper habitis quæ Medici allegabant in contrarium, intuitu periculi quod metuebant ex Sanguinis missione. Facinus equidem animosum, si à ratione profectum: audax, si à ratiocinatione. Quisquis imitari voles, cave ne in exitium præcipites ægrum. Salustiani illius semper, præsertim in talibus, fac memineris: *& prius quam incipias, consulto: & ubi consuleris, mature facto opus est.*

§ 73. Sed *quomodo* Galenus in demendo sanguine processit? *Primo quidem die*, inquit, *eduxi sanguinis quasi unam & dimidiam libram: iterumque altero unam* libram: *tertio autem non multo plus dimidio uniuslibræ, unciæ enim erant octo.* in totum triginta octo seu libræ tres & unciæ duæ. Quæ sane liberalis evacuatio fuit, & liberalior in emaciata.

§ 74. Ipsis in verbis *aliquid* de Tempore, *aliquid* de Modo observandum. *Illud* paucis expediemus: *hoc*, nisi plusculis vix possumus.

§ 75. Igitur de *tempore* Venæsectionis repetitæ sic Silvaticus: *Ego sane inter ipsas vacuationes dies aliquot interceßisse, facile mihi persuadeo.* quo argumento, bone Vir? Non enim Galenus prima, altera, tertia *vice*, sed *die* dicit se tantum & tantum sanguinis emisisse. Neque possunt ulla vi alium in sensum verba torqueri,

quam

quam *tribus* continuis diebus Venæsectionem instituisse. *Neque* certe(ut tuis tibi verbis respondeam) *fieri aliter potuit, quoniam statim evacuato illo sanguine atrabilario ac nigro & nutrire minime apto, corporis renutritioni occasio sese offerebat opportuna.*

§ 76. Et hoc quidem recte. Qui enim Sanguis neque nutriendo Corpori, neque reficiendo Spiritui est, necessario & oneri est, & inficit atque inutilem penitus chymum reddit, quem Ventriculus submittit. Levari itaque vires oportuit, & in totum tolli, quod obstaret Materiæ novæ, quo minus adferre Membris usumfructum sui posset. Quod etsi sine aliqua virium jactura nequiret fieri, merito tamen Galenus hoc damnum parvipendit contemsitque.

§ 77. Cæterum *modi* in mittendo sanguine à Galeno observati occasione Zacutus instituit quæstionem (num. IV.) hanc: *Vtrum* in sanguinis missione iterata, prima vice sanguis sit copiosius extrahendus? Quam decisurus aliquid de Vacuatione *partitis viribus* administranda præmittit, quod jam nos non tangit. Deinde proponit *antinomiam* Galeni circa id, quod præcipue erat in quæstione.

§ 78. *Illam* vero sic proponit, ut ostendat etiam heic contrarium feciisse, contrarium præcepisse Galenum. Nam Oeconomo, inflammatione oculorum laboranti, prima vice tres, altera unam sanguinis libram subtraxit: l. de Cur. rat. per sang. miss. c. 17. Similiter adolescentibus ad cotylam prima demit vice; addit deinde dodrantem, si ferant vires: eod. lib. c. 13.

§ 79. *Huic* Facto, *huic* Præcepto *contrarium* jubet l. de San. tu. IV. 10. Κάλλιον δὲ εἰ ἐγχωρεῖ δὶς ἀφελεῖν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, τὸ μὲν οὖν πρότερον ὕτω κενοῦσθαι, ὡς μὴ λιποψυχῆσαι τὸν ἄνθρωπον, τὸ δ' ὕστερον δὲ καὶ τὴν λιποψυχίαν φοβεῖσθαι προσήκει. τῇ μὲν γὰρ πρώτῃ κενώσει καταλυθεὶς, οὐκ ἂν ὑπομείνῃ τὴν δευτέραν. ἐν ταύτῃ δ' εἴ τι πάθοι τοιοῦτον διαπονήσιμον γένοιτο. *Præstat, siquidem expediat bis subtrahere uno die, prima quidem sic vacuare, ut ne animo deficiat homo: altera vero etiam animæ defectio formidanda non est. Etenim prima vacuatione dissolutus, non sustinuerit secundam. In qua si quid patiatur tale, ex facili id reparabile est.*

§ 80.

§ 80. Heic, qui superiorem exercitationem legisti, in transitu nota exemplum egregium discriminis inter *animi* & *animæ* Defectionem, inter *lipothymiam* & *lipopsychiam*. quo de ibi ex pleno dixi, quantumq; satis erat in occasione. videlicet XIII. 473. & porro. Quibus intellectis intelliges Galenum heic prima vice velle adeo moderate Sanguinem esse demendum in casu proposito, ut ne quidem animus tentetur: altera autem adeo intrepide atque largiter, ut ne quidem anima excusetur à defectu.

§ 81. Sed ad istam *antilogiam* Zacutus quid? *Vides*, inquit, *arduam antimoniam: in qua jejuna est lectio auctorum. Sed satisfaciendum est objectæ auctoritati in hunc modum. Nam prima vice parcius sanguinem extrahit, secunda copiosius, quia cum medeatur laßitudini phlegmonosæ, in qua multa sanguinis quantitas in carnes & corporis molem delata est, nec jam est multa humoris vacuandi quantitas in venis, merito prima detractio parcior erit, altera vero copiosior, ut per eam vacuetur & residuum plenitudinis vasorum, & id quod post primam detractionem ex carnibus in vasa remigravit jam corruptum, cujus ratione copiosior detractio necessaria est.*

§ 82. Nuspiam, quod memini, *laßitudinem* Galenus φλεγμονώδη (quam *æstuosam* Latine appellassent rectius) sic describit, ut jam à Lusitano audivimus. De San. tu. III. 5. ita scribit: ἡ δὲ τρίτη τοῦ κόπου διαφορὰ, καθ' ἣν ὥσπερ τεθλασμένων ἢ φλεγμαινόντων αἰσθανόμεθα τῶν μορίων. τὴν ἱκαῦτα μάλιστα συμπίπτειν εἴωθεν, ὅταν ἐκθερμανθέντες ἱκανῶς οἱ μῦες ἐπισπάσωνται τι τῶν περικεχυμένων ἑαυτοῖς περιττωμάτων. *Tertia vero laßitudinis differentia est, in qua velut contusas aut inflammescentes sentimus partes. Ejuscemodi maxime incidere consuevit, quum incalescentes valde musculi attrahunt quid ex circumfusis sibi superfluitatibus.*

§ 83. Hanc speciem *laßitudinis* à Plenitudine seu redundantia sanguinis pendere, extra dubitationem est. Cui non est, legat Hippocratis ista in III. de Diæt. X. 185. ἔστι δὲ καὶ τοιάδε τὰ τεκμήρια πλησμονῆς. ἀλγέει τὸ σῶμα, οἷς μὲν ἅπαν, οἷς δὲ μέρος τί τοῦ σώματος, ὅ, τι ἂν τύχῃ. τὸ δὲ ἄλγός ἐστιν, ὁκοῖον κόπος, καὶ δοκέουσι κοπιῶ. *Sunt & talia indicia plenitudinis. Dolet corpus, aliquibus pars quædam corporis, quæcumque tandem. Dolor autem est velut laßitudo, & putant se lassari.*

§ 84.

Unable to display this page

rum dispositio. Itaque & tacti dolent, ac calidiores apparent. Dolent vero etiam, si ipsi per se conentur moveri. Locum, *prius*, in minore; *posterius*, in majore habet plenitudine.

§ 89. Ex dictis apparet, *motu* Sanguinem, si modicus sit, multo; si multus, parvo fervere: *fervore* Spiritum sanguinis igneſcere, & *ignitione* turgere, adeo etiam ut exitu facto non aliter proruat impetu foras, ac solet apud Anglos cerevisia, quæ recens in lagenas transfunditur, & in his adeo redditur spirituosa ac vivida, ut operculo remoto dictum factum emicet tota, nisi quis caute, exili prius spiraculo spiritibus turgidis iterum iterumque facto præveniat & celerrime in calicem transfundat. Causam istius videsis apud incomparabilem Naturæ scrutatorem Fr. Baconem Verulamium Sylvæ sylv. IV. 314.

§ 90. Hinc jam discas veram rationem, *quare*, Cum sanguis fervet, & opus est misso, præstet vice prima minus, altera amplius demere. Etenim *fervente* Sanguine & *furente* Spiritu si incidatur vena, *hujus* quidem longe plurimum, *illius* non multum exit. Et hoc quidem observes etiam in cruore densato. Quem enim recens missum æstimabas ad plures uncias, eumdem densatum opinione reperies pauciorem. Etiam qui calens duas cyathi tertias videbatur implere, refrigeratus non admodum ultra dimidium eminet.

§ 91. Atque istuc, si quid recte video, respexit Celsus II. 10. *Quod si vehemens*, inquit, *febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Expectanda ergo remissio est. Si non decrescit, sed crescere desiit, neque speratur remissio, tunc quoque quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est. Fere etiam ista medicina, ubi necessaria est, in biduum dividenda est. Satius est enim primum levare ægrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse præcipitare.*

§ 92. Quum me meus p. m. parens, in praxi medica supra fidem solers & felix, ad eamdem manuduceret, quoties in Febre continua necessario Sanguis esset mittendus, & viribus consulendum simul, docebat sæpius incisuræ pollicem opponere & sistere fluxum ad temporis quod satis videbatur viribus quasi

quasi recolligendis sedandisque spiritibus fervidis. Mox pollice submoto parum rursus sinebat effluere, iterumque sistebat. Quas vices moderabatur secundum id quod pulsus indicabat, cui tum plerumque manum aut continuo aut crebro admovebat.

§ 93. In *verbis* Zacuti novissimis aliquid præterea est, quod sine animadversione præterire non possum. Ajebat: *sanguine corrupto copiosiorem detractionem necessariam esse.* Hunc errorem hodieque errant plerique Medicinam facientium apud nos æque ac alibi. Sed de eo audi sis verissimum judicium Sanctacrucii de Imped. magn. auxil. III. 8.

§ 94. *Nil magis receptum*, inquit, *quam largiter vacuare, quando suspicio est putrefactionis aut malitiæ Sanguinis: & licet, ut multoties contingit, infelices sint exitus; Medicus tamen gloriatur, omnia possibilia auxilia fuisse proposita. quia* (scilicet!) *nulla dies, nulla hora sine linea, multis vacuationibus celebratis, quibus extrahebatur Sanguis peßimus, malignus, venenosus. Putantque laici illas vacuationes fuisse ex arte, & defecisse ægrum ex vi morbi, non ex alia causa.*

§ 95. Nempe vulgo persuadent sibi, præsertim divites & parati, quidquid habent, pro anima dare, tum Medicum gnaviter facere officium & suam in arte excellentiam prodere, quoties nulla non visitatione aliquid molitur novi, & semper aliud atque aliud præscribit. Ostendunt tales ignorare se, quod, ceu maximi momenti, monet Hippocrates in Medico III. 45: τὰ δὲ προσφερόμενα ἅπαντα μὴ χρὴ σιωπᾶν ὅπως σιωπᾶται· *Oblata omnia ut conferant, animadvertendum est.* Illud quia supervacua nequeunt, prorsus relinquenda: etiam ut sumtui parcatur. Pergit n. 47: καὶ τί ποιῆσαι ὅπως χρὴ, μᾶλλόν τε ἢ ἧσσον, ἐσκέφθαι δεῖ. τούτων δὲ ἀμφοτέρων ἡ χρῆσις δύναμίς τε, καὶ μὴ γενομένων, μεγάλων ἔχει διαφορῶν. *etiam cum expedit* aliquid fieri, *considerare oportet, quid, & magis an minus facias. Interest quippe plurimum, utraque hæc oportune fiant, an non.* Opportunus enim utriusque usus plurimum commodi, ut damni adfert inopportunus. Confer dicta mihi Exerc. VIII. 65.

§ 96. Quemadmodum vero te in *mittendo* Sanguine geras, cum *putrescit* aut *putruit*, Sanctacrucius non tantum propositio-

nibus duabus definit, sed & rationibus asserit egregiis. *Altera* propositionum, *putrescentem* Sanguinem: *altera*, concernit *putridum*. Propositionum *prima* est: Putrefactio sanguinis (commune vitium) detractionem poscit, non ita tamen largiter, ac cum sine putrefactione calescit. *Altera*: Putredo in termino, magis limitat quantitatem, & magis multiplicatione numeri, ac repositione melioris succi. *Rationes*, quibus hæc præcepta constabilire conatur, vide sis apud ipsum, & confer ad Hor. Augenium de Miss. sang. IV. 9. Nam mihi nunc satis est digitum intendisse.

§ 97. Sic neque libet ingredi litem de *loco*, in quo Vena huic Feminæ secta fuerit. Non quod illam in Mensium suppressione censeam inutilem: sed quod, silente Galeno, definiri eam posse non putem in casu præsenti, & conjecturæ possint in utramque partem adferri probabiles. Si tamen aliquando se offeret occasio, non verebor sententiam dicere, & docere *quid* Ratio dictet faciendum, *quidve* experientia probet in toto isto negotio.

§ 98. QUARTO *colo*, & deinceps, ad finem usque, Galenus est in eo totus, ut doceat nos, quibus *signis* Venæ secandæ necessitatem & Ipse cognoverit & Nos simili in casu cognoscere queamus. Induit itaque, *primo*, Personam medici quasi admirabundi & cupidi scire, qua ratione pervenerit ipse in viam quæ duceret ad notitiam Auxilii tam salutaris, tam prompti, tam jucundi. Cujus desiderio ut satisfaciat, monstrat *deinde*, quibus Indicibus & ingressus sit illam viam & semel ingressus in eadem perrexerit. Sequamur ergo huc præeuntem nobis ducem.

§ 99. Ait autem: *Sed medicus cupiet scire*. Neque injuria. Nam qui curationem, quæ sibi sub manu feliciter evenere, exempla nobis proponunt, neque docent quemadmodum similem quis in simili præstet casu: illi non solum ludunt alios, sed & seipsos. Nonne se ludunt, qui se vel inanis jactantiæ nota, vel stolidæ invidentiæ notant? Debebat nihil à Medicina esse alienius, quam celare & invidere ea, quæ liberaliter quemque, communis salutis causa, communicare decebat. Alios ludunt, qui thesaurum promittunt carbones. Talium uni Philemon apud Stobæum Serm. CXXXIX. 20: πολλά με διδάσκεις ἀφθόνως ἀλλ' φθόνον, ὅπως ἀκέσω

ἀκούων πολλὰ, μηδὲ ἕν μάθω. *Multa me doces non invide per invidiam, sic ut audiens multa, vel unum non discam.* Doctorem quisquis se profitetur, eum oportet

Ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν ἀφθόνως·
Μὴ τῇ μὲν ἕλκειν, τῇ δ' ἀπωθεῖσθαι χεροῖν.
Vel non docere, vel docere candide:
Hac ne manu trahat, repellat altera.

Laude igitur etiam hoc nomine dignus Galenus, quod celare nobis noluerit, quæ vel maxime scitu erant ad imitandum necessaria.

§ 100. Sed *quid* Medicus cupiet scire? *Quæ signa alia Venæsectionem indicaverint, juxta cum Suppressione menstruorum.* Hoc erat *alterum*, quod nos curatius spopondimus velle pertractare ad historiam Mulieris propositæ.

§ 101. Principio miror, Galenum nobis *signa* Venæsectionis instituendæ, non *indicantia* tradere. Empirico igitur, non Rationali more processit ad inventionem Auxilii, quod attulit. Jam hoc affirmare non tantum dubito, sed & mirari prorsus desino.

§ 102. Ut *affirmem*, faciunt quæ legimus l. de Subfig. empir. c. 6. *Insignis*, ait, *ad curationem attinentibus, commune à proprio separatur. Si quæratur: An pleuritico vena secanda sit? Respondetur: Non cuicumque secandam esse, sed illi, cui plethoricus concursus acciderit: vel qui sine hoc concursu robustus sit adolescens, atque ne hos quidem omnes. Neque enim si pleuritis in sene, aut infante fuerit, vena secanda est: aut in Scythia degat æger, instante hieme frigidissima, vel sub ardentissimo cœlo in summo æstatis fervore, aut certe syncopen pati assueverit. Nam nemini istorum venam secandam ducimus. Non hæc tamen sufficiunt. Sunt enim aliæ quoque determinationes: ut, si ad claviculam dolor incubuerit, ventrem purgandum eligimus.* confer Mich. Doringium 11. de Medic. 11. 6.

§ 103. Vides in istis ad *determinationem* Auxilii nihil requiri, nisi συνδρομὴν sive *concursum* Symptomatum, præter communia, propriorum maxime. Hæc enim intelligit, cum in præcedentibus dicit: *Symptomatum quædam, quæ curationem indicant, non male Indicatoria dicuntur.* Cujuscemodi præsenti in casu sola respiciens,

quei potest dici aliter ad curationem processisse, quam Empirico more?

§ 104. Sed *mirari* hoc quoque desinimus, quum animo recolimus quæ aliquando legebamus l. de Loc. affect III. 2. Sunt prolixiora quidem illa, sed exscribam tamen, vel eum in finem, ut discamus hoc saltem seponere præjudicium; *numquam* Galenum instituisse curationem, nisi duce Indicatione seu Hippocratica ratione. quam cum ista eamdem esse, vel ex iis perceperis, quæ docet judicioſissimus Hofmannus VI. Inst. II.3.4. 5.

§ 105. *Empirici dicunt, multos se vidisse pleuriticos tum à Præceptoribus, tum à seipsis curatos, observatis iis præceptis, quæ ab Hippocrate l. de Vict. acut. præscripta sunt. Quid vero Hippocratem, vel alium quempiam illo priorem induxerit, ut hæc inveniret auxilia, se penitus ignorare: satis sibi esse, si jam dictis remediis commode utantur. Prorsus ut alii artifices, qui, quo pacto artes suæ fuerint inventæ, non inquirunt: sed à præceptoribus edocti, usu eas probant confirmantque, & sic clarum nomen acquirunt.* Viden', etiam Empiricos *præcepta* Hippocratis sequutos? & in his instituisse discipulos? Qui ergo injuriam me hodiernæ Medicinæ putabunt dixisse exerc. XIII: 12: ostendant & doceant nos, quid in curatione habeant supra illos, unde magis Hippocratici mereantur dici. Sed Galeni de ipsis judicium porro audiamus.

§ 106. *Equidem, ut verum fateor, quum Empiricos talia proferentes audio, inducor certe, ut probabiles putem eorum rationes, videnturque mihi Dogmatici contra illos parum idonea se responsione tueri. Proinde, ut cæteris in rebus omnibus temerarium assensum refugi: ita de his in investigandis singulorum remediis, diu multumque apud me inquisivi, an logica* (seu rationali) *indicatione indigerem: an sufficerent ea præcepta, quæ ab experientia, & à præceptoribus, atque ex me ipso didiceram. Igitur ea, quæ longa inquisitione optima judicavi, ita me dii ament, veritatis amatores docere non gravabor. Nihil enim causæ est, quamobrem mentiar. quod facere solent ii, qui uni sectæ addicti, omnem ex ipsa gloriam quærunt. quippe contentiose eos defendere oportet, eam sectam veram esse, quam unicam noverunt: nam ex nullo alio disciplinarum genere gloriam sperare possunt.*

§ 107.

§ 107. *Ego vero re ipsa, & publice, & privatim, apud eos videlicet, qui sectam quamlibet à me discere cupiebant, ostendi in omnium sectarum scientia (ne majus quidquam dixerim) me esse posthabendum nemini. Quod si uni sectarum patrocinium suscipere velim, quamvis ex tempore ac pro re nata dicendum fuerit, haut tamen facile ab aliquo convinci me rationum penuria patiar. Non enim (ut nonnulli faciunt) ex libris eas didici, sed præstantißimis in unaquaque secta præceptoribus usus sum.*

§ 108. *Neque sane odisse possum Empiricos, quorum sermonibus sum institutus; neque ullos Dogmaticos: pari enim studio omnibus dedi operam, versatusque sum cum præstantißimis in unaquaque secta præceptoribus. Itaque innotui Romæ tum primoribus urbis civibus, tum Imperatoribus deinceps omnibus, & quidem ob artis opera, non ob sophisticas rationes. Quamobrem nihil prohibet, quo minus de unaquaque secta vere dicam, quæ sentio.*

§ 109. *Igitur per artis exercitationem comperi, eam remediorum exercitationem, quæ ex vera Indicatione procedit, in iis, quæ raro incidunt, Empiricæ cognitioni præstare. Vnde multos morbos curavi maxime contrariis præsidiis, interdum iis, quæ experientia & usu cognita sunt. quæ quidem in libris Methodi medendi latius explicavi.*

§ 110. Memorabiliora sunt hæc verba novissima, præut sine aliqua animadversione prætermittantur à nobis. Observa igitur in his, *primum*: Galenum experiundo comperisse, *quid* Indicatio præstet Cognitioni empiricæ in iis quæ raro incidunt. Hoc vero ostendit in l. de Comp. κατὰ γένη III. 3. ceu notavi pridem, Exerc. VIII. 63. Inde forte alicui suspicio sit, in casibus obviis Empirica cognitione contentum fuisse. Fuit etiam in præsenti, quem tractamus. quem in raris potius habuisse, quam vulgaribus, ex narratione ipsa perquam probabile videtur.

§ 111. *Secundum*: Quod multos sese morbos dicat Galenus curasse præsidiis maxime contrariis, iisque experientia cognitis. Non semper ergo *dogmatice* sive per Indicationes curavit, sed sæpe *empirice* sive per Observationes in simili casu visas: adeo etiam, ut destituente Ratione, aut non respondente, aut fallente Conjectura & memoria in simili casu habita, ratiocinatione tran-

transiret ad contraria. Quod ipsum ne empiricum quidem est. Et nescio annon de talibus audiendum sit illud Celsi III. 9: *Sed cum eadem omnibus convenire non possint, fere quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Ideoque ejuscemodi medici melius alienos ægros, quam suos nutriunt.*

§ 112. *Neque vero* (addit paulo post) *ita curatio nova est, qua nunc quidam traditos sibi ægros* (*qui sub cautioribus medicis trahebantur*) *interdum contrariis remediis sanant. Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina*, quia *qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis sæpe restituitur.* Non certe: Medici quippe est, curate sequi, quod Hippocrates præcipit Aph. II. 52.

§ 113. Quando ergo Galenus aperte fatetur, se sæpe curasse *remediis* Usu cognitis & maxime contrariis iis, quæ Ratio indicaverat: jam nullus dubito, idem præsenti in Muliere fecisse. Hodieque hoc astu laudem sibi & famam hic ille comparat. Interea dissimulat hoc Galenus: quin è contrario nobis it persuasum, se certis signis in eam curationem inductum. Quæ nunc porro examinemus.

§ 114. QUINTO *colo* itaque ait: *Venæ eminebant ipsi sanguinis plenæ apparentes, lividæ colore.* Hippocrates verissime VI. Epid. VIII. 49: ἀγαθοῖσι δὲ ἰητροῖσιν αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας. *Bonis medicis similitudines causæ sunt errandi atque hæsitandi.* Nuspiam vero majore periculo erratur, quam ubi, si offendas, maximum infertur damnum. Cavendum propterea sollicite admodum, ne *summa in eo pernicies sit, quod auxilii causa est inventum*, ut bene Celsus III. 12. Quin, quantum possumus, evitare incommoda quoque, non tantum pericula oportet. At quei potest, qui *apparentia* rei, non veritate nisus aggreditur facinus audax & plenum discriminis, idque contra proprium institutum & contradicentibus & cum ratione quidem iis, qui se quoque rem intelligere ostendebant? quomodo Galenum instituisse Venæsectionem in nostra Muliere demonstravimus in prioribus.

§ 115. Quando itaque *similitudines* Medicis etiam bonis imponunt, optandum erat Galenum nobis clarius exposuisset, quid *apparentis* Plenitudinis appellatione intelligeret. Neque enim imagi-

Unable to display this page

tes VI. Epid. VIII. prope finem. In cauſam nunc nihil attinet inquirere, quamvis non ignorem quam jejune Galenus eum locum exponat l. de Loc. aff. III. 7. neque auſus Valleſius fuerit ſupra Magiſtrum tentare quidquam. Qui male tamen me *plenitudinis* Apparentis tumorem putabit referre ad flatum, is quæſo doceat cauſam veriſimiliorem.

§ 119. Quod ſi oſtendi alia non poteſt (ut oſtendi non poſſe propoſito in caſu mihi perſuadeo) jam docendus ſum, ubi Galenus in *inflationibus* Sanguinis venam eſſe incidendam docuerit. Hor. Augenius, cum è ſua, tum ex aliorum ſententia, peculiari opere de *indicante* Sanguinis mittendi diſputans, & in eam rem omnia Galeni loca accurate perpendens, ac ſpeciatim ſcopos Venæſectionis omnes proponens l. de Cur. per ſang. miſſ. I. 15, nuſpiam *inflationis* Venarum facit mentionem.

§ 120. Neque volo mihi quis objiciat illud Hippocratis II. Epid. v. 11: *ἀνεμίλω, φλεβοτομίη λύϛ· Inflationem venæſectio ſolvit.* Non enim jam laboramus, an ex ſententia Dictatoris recta ratione Sanguinem noſtræ Mulieri ſubtraxerit Galenus: ſed, an ex eo quod tumerent Venæ, recte ſecundum principia propria concluſerit, Miſſione ſanguinis opus eſſe.

§ 121. Negamus enim, *primo*, Uſpiam juſſiſſe, cauſa emittendorum *flatuum*, Sanguinem inciſa vena mittere. Quiſquis hoc claris textibus docebit nos, ei facile id concedam laudis, quod me diligentius perlegerit perpenderitque vaſtum illud opus. *Deinde*, Conſequentiam bonam eſſe: Venæ tument; ergo, Mittere ſanguinem oportet. Quod jam non alia negamus ratione, præter quam Galenus ipſe nobis ſubminiſtravit.

§ 122. Quamobrem ut, quod ſentio, dicam: Prætextus iſte fuit, nudumque nomen. Quod ſi vellem, facili præterea negotio evincerem, *nedum* Hippocratis præcepto præſenti in caſu fuiſſe locum, & in loco fuiſſe exſecutum, ſi concedam exſequi voluiſſe, ſive ſecundum illud facere. Sed pergo. Tu interea adi ſis Valleſium II. Epid. v. 11. & Foeſium heic, ſive ſect. VII. p. m. 127. E. ut & Sanctacrucium de Imped. magn. auxil. III. 11.

§ 123. *Signum* alterum incidendæ Venæ ſibi fuiſſe ait, quod *livida*

lividæ colore apparerent venæ. Iterum dico, non intelligere me necessitatem sequelæ : Venæ livent ; ergo Sanguis mittendus. Ipse *livoris* causam ubique facit Frigus, ceu videre Aph. v. 17. Sic & Quæsitis in Hipp. Galeno adscriptis in fine, *ex frigiditate atratus livescere quodammodo sanguis dicitur.* Neque facile est animo concipere *livoris* aliam in Sanguine, aliam in Membris esse causam. Membra certe livent perfrigerata : perfrigerantur emortua : emoriuntur autem per extinctionem & denegationem Spiritus seu calidi influentis, vivendi auctoris proximi.

§ 124. Eadem de causa livere sanguinem, livoremque suum per venas cutemque prodere, colligas ex iis quæ scribit Hippocrates II. de Fract. XII. 24: γένοιτο δ' ἂν καὶ φλεβῶν αἱμορρόων πελιώσιες, καυσιώσιες, καὶ γαγγραινώσιες ὑπὸ τοῦ πέριξ. *Fieri vero etiam queunt venarum sanguifluarum livores, sugillationes, ac gangrænationes à compressu.* Imo clarius iis quæ leguntur l. de Int. affect. t. XXXIX: ἢν τάμνῃ τις πινὰ φλεβῶν, ῥεῖ τὸ αἷμα ὠχρὸν, ἐπείπερ ὠχραὶ εἰσὶν αἱ φλέβες. ἢν δὲ μέλαιναι εἶσι, μέλαν τὸ αἷμα ῥεῖ. *Si secet quis aliquam venarum, fluet sanguis pallidus, siquidem pallidæ fuerint venæ: sin nigræ fuerint, niger sanguis exibit.*

§ 125. *Livor* itaque si testis Spiritus in sanguine deficientis & Virium labentium est, quei potuit *signum* Sanguinis mittendi esse? præsertim quum ad nullam magis evacuationem, quam ipsam hanc interfit, *quæ vires sint?* Nam si quis *parum valet, male sanguis emittitur,* inquit Celsus II. 10. Quare autem? Quia *emoritur vis, si quæ supererat, & hoc modo erepta est.* Ut jam non dicam in emaciatis etiam peritum medicum egregie falli posse, quia fere minus roboris illis corporibus subest, quam existimet.

§ 126. Galenus ergo sive vim corporis ex venis, sive ex ipsa specie æstimaret, repperit quæ virtutem significarent debilem, & absterrerent potius à Sanguinis subtractione. Quidquid sit, tam hoc signum leve est, quam prius incertum. Quin ausim quovis pignore certare, non esse nostro in ordine prudentium quemquã, qui solis his signis fretus in vili, nedũ splendida, persona periclitari similiter conjectura sua velit, & occidisse videri, si forte non servaverit.

§ 127. Imo, ut hoc quoque vel cum invidia mei nominis ad-

dam, Galenus nuſpiam vel ſtudio potuiſſet nuditatem ſuam detegere turpius, quam fecit in præſenti. Quare enim 11. de Comp. κ. τόπ. 1. p. 171. l. 42. ſcribit? δυσκολώτατον οὖν ἐστιν τὸ διαγνῶναι τὸν πεπονθότα τόπον. οὐ μὴν οὐδὲ τὴν διάθεσιν εὑρεῖν ἕτοιμον· ἀλλὰ καὶ τοῦτο γεγυμνασμένου δεῖται, κατά γε τὴν διὰ τοῦ λόγου γυμνασίαν, ἱστορία τε πολλὴν καὶ συνεχῆ τῆς τῶν καμνόντων διαθέσεως. *Difficillimum eſt dignoſcere Locum affectum. Sed neque Morbum invenire, facile. Nam & hoc requirit exercitatum, non tantum meditatione rationis, ſed & obſervatione multa ac continua diſpoſitionis ægrotantium.* Iterum eodem cap. 1. p. 178. l. 54: τὸ γάρ τοι τῆς τέχνης στοχαστικὸν, ἐν τῷ τῶν διαθέσεων διαγνωστικῷ μάλιστα ἐστίν. εὑρισκόμεναι γὰρ αὖται τὴν θεραπείαν οὐ στοχαστικῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς ἐνδείκνυνται· *Artis conjecturale, in Morborum dignotione potiſſimũ conſiſtit. Quando enim illi ſunt inventi, curationem non ex conjectura, ſed ex certa ſcientia indicant.* confer ad Hofmannum 1. Inſt. 1. 5. Quare iſta, inquam, ſcribit, totamque Methodum medendi Indicationibus dumtaxat niti, 11. Meth. med. 7: ſi *ſigna* tam pauca, tam levia ſufficiunt, cum ad *cognitionem* Morbi tam occulti, tum ad *inventionem* Remedii tanti & tam periculoſo in caſu, ut ne dicam deſperato?

§ 128. Hactenus ergo *prætextum* Galeni vidimus, quem propterea facto ſuo obtendit, ut ne illud videretur auſus. Nunc porro videamus Eventum & in eo Verum fundamentum rectæ ſolidæque curationis.

§ 129. SEXTO *colo* igitur exponens *eventum* Venæſectionis ait: *Inciſa autem vena, aſſimilis*, qui effluebat ſanguis, *erat humidæ pici, etiam craſſitie.* Talis autem ardore fit, non ſubito, ſed paulatim depaſcente quidquid eſt chymoſi in maſſa. Superiore exercitatione docui abunde, quæ ſint *beneficia* Chymi, ſive cremoris chili, perpetuo ad ſanguinem affluentis: nempe fervorem Spiritus temperare, & ſqualorem Sanguinis atque Membrorum omnium prævenire; illum diluendo, hæc irrorando. ceu etiam plenius aliquando, ſi vult Dominus & vivo, exponam in Ænigmate Senectutis.

§ 130. Cæterum non nego etiam è vehementi ardore Sanguinem ſubito nigreſcere. Atenimvero pici tunc ſi colore ſimi-

lis

lis, non consistentia evadit. Hac enim similior atramento est. Memini me talem vidisse excretam ab alvo in puerpera quintum & decimum agente annum. Inciderat hæc in Febrem ardentissimam ex eo, quod vertente puerperii mense ambulando se fatigasset plurimum.

§ 131. Hippocrati, ni fallor, dicitur μέλαν αἱματῶδες, q. d. *atramentum sanguineum*. Locus est II. de Morb. t. LXXI: ὅταν μὲν τὸ μέλαν τὸ αἱματῶδες ἐμέῃ, δοκέει οἷον φόνου ὄζειν. καὶ ἡ φάρυγξ καὶ τὸ στόμα καίεται ὑπὸ τοῦ ἐμέσματος. καὶ τοὺς ὀδόντας αἱμωδιᾶ. καὶ τὸ ἔμεσμα τὴν γῆν αἴρει. *Quum atramentum sanguineum vomuerit, videtur quasi morticinum olere. Et fauces atque os uritur à vomitu: dentesque stupefacit. Etiam terram vomitus fermentat.* Has notas omnes observavi in ista puerpera. Quid sit, φόνου ὄζειν, egregie docet Rob. Constantinus in Lexico.

§ 132. *Piceus* vero sanguis non fit, nisi cum igne uritur occulto, quasi cineris dolosi. Tunc vero *nigrorem* concipit ex ustione biliosi: *lentorem* vero, ex siccatione fibrosi, quod est in Sanguine. Repete, si placet, quæ scripsi supra XIII. 227. Quorsum enim ego, quæ semel dixi, sine fructu repetam? Confer & Duretum III. Coac. tr. IV. cap. 44. seu p. m. 566. l. 37.

§ 133. ULTIMO *colo* tandem exponit *verum* fundamentum rectæ curationis. *Hoc ipsum vero*, inquit, *multo magis videbatur vacuandum esse liberaliter*. Recte: erat enim toto genere præternaturam, inutile, corruptum, noxium. Hippocrates II. de Morb. t. IV. qua de *morbo*, Ὑπερέμετος τοῦ ἐγκεφάλου, dicto: ὅταν τίς ἢ χεῖρα τοῦτο πάσχουσαν ἐπιτάμῃ, ἢ κεφαλὴν, ἢ ἄλλό τι τοῦ σώματος, τὸ αἷμα μέλαν ῥέει, καὶ θολερὸν, καὶ νοσῶδες, καί τοι οὐδὲ αἷμα δίκαιον εἰπεῖν κατ' οὔνομα, ἀλλ' ἐρυθρὸν καὶ εἰλικρινὲς ῥεῖν. *Quod si quis aut manum ejus qui hoc patitur, incidat, aut caput, aut aliam aliquam partem corporis, sanguis niger fluit, & turbidum, & morbosum. Quamvis ne sanguinem quidem oporteat vocare, nisi qui rubicundus & sincerus fluit.* Quo respiciens Celsus II. 10. jubet, *ex incisa vena cum sanguis erumpit, colorem ejus habitumque attendere. Nam si is crassus & niger est, vitiosus est*, inquit: *ideoque utiliter effunditur.*

§ 134. Nota in transitu, αἷμα θολερὸν heic proprie dici, qui

est οἷον πολύπου ἰόλος, *qualis polypi rubramentum*, ut dicitur II. de Morb. t. LXXXI. vide de eo aliquid Exerc. v. 57. *Talis* vero si non meretur *sanguis* appellari, multominus certe *piceus*, utpote commatis multo improbioris. Ibi quippe si boni est aliquid, heic certe nihil.

§ 135. Quamobrem recte, ut dixi, Galenus censuit illud *vacuatione* Corpori subducendum esse, & *liberali* quidem. Sed *quare* Venæ potius incisione, quam Alvi subductione? Responderit Celsus II. 10: quia, *si materia corrupta est, nullo modo melius succurritur*. Quod enim corruptum est (quale est quod in alienam plane naturam degeneravit) id satis numquam mature potest auferri: non tantum quia à privatione comparari habitus denuo non potest; sed inprimis, quia inficit & corrumpit alimenti quidquid venis infunditur. Si uspiam, heic verissimum est Syrachidæ illud, *Qui picem tangit, inquinatur ab ea*: Ecclesiastici XIII. 1.

§ 136. Recte vero Celsus, *nullo modo melius*, sive citius aut tutius aut jucundius, *succurri* Ægrotanti posse, si *materia* in venis *corrupta*, totoque genere facta est præter naturam & inutilis atque noxia corpori, quam Venæsectione. Quam enim frustra sint, qui attenuante victu & medicamentis aperientibus ejuscemodi curationes moliuntur, Zacutus bene docet, præeunte Silvatico. quos vide.

§ 137. Recte vero etiam Galenus censuit, *liberalem* Vacuationem esse debere. Talis est, quæ paucis vicibus totum, & singulis quamplurimum detrahit. Scopus quippe est, quamprimum novæ rursus nutricationis initium facere corpori laboranti & alimenti defectu deficienti. In solo enim hoc est omnis spes evadendi. Quæ non potest non affulgere, quamdiu quis est ὀρθοσιδής, & rebus suis præesse utcumque potest.

§ 138. Etsi igitur *metuenda* aliqua *imbecillitas* sit ex larga vacuatione, hæc tamen absterrere Medicum non debet ab eo auxilio ferendo, cui aliud secundum non est. Ratio est, quam & Zacutus notat: *Quoniam statim vacuato illo sanguine, corporis renutritioni & virium instaurationi occasio sese offerebat opportuna*. Unde merito Galenus illud damnum parvipendit: quia *major erat utilitas*

noxâ

noxâ, quæ ex virium jactura sequebatur. At melior est noxa, quam mors, inquit ille Meth. XII. 1.

§ 139. Ego vero claudam hæc prudentissimo pariter ac fortissimo Celsi consilio, quod est capite jam toties laudato. *Fieri potest, ut morbus quidem Venæsectionem desideret, corpus autem vix pati posse videatur. Sed si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc statu boni Medici est ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique quantus in hac ipsa re sit metus. Et tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitari in ejuscemodi re non oportet. Satius est enim, anceps auxilium experiri, quam nullum.*

§ 140. Hoc ipsum tamen *consilium* Hippocratis esse, resciveris è l. de Loc. in hom. t. XXXVI. 115. Ubi ita ait Præceptor: τῶν νοσημάτων ὅπου αὖ ὀπικινδυνότατόν ἐστιν, ἐν τούτοισι προκινδυνεύειν χρή. ὀπιτυχὼν μὲν γὰρ, ὑγιᾶ ποιήσεις· ἀτυχήσας δ', ὅπερ καὶ ὡς ἔμελλε γενέσθαι, τοῦτ' ἔπαθε. *Quum morbus periculosissimus est, in hoc omnia audacius periclitari oportet. Nam si successerit, sanum facies: sin minus, non nisi quod eventurum erat, hoc patietur.* In vertendo verbo προκινδυνεύειν propterea usus sum periphrasi, quia aliter potis non eram exprimere emphasin τοῦ προ *præpositionis.* confer quod ad *verbum* hoc, Lexicographos, vice Foesii heic tacentis: quod ad *textum* ipsum, Franc. Perlam in com. III. 3. & vide an satisfaciat tibi.

§ 141. Ut iterum fatear verum, *ista* Galenum via processisse plane mihi persuadeo. Ideo nec concedere Zacuto possum, *sagacissime illum vacuationem instituisse, dum totum illum sanguinem vitiosum & minime nutrire aptum vena secta exhausit.* Etenim ea demum *vera* Medici *sagacia* est, quæ auxilium adinvenit ex certa *notitia* Indicantis, sive ejus quod curandum est, additione aut detractione. *Cujus enim rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest,* inquiunt ex vero Dogmatici apud Celsum in Præf. illa nobili operis sui.

§ 142. Galenum vero non post certam notitiam auxilium inveniisse, sed post inventum auxilium rationem quæsivisse, quam temeritati suæ prætenderet, necesse est fateare, quisquis bene

bene intelligis, Empiricum inter & Dogmaticum quid interſit. Me vero etiam in eo confirmat illud πολὺ μᾶλλον, *multo magis*. Quei enim aliter hoc intelligam, quam Galenum, etſi ex tumore livoreque Venarum conjiceret mittendum eſſe ſanguinem; certo tamen non ſciviſſe, qualis revera eſſet: hoc interim comperiſſe, cum profluëret.

§ 143. Quum autem *piceum* exire, neque modo *craſſum* ac *nigrum* cerneret, facile cognovit & oneri illum Corpori, & obici Corporis nutritioni eſſe; neque aliter deonerari ac renutriri Corpus poſſe, quam in totum vacuato illo inutili atque oneroſo damnoſoque humore.

§ 144. Credibile igitur, Galenum non alia intentione Venam ſecuiſſe, quam ut, parte Cacochymiæ melancholicæ hoc modo detracta, quod ejus reſtaret deinde Medicamentis ſubduceret commodius. Interim, qui erumpebat, humore conſpecto, cepiſſe in arena conſilium, & cenſuiſſe multo, ſatius ſe facturum, ſi liberaliter illum detraheret, neque prius ſatis detractum putaret quâ ubi, qui piceus initio fluxerat, ſincerior meliorque appareret.

§ 145. Non eſſe ex vano conjecturam hanc, facile intelliges ex iis, quæ Sanctacrucius, vir certe doctiſſimus, ſcribit l. de Imp. magn. auxil. III. 6. Cujus ego capitis potiora non pigrabor exſcribere, vel ideo quia in paucorum manibus librum eſſe ſcio, & ne quis vocare in dubium velit meam fidem.

§ 146. *Reſtat*, inquit, *ut de Cacochymia melancholica dicamus, quatenus aut impedire prorſus aut modum imponere poteſt vacuationibus prædictis*, Purgationi videlicet, atque Sanguinis miſſioni. *Eſt autem diſtinguendum. Nam licet Melancholia ſuperflua (qui ſolet Melancholicus ſanguis appellari) ſit mixta ſanguini, & hac ratione in aliquo affectu indicet Vacuationem ſanguinis: tamen prudenter agendum: quia, ut diximus, jam incipit apparere Purgationis indicatio; & ideo caute & moderate Sanguis extrahendus. Etſi enim ratione craſitudinis oporteat Sanguinem mittere, quia nequit Natura humorem ita craſſum evincere, ut docuit Galenus l. de ſang. miſſ. c. x: tamen neceſſarium eſt, Calidum innatum refrigerari in abſentia Spiritus exhauſti. In præſentia enim Melancholici ſucci non poteſt eſſe copia Spiri-*

Spiritus, ob contrarias, quibus pollet, qualitates. Ergo remanere debet frigidior totus corporis habitus, & ad ulteriorem Melancholiam paratus.

§ 147. *Vnde quando Galenus in redundantia Sanguinis melancholici suadet Sanguinis missionem, ut in curatione Melancholiæ morbi l. de Loc. aff. interpretandus est de moderatissima vacuatione. Id vero elegans locus insinuat, qui est l. de Sang. miss. c. x:* Cæterum in redundantia humoris melancholici Sanguinem mittere præstat, aut certe omnino Medicamento uti etiam bilem expurgante. *Quid clarius potest dici? Existimavit juxta artis leges, non posse Melancholicum succum sine maximo damno per sanguinis vacuationem exstirpari; & ideo proposuit Expurgationem, tamquam adæquatum Melancholicæ supernatantiæ auxilium.* Hactenus ille.

§ 148. Si ita est, facile conjeceris, quo consilio Galenus accesserit ad incisionem venæ & Sanguinis ex ea detractionem. Quidquid sit, ex hac curatione (quoquo etiam modo quis eam instituisse ipsum putet) abunde liquet, quantus Hippocrates fuerit, & quam certiorem sibi ducem legere in medicina possit nemo. Quo magis dolendum est, quam pauciſſimis hodie Medicis non evenire, quod Galenus conqueritur l. Quod opt. med. *Hippocratem*, ait, *multi laudant & cæteris in arte medendi anteponunt, qui tamen nihil agunt minus, quam ut ei, quem prædicant, similes efficiantur. Cum enim ille naturam corporis, ceu medicinæ principium, optime cognoscendam præcipiat: hi tale ea in re studium ponunt, ut non modo nullius Partium corporis substantiam, figuram, magnitudinem, nexum, aut quæ sit cum propinquis communicatio, sed ne posituram quidem sciant. Ille nos ad rationalem medendi rationem adhortatur: nostræ vero ætatis medici adeo sunt ab ejus studio aversi, ut eos qui in illo operam ponunt, velut inutilia tentantes reprehendant. Ille in prænotione morborum sibi comparanda suadet multum laboris impendere: sed id ita faciunt medici, ut si quis hæmorrhagiam aut sudorem prædixerit, hunc ceu magnum & magnopere admirandum proclament. Vt non dicam. nescire victum constituere, quo perdurare æger ad morbi summum usque vigorem queat. Quid igitur est, in quo illum, quem, tantopere extollunt, Virum æmulantur?*

XV.

Nicippus Gonorrhœus.

Hipp. IV. Epid. t. XXIX.

Νίκιππος ἐν πυρετοῖσιν ἐξωνείρωσε. καὶ οὐδὲν ἐπέδωκεν ἐπὶ τὸ χεῖρον. καὶ τὸ αὐτὸ οἱ τοῦτο πολεοπάκις ἐγένετο, καὶ οὐδὲν ἔβλαψε. προερρέθη ὅτι παύσεται, ὅταν οἱ πυρετοὶ κριθῶσι. καὶ ἐγένετο οὕτως.

NICIPPUS *in febribus se polluebat: & nihil gliscebat in deterius. Atque hoc ipsum ipsi sæpe evenit, & nihil nocuit. Prædictum fuit quod desineret, quum febres judicatæ forent. Et factum est sic.*

COMMENTARIUS.

§ 1.

MEDICINÆ *Prometheus* Hippocrates (ut scite appellat *præceptorem* Theophilus de Fabr. hom. v. 19.) prudenti admodum consilio consulit Medicis, ὡς σωφρονεστάτους εἶναι, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ τέχνῃ, καὶ ἐν τοῖσι προρρήμασιν, *uti quam prudentissimi sint, cum in cætera arte, tum in prædictionibus*: II. Prorrh. t. III. Nempe, cum *Medicina* sit Facultas juvandi Naturam in sanando homine: *facultas* vero talis Ars, quæ prudentia potissimum nitatur: facile paret, *quanta* ea sit opus, *cum* in tractando Corpore, omnium ut excellentissimo, ita & tenerrimo: *tum* in procurando Sanitatis bono, quo sine si vita est, tantum non mors est. A qua afflictam vitam *tueri* velle, scire, posse; id vero est, quo se Homo homini deum præstat. *Velle* quidem, cujusvis est: at *scire*, non est, nisi docti: *posse* vero, etiam inter doctos, solius prudentis est. *Prudentia* quippe, Oculus scientiæ: ut *scientia*, Manus est *voluntatis* bonæ.

§ 2. Sed Hippocratem porro audiamus. Non enim satis habens

bens commendasse nobis *prudentiæ* studium, etiam rationibus in hoc instimulat. Sed *quibus?* Quas & ipse experiundo didicit, & experimur hodieque Medicinam quotquot factitamus.

§ 3. *Vna* est: γνόντας ὅτι ἐπιτυχὼν μὲν ἄν τις τοῦ προῤῥήματος, θαυμαστείη ὑπὸ τοῦ ξυνεόντος ἀλγέοντος. ἁμαρτῶν δ' ἄν τις, πρὸ τῷ μισεῖσθαι, ταχ' ἂν καὶ μεμηνέναι δόξειεν. q. d. *Idcirco prudentes esse in prædicendo oportet, quia hoc novimus, quod, cui prospere succedit prædictio, admirationi sit ægrotanti ob solertiam. Cui vero non respondet, superquam quod invisus sit, fortaßis etiam insanivisse putabitur.*

§ 4. Illud *prius* quam sit ad fiduciam Medico apud ægrotos conciliandam necessarium & efficax, egregie Præceptor docet in præfatione Prognostici. Fiducia vero lætificat cor. Cor lætum rursus felicitat medicinam, Prov. XVII. 22. *Posterius* vero, ut Medicum ægrotanti reddit invisum, sic & inutilem. Neque enim prodest medicina, quæ suspecta est, & sine timore non admittitur.

§ 5. *Altera* est: καί τοιγε ἀκούω καὶ ὁρῶ οὔτε κρίνοντας ὀρθῶς τοὺς ἀνθρώπους τὰ λεγόμενά τε καὶ ποιούμενα ἐν τῇ τέχνῃ, οὔτ' ἀπαγγέλλοντας· *Nam & ego audio ac video homines neque recte æstimare ea, quæ dicuntur & fiunt in arte, neque referre.* Sane mirandum non est, Artis imperitos homines de his, quæ sunt artis, haut recte judicare.

§ 6. Si enim ita est, ut noster in III. Ep. III. 87. ait, μέγα μέρος τῆς τέχνης εἶναι, τὸ δύνασθαι σκοπεῖν καὶ περὶ τῶν γεγραμμένων ὀρθῶς, *magnam partem artis esse, posse judicare etiam de his, quæ scripta sunt, probe*: quanto majoris erit cum notitiæ tum exercitationis, posse rectum de auditis à Medicis, aut fieri visis inire judicium? præsertim ubi vix aliquid homines audiunt ab illis dici aut vident geri, quod suæ sit rationi consentaneum? imo quid non illi contrarium gerit Medicus adulari tam nescius, quã imperare doctus?

§ 7. Verum judicii *non recti* etiam majores istis causæ in hominibus sunt spesque metusque. Obnubilant quippe vel maxime hi affectus mentem, & faciunt, ut

quod minus miseri volunt,
Hoc facile credant. Contra quod metuunt nimis,
Numquam amoveri posse, nec tolli putent.
Prona est timori semper in pejus fides:

inquit Seneca Herc. fur. verſu 313. Quibus autem cautionibus inſtituenda prædictio ſit, egregie docuit Santorellus Antepr. lib. XIII. toto. quem legiſſe, ſpondeo, volupe erit, & utile.

§ 8. Mihi ex pluribus unum hoc in præſens monitum ſufficit: *aut* Non eſſe faciendam prædictionem; *aut* Sic, ut eam veret eventus, atque hoc audiatur paſſim, προεῤῥέθη ὁ ἰατρὸς, καὶ ἐγένετο οὕτως· *Prædixit medicus, & factum eſt ſic.*

§ 9. Nobile hujus & plenum admirationis exemplum præſcripta nobis hiſtoria exhibet: oſtendens Hippocratem æque in prædicendo prudentem, ac potentem in medendo fuiſſe vidimus nuper in Oeniade. Hiſtoriam vero hanc non ideo me in manus ſumere nunc dicam, quia Interpretes eam non intellexerunt: hoc enim toties in paucis his exercitationibus demonſtravi, ut nulli amplius novum putem: verum ut, ſi pote, ſaltem aliquos, ſaltem ex his queis ſalus proximi ex corde curæ eſt, excitem & invitem ad lectionem atque meditationem Scriptoris, quem dici non poteſt quam inæſtimabili noſtro bono Divina providentia atque benignitas dederit nobis & ſervaverit in hunc uſque diem.

§ 10. *Aſt ô felices Medici ſua ſi bona norint!*

Jam enim eo res venere, ut nulla injuria noſtris objicias, quod apud Athenæum IV. 16, convivis ſuis Cynulcus: Ἀπαίδευτοί ἐσὲ ἄνδρες δαιτυμόνες, ὃτι ἀναγινώσκοντες βιβλία, ἃ μόνα παιδεύει τὺς ἐπιθυμοῦντας τῶν καλῶν· *Non bene conſulitis vobis viri amici, quod non legatis libros, qui ſoli erudiunt cupidos præclari.* Sed ad rem. Præfatio quippe non opus eſſe, non liber debet; ſed operis præparatorium, & guſtum præbere dumtaxat dicendorum.

§ 11. NICIPPUS *in febribus.* Hippocratici ſtili non ſatis gnarus non facile divinabit, quid numerus heic multitudinis velit. præſertim ſi videat Foeſii hoc interpretamentum in Oeconomia: πυρετὸς *etiam vulgi more ſolet efferre Hippocrates de febre quæ ægrum affligit.* Ubi gentium vulgus *laborare febribus* dicat, quem *una habet*, profecto non ſcio. Niſi hæc voluit videri gratis obtrudere, quare exemplum non adſcripſit? Præſertim ubi tam pudere ipſum oportebat ſine auctoritate, quam ſuis in rebus aut Theologum ſine ſcriptura, aut Iuriſconſultum ſine lege loqui.

Quæ

Quæ vero adfert loca ex Hippocrate, ea habent non vulgarem significatum, sed significantiam singularem. Si mecum libet inspicere, videbis ubique *continuam febrim* designari. Sed ut alia loca non sollicitemus, confer quæso historiam Antiphanis VII. Epid. t. XVI, cum ejus qui ab Alcibiade venerat II. Epid. II. ægr. 6.

§ 12. De *hoc* primum dicitur, ὅτι ἐκ πυρετῶν ὀλίγων πρὸ κρίσιος, ὄρχις ἀριστερὸς ὠδήνησεν· *quod ex febribus parvis ante crisin testis sinister tumuerit*: & mox, ἐκρίνετο ὁ πυρετὸς εἰκοστῇ· *judicata est febris die vigesima*. Hoc ipsum dicitur clarius in historia Antiphanis. Huic hieme τὸ πλάγιον ἐπόνει, *latus dolebat*: aderat πυρετὸς, *febris*. cujusmodi? quæ οὐκ ἔλιπεν, *non reliquit*. Verum die XIV. iterumque XX. ἐδόκεον ἀπολήγειν οἱ πυρετοί. καὶ ἐπελάμβανον. ἐν δὲ λεπτὴ ἡ θέρμη, καὶ βραχύ τι ἐξέλιπεν· *videbantur desinere febres. sed denuo invadebant. Erat autem tenuis calor* sive *febris*, *ac nonnihil remittebat*.

§ 13. Ubi novissima verba satis aperte innuunt, *febrim* Antiphanis accessisse ad genus earum, quæ sunt ξυνεχέες μὲν τὸ ὅλον, καὶ οὐδὲν ἀπολείπουσι· παροξυνόμενοι δὲ, πᾶσι τριταίοισι τρόπον· μίαν ἀποκαθίζοντες, καὶ μίαν παροξυνόμενοι· *prorsus quidem continuæ, & numquam intermittunt: sed exacerbantur omnibus tertianarum more: uno die remissæ, altero intensæ*: I. Epid II. 25.

§ 14. Quæ quoque ut in transitu intelligas, scito *febrium* Speciem, quæ alternis exacerbantur, *unam* esse, quæ τριταία: *alteram*, quæ τριταιοφυὴς: *tertiam*, quæ τριταιοφυέα τρόπον παροξυνόμενον dicitur. Τριταῖον, *tertiana* quæ sit, lippis pariter ac tonsoribus est notissimum: quæ nempe *unum diem præstat integrum, tertio redit*, inquit Celsus III. 3. *Intermittens* ergo.

§ 15. Cæteræ *continuæ* sunt, & *in hoc* Tertianæ assimiles, quod altero die leniores, altero vehementiores sint. *Inter se* vero, partim consimiles, partim dissimiles. *Consimiles* quidem in eo, quod *per accessiones increscant, per discessiones tantum molliantur, nec unquam integrum corpus dimittant*, uti Celsus iterum loquitur II. 4. *Dissimiles* autem in eo, quod ex octo & quadraginta horis (quibus suam Tertiana periodum decurrit) prior non nisi duodecim, *posterior* fere sex & triginta per accessionem occupet.

§ 16. *Vtraque* noſtris hodie *Tertiana continua* vocatur: recte quidem, ſed indiſtincte. Diſtingues, ſi, cum additione, *priorem* Contractam, *poſteriorem* Productam appelles. Hæc, ut dixi, ἐν παρόδῳ. nam plenior tractatio pertinet ad librum de Febrium differentiis.

§ 17. Ex his hoc interim loco diſcimus, qua de cauſa, *quæ* Febris una eſt, *plurium* tamen numero venire queat. Nempe, *ſingulæ* Acceſſiones ſunt *vice* Febris novæ. Conſuetudo obtinuit, ut *febris* vox latius modo, modo ſtrictius accipiatur. *Latius*, pro Morbo ipſo ſive continenter affligat, ſive per vices acceſſionum & remiſſionum aut intermiſſionum. *Strictius* vero, pro Acceſſione qualibet, quocumque etiam modo aut tempore vel repetat vel remittat aut deſinat.

§ 18. Porro eſt, ubi illud ἐν πυρετοῖσιν *in febribus*, nullum certum *genus* deſignat, ſed eam præciſe *ſpeciem*, cui convenire prædicata queunt, quæ apponuntur. Exempla dant Aph. IV. 63. 64. 65. Coac. 80. 130.

§ 19. Duretus, vir egregie doctus, commentariis in Coacas non uno loco hanc phraſin, ἐν πυρετοῖσιν de *febrium initiis* interpretatur. videre hoc lib. I. aph. 146, & 160, atque alibi. Eſt tamen ubi de *acutis* accipit: ut ejuſdem lib. aph. 159.

§ 20. Iſta quidem hactenus bene, inquis: ſed expone nobis, quemadmodum præſenti in loco debeamus intelligere. Nam hic Rhodus, hic ſaltus. Hippocratis cedam liberis, ſi quod Magiſter optimus tacet, ego me dicturum certo profitear. Conabimur interea, & de hoc, & de cæteris, probabiliore tibi conjectura ſatisfacere, quam mihi quidem ſatisfaciunt iſta Valleſii in commentario ſuo.

§ 21. *Nicippus numquid febricitabat ex ſemine? Non arbitror. Fortaſſe enim ex eo ſucco non febricitantur niſi hectice: ejus vero febris judicatio cito expectabatur futura. Febricitabat ergo ex alia cauſa (ut fortaſſe ex pituita) excernebaturque ſimul ſemen redundans. Cur ergo prædicebatur ei fore ut, cum febris judicaretur, ceſſaret ea excretio? Si enim ex diverſis ſuccis paſſiones illæ pendebant, quid prohibeat manere utramvis altera ſublata? Certe, quia antequam febricitaret,*

nihil

nihil tale patiebatur, conjectaverit Hippocrates fore ut &, cum febricitare sineret, cessaret excretio: videritque non ob solam multitudinem aut corruptelam seminis fieri, sed quod calore febrili calidius, acrius, & mordentius fieret. Necesse ergo erat, cum virtus illi constaret, interim prodesse, excreto redundanti & mordaci succo, pariterque corpore siccato: desinere vero, cum febris solveretur. Et factum est ita.

§ 23. Hoc totum est, quod Vallesius dixit ad rem. Cætera quippe, quæ præmittit triplo plura, plane sunt ἀπροσδιόνυσα. Sed in ipsis illis quid est, non dicam examussitatum, sed aliqua vel probabili ratione suffultum? immo quid est dubitationi non expositum, quodve historiæ non demat fidei plus, quam addat? Non constitui hæc singulatim refellere, sed meliora conari. Quæ si præstitero, non videbor, spero, temere criminatus Virum optime meritum de Hippocrate, & ipsis nobis. Etenim mihi quidem tam nihil est volupe, quam ubique profiteri, per quos profecerim. Proficere autem soleo non solum per ea quæ bene docent docti: sed & per ea, quæ male. Unde nemo quisquam dixisse sibi turpe putet, quod alicui fuit ex usu.

§ 24. *Febrim* ergo arbitror fuisse, quæ τριταῖος ἀκεραίης Hippocrati dicitur Aph. IV. 59: vulgo, *Tertiana exquisita.* barbare: neque enim scire videntur vim vocis, quam vertunt aut reddunt. *Exquisitum* Latini dicunt, quod diligenti investigatione simul & prudenti electione quæsitum est. Sic nemo *febrim* quærit: quamvis multi eam acquirant offerendo se idolis Cereris & Liberi ac Veneris. Aliis *exacta* dicitur: tolerabili voce, si bene explicatur. Ut enim *fides exacta* Ovidio IV. de Ponto IX. 480, dicitur bona, sincera, integra Jurisconsultis, ceu videre est l. 1. C. de Suffrag. & l. 2. C. si propter publ. pensit. sic *febris exacta* dici ea potest, quæ suo in genere perfecta est, sive, ut Hippocrates I. Progn. III. 7. loquitur, ἀνήσεσθαι καὶ ὅτι σημείων ἀσφαλεστάτων βεβώς, *benignissima & signis iens securissimis.* In qua quia & *materia* simplex & symptomata pauca ac parva sunt, & consentanea morbo: eapropter ἀκεραίης, *sincera*, vel *mera*, aut *vera*, dicitur, & rectius quam *exquisita*, & planius quam *exacta*. Istæ enim appellationes & magis proprie explicant naturam ipsius, & minime ambiguæ sunt.

§ 25.

§ 26. *Tertianam* fuisse cur credam, *ratio* est: Quia febrium intermittentium hæc est, juxta Quartanam, benignissima & securissima.

§ 27. Dico, *juxta quartanam*. Notum quippe, & verum est effatum Præceptoris 1. Epid. III. 4: ἀσφαλέστατος δὲ πάντων καὶ ῥήϊστος καὶ μακρότατος ὁ τεταρταῖος· *Securißima omnium & facillima ac longißima est quartana*. Ac primo quidem *securißima*: quia, ut Celsus III. 15. ait, *neminem jugulat*. Deinde, *facillima*: nam ut iterum ille III. 3, *simplicior* est, seu comitata symptomatis paucissimis mitissimisque; & *fervorem habet tolerabilem*, & *finita febre biduum integrum facit*. Denique, *longißima*: etenim *tarde admodum finitur, nisi primis diebus discußa est*, inquit idem III. 15.

§ 28. Iuxta quartanam ergo *tertiana* est, primo, *benignißima*: quia *materiam*, Biliosum sanguinis habet, & id solo secessu peccans. Quod non tantum docet *judicium* Naturæ, sed & *curatio* Artis; ceu alibi, si vult Dominus & vivo, ostendam. Interea de *secessu* quod dixi, adisis ad Prosp. Martiani Notat. ad l. de Nat. hum. vers. 272. nisi mavis ad Hippocratem l. de Vet. med. t. XXV. 80. & porro, atque alibi. Deinde, *securißima*: quia isthæc *materia* facile est & *separabilis* à Sanguine quem inquinat, & *superabilis* à Natura quam irritat. Tum quia & *ipsa* est non tantum *toleratu* facilis, sed & *eventu* salutaris; ὀθανατώδης, inquit Hippocrates 1. Epid. III. 8.

§ 29. *Veram* seu *meram* Tertianam fuisse, probabile reddit, quod Intermittentium alia non sit *judicii* aut brevioris aut certioris.

§ 30. Non *brevioris*: quia, ut scriptum est Coac. 148, τριταῖος ἀκριβὴς ἐν πέντε, ἢ ἐν ἕπτα περίοδοισιν, ἢ μακρότατον, ἐν ἐννέα κρίνει· *Tertiana vera quinque aut septem periodis aut, cum longißimum est, novem judicatur*. Unde & ταχυκρίσιμος, *citi judicii* dicitur 1. Epid. III. 8. Vidi *tertio* paroxysmo judicatam. Sed hoc rarum est. Ordinarium: *septimo* judicari. & hoc respicit Præceptor Aph. IV. 59. & l. de Judic. t. IV. diserte addit, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nam medicorum est, *præcepta* fundare super iis, quæ fiunt *utplurimum*. Talia quippe maxime fiunt *secundum naturam*.

§ 31.

§ 31. Sed neque alia *certioris* est judicii, sive modum spectes sive prædictionem. *Modo* quippe bonam crisin præstat quoad omnes conditiones, & suapte natura, nec Naturæ beneficio tantum. *Prædictio* autem, quæ *in acutis non omnino certa* dicitur Aph. II. 19: heic certa est, quia brevis morbus est, nec acutus.

§ 32. *Brevis*, recte: at, *acutus*, non recte dicitur. *Istud*, inquam, recte: quia judicatur intra terminum acutorum: non vero *illud*, quia periculo, quod proprium est acutis, vacat. Vacat autem illo *omnis intermittens*, Aph. IV. 43. VII. 62. quos de *continuis*, sed *postea intermittentibus* interpretari tantum, vetat Coac. 117. Hoc vero etiam Celsus innuit lib. III. cap. 1. ubi ostendit genus morborum esse, *quod neque acutum dici potest, quia non perimit: neque utique longum, quia si occurritur, facile sanatur.*

§ 33. Itaque præsuppositio, quod ex ipsa deinceps historia confirmabimus, *tertianâ* Nicippum laborasse: jam definitu promtum est & certum, quid significet, accidisse ei, quod accidit, *in febribus*. Etenim accipi *febris* heic non pro *morbo* debet, sed *paroxysmo* morbi, sive accessione quavis & quavis die tertia revertente atque affligente.

§ 34. *Discrimen* hoc manifeste, animadvertens, videas in istis Celsi III. 3: *cum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt.* Nam *morbus* ibi est illa dispositio, quæ Naturæ vim atque modum in fungendo depravat, & fundatur in Materia aliena à constitutione partis, in qua residet. *Febris* vero est fervor ille toties repetitus & à Natura excitatus in spiritu, ut se impedientem materiam subigat, & disponat ad excretionem, & excernat quamprimum possit; eaque excreta, viribusque receptis, quarum in laborioso hoc opere fecit jacturam, deinceps pergat libere & inculpate fungi officia sua.

§ 35. Habemus ergo cynosuram, ad quam spes est si porro dirigamus commentarii nostri cymbam, appellendi hanc feliciter in portum, quo tendimus: utut recto cursu eum annavigare non poterimus, propter syrtes ac vada, quibus hoc quoque mare factum est ἀπερχόπερον seu difficilius navigabile.

§ 36. NICIPPUS *in febribus* ἐξωνείρωτε. Pro quo Foesius:

per somnum veneris imagines habuit. Ubi metaphrasis impossibilis est, sane paraphrasis tolerabilis est. Sed ea tantum, quæ nihil à Verbo scripto, nihil à Mente scriptoris reddit alienum. Ista mihi & in hoc & in illud peccare videtur.

§ 37. Et in *verbum* quidem aperte peccat. Sit enim jam, nihil intersit inter simplex, ὀνειρώσσειν, & compositum, quod heic est, ἐξονειρώσσειν. Saltem sic reddendum erat cum Cornario: *per somnum semen effudit*. Hoc enim medicis est ὀνειρώσσειν. *Medicis*, inquam: quia primo ac proprie significat *somniare*. Cyrilli lexicon: Ὀνειρώσσω, *Somnio*. Locus est apud Platonem egregius in v. de Republ. p. m. 667. D. ubi, præter vocis usum, spectes & rei naturam. τὸ ὀνειρώττειν, inquit, ἆρα οὐ τόδε ἐστιν, ἐάν τ' ἐν ὕπνῳ τις, ἐάν τε ἐγρηγορὼς, τὸ ὅμοιόν τῳ, μὴ ὅμοιον, ἀλλ' αὐτὸ ἡγῆται εἶναι ᾧ ἔοικεν; *Somniare, annon hoc est, quum quis, sive in somno, sive experrectus, quod alicui est simile, non simile, sed ipsum illud putat esse cui simile est?* Nempe cum dormientibus species earumque affectiones, in animam receptæ pridem, repræsentantur phantasiæ, sive verâ, sive terrificâ formâ, si illa putet se videre res ipsas, non imagines rerum, revera somniat. Quod *quomodo* fiat, egregie docet Hippocrates l. de Insomn. t. 1. qui sane meretur cum nobilissimo Scaligeri commentario legi.

§ 38. Interdum significat *somniare*, non simpliciter, sed *furibunde*. Hujus auctorem antiquissimum Hippocratem habemus in 1. de Diæt. XXXIX. 332: εἰ δέ τι πλέον ἐπικρατηθείη τὸ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ὀξείη ἡ τοιαύτη ψυχὴ ἄγαν, καὶ τούτους ὀνειρώσσειν. καλέουσι δὲ αὐτοὺς ὑπομαινομένους. ἔστι γὰρ ἔγγιστα μανίης τὸ τοιοῦτον. Foesius: *Quod si adhuc magis aqua ab igne superetur, ejuscemodi animus valde acutus est, eosque somniis agitari necesse est. Hos autem subfuriosos vocant. Hoc enim insaniæ proximum est.*

§ 39. Ἡ ψυχὴ, non *animum* Hippocrati, sed *animam* significat. De *illa* dictum est VI. Epid. v. 5: ἀνθρώπου ψυχὴ ἀεὶ φύεται μέχρι θανάτου· *Hominis anima perpetuo nascitur usque ad mortem.* Ideo nascitur perpetuo, quia perpetuo moritur. Finis namque ab origine pendet. Est enim *ignis*, à quo & in existendo & in operando dependet, natura fluxa atque caduca, & alimenti eapropter

ter indiga perpetui, pluris aut paucioris, prout vel ætas, vel anni tempestas, vel alia quæcumque ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, *externa* necessitas postulaverit.

§ 40. *Animus* est, quæ γνώμη, *mens*, Hippocrati dicitur non uno loco. Præ cæteris nobilior est, qui legitur VI. Epid. VIII. 28. καὶ τὸ γνώμης ξυνόια, αὐτὴ καθ' ἑαυτήν. χωρὶς τῶν ὀργάνων καὶ τῶν πρηγμάτων. ἄχθεται. καὶ ἥδεται. καὶ φοβεῖται. καὶ θαρσέει. καὶ ἐλπίζει. καὶ ἀδοξέει. *Et mentis cogitatio*, sive Mens cogitans, *ipsa seipsa* constat: *sine organis & operibus. Tristatur & lætatur: timet & audet: sperat & desperat.* Ex quo loco luce meridiana clarius infert hoc, quod verissimum est, Sanctacrucius: nempe, Hippocratem prorsus assensisse Anaxagoræ Clazomenio & Pherecydæ Syrio, qui jam per universam Græciam animæ immortalitatem exclamassent. vide ipsum Philos. Hipp. t. XXIII, & inprimis LXXIV. in digressione. videatur etiam Augustinus Steuchus de Perenni philos. IX. 15. Nobis quippe nunc stare heic non licet.

§ 41. Præsentis loci est illud, καὶ τούτους ὀνειρώσσειν. Quod cum non satis intelligeret Zuingerus, margini pro τούτους adscripsit ἐν τῷ: & vertit, *etiam in videndis somniis.* Cornarius reddiderat: *& tales necesse est somnia videre.* Quod cum neque Foesio placeret, maluit in Oeconomia hoc reponere: *eos in somnis Veneris ludibriis exerceri necesse est.* Verum postea Hippocratem nobis daturus Latine loquentem, considerato loco, reddidit: *eosque somniis agitari necesse est.* Optime, & laudando candore, quem non puduerit retractare & emendare, quod inconsultu rationis pronunciasset. Utinam ea nobis omnibus sit mens!

§ 42. Omnino & ratio dictat & postulat sequela orationis, ut hoc in loco τὸ ὀνειρώσσειν significet, *frequentibus & turbulentis insomniis inquietari*: & locum propositum exponas secundum id quod legitur III. de Diæt. IX. 177: οὐκ ἔτι κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἡδεῖς οἱ ὕπνοι, ἀλλ' ἀνάγκη ταράσσεσθαι τὸν ἄνθρωπον· *Sed neque eo tempore suaves somni sunt, sed necesse est turbari hominem.* Quando autem, ut ille ait,

Exercent ægram furibunda insomnia mentem,

deprehenderis dormientes οἰμώζοντας καὶ βοῶντας. τοὺς δὲ καὶ πνιγο-

μένους. τοὺς δὲ καὶ ἀναΐσσοντας τε καὶ φεύγοντας ἔξω καὶ παραφρονέοντας μέχρις ἂν ἐξεγειρέωνται· *plorantes & vociferantes: alios vero suffocatos: ut & è lecto exilientes ac fugientes foras usque dum excitentur è somno* inquit Hippocrates l. de Sacro morb. t. 1. *Cujuscemodi* insomnia cum, ut innuitur l. de Flat. t. xx. 220, fiant à flatibus multis, crassis, tenebrosis, mirandum minime est, quare ἐν ὀξέσιν, ὕπνος ταραχώδης, σπασμὸν ἐνίοισι σημαίνει· *in acutis, somnus turbulentus, convulsionem aliquibus significet*: Coac. 82.

§ 43. Cæterum, quia οἱ ὀπίζω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευόμενοι, *qui sectantes carnem in cupiditate pollutionis incedunt*, II. Pet. II. 10, sæpe incidunt in impura somnia, iisque delectantur, inde est, quod & sæpe se polluant, & perdant semen, quod se seminare somniant. Unde obtinuit, ut *hoc* quidem diceretur ὀνειρώσσειν: *prius* vero, ὀνειροπολεῖν. Diserte id Suidas: τὸ μὲν ὀνειροπολεῖν, ἐπὶ τῶν ἐνύπνιον ὁρῶντων. τὸ δὲ ὀνειρώσσειν, ἐπὶ τῶν αὐτομάτως γονὴν ἀφιέντων. ὥσπερ οἱ ἐρωτόληπτοι πάχουσιν, ἢ ἀπὸ βρωμάτων, ἢ ἀπὸ δαιμόνων ἐγγείας τοῦτο πάσχοντες. *Somniare quidem dicitur de iis, qui insomnium vident. Polluere autem de iis, qui ultro semen emittunt. Id quod amore capti patiuntur: alii vero à cibis: alii denique à dæmonum illusione.* Gemina reperies apud Aristophanis scholiastem Nebulis act. 1. sc. 1. 16. unde forte huc sunt transumta.

§ 44. Quibus in verbis notent juniores, *primo*, Ἐνύπνιον *insomnium* dici, quod *in somnis* apparet animæ, non aliter acsi oculis cerneretur. Visa enim dormientibus ita, ut fuissent in re, ἐν τῷ ὕπνῳ reponuntur animæ. Quam vocis *etymologiam* venuste in præcepto adumbrat Hippocrates VI. Epid. VIII. 27: ubi considerare Medicum τὰ ἐν ὕπνῳ ἐνύπνια, *in somno insomnia* jubet. Quare? quia μεγάλην ἔχοντα δύναμιν εὑρήσει πρὸς ἅπαντα· *magnum ad omnia momentum habere comperiet*, inquit in προτάσει procœmii l. de Insomniis; qua proponit utilitatem cum Præcepti istius, tum Scripti quod ordiebatur, non sine captatione benevolentiæ, docilitatis, atque attentionis singulari.

§ 45. Omnium vero, quæ videre sibi dormientes videntur, quinque facit principales & diversitates & nomina Macrobius in Somn. Scip. 1. 3. Sed curatius ista & verius digessit Scaliger

in

in princ. com. modolaudati. Videatur etiam Jo. Sarisberiensis in Nugis curialib. II. 15. Artemidorus in Oneirocrit. lib I. cap. 1, distinguit dumtaxat in *Somnium* & *Insomnium*. quorum *hoc*, Præsentia ait significare: *illud*, Futura. quod rectum puto.

§ 46. *Secundo*: Ἐρωτολήπτους dici eos proprie, qui ardent amore mulieris honesto: ut ἐρωτομανεῖς, qui furore quodam sectantur incertas atque illicitas libidines; quas fugere tam serio nos, & argumentis tam sensibilibus hortatur Sapiens in Prov. v. 3: vi. 24: vii. 5: ix. 13. compara Eccles. vii. 26. & dicta nobis Exerc. x. 208. quibus nunc hoc adde è Galeno de Plac. iv. 5: οὐκ ἀλλοτρίως τὸ τῆς μανίας ὄνομα κεῖσθαι ἐν αὐτοῖς, ὡς ἁμαρτάνουσι μανικῶς, καὶ τῆς ἀληθείας ὅτι πλέον ἀπαρτωμένοις· *non abs re poni nomen maniæ in illis qui peccant furiose, & à veri rectique tramite plurimum recedunt*. Hic est ille vesanus amor, qui (ut Seneca modulatur Hippolyto act. II. 641.)

intimas sævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus & venis latens,
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.

§ 47. *Tertio*: Veneris insomnia nocturnasque pollutiones etiam à *saturitate* proficisci. In eam rem eleganter Plato principio IX. de Republ. p. m. 728. B. Græce locum non exhibeo; ex Græcis tamen Latine, quoniam vulgatus sic satis oscitanter fuit interpretatus; neque nostris iterum verbis, sed disertissimi Romuli nepotum. Extant autem l. de Divinat. I. 29. *Vide*, inquit, *quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Cum dormientibus ea pars animi, quæ mentis, & rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, cum sit immoderata obstupefacta potu, atque pastu, exultare eam in somno immoderateque jactari. itaque huic omnia visa objiciuntur à mente ac ratione vacua: ut aut cum matre corpus miscere videamur, aut cum quovis alio vel homine, vel deo, sæpe bellua.*

§ 48. Eodem quoque spectat, Euripidi vulgo quod tribuunt:

Νεκρὸν ἀφροδίτη διονύσου δίχα καὶ δήμητρος.

quod ita apud Terentium extulit Chremes, act. IV. sc. V. 6:

Verbum hercle hoc verum est, Sine Cerere & Libero friget Venus.

quo de aliquammulta Erasmus in Adagiis. Quisquis odit heic peccare, hoc intelligat, consilium exercendæ continentiæ optimum juxta preces esse, quod suggerit Tertullianus adv. Marcionem II. 18: *aliquid cibis detrahere, & frenos imponere gulæ.* Hoc enim qui sequitur, intelliget *simul & comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ fere ventris castigatione frigescunt.*

§ 49. Ergone, inquis, non sine peccato se quemquam polluere existimas? Sic censeo. Atqui etiam maxime castis atque sobriis accidere potest. Potest: sed excitatâ Naturâ occulto carnis stimulo. Quem procul dubio profert ῥίζα πικρίας, *radix amaritudinis* illa, quæ radicatur in nobis ex seminibus parentum, quando nos suæ imagini similes generant. Ista quippe etiam invitis, etiam insciis ἄνω φύουσα ἐνοχλεῖ, *suppullulans obturbat* & contristat non parum eos, qui ambulant per spiritum: Hebr. XII. 15. Christum solum *noctibus erudierunt renes sui*, uti de ipso testatus est Spiritus S. in Psalm. XVI. 7. Homines vero, qui τὴ σαρκὸς πρόνοιαν ποιῶσι εἰς ἐπιθυμίαν, *carnem curant ad libidinem*, ut loquitur Apostolus ad Rom. XIII. 14: hos, inquam, vel maxime inquinat pollutio nocturna; etiam quando fit sine *somnorinis* (ut Varro Prometh. lib. I. vocabat, citante Nonio II. 790,) *imaginibus*; saltem quarum memoria aliqua sit ab expergefactione.

§ 50. *Quarto*: Suidas cum ait, *quosdam se polluere illusu dæmonum*, nobile nobis argumentum suppeditat contra eos, qui Spiritus malos arbitrantur *succubos* iniri revera ab hominibus posse. Hoc credere mancipia Satanæ, & fassos apud Judicem, non dubito. Verum si sensum consuluissent, sola *pollutio* docuisset totum id fuisse imaginarium. Justo interim Dei judicio accidit, ut Princeps hujus seculi potens sit in filiis tenebrarum, & potenter ipsis persuadeat, libidinem à se, somno, vinoque sepultis, exercitam fuisse non spectaculum noctis, sed congressum verum, cumque femina tali & sua arte supposita, cum qua alias scortati essent, vel in corde suo.

§ 51. Non possum vero satis mirari illorum stuporem, qui arbitrantur non solum *incubos* dæmonas esse, sed & imprægnare posse

posse mulierem, & ex hoc conceptu nasci hominem; etiam, quod animus horret referre, Deo animam infundente. Hoc tamen cum plerisque suorum censet Mart. Delrio Disq. magic. lib. II. quæst. xv. Lud. Vives ad Augustinum de Civit. Dei xv. 23. ait *extare hodie nonnullas gentes, quæ originem suam habere glorientur à dæmonibus, qui coierint cum feminis virili forma.* Quæ sint illæ nescio, si non sunt, quas Satanas progenuit ex ea Muliere, cujus est historia conscripta à S. Johanne in Apoc. XVII. 3. Sed in viam: satis enim extravagatum est.

§ 52. Porro, posteaquam verbum hocce ὀνειρώσσειν à propria sua significatione deviare cœpit ad metonymicam, non in prima se, non in altera potuit continere, neu impedire, quo minus Medici deflecterent ad ulteriorem. Enim usurpant non solum de αὐτομάτως, sed & ἀθελήτως facta *Seminis excretione.* Usurpant de *pollutione* non solum *nocturna*, verum etiam *diurna*: tam de ea, quæ *coactu* Morbi, quam quæ *invitatu* Carnis fit.

§ 53. *Illius* exemplum est II. de Morb. t. XLIX. ubi inter *signa* Tabis dorsalis & hoc ponit, si, ἐπ' ἦν οὐρέῃ ἢ ἀποπατέῃ, προέρχεται ὁ θορὸς πολὺς καὶ ὑγρός. καὶ γενεὴ οὐκ ἐγίνεται. καὶ ὀνειρώσσει καὶ συγκοιμηθῇ γυναικὶ, καὶ μή· *antequam urinam vel alvum reddit, præveniat semen multum atque humidum. Neque genitura retinetur, sed effluit invito, sive concumbat mulieri, sive non.* Aliud est I. de Int. affect. t. L. quo agens de Crassis morbis, inter alia eorum symptomata refert, quod ægrotus πολλάκις καὶ ὀνειρώσσει, *sæpe etiam semine fluit.* Additur, quod notandum, τὸ δὲ λάγνευμα τοῦτο, ὕφαιμον προέρχεται, ἐνυποπέλιδνον· *virus ejus, subcruentum exit, & sublividum.*

§ 54. Τὸ ὀνειρώσσειν ergo hasce quatuor habet significationes. Primam: *somniare.* Alteram: *insomniis turbari.* Tertiam: *interdormiendum se polluere.* Quartam: *pati qualecumque seminis profluvium.* Tantum de *simplici* verbo.

§ 55. Cujus in textu *compositum* est, ἐξονειρώσσειν. Hoc bis reperio in I. de Genit. t. II. quem mox producam. Iterum I. de Int. affect. t. XLVI. in descriptione Typhi quintæ speciei. In quo ægrotus ἐξονειρώσσει θαμινὰ. πολλάκις δὲ καὶ βαδίζοντι αὐτῷ, ἐξέρχεται γονή. *noctu se sæpe polluit. Sæpe vero incedenti ipsi exit genitura.* Reperio

perio etiam in nobili historia Satyri VI. Epid. VIII. 52: Σάτυρος ἐν Θάσῳ, παρωνόμιον ἐκαλεῖτο γρυπαλώπηξ, περὶ ἔτεα ἐὼν πέντε καὶ εἴκοσιν, ἐξωνείρωσε πλεονάκις. προήει δ' αὐτῷ καὶ δι' ἡμέρης πλεονάκις. γενόμενος δὲ περὶ ἔτεα τριάκοντα, φθινώδης ἐγένετο, καὶ ἀπέθανεν. *Satyrus in Thaso, cognomento dictus Grypalopex, cum esset annorum quasi quinque supra viginti, noctu se polluit sæpe. Promanavit vero ipsi etiam de die sæpius. Cum autem pervenisset ad annum fere trigesimum, tabidus factus est, & mortuus.*

§ 56. Uterque locus iste non patitur aliam verbi expositionem, præter quam dedimus. Nam cum utrobique *diurnum* Seminale profluvium opponet *nocturno*, quis neget *dormienti* illud, istud *vigilanti* accidere? In sacris quæ dormienti accidit, ῥύσις νυκτὸς, *fluxio noctis*, Deut. XXIII. 10: quæ etiam vigilanti, ῥύσις γόνου ἐκ τοῦ σώματος, *fluxio genituræ è corpore*, dicitur Levit. XV. 3.

§ 57. Hoc, ut cogimur, concesso, nihilominus Foesium negamus defunctum officio interpretis exactissimi. Cum enim Nicippum dicit *per somnum veneris imagines habuisse:* non dicit, quod vel inprimis vult particula præposita, *se polluisse*. Facit certe illa, ut non possit τὸ ἐξονειρώσσειν minus significare, quam *inter somniandum profundere semen*. Semper enim auget (ubi fieri quit) verborum significationem præpositio illa ἐξ.

§ 58. Bene multi sunt, qui se somniant hymenæum celebrare, neque tamen distillat ab inguine virus. Id Achmes in Oneirocrit. cap. 129. significare ait κώλυμά τι καὶ ἀργίας ἐν τοῖς ἐργασίαις αὐτοῦ, *impedimentum atque moras in negotiis suis*. Cœlius Aurelianus Tard. pass. V. 5: *Aliqui ajunt oniropolesin ab onirogono discerni: siquidem Oniropolesis illa sit, quæ per somnum concubitum fingit, cum operis sensu, sed sine seminis jactu: Onirogonos vero usque ad effectum deducit seminis lapsum. Milesius nihil inquit supradicta differre: unum enim, atque eumdem fluorem dicit esse seminalium viarum. Sed quod nunc exclusio perficitur seminis, nunc impeditur, quamquam visa per somnum eadem fingantur, ob alias inquit irruentes fieri causas. Sed non est plurima discretio, nec intentio adhibenda: quippe cum neque ad curationem necessaria comprobetur.*

§ 59. Quando itaque vi verbi expositi certum est, Nicippo *fluxis-*

fluxisse in febribus *semen*: jam porro videndum est *tempus*, quo fluxit. Dispiciendum est, inquam, *integro* fluxerit, an *ferventi* ex febre. Foesius, *per somnum*, dixit. Cornarius quoque. Vallesius ne tangit quidem: tamquam scriptum non esset, aut ei momentum non inesset. Interpreti ut facile est dissimulare difficultates: ita glorioſum, ostendere & explanare. Quod etsi interdum non ex toto queat: tamen laudanda voluntas est, quæ glaciem alteri studuit frangere: præsertim in talibus, ubi οὐχ οἷόν τε τὸν αὐτὸν ἄρξασθαι καὶ τελεῦσαι, *fieri non potest, ut idem incipiat & perficiat*, quemadmodum ait Galenus de Nat. fac. II. 9. Certe sic excitantur bonæ mentes: quæ facile alias secure dormiunt super pulvinar insciteæ credulitatis.

§ 60. Cornarius itaque, illud ἐξωνείρωσε reddens *per somnum semen effudit*, in verbi usu cum Foesio non peccavit: *mentem* Auctoris interim non modo non illustravit, sed & obscuravit. neque offusas illi tenebras discussit Foesius. Sed qui potuit unus omnia? Non est interim, forte necerit, qui ad intellectum Hippocratis & plus luminis præferat posteritati, & enixiore studio.

§ 61. Illud, *per somnum*, in hoc obscurat historiam, *primo*, Quod videri Nicippus possit habuisse *hoc*, non *symptoma* Morbi, sed *accidens* Somni, sive potius *effectum* Phantasiæ in somno concitantis ad libidinandum. Quomodo si accipias, jam periit hoc totum, cujus gratia meruit ad posteros transmitti historia. *Deinde*: Quod videri Nicippus possit pollutionem passus nocte integerrima, sive qua maxime tertianarii à febre refecti quietius solent dormire, præsertim si & humidior & paulo plenior præcessit cœna. A cibis enim ὕπνος γίνεται σαρκὸς ὑγρανθείσης, καὶ κεῖται τὸ αἷμα, καὶ γαλαυκίζει ἀφιεύμενον (rectum puto, ἀφιεύμενος, scil. ἐξ αἵματος) τὸ πνεῦμα· *somnus fit carne humectata, & funditur sanguis, & quiescit, eo fuso, spiritus*, inquit Hippocrates III. de Diæt. IX. 175. Iam hoc modo si interpretere, enervatur prorsus illud, *in febribus*: in quo tamen est, quidquid est admirandi in historia tota; ceu dicebam.

§ 62. Simplicissima interpretatio est: *Nicippum se polluisse in febribus*, hoc est, singulis aut plerisque saltem paroxysmis febri-

libus. *Dormienti* an contigerit, non dicitur. Quosdam videas inclinata febre obdormiscere, & satis illa placide defungi. Mihi & hoc aliquando evenit, & somniare conjugis amplexum; sed hoc semel tantum, & inter initia, & post abstinentiam: nam & complexus suum tempus habet, Eccl. III. 5. Judicatus fui quinto paroxysmo & per sudores. Hoccine somnium præsignificaverit, nescio: scio ita velle Artemidorum in Oneirocriticis I. 80. Eodem modo si evenerit Nicippo, tacendum non erat, quod vel inprimis faceret ad rem. Nunc cum hoc non dicat Hippocrates, neque factum credo: contra, factum, quod dicit: nempe, Nicippum in febribus & earum fervore se polluisse insomnem, non in somnis.

§ 63. Neque opus heic alio verbo fuit, quam recepto consuetudine sic loquentium. Quid enim vetat ita interpretari, ut præpositio ἐξ adimat aliquid significato verbi simplicis? Τὸ ὀνειρώσσειν, nostro usu, est se polluere, sed noctu in somno & insomniis. Hoc negat præpositio, & innuit Nicippum in febribus quid passum tale, quod alias obtingere sanis consuevit per insomnia veneris.

§ 64. Ne autem hæc interpretatio sine exemplo si sit, ingenii videatur, non rei; sisto locum ex Theophrasti de Caus. plant. I. 8. fine. ubi agens de Arborum, è semine quæ prodeunt, degeneratione, idem & Animalibus ait evenire, alio licet modo, quia alio quoque modo feruntur. καὶ γὰρ ταῦτα τεκογονήσαντα [Heinsiana, τεκογονήσαντα: corrupte] σωεξομοιώσεις. Ad quæ perspicacissimus rerum verborumque censor Scaliger: τεκογονήσαντα, *activum est. Animalia tertio ordine generantia. Est igitur in quarto fœtu mutatio. Quia tertio quæ feruntur anno, quarto fructum edunt. Si igitur ita est, quomodo est* σωεξομοιώσεις? *Non enim si in quarto fœtu mutatio est, in tertio generante est* ἐξομοίωσις, *id est egressio à similitudine.* Similiter Hippocrati ἐξονείρωσις, est *egressio à pollutione somnorina.*

§ 65. Sed potius eximamus scrupulum principalem, *modo* ostenso, quo ἐξονειρωγμὸς iste evenerit Nicippo febrienti & nihil haut dubie minus quam veneria meditanti. Nullius enim

æque

æque nobis quam ejus rei desiderium solet per febres adimi. Nicippi exemplum sine exemplo est : non sine exemplari tamen, ex quo illius rationem percipiamus. Hoc nobis exhibuit Præceptor loco, quem modo innuebam, nunc sisto ex l. de Genit. II. 5. Οἱ ἐξονειρώσσοντες διὰ τάδε ἐξονειρώσσουσιν· ἐπὰν τὸ ὑγρὸν ἐν τῷ σώματι διακεχυμένον ἔῃ καὶ διάθερμον, εἴτε ὑπὸ ταλαιπωρίης εἴτε ὑπὸ ἄλλου τινὸς, ἀφρέει, καὶ ἀποκρινομένου ἀπ' αὐτοῦ, ὁρᾶν παρίσταται οἵη λαγνείη. ἔχει [lege, ἐξίει] γὰρ τὸ ὑγρὸν τοῦτο ὥσπερ [non ὅπερ] λαγνεύοντι. ἀλλ' οὔ μοι περὶ ὀνειρωσσόντων, καὶ παντὸς τοῦ νοσήματος, τί ἐστι. καὶ ὁκόσα ἐργάζεται, καὶ διότι πρὸ λαγνείης. καὶ ταῦτα μὲν ἐς τοῦτό μοι εἰρέαται. Quæ mihi sic videntur Latine danda. *Qui se noctu polluunt, idcirco se polluunt: quum humor in corpore diffusus fuerit & fervidus, sive à labore, sive ab alio aliquo, spumat, & quum secernitur ab ipso, speciem exhibet tamquam veneris. Exit enim humor iste velut coeunti. Sed non est mihi* institutum dicere *de nocturnis pollutionibus, sive quid sit de toto morbo, & quæ operetur, & quare sit vice veneris. Atque hæc quidem hactenus mihi dicta sint.*

§ 66. Τὸ ὑγρὸν, *humor* rectius, quam *humidum* redditur. ex quo obtinuit nempe, ut *humor* appellaretur substantia uvida, sive quæ per se est humida, & humectare apta nata: (nam proprie est qualitas ejus, quod humet. Varro hoc ostendit de LL. IV. 10: *natura frigori immiscet calorem, atque humori aritudinem.*) at vero *humidum*, quod humectum est, sive extrinsecus habet aliquid humoris.

§ 67. Medicis *humoris* vox usurpatur tripliciter: communiter, proprie, & propriissime. *Communiter*, seu late, *humores* vocantur in corpore humano etiam quædam quæ amplius fluida non sunt, nec apta humectare aut nutrire corpus: utputa Humores oculorum. *Proprie*, seu stricte, sed per negationem definiente Hofmanno II. Inst. CXVIII. 2, *corpus*, quod nec pars est solida, nec spiritus : sive id coctionem primam tantum sit perpessum, sive secundam & tertiam quoque: sive sit id, quod Natura per coctionem intendit, sive sit excrementum. *Propriissime* vero & strictissime, est *pars* illa corporis, quæ apud Hippocratem VI. Epid. VIII. 19, ἐνισχόμενον σῶμα, quasi *intus contentum corpus* dicitur,

opponiturque τοῖς ἔχουσι καὶ ὁρμῶσι, *continentibus* & *moventibus*, hoc est, *Solidis* & *Spiritibus* dictis Galeno l. de Trem. & palp. cap. v. Verbo, *Sanguis*.

§ 68. *Phrasis*, qua utitur Præceptor, significantiæ plena est, & præter *sanguinem* nulli alteri adaptabilis. Quam si assequuti Fernelius & sequaces fuissent, neque Galenum suum deseruissent, neque adeo sollicite laborassent in *definitione* Partis cudenda & tuenda sine ratione. Ostendamus ergo Neotericis istis plenitudinem emphasis, quam præ se ferunt hæ voces, ἐνισχόμενον σῶμα.

§ 69. Vocat σῶμα, *corpus*, non physice, sed medice. Medicum quippe oportet loqui medice: hoc est, loquendi formulis uti talibus, quæ liquido præ se ferant scientiam necessariam atque utilem ad consecutionem sanitatis: id quod & Aureliani verba novissima insinuabant, quæ attuli § 58. Itaque *corpus* heic dicit, non *quod* naturalibus, vel è principiis constitutum est, vel affectionibus obnoxium est. sed *quod* concurrit ad constitutionem atque integritatem *sani*, cum Corporis totius, tum Membri cujusque. quæ absque *humore* si sunt, neque sunt neque possunt esse quod dicuntur à Galeno Meth.med.l.6: videlicet τὰς τελείας ἐνεργείας ἀποτελεστικὰ, *perfectæ actionis effectiva*. Quin *humor* Membris dat & esse & operari. *Esse*: nutriendo, hoc est, incessanter renovando & vegetando. *Operari*: quatenus Spiritus, primi motoris, est & vehiculum & vectis, adeoque proximus ipsorum motor. Unde sane meretur συμπληρωτικὸν, *completivum* dici, non solum παντὸς τοῦ σώματος *totius corporis*; sed & ἑκάστου τῶν μέλους, *uniuscujusque membri*. Ea definitio iterū Galeni est, Meth.med.l.5.

§ 70. Vocat ἐνισχόμενον, non ἰσχόμενον simpliciter, ut passim & perperam Recentiores, alii ex aliis & citant & corrumpunt nobilissimum verbum; supinâ nimis inadvertentiâ, illi quidem præcidentes particulam ἐν, adjicientes vero præcedenti τῷ ὁρμῶντι, contra omnium librorum lectionem constantissimam. *Monendum hic quoque videtur*, inquit Foesius in Annotationibus, *omnia exemplaria manu scripta cum publicatis consentire*. Si ita est, quid culpat Fabium Calvum, quod in vertendo secutus est textum, eumque, qua verborum, qua rerum seriem, integrum? Sed

hoc

hoc alibi. Mihi in præsens satis est, ἐνιχόμενον legi omnibus in libris, ut & apud Galenum de Diff. febr. I. 2. & l. de Trem. ac palp. c. 5. Unde interim error, quem errant? Ab Auctore Isagoges cap. IX.

§ 71. Præceptor itaque dicit ἐνιχόμενον, non ἰχόμενον simpliciter. Nam *contentum* in genere est, quod ratione suæ vel liquiditatis vel fluiditatis contineri habet necesse. *Liquiditatis:* ut Spiritus, qui nisi in Sanguine à Solidis contineretur, evolaret præpropere, & corpus sine anima relinqueret, hoc est, vere corporaret. *Fluiditatis*: ut Excrementum omne, Chili primum, & Sanguinis. Hæc *detenta* potius, aut *retenta* appelles, quam *contenta*, si loquendum est examussim & ad usum medicum. *Detenta*, quatenus nostro ea commodo Natura ad tempus moratur. *Retenta* vero, quatenus non in tempore excreta morantur coactu Morbificæ causæ cum certo incommodo. Interea non obloquor loquendi minus accuratæ consuetudini, & appellandi *detenta* Contenta naturalia, ac *retenta* Contenta præter-naturalia: sed cum eo, ut ne nesciamus *continendi* rationem diversam esse in singulis illorum, neve negligamus diversitatem hanc patefacere tironibus. habet enim suum usum.

§ 72. Porro *non est* in verbo nostro *otiosa* præpositio ἐν. *Designat* enim locum & unionem. *Locum*, in corpore. *Vnionem*, cum corpore. *Locum* primo: nam Sanguis interiora cujusque Membri perambulat: in Vasis maxime abundans, præsertim feminarum. Unde & vere & egregie Macrobius Saturnal. VII. 6: *mulier humectißimo est corpore*. quod ut multa docent: ita & ob multa erat necessarium, ceu alibi monstramus. *Vnionem* deinde: nam Sanguis non tantum sibi cohæret; sed & Spiritui atque Solidis. quæ inter, ut substantiæ modo medium est, ita & vinculum singulare atque medium appropriatissimum contribuendi vitam Solidis, quam accipit à Spiritu. Fernelio heic dissentienti in Physiolog. II. 2. jam non respondeo, quo ne abeam ab instituto nimis longe.

§ 73. *Humoris* itaque appellatione haut alium agnoscimus proposito in textu præter Sanguinem. ceu qui *solus* spumescere in

vasis sit aptus. *Aptitudinem* hanc à pinguitudine atque substantiæ suæ tenacitate habet. Cernere est in sanguine, quem vena incisa mittimus, conceptas bullas perdurare, nec quod inclusum est corpus spirituosum perrumpere pelliculam posse. Spumantem spuere sanguinem in notis læsi pulmonis est, Aph. v. 13. & Coac. 433.

§ 74. *Spumescere* vero Sanguinem ait à labore. Etiam ab alio, quod vice laboris scilicet sit. Ita enim novisse se Fernelius Patholog. VI. 13. scribit, qui sola clysteris perfusione semen ejacularetur. *Labori* attestatur equitatio & vectio in curru. Ab his enim venerium in modum erigere viros, multorum experientia certum est, & novi esse. Sputatio spumosi sanguinis raro non ex cursu, venatu, aliisque id genus exercitiis laboriosioribus ortum habet. *Spuma* certe sine agitatione non oritur. Neque *agitatur* vel Sanguis, nisi à Spiritu: vel Spiritus, nisi à labore. *Labor* autem, ut opus facientibus à Corpore incipit: sic dormientibus, à Spiritu. *Spiritus* nempe, ex quacumque demum causa fervens, fervere etiam Sanguinem facit. Si *sanguis* vero bonus, si *fervor* modicus est, de facili *spuma* existit ex eo quod est tenuissimum atque humidum in sanguine, & se *pars* erigit qua viri sumus; modo ne nimis perspiret corpus, evoletque spiritus.

§ 75. Quæ si quando contingant dormienti, facile est, ut venerem sibi somnians phantasia imaginetur, atque in eam turgeat, & urgeat Spiritum usque & usque, donec veneriam istam spumam & secreverit à Sanguine, & excreverit à Corpore. neque enim prius hic morbus cessat.

§ 76. Quomodo autem, eleganter etiam adumbravit Hippocrates l. de Flat. t. XXIII. 241: ὁκόταν γυμνασθὲν ὑπὸ τῶν πόνων τὸ σῶμα θερμανθῇ, θερμαίνει καὶ τὸ αἷμα. τὸ δὲ αἷμα θερμανθὲν, ἐξεθέρμανε τὰς φύσας. αὗται δὲ θερμανθεῖσαι, διαλύονται, καὶ διαλύουσι τὴν ξύστασιν τοῦ αἵματος. αἱ μὲν οὖν ἐξελθοῦσαι μετὰ τοῦ πνεύματος, αἱ δὲ μετὰ τοῦ φλέγματος. ἀποζέσαντος δὲ τοῦ ἀφροῦ, καὶ καταστάντος τοῦ αἵματος, καὶ γαλήνης ἐν τῷ σώματι γενομένης, πέπαυται τὸ νόσημα. *Quando exercitum à laboribus corpus calefit, calefacit & sanguinem. Sanguis autem calefactus, excalefacit flatus. Hi vero calefacti dissol-*

dissolvuntur, & dissolvunt concretionem sanguinis, exeuntes alii cum spiritu, alii cum humore calido. Deservente autem spuma, & requiescente sanguine, ac tranquillitate in corpore facta, cessat morbus. Verba cum sint per se clara, commentarium non poscunt: unde nec difficile erit ea appropriare ad rem præsentem.

§ 77. Non aliter, agitante *febre*, Nicippus *se polluebat*. Quid enim *febris* nisi fervor spiritus est, irritati ad excretionem ejus, quod molestat? *Fervor* iste si lenior est & in sanguineum corpus, hoc est, temperate calidum humidiusque incidit, ut minus impetuose agitat sanguinem, ita & potest efficere ut spumet, collectamque spumam istuc urgere, quo Naturæ ductu solet vergere, ad seminalia nempe vasa, perque hæc protrudere foras, & pollutionis imaginem præbere. Dico, *imaginem*: quia ea demum vera pollutio est, quæ somnianti venerem & vere semen profundenti accidit. Ita loquor: quia vix dubito, si eo tempore & quale est, conjiceretur in agrum Naturæ, fore fecundum.

§ 78. Atque ita Præceptoris ex sententia exposui non modo possibilem, sed & rationi consentaneum modum pollutionis ejus, quam suis in paroxysmis passus Nicippus fuit. Ad reliqua historiæ priusquam pergam, operæ erit vidisse, *primo*, Cur nocturnam pollutionem dicat morbum: *deinde*, Quæ operetur: *denique*, Quemadmodum sit vice veneris.

§ 79. Quod ad *primum*, Hippocrati ὅ, τι ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον, τοῦτο καλέεται νοῦσον· *quidquid vexat hominem, id vocatur morbus*: l. de Flat. 11. 23. Phavorinus: λυπῶ· ἀνιῶ, ἀλγύνω, ὀδυνάω, δάκνω, κήδω. Pro quibus non videbar verbum dare Latinum posse significantius præter id, quod etiam Adr. Alemanus reddidit. Agellius 11. 6: *Vexasse grave verbum est, factumque ab eo videtur, quod est vehere. in quo inest jam vis quædam alieni arbitrii. Non enim sui potens est, qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu proculdubio vehementiore est. Nam, qui fertur & raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is vexari dicitur proprie.*

§ 80. Hoc *proprium* Morbi est, non sinere hominem sui potentem esse, quin intercedere functionibus ipsius, & variis corpus molestiis afficere & affligere doloribus multimodis. Hæc non

non potest, nisi quod intus in homine inest, & sui ipsum arbitrii jam fecit. Galeno de Diff. morb. 1. ac sæpe alibi definitur *morbus*, dispositio præter naturam functiones lædens: non male quidem; sed subtilius, quam utilius. Ut jam non rememorem, quas & quantas ea definitio turbas & dederit & det quotidie. Quibus cum obnoxia Hippocratica non sit, vel hoc nomine erat amplectenda & præferenda. ut ne dicam esse aptiorem usui. Sed sæpe vel invitissimi cogimur morem mori gerere, & meminisse ejus, quod dudum venit in consuetudinem proverbii, *μὴ κινεῖν κακὸν δὲ κείμενον· Non movere malum bene positum.*

§ 81. Concesso, inquis, *quod* Pollutio nocturna sit morbus: cujus generis est? Si factus est, Materiæ morbum: si fiat adhuc, Naturæ opus dixero. Scio multis hoc novum fore auditu. Quibus tamen nunc scrupulum non eximo: quin addo alium.

§ 82. Sennertus (quem duabus de causis nomino, & quia instar omnium est, & quia omnium in manu est, III. Pract. IX. s. 11. 5) *affectum* hunc Symptomatis accenset. In *causis* recensendis sic procedit: *Proxima est irritatio facultatis expultricis. Irritatur autem à semine, quod plerumque copiosius est. Semen autem copiosius generant cibi potusque multi alimenti nimia copia, & hinc genita boni & multi sanguinis in corpore redundantia.*

§ 83. Video heic causam primitivam, video antecedentem: proximam, nisi voce tenus, non video. Non video *morbum*, inquam, cui facto succedat. Nam symptomatum omnium causæ Galeno morbi dicuntur l. de Diff. sympt. cap. IV. Præcedere morbum semper, & symptoma sequi, velut umbram corpus, ait eodem libro c. 1. confer ad Lud. Mercatum 1. Oper. III. quæst. 179. Quis ergo *ille* Morbus, quem ita sequatur hæc Gonorrhœa? valde enim hoc aveo discere: vel eam maxime ob causam, quod Galenus, & vere, dicat Meth. med. II. 3; *primum & præcipue id Medicis studendum, idque fere proprium eorum munus esse, ut Morbos adimant. Quippe*, inquit, *simul cum hoc non modo Actionis vitium statim evanescit; sed etiam reliqua omnia symptomata tolluntur.*

§ 84. Maxime vero mihi rogo exponi *morbum*, cui Symptoma suum debuerit ille, cujus meminit Fernelius Pathol. VI. 13. Quem-

Quemdam vidi, inquit, *qui longa gonorrhœæ consuetudine, per insomnia, atque etiam cogitatione sola, purum sanguinem, non minori cum voluptate quam semen effunderet.*

§ 85. Similem ego casum sibi credo Lucretium posuisse præ oculis, cum de Rer. nat. IV. 1024. scribit:

Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,
Semen ubi ipsa dies membris matura creavit;
Conveniunt simulacra foris è corpore quoique
Nuntia præclari vultus, pulcrique coloris,
Qui ciet inritans loca turgida semine multo:
Vt, quasi transactis sæpe omnibus rebus, profundant
Seminis ingentis fluctus, vestemque cruentent.

Scio, cum Oberto Gifanio alios quoque heic τὸ *cruentare* exponere, *inficere*, *polluere*, *fœdare*. Sed, cum neque exemplum ejus sit alibi, neque heic necessitas sic interpretandi; & vero constet, nimium lascivientes, post Seminis ingentem vim effusam, effundere tandem purum putum Sanguinem: malo literam sequi, & dicere, *cruentari* vere *vestem* tergendo tegendoque salacem caudam.

§ 86. *Alterum* erat: Quæ operetur. Aretæus, auctor admirabilis in causis signisque morborum exponendis, ad citam opem cum petendam Ægrum, tum ferendam Medicum hortari volens ait de Cur. chron. II. 5: καὶ τοῦ ἀτερπέος τοῦ πάθεος ἕνεκεν, καὶ τοῦ κατὰ σύντηξιν κινδυνώδεος, καὶ τῆς ἐς Διάδεξιν γένεος χρείης, λύειν χρὴ μὴ βραδέως τὴν γονόῤῥοιαν, πάντων κακῶν οὖσαν αἰτίην. *Propter turpitudinem primo affectus, tum periculum colliquationis, denique usum in propagatione generis, curare oportet haut cunctanter seminis profluvium, cum omnium malorum sit causa.* Malorum apex, tabes. *utpote quæ, interposito spatio, hominem consumit*: ut vere Celsus ait IV. 21. & suo exemplo testatus est Satyrus, cujus ex Hippocrate admodum nuper meminimus. Hinc intelligas illud Hofmanni III. Inst. CL. 1: *In gonorrhœa, nisi caute tractetur, tabes est pedissequa, idque intra paucos dies: est & in profluvio, sed intra annum.*

§ 87. *Tertium* erat: Quemadmodum sit vice veneris. *Venus* concessa hominibus est, cũ Boni alicujus consequendi gratia, tum

Mali averruncandi. *Bonum*, quod quærimus vi verbi, *Fructificate & multiplicamini*, Gen 1. 28, eſt *ſoboles* 1. Tim. v. 14, & *ſemen Dei* Mal. II. 15. *Malum*, quod eadem averruncatum imus, eſt *ne uramur*, hoc eſt, libidine turgentes æſtuemus, & aut voluntas ſuccumbat tentationi, & ad ſcortationem aliave fœda atque abominanda divertat, aut ſpiritus Deum pacata conſcientia non poſſit invocare, 1. Cor. VII. 5. 9. Hac propter enim non tantum cuilibet viro ſuam attribuit conjugem Deus, Gen. II. 22; ad evitandam ſcortationem, 1. Cor. VII. 2: ſed & τίμιον τὸν γάμον ἐν πᾶσι, καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον, *magnifieri in omnibus, & concubitum impollutum* voluit juſſit, Heb. XIII. 4. quod explicat præclare Calvinus, præclarus Eccleſiæ doctor, Inſtit. III. 73. confer Lev. XVIII. 18. ubi *ſoror* audienda eſt *quævis* Femina, ſive ſanguine juncta, ſive non ſit: nimis enim anguſte, qui de *germana* tantum interpretantur.

§ 88. Quibus itaque ſua conjux non eſt vel adeſt aut valet τῷ ἀνδρὶ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδόναι, *marito ſuo debitum neceſſitudinis perſolvere*, 1. Cor. VII. 3: hiſce *vice veneris* Nocturna pollutio eſt, quatenus videlicet *noxas tollit iis, qui abſque coitu ſani degere non poſſunt*, ut bene obſervat Proſp. Martianus Notat. ad l. de Genit. v. 22. Celſus lib. I. cap. 1: *Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus, corpus excitat: frequens, ſolvit.* Quemadmodum vero excitet aut ſolvat corpus, egregie Aretæus oſtendit de Sign. chron. II. 5. concludens: μέγα γὰρ ἐς ὑγίειαν, καὶ ἐς ἀλκὴν, καὶ ἐς εὐψυχίην, καὶ ἐς γένεσιν ζωῆσι [lege, & heic & bis antea, ζέουσα] ἡ θερμή· *magnum quid ad ſanitatem, ad robur, ad animoſitatem, ac procreationem fervens ſemen* poteſt. Qui locus etiam confirmandis & illuſtrandis eſt iis, quæ docet Iacchinus in Quæſt. nat. n. 28. & ex eo Hofmannus de Gen. hom. 1. 4. & 19. cum hoc elogio: *Iacchinus nobis præſtitit, quod nec Ariſtoteles potuit, nec Galenus, nec quiſquam alius per tot retro ſecula.*

§ 89. Apoſtoli in verbis vulgo reddunt, *debitam benevolentiam*: nec diſplicet. Videbatur interim efficacius dictu, *debitum neceſſitudinis*. Heſychius: εὔνοια, φιλία. Philoxenus: *Neceſſitudo*, ἀνάγκη

ἀνάγκη καὶ φιλίαν. nempe *neceſsitudo* eſt tale jus, quo eorum, quos Deus & ſua Voluntas inſolubili religioſæ conjunctionis vinculo colligavit atque innexuit ſibi invicē, cuilibet conceſſa eſt poteſtas ab altero petendi exigendi cum amoris debita, tum propinquitatis officia & beneficia charitatis. Quæ neceſſitudo adeo eſt inter conjuges arcta, ut Apoſtolus dicat 1. Cor. VII. 4: *Mulier in ſuum corpus non habet jus arbitrii, ſed vir: neque vir in ſuum, ſed mulier.* Nunc ad hiſtoriæ reliqua.

§ 90. ET NIHIL *gliſcebat in deterius.* Senſus eſt: quamquam ſe in febribus ſuis pollueret Nicippus, & hoc videretur noxæ *ipſi* fore atque cauſa mali majoris, non fuit tamen. Hoc enim diſerte verba intendunt. Itaque reddenda nobis heic ratio eſt, quare, *primo*, Metuendum hoc ſymptoma eſſet: *deinde*, Metui eventus non reſponderit. Quas antequam promam, unum in verbis prætermittendum non eſt. Videlicet,

§ 91. Τὸ ἀποδιδόναι eo in genere verborum eſſe, quæ *ancipitia* dicuntur Agellio XII. 9: hoc eſt, ſignificare & capere poſſunt duas inter ſeſe res contrarias. Exemplum habemus in VI. Epid. IV. 26: καὶ χροιὴ ἀπὸ τὸ κάκιον ἢ ἄμεινον ἀποδιδοῖ· *& color in pejus aut melius proficit.* Galenus in com. exponit μεταβάλλει, *mutatur.* recte: nam quod mutatur, collatis inter ſe terminis à quo & ad quem, neceſſario vel in deterius abit, vel in melius proficit.

§ 92. Homini, in hac vita & rebus ad eam pertinentibus, ſumma bonorum *Sanitas* eſt; ſicuti malorum, *Mors.* De *iſta* habes Simonidæ teſtimonium apud Clem. Alexandrinum Strom. IV. p. m. 483: de *illa* vero Sapphus apud Ariſtotelem Reth. II. 23. aliorumque plurium, quos citaſſe non eſt opus in re confeſſa publice. Inter utramque medius *Morbus* eſt. qui revera quaſi Ianus quidam bifrons eſt; Sanitati alteram, Morti alteram habens obverſam frontem. Qua *ſanitatem* intuetur, ſpei plenus, quem corde dolorem concepit, vultu diſſimulat. Qua *mortem* oculis habet obverſantem, pallor in ore ſedet, character tam animi abjecti certus, quam corporis dejecti.

§ 93. *Homo* igitur violentia Morbi *poſitus in medio*, utroque verſus dici poteſt ἀποδιδόναι: nempe, *ſanitatem* verſus, reconva-

lescens: at *mortem* versus, devigescens indies. *Isto* modo accipitur Aph. 11. 31. 32. & commode redditur, *proficere*. de cujus verbi potestate multa dixi præcedente exerc. XIII. 539. & sequentibus. *Altero* autem aliter atque aliter, prout subjecti nempe ratio postulat, quo de dicitur.

§ 94. In præsenti quia de *febribus* sermo est, suapte natura pronis sumere vires eundo, non videbar aptius verbum reponere posse, præter id quod proposui. *Gliscere* enim idem est quod *augescere*, paulatim vires sumendo & intendendo. Philoxeni glossæ: *Gliscit*, αὔξει. Onomasticon: *Glisco*, ἐπιτείνομαι. *Proprie* vero dici de incremento ignis videtur. M. Tullius Hortensio: *Ad juvenilem libidinem copia voluptatum gliscit illa, ut ignis oleo.* citat Nonius in 1. 83. Sic & Lucretius in 1. 474:

Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens.

§ 95. *Febris* itaque dicitur *gliscere*, quæ de paroxysmo in paroxysmum ingravescit. Hoc admodum familiare est Semitertianis hodie dictis. Locum habes insignem in 1. Epid. 1. 22: φρικώδεις πυρετοὶ, ξυνεχέες, ὀξέες, τὸ μὲν ὅλον οὐ διαλείποντες. ὁ δὲ τρόπος ἡμιτριτῶν, τὴν μίην κουφοτέρην, τῇ δὲ ἑτέρῃ ἐπιπαροξυνόμενοι, καὶ τὸ ὅλον ἐπὶ τὸ ὀξύτερον ἐπιδιδόντες· *Horriferæ febres, continuæ, acutæ, denique nihil intermittentes. Modus sesquitertianus: una die leviores, altera adingravescentes, & omnino in majus acumen gliscentes.* In hoc loco mirifice laborat Adr. Spigelius l. de Semitert. 1. 5. Nec equidem miror. Nam ipsum Galenum heic non intellexisse Præceptorem, saltem non ostendisse genuinam ipsius mentem, palam aliquando faciemus, si dabit Dominus, eo in libro quem de Febrium differentiis meditamur.

§ 96. Quibus præmissis, etiam promissis satisfaciendum. Promittebam vero redditurum me rationem, *primo*, Quare in febribus justum metum faciat profluvium seminis. *Deinde*, Quare malum hoc malo non fuerit Nicippo. Quæ ut distincte & perspicue explanemus, verbo prius insinuanda *natura* Seminis est.

§ 97. *Semen* itaque, ut officio, ita & constitutione res est longe nobilissima. *Officium* est, esse medium procreandi hominis. *Partes*, ex quibus constituitur, Hippocrati sunt πνεῦμα καὶ ὑγρὸν,

ὑγρὸν, *Spiritus* & *Humor*: Aph. v. 63. *Humor*, pars est coctissima & purissima Sanguinis, materia & fomes Spirituum vitæ. *Spiritus*, pars est avulsa Animæ seu Ignis illius, qui in nobis πάντα ἀεὶ πάντος κυβερναῖ, *omnia in omnibus gubernare* dicitur 1. de Diæt. XIII. 145. vide sis Hofmannum de Gen. hom. 1.10. *Humor* spiritui pro veste & vehiculo est. *Spiritus* humori dat, quod sit fecundus.

§ 98. Quare *semen*, Hominis est non excrementum, sed pars. Præter rationem est, ideo *excrementum* dicere, quia excernitur. *Excerni* proprie est inutilium nutriendo. *Quæ* excernuntur, ne officiant officiis membrorum. *Horum* ergo commodo. At *semen* excernitur propter se, & cum incommodo corporis. *Propter se*: quia, nisi abjunctum à Viro, & insinuatum Mulieri, nequit officium facere. *Cum incommodo* interim ejus, qui molendo id exterit sibi, atque infundit in locos à Natura præparatos.

§ 99. *Incommoda* statim adsunt, & sensibiliter. Convellitur corpus, cum avellitur semen. Idcirco *coitum* Democritus dicebat *parvam epilepsiam* esse, teste Clemente Pædag. II. 10. p. 193. D. Stobæus hoc Eryximacho adscribit Serm. XXXVIII. 6: Hippocrati Macrobius Saturnal. II. 8. Languet homo, cum plantavit hominem. Idcirco interrogatus Cleinias Pythagoricus, *Quando maxime ingrediendum sit ad mulierem?* respondit, *Quum maxime voles lædi.* ita Plutarchus Sympos. III. 6. sed Laertio potius credendum, qui Pythagoræ præceptori tribuit l. VIII. p. m. 573. B. Eapropter olim à mulieribus se abstinebant athletæ, quo ne corporum suorum robora minuerent. Quorum aliquot Plato nominat in VIII. de Legib. p. m. 913. A. quos ait abstinendi hac arte non soli corpori conciliasse robur, sed & fortitudinem animo.

§ 100. Qua de causa *partem* Hominis semen dixi: ceu cui se vis vigorque corporis debent; cujusque non nisi superflui jactura sine damno fit. Sic enim recte cum Galeno sentias l. Art. med. c. 86. contra Epicurum, qui (referente Laertio in x. p. m. 782. c.) censebat, *Venereorum usum numquam prodesse, præclareque agi, nisi etiam noceat.* quo de adisis ad elucubratissimas Petri Gassendi Animadv. ad Epicuri Ethica p. 79. v. 17. Sane *sanguis* si pars viventis

est, non sit hoc oleum sanguinis? Quod qui impendio libidinantes extundunt ex se frequentius, experimentis discunt subducere se sua firmamenta corpori. Ut jam non dicam ex Aristotele VII. Hist. 1. 16. animalium salacioribus & senectam immaturiorem & vitam esse breviorem.

§ 101. Ex his jam intelligere est, *quare*, Febrienti semen si profluat, merito metuamus malum. Elanguescit enim spiritus, ut ne percoquere materiam peccantem possit. Qua recrudescente, quid sperandum est? Celsus observat II. 10: *Si juvenis imbecillus est, aut si mulier, quæ gravida non est, parum valet, male sanguinem emitti.* quare? *Emoritur enim vis, si quæ his supererat, & hoc modo erepta est.*

§ 102. Quanto gravius ergo multabitur prodigus seminis, sive intemperantia, sive infirmitate? Novi, qui ex tertiana febricitans, post tertium paroxysmum, nocte integra, conjugis ad hoc sollicitantis in amplexus conscendens, accessionem deinde habuerit continuam & peremtoriam. Id mirari desines, si in memoriam revoces exempla eorum, qui ipsa in venere sani fuere extincti. habes apud Schenckium Observ. IV. p. 588. aliud Marc. Donatus habet Hist. mirab. IV. 17. ubi & Nobilis scorti meminit, in congressu interdum animo linquentis. Causam recte in spirituum profusionem refert nimiam & nimis subitam. Nam & heic verum est, quod dicitur Aph. II. 51: imo nuspiam verius.

§ 103. Si ita est, quei factum igitur, quod *febris* Nicippo non gliscceret in deterius? Causam quia noster non dicit, à me ipsissimam nemo exspectet. Exspectationi interim tuæ ut respondeam, possibiles aliquot & probabiles conditiones exhibeo, quibus positis, si non omnibus, saltem aliquibus, cum ratione factum dicas, quod factum memoratur & credimus historiæ.

§ 104. Nicippus itaque *fuerit* Juvenis maturus & valens, carnosus, sanguineus, laboriosus: *inciderit* in Febrim, qualem proposui, æstate ineunte & tempestiva. Non puto mihi laborandum esse, ut edoceam ejuscemodi rerum concurrere concursum posse. Si recte mecum reputas, fatebere non alium esse magis familiarem.

§ 105.

Unable to display this page

Unable to display this page

familiaris autem, ut prudenter æstimat Gajus JC^us in l. 18. Si quid. ff. de Ædil. edicto, non continuum laborem per dies noctesque exigit, sed nunc ex bono & æquo modice desiderat. Ad *sanitatem* spectat illud Hippocratis VI. Epid. IV. 20: ἄσκησις ὑγιείης, ἀνωφελὴς τροφῆς, ἀοχλίη πόνων· *Præsidium sanitatis, non satiari, non pigrari.* Quo de elegantia Foesius in Annotationibus. *Patiens* laboris mihi, qui facile fert, & minus lassatur. Id *consuetudine* nobis acquirimus. vide Aph. II. 49. quem Celsus I. 3. hisce expressit: *Omnem laborem facilius, vel puer, vel senex, quam insuetus homo sustinet.*

§ 110. Et istæ quidem *internæ* Conditiones sunt. Reliqua est *externa* una, Tempus anni: sed triplici iterum circumscripta conditione. Etenim

§ 111. *Tempus*, quo incidit in febrim noster, æstatem diximus. *Æstate* enim tertianas plurimas fieri notatur Aph. III. 21. *Ineunte* vero etiam mitiores, etiam in pravis anni constitutionibus. Hoc speciatim observat Hippocrates I. Epid. II. 61. de Causis seu febribus ardentibus. ὅσοι μὲν ἦρος καὶ θέρεος ἀρξαμένου αὐτίκα νοσέειν ἤρξαντο, οἱ πλεῖστοι διεσώζοντο· ὀλίγοι δέ τινες ἔθνησκον· *Quicumque enim vere aut æstate ineunte statim ægrotare cœperant, plerique evadebant: pauci quidam moriebantur.* Hoc est, quod dicit Aph. III. 9: ἦρ δὲ ὑγιηνότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες· *Ver autem saluberrimum & minime exitiale.*

§ 112. Affine *veri* Æstatis initium est: imo hoc *finis* Veris est. Unde & *æstas* pro *vere* ponitur apud Poetam Georg. III. 296:

stabilis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas.

Æstatem nominat, *ver* notat. *Annum* quippe Veteres in duas partes partiebantur, Hiemem & Æstatem. Et hoc est instituti antiquissimi & Antiquissimi dierum, ceu videre Gen. VIII. 22. Nec dubium, ex eodem habuisse Gentes. Philosophus diserte de Gen. anim. IV. 2: ὁ μὲν γὰρ ἥλιος, ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ ποιεῖ χειμῶνα καὶ θέρος· *Sol enim totum annum distinguit in Hiemem & Aestatem.* vide & Theophrastum l. de Sign. pluv. p. 110. l. 20. edit. Furl. *Ver* breve olim: ut & *autumnus.* Id cognoveris vel ex Hippocrate

III. de Diæt. II. 18. 20. Atque istæ *causæ* sunt, quare annexuerint *ver* Æstati, *autumnum* Hiemi.

§ 113. In cujus testimonium cum Lud. de la Cerda ad propositum Poetæ locum, etiam Philonem citat in l. de Plantat. Noe p. m. 231. A, nescio quid virum doctissimum fefellerit. Paret quippe inspicienti locum, nostro more annum divisisse in quatuor quadrantes seu partes æquales. Ait enim τὰς ἐτησίους ὥρας ἰσαρίθμους, χειμῶνα καὶ θέρος, καὶ τὰς μεθορίους, ἔαρ τε καὶ μετόπωρον. Interpres: *annuæ temporum vices totidem, hiems & æstas; eorumque confines ver & autumnus.* Non hoc Judæus, sed hoc dicit: *anni partes dierum numero pares esse, hiemem atque æstatem, ut & earum conterminas, ver atque autumnum.*

§ 114. *Initium* æstatis itaque affine Veri est: maxime vero si *tempestiva* est: hoc est, glossatore Philoxeno, ἀκμαῖος, εὔκαιρος, ὡραῖος. *AEstas* dicitur ὡραῖος, *matura*, quæ neque citius adest, neque serius, quam oportet: dicitur εὔκαιρος, *opportuna*, quæ conveniens tempestati est, seu talis est in omnibus suis qualitatibus, qualis per naturam debet esse: dicitur ἀκμαῖος, *vigens*, quæ adolescendo constanter perseverat sui semper esse similis. Numquam enim quidquam magis viget, hoc est, majore atque meliore vi peragit quod agit, quam cum in agendi modo constans sibi, paulatim promovet ad summum usque vigoris, & proficit ad operis consummationem.

§ 115. Vidimus, quæ sit *natura* Conditionum, à me magna cum specie veri, nulla saltem improbabilitate propositarum. Ex quibus *priores*, sive quæ ad Ægrotantem pertinent, significant *ipsum* Viribus fuisse vegetis & ad facile etiam majora sustinendum idoneis atque sufficientibus. *Posteriores* autem, sive quæ ad Morbum spectant magis, indigitant *eam* Temporis fuisse rationem, unde quidem nihil adversi Naturæ, sed emolumenti plurimum esset expectandum.

§ 116. Nicippus itaque si *eam* Ætatem habuit, *eam* Constitutionem corporis, atque exercitationem: habuit & *seminalis* Materiæ abunde, & *virium* plus satis, ad frequentiorem ejus atque indemniorem profusionem. Et hæc quidem sunt apud Galenum

num in confesso. Ita enim l. de Sanit. tu. 11. 12. citato Hippocratis, qui VI. Epid. VI. 4. extat, loco subnotat: τὰ μὲν γὰρ ἄλλα πάντα, κοιναὶ πάσης ἡλικίας εἰσὶ, τὰ δ' ἀφροδίσια, μόνης τῆς ἀκμαζόντων· *cætera quidem* (videlicet, labores, cibi, potus, somni) *communia cuivis ætati sunt: venus autem soli vigentium convenit.* Iterum in VI. 4: ἀβλαβὴς γὰρ ἀφροδίσια μόνοις τοῖς ὑγροῖς καὶ θερμοῖς ἐστὶ, καὶ ὅσοι φύσει πολύσπερμοι· *Innocua venus solis humidis & calidis est, & quicumque natura abundant semine.*

§ 117. Valde est verosimile, hinc Ruffum concinnasse, quæ ex ipsius operibus adducit Aetius tetr. 1. Serm. III. 3. Φύσις, inquit, πρὸς ἀφροδίσια ὑπηκόοι, αἱ θερμότεραι, καὶ αἱ ὑγρότεραι, καὶ πλέον τῶν ἄλλων εἰς τὴν χρῆσιν εὔφοροι. καὶ ἡ μὲν τῶν ἀκμαζόντων, εὔθετος. ὥσπερ γὰρ τὸ μὲν ἔαρ ὑπηκόοον. χρὴ γὰρ καὶ τὴν διαιταν ὑγρὰν, καὶ θερμὴν ὑπάρχειν, εἶη δ' ἂν πόνων μὲν μετριότης, καὶ σίτου εὐωχία. i. e. *Naturæ ad venerem commodæ sunt calidiores & humidiores: quæ & præ aliis facile ejus usum sustinent. Aetas etiam vigentium accommoda. Inter tempestates Ver opportunum. Sed & victum oportet humidum ac calidum esse. Sint etiam labores moderati, & cibi liberales.* Pro εὐωχία Cornarius εὐχυμία suo in codice videtur legisse. reddit enim, *cibi boni succi*: nec male. *Vtrumvis* enim vocabulum requirit quid *bonam* in cibis: sed illud, *quantitatis*; hoc vero, *qualitatis.* Ubi igitur istæ adsunt causæ, ibi & in copia Semen fieri, & sine in commodo excerni constat.

§ 118. Imo vero, *Seminis* suo tempore *excernendi* magnam esse necessitatem, non sola ratione Galenus, sed & exemplis iisque luculentis ostendit l. de Loc. affect. VI. 5. *Ista* vero necessitas vel maxima est in Calidis atque humidis corporum constitutionibus: verbo, in Sanguineis. de quibus adisis ad Hofmannum IV. Inst. V. 6. & VIII. 24.

§ 119. Hoc in genere Nicippum collocavimus: sed meliore; eorum nempe, quibus *caliditas & humiditas stant in æquilibrio*, hoc est (ut ego interpretari soleo) quibus neque *spiritum* Sanguis obtundit, neque *sanguinem* Spiritus incendit. In hujuscemodi vero temperaturis, ut maxima *seminis* copia gignitur, ita & maxime necessariam esse deonerationem, iterum Galenus cum ejusdem

operis de Loc. aff. VI. 6. tum præcipue l. de San. tu. VI. 14. satis ex pleno demonstrat.

§ 120. Possem & hoc dicere, nec sine veri specie, non *semen* Nicippo, sed *humorem* Seminis effluxisse solum, prorsus ut in Gonorrhœa vulgo dicta. At ille non magis Semen est, quam pater est, qui patrare nequit. Impossibile est autem genitali *spiritu* turgescere Humorem seminalem, nisi inflammante Sanguinem libidine seu flagrante in venerem desiderio, sive sponte Naturæ hoc concipiatur, sive ex voluntate Viri. Isto autem modo cum profluit seminis Humor, non solet cristas petulans membrum tollere, sed canum potius degeneres imitari.

§ 121. Verumenimvero non opus est huc confugere. Nihil enim incommodi vel metuendum est, si dicamus, stimulante Natura, prorsus ut in somnis, & se sustulisse virilitatem & facere viriliter conatam. Imo vero, si verum est, quod Galenus ait ad VI. Epid. v. 25: audemus & hoc profiteri, *pollutionem* istam profuisse etiam Nicippo ad valetudinis recuperationem. Τὰ ἀφροδίσια, inquit, ποτὲ τῷ ψύχειν ἐργάζεται, μόνους ἐκείνους ὀνίσουσα τοὺς αἰθαλώδεις ἢ καπνώδεις διαπνοὰς ἴσχοντας, διὰ φυσικὴν δυσκρασίαν: οὗτοι γὰρ ὅταν ἐπισχεθῶσιν αὐτὰς, βλάπτονται μεγάλως. οὗτοι καὶ πρὸς τῶν ἀφροδισίων ἐν καιρῷ καὶ μέτρῳ γινομένων, ὠφελοῦνται· *Venus aliquando prodest refrigerando, solis illis subveniens, qui favillaceas aut fuliginosas habent exhalationes, ob naturalem intemperiem. Hi enim quando retinent eas, læduntur valde. Iidem à venere, tempore & modo celebrata, juvantur.*

§ 122. Hofmannus II. Inst. CXLII. 2: τὴν ἀτμὸν, *vaporem aqueum*, Sanguineorum: τὴν καπνὸν, *vaporem frigidiusculum*, Pituitosorum: τὴν λιγνὺν, *fuliginem*, Biliosorum: τὴν αἰθάλην, *favillam*, Melancholicorum appellat exspirationes. Quæ ut facile patior tantivis pretii esse: ita in æternum non commutavero cum istis apud Hippocratem VI. Epid. v. 13: Γλῶσσα, οὖρον, σημαίνει. χλωραὶ γλῶσσαι, χολώδεες. τὸ δὲ χολῶδες, ἀπὸ πίονος. ἐρυθραὶ δὲ, ἀφ' αἵματος. μέλαιναι δὲ, ἀπὸ μελαίνης χολῆς. αὖαι δὲ, ἀπὸ ἐκκαύσιος λιγνυώδεος, καὶ μητρώου μορίου. λευκαὶ δὲ, ἀπὸ φλέγματος. *Lingua, urina, significant. Luteæ linguæ, biliosæ. Biliosum vero, à pingui.*

pingui. Rubræ, à sanguine. Nigræ, ab atra bile. Siccæ vero, ab exustione fuliginosi & matrice. Albæ denique, à pituita.

§ 123. Primum comma, ut interpunximus, ut expositum, ita interpungendum & exponendum esse ex Galeno nostro optime & verissime docuit (in talibus, supra quam quis credat, admirabilis) Salmasius de Calculo p. 27. Recentiores nostri heic impingunt omnes, & nescio quid absurdi delirant. Sed isti correcturæ favent omnino, quæ jam dicta sequuntur. Sed forte alias hæc persequar latius.

§ 124. Nunc vero mihi Galenus videtur adversari Hofmanno, & *ejusdem* si non naturæ, saltem *originis* facere favillacea & fuliginosa. Τλὼ λιγνὼ, *fuliginem*, Nicandri interpres in Alexiph. ad ℣. 52. definit τὸ καπνῶδες & πυρὸς, *fumosum* aut *fumum ignis*. recte. Etenim *fumus* proprie est id, quod ex rebus, cum cremantur, exhalat. Id vero mistum est ex terrestri & aquea substantia.

§ 125. In nobis *fumus* est, quam Fuliginem passim appellamus. Ea vero nihil est aliud, quam *recrementum* Oleosi sanguinis, quod illi in Flammulam vitalem, quem Spiritum vocamus, accenso & deflagrato supereſt. Hoc *aquosi* Vaporibus, ad promtiorem & innocentiorem exspirationem, permixtum constituit vere τὸ λιγνυῶδες, *fuliginosum* quod vocat Hippocrates, à natura sua; χολῶδες, *biliosum* vero, à materia. *Materia* enim fuliginis præcipua, Pingue sanguinis. Id præter summum Medicum etiam summus Philosophus notavit in Meteorolog. IV. 9: ἡ δὲ πίονος θυμίασις, λιγνύς· *Pinguis* (materiæ) *exhalatio, fuligo.*

§ 126. A fuligine porro *favilla* differt non substantia, sed modo substantiæ. Etenim ex Hippocrate etiam didiceris, *favillam* esse nihil aliud, quam ἔκκαυμα & λιγνώδεος sive *fuliginem ustam*, hoc est, vaporoso Seri plus minus privatam, & ob hoc acriorem & noxæ aptiorem. Et hæc ratio est, quare (quod Gorrhœus in Definit. ad καπνὸς notat) Galenus sæpissime confundat & pro eodem usurpet αἰθαλῶδες περίττωμα, καὶ καπνῶδες, καὶ λιγνυώδη ἀναθυμίασιν· *excrementum favillaceum, & fumosum, ac fuliginosam exhalationem.*

§ 127. Cæterum, *favillam* Fuliginem esse, quam dixi; &,

Unable to display this page

Unable to display this page

Namque, ut Græcus versiculus olim in vulgo jactatus promittit,

Μάντις γ' ἄριστος, ὅστις εἰκάσῃ καλῶς·

Qui bene conjiciet, vates hic optimus.

citant ex Euripide Tullius de Divin. II. 4. ad Attic. VII. 13. & Plutarchus l. de Orac. defectu p. m. 432. c. Progredior itaque ad reliqua.

§ 134. ATQUE *hoc ipsum ipsi sæpe evenit & nihil nocuit.* Quibus in verbis, cætera claris, hoc solum dubium videtur, quid velit *numeri* Adverbium *sæpe*, hoc est, multis vicibus, frequenter, crebro. Hoccine scilicet? in *toto* Morbo sæpe se Nicippus polluit, ac tantum non in singulis accessionibus. an hoc? in *quovis* Paroxysmo ipsi hoc contigit iteratò. Ego non video causam, quare non utroque modo liceat accipere, illis circumstantiis circumscripto casu, quas præsupposui. Rationes non recito. Meministi enim eas me fundare in *constantia* Virium & *abundantia* Seminis.

§ 135. Sed & notabile est verbum ἐγένετο, *evenit.* Significat enim, *pollutionem* Nicippo fuisse, non *rem* Arbitrii, non *opus* Naturæ, sed *effectum* Morbi. *Arbitrii* rem esse coitum, probari non debet: nisi fortassis in eorum gratiam, qui mentem in menta gerunt, furibundo membro in obsequium nati, neque imperare docti. Apud quos tamen cum nihil valeat ratio, quorsum velimus Æthiopem lavare?

§ 136. *Naturæ* opus est, quod illa coacte sponteque facit. Quod facit *Natura*, inquam: non Morbus. Facit autem *coactu* Causæ, morbum mox daturæ, nisi præveniat & se ab ea liberet: interim *sponte* sua & αὐτομάτως *sine adminiculis* Artis. Nam *sponte* Natura facit, quod proprio instinctu, hoc est, voluntate divina, cujus illa ministra est. *Spons* enim proprie voluntas fuit, à spondendo: quoniam fœdera libero animo fierent, inquit Scaliger ad v. Hist: de Anim. 1.5.

§ 137. Inquies: *Nihil* in nobis non facit Natura, ne in Morbis quidem. Ita memini me scribere in VI. 28. Ita etiam revera est: siquidem, quæ in nobis geruntur, ex *principe* Causa, & sola æstimes. In rebus quippe naturalibus, & quatenus sunt naturales, frustra, præter *Naturam*, aliud *principium motus* requiras. At in

rebus

rebus ad artem ſpectantibus etiam aliunde, quæ fiunt, oportet æſtimare. Quibus autem? Hoc ut ſemel & hac occaſione dicam facile conceſſuros confido, qui hæc, quia non ſatis apud Galenum intelligunt, neque ſatis intelligibiliter apud juventutem ſe poſſe exponere ſentiunt.

§ 138. In *actionibus* Naturæ igitur tria ſunt ſpectanda. *Primum* eſt: Modus quo agit, bene an male fiat, quod fieri debet. *Secundum*: Objectum in quod agit, proprium an alienum ſit. *Tertium*, Inſtrumentum, per quod agit, integrum an oblæſum ſit.

§ 139. Quum *bene* Natura & in *proprium* Objectum agit, *functio* ſeu Actio *naturalis* dicitur, hoc eſt, non à Natura tantum, ſed & ſecundum legem ejus peracta. *Fungi* enim eſt perficere ea, quæ ad vitæ incolumitatem atque felicitatem, ceu finem atque ſcopum, ſunt deſtinata. *Perficere* vero eſt, facere hoc opus abſolutum, omnibus ſcilicet numeris, quos requirit uſus, cui deſtinatur. Cæterum *perfici* Opus, quodcumque demum, non poteſt, niſi & *valeat* Spiritus, miniſter Naturæ, & *ſana* Inſtrumenta ſint.

§ 140. Ex dictis colligas, quod *functio* ſit Motus operans recte. Quod ſit *motus*, Spiritui debet. Hujus quippe *impulſu* omnia cientur in officium. Sola lipothymia id docet: ne plura huc phænomena accerſam. Quod motus iſte ſit *opera*, ſeu actio qua opus fit, Membro debet ceu organo, quo Spiritus inſtrui habet neceſſe, ut operetur. Quod vero non *quodvis* Opus quolibet membro, ſed hoc illo, illud alio, iterumque aliud alio operetur, id debet Conſtitutioni cujuſque membri (ex hujus tam materia quam ſtructura reſultanti) tamquam formæ per quam unumquodque eſt à Natura aptum ad id, quod ſui eſt muneris. Quod denique *recte* Opus faciendum facit, ſeu vitii expers, id debet Integritati conſtitutionis, quam Sanitatem vulgo nuncupamus.

§ 141. Quum *male* Natura, ſive in *proprium* Objectum, ſive *alienum* agit, non hoc jam Naturæ agenti, ſed actionem ejus vitianti debetur. *Quod* vitiat, eſt Diſpoſitio incongrua Naturæ ad fungendum, ſive Spiritui ea inſit, ſive Inſtrumentis. Eam *diſpoſitionem*, Morbum nominamus: hujus *effectum*, Symptoma. *Actio læſa* ergo, quatenus eſt *actio*, Naturæ munus eſt: at quate-

nus *læsa*, seu quod in actione culpamus, Morbi maleficium est. Non potest, neq; debet à Natura amplius requiri, quam ut agendi *potestatem* Spiritui, atque *actum* Membris conferat. Si *minister* Potestate concessa sibi nequeat uti: si *organa* Actum detorqueant alio, quam quo est destinatus: *neutra* sane Naturæ culpa est.

§ 142. Quum *bene* Natura, sed in *alienum* Objectum agit, sive fiente Morbo, sive facto, ἔργον τῆς φύσεως, *opus naturæ* dicitur à Galeno non semel. vide ad Hofmannum III. Inst. IX. 2. Quibus adstitue memorabilem locum qui est in com. ad VI. Epid. V. 3: οἱ πταρμοὶ φύσεως μὲν ἔργον ὑπάρχουσιν ἀεὶ, γίνονται δὲ ἐπὶ νοσώδεσι διαθέσεσιν. ὀνομάζω δὲ νοσώδεις διαθέσεις, οὐ μόνον ὅταν ἤδη νοσῶσιν· ἀλλὰ καὶ πειδὰν ἄρχεταί τις αὐτῶν συνίστασθαι. *Sternutamenta, Naturæ quidem opus sunt semper; fiunt interim à Morbosis dispositionibus. Appello autem Morbosas dispositiones, non solum quando jam ægrotant*, hoc est, ex morbis factis decumbunt; *verum etiam quando incipit aliquis eorum fieri.*

§ 143. Fiunt autem *concepta* aut *collecta* Materia aliena à constitutione corporis. Quæ si *vel* Quantitate gravet Naturam, *vel* Qualitate irritet, *Ipsa* sibi admirabili potius quam explicabili ratione viam invenit, qua inimicam materiam expellat. *Expellit* autem hoc casu semper actione aliqua insolenti. *Insolentem* voco, quæ *vel* Toto genere talis est, *vel* Modo tantum. *Toto genere*: ut Tussis, oscitatio, pandiculatio, singultus, vomitus, aliæ id genus, quas Sanitas integra non novit. confer ad l. de Sympt. diff. VI. *Modo*: ut Alvi perturbatio, sudor, & si quæ præterea fieri alias solita exorbitat in excessu.

§ 144. Vulgo hæc *symptomata Causæ* dici consuerunt. *Symptomata:* quia sunt Actiones præter Naturæ quasi voluntatem factæ, aut saltem præter naturalem legem. *Causæ:* quia Materia peccans quamdiu in eo est, ut faciat Morbum (hoc est, eam Membro dispositionem introducat, unde illud aut in totum abstinere suo munere cogatur, aut saltem nimiopere interturbetur) rectissime *causa* dicitur Morbi, quem facit.

§ 145. Eædem *actiones* sunt, quæ vulgo etiam dicuntur *bonum* Signum *malæ* Causæ esse. Nempe *causa* est Morbus incipiens, Ma-

Materia nocens. quam in tempore expelli, *ſignum* Naturæ valentis eſt, & invigilantis ſuæ conſervationi. Sane numquam Natura hos motus inſolitos moliretur, niſi & ſentiret alienæ materiæ hoſtilem vim, & ſciret, quamquam *inerudita*, *facere tamen quæ oportet*: VI. Epid. v. 2. Quæ etſi faciat οὐκ ἐκ διανοίης, *non ex intelligentia*: ita facit tamen, ut etiam Arti palmam præripiat, cui proprium eſt μετὰ λόγου, *cum ratione* omnia facere. Hæc clare ſignificant illa Præceptoris I. de Diæt. XVII. 181: ἰητρικὴ τὸ λυπέον ἀπαλλάσσει· καὶ ὑφ' ὃ πονέει ἀφαιρέεται, ὑγιέα ποιεῖ. ἡ φύσις αὐτομάτη ταῦτα ὑπίσταται. καθήμενον, πονέει ἀναστῆναι· κινούμενον, πονέει ἀναπαύσασθαι. καὶ ἄλλα τοιαῦτα ἔχει ἡ φύσις ἰητρικῆς. *Medicina quod moleſtum amovet: & unde laborat auferens, ſanum facit. Natura ſponte hæc poteſt. Qui ſedet, laborat exſurgere: qui movetur, requieſcere. Atque alia ejuſcemodi facit Natura, quæ ſunt Medicinæ.* Quorum explicationem quiſquis egregiam cupis, adi ſis ad Sanctacrucium de Hipp. Philoſ. t. LVIII. In qua tamen ſunt non pauca, quæ merentur ad incudem revocari. Sed hoc hujus loci non eſt.

§ 148. Porro locum non in *fientibus* Morbis tantum habent *opera* Naturæ; verumetiam in *factis*. Tale eſt, Materiæ morbificæ concoctio, & concoctæ judicatio ſive excretio tam paulatina quam ſubita. vide Galenum l. de Conſt. art. XII. Sic & puris confectionem diſerte in hoc cenſu collocat l. de Simpl. fac. v. 9. conſer ſis ad Argenterii com. ad Aph. II. 47.

§ 149. Quum *male* Natura in *proprium* Objectum, non ſua tamen, ſed hujus culpa agit, quia nempe hoc illius viribus proportione non reſpondet, δυστυχία τῆς ἐνεργείας, *Fruſtratio actionis* dicitur cum alibi à Galeno, tum l. de Sympt. diff. cap. I. Hodie *errorem externum* nuncupamus, omne illud *vitium* Actionis, quod evenit ob non bene ſe habentes Cauſas ſine quibus non poteſt Actionum quæque fieri, vel per quas melius fieri debebat. *Errorem*: quia Natura excidens ab intentione operis deſtinati, erraſſe in agendo videtur. *Externum*: quia examinanti rem apparet liquido, errorem factum culpa alicujus, quod eſt extra conſtitutionem partium, ut phraſi equidem inſolenti amat Sennertus loqui in II. Inſt. p. III. ſ. I. 2. conſer ad Hofmannum III. Inſt. IX. 9.

§ 148. Quibus intellectis intelligis etiam, *pollutionem*, quæ Nicippo evênit *febrienti* seu ferventi ad separationem bilioſi à Sanguine, fuiſſe conſectarium atque effectum Morbi. Id vero amplius ex ſequentibus intelliges.

§ 149. PRÆDICTUM *fuit quod deſineret, quum febres judicatæ forent.* Non videtur neceſſe heic à me notari diſcrimen, quod eſt inter προγνωσιν καὶ πρόρρησιν, *Prænotionem* & *Prædictionem.* videri de eo apud Foeſium in Oecon. potes, aut Gorrhæum in Definit. qui ſatis hoc recte ex Galeno notant, προγνωσιν eſſe illam prævíam futuri notitiam, quam animo Medicus concipit ex iis, quæ progreſſo morbo apparent aut ſuperveniunt: πρόρρησιν vero, ejus ſignificationem apud neceſſarios ægrotantis. *Iſta* quidem ſemper neceſſaria eſt: ne forte, ſi quæ ex improviſo accidant, offendant imparatum & cedant in damnum cum valetudinis, ſi non vitæ Ægrotantis, tum exiſtimationis Medici ipſius. *Illa* vero tum maxime, cum metus eſt, ne, ſi nihil præmoneat & *victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel feſelliſſe videatur*, inquit Celſus in v. 26. initio.

§ 150. Et *bona* quidem, ſi *certa* ſunt, prædicere oportet confidenter, uti heic facit Præceptor: ſin *dubia*, caute, hoc eſt, cum hac exceptione, *ſi nihil inciderit quod impediat*, ut Seneca ait l. de Benef. IV. 34. & de Tranq. an. 13. *Mala* vero, ſi *certa*, ſapienter: ne officium Scabini functus, non Medici videare. Hanc vocem enim, *Diſpone domui tuæ*, qui audiat impavidus, perrarus eſt. Mortem quippe contemnere poſſe, *maximum argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede*, ut iterum ille Epiſt. CXX. Sin *incerta*, prudenter, hoc eſt, propoſito metu ſpem tamen ſupereſſe oſtendendum eſt in Natura, virtute divina, & divinitus ſæpe adjuta in reddendo ſalutem deſperatis.

§ 151. Nota modo formulam loquendi: προερρέθη, *prædictum fuit*: imperſonaliter. Eam *invidiæ* eſſe ne putes: *modeſtiæ* eſt. *Ille* enim hac ſe turpiſſima turpitudine contaminaverit, qui tantopere eam fuit deteſtatus, ut ne cadere quidem exiſtimaverit hoc crimen in Medicum verum? Audi ſis quid dicat in Præcept. VII. 87: ὃ χρὴ αὖ μεθ' ὅρκου ἐρέω, οὐδέποτε ἰητρὸν λογισμὸς φθονήσειν αὖ ἑτέρῳ.

ἑτέρω. ἀκιδνὸς γὰρ ἂν φανείη. ἀλλὰ μᾶλλον οἱ ἀγχιστεύοντες ἀγοραίης ἐργασίης, πρήσσουσι ταῦτα εὐμαρέως. Zuingerus pro his: *Hoc enim jurejurando affirmare possum, verum medicum ratiocinando nihil umquam ex invidia vel malevolentia prolaturum: alioqui impotens videbitur. Nam qui forensem quæstum sectantur, his fere moribus præditi esse solent.* Ad quæ videsis & nobilem ejus commentarium. Quam vero *verus* Medicus alienus ab *invidia*, non minus à *jactantia* est. Cujus ne indicium esset, *Prædixi*: maluit, quod modeste licuit, *Prædictum fuit*. Interea nemo, nisi Hypsea cæcior, non videt, idem esse hoc cum illo. Exempla & alibi obvia: quæ notanda Grammaticis relinquimus.

§ 152. Sed *quid* prædictum fuit? *Quod desineret* Pollutio ista, ὅταν οἱ πυρετοὶ κριθῶσι, *quando febres judicatæ forent*. Hippocrates l. de Affect. t. VIII: κρίνεσθαι δέ ἐστιν ἐν τῇσι νούσοισιν, ὅταν αὔξονται αἱ νούσοι, ἢ μαραίνονται, ἢ μεταπίπτουσιν ἐς ἕτερον νόσημα, ἢ τελευτῶσιν. *Iudicari dicuntur morbi, quum augentur, aut marcescunt, aut transeunt in alium morbum, aut finiuntur.* Unde intelligas, *verbum* hoc extendere sese ad omnem mutationem, quam Morbus subit. Notavit hoc quoque Sennertus III. Inst. III. 9. Locus profecto nobilis & qui bene acceptus multis apud Hippocratem aliis pro luce, & multis in Praxi agendis pro regula est. Quod quia ostendere nisi multis propter materiæ copiam non possum, reservabo has cogitationes exercitationi singulari.

§ 153. Hoc casu *judicari* idem est, quod *finiri*. Quod ultimum est, quod Natura cupit. Unde recte *hæc* Crisis τελεία ἀπαλλαγὴ, *perfecta liberatio* dicitur à Galeno in com. de Vict. acut. II. 15. Ea vero obtingit nemini, nisi ejectâ Materia, qui fomes erat Morbi. Variis autem viis modisque ejici illa in Tertianis febribus solet, prout nempe Corpora fuerint, & quibus illa consentiunt & nequeunt non debere ea, quæ præter cum Naturæ intentionem tum Medici opinionem quandoque eveniunt in judiciis Morborum, tam bene, quam male. Quæ intelligam, intelliges ex Aph. III. 2. 3. 8.

§ 154. Nihil heic insoliti accidisse, plane credimus. Neque enim omisisset Præceptor annotare; ut non solet quidquam um-

quam prætervidere, quod facere ad posteritatis institutionem atque directionem potest. Sed neque hoc sollicitum habebat ægrotantem, quo modo judicandus esset. Haut dubie enim intellexerat Febrim suam sua natura esse boni judicii. Sed terruit novitas symptomatis & metus transituri in morbum talem, quo facto certa sterilitas erat futura, & pene certa tabes. Sub seminis quippe profluvio, ut omnis spes prolis decollat; ita & paulatim consumitur vis atque robur corporis. Celsus IV. 21: *Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, ut interposito spatio tabe hominem consumat.* Hoc noster metuebat.

§155. Huic metui demendo quid quæso faceret ætas nostra? Extituros credo, qui suspenso judicio nihil ideo tentarent, quod periclitari conjectura sua non auderent. Plerosque tamen arbitror persuasuros sibi, pertinere *hanc* Gonorrhœam ad secundam speciem earum, quas proponit Joh. Langius in Epist. II. 5: cuique fomentum præbet sanguis impuris humoribus permixtus: & hacpropter sedulo medicinam facturos purgantibus primum, deinde & sobria victus ratione; ceu quibus solis audet dejerare Langius plures sanitari restitui. conferant juniores ad Sennertum suum III. Pract. IX. s. II. 4.

§156. Qua in conjectura quisquis me non falli fatebitur apud animum suum, eum ego rogo sollicitius inquirere, satin' bonis fundamentis innitatur ea Medicina, quæ nobis dat Præcepta faciendæ sanitati *aut* omnino inepta *aut* minus commoda minusque tuta. Cujuscemodi non possunt non esse, quæ nobis non *scientiam* de rebus, sed *opinionem* ingerunt: & in curando nos non *ratione* docent procedere, sed *consilio* tantum, ut bene Celsus distinguit in Præfatione nobilissima, qua accuratissime simul & nervosissime excutit controversias omnes, quæ sunt inter Medicorum sectas nobiliores, Dogmaticam atque Empiricam.

§157. Quin ad hanc nos inquisitionem obligat *amor*, cum *erga* Homines, tum *erga* Artem. *Homines* certe, quia experiuntur, quod ex vero notat Præceptor in III. de Diæt. VII. 132, ὅτι οὐδὲν ὄφελός ἐστιν οὔτε χρημάτων, οὔτε σώματος, οὔτε τῶν ἄλλων οὐδενὸς, ἄτερ

ἄπερ ὑγιείης· *nullum vel usum vel utilitatem esse sive divitiarum, sive corporis, sive cujuscumque alterius rei, citra sanitatem*: idcirco se credunt Medicinæ, ceu profitenti Sanitatis curam, Morborumque depulsionem.

§ 158. *Artem* vero non potest non amare, quisquis amat proximum. Quod cum Hippocrates posuerit extra omnem dubitationem in Præc. v. 50: pudere nos debet, si non idem sentiamus. Nos, inquam, qui in hoc gloriamur, quod sumus discipuli Christi: à quo præceptum accepimus, *quod vultis vobis facere homines, facite ipsis*: Lucæ VI. 31. Ἦν περὶ φιλανθρωπίη, inquit Præceptor, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη· *Si adest amor erga homines, adest & amor erga artem.* Hunc vero habere nos, quo majore poterimus argumento demonstrare, quam indefessa scrutatione eorum quæ scienda sunt, ut satisfaciamus expectationi Artis & Hominum illi sese confidentium?

§ 159. Quæ inter alias ratio est, quare & hanc & hujus generis alias exercitationes scribam, ut saltem aliquos erectioris ingenii viros excitem ad meditationem codicis Hippocratei. Neque pecco, si heic Medicinæ fontes sunt, quod omnes uno ore fatemur, quod huc nostros vocem, huc præeam, huc ducam, huc urgeam, huc denique stimulem omnibus modis. Publica confessio est, & toties publicata, quod

Dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

Quare ergo non ascendimus ad illum, sed juxta rivos subsistimus, eosque saporatos ingeniorum lutis, per quæ ad nos sunt derivati?

§ 160. Hippocrates itaque, cui optime perspectum erat, non esse formidanda *mala*, quæ præter rationem eveniunt, eodem *verbo* & *metum* Cordi exemit & *lætitiam* ingessit in locum. *Prædixit* enim *morbum* Nicippo *neque* ad Mortem esse, *neque* ad Valetudinem longam, *neque* ad Solitudinem, quam vocat Psalmista LXVIII. 7.

§ 161. ET FACTUM *est sic*, quemadmodum erat prædictum. Judicatæ enim febres sunt, cessavit Gonorrhœa, &

Viribus acceptis, post vir, ut ante, fuit.

Atque

Atque ita quidem Nicippus morbo suo & metu gravioris morbo mali ex toto atque feliciter defunctus, etiam una fuit expertus veritatem Prædictionis, & certitudinem Artis, & sagacitatem Artificis.

§ 162. Quam ego *scientia* Viri nixam arbitror: non autem *arte* nescio qua *vaticinandi*, quam de se Galenus jactat in II. de Diff. febr. VII. Quæ an similis fuerit illius, cujus meminit Hippocrates in principio II. Prorrheticorum, non ausim dicere. Si fuit, nunc ausim dicere, Galenum semet ipsum præbere deridendum l. de Const. art. cap. XVIII. *Solæ*, inquit, *præsagitiones futuræ sunt, ubi & qui curat Medicus fuerit præstantißimus & qui recte curet, ægerque in nullo delinquat. Alioqui enim ridiculus esset, qui arbitraretur, tale esse medicorum præsagium, quale profitentur vates. Hi enim hominem v. g. nono die liberandum autumant, nec adjiciunt, si omnia recte agantur. Imo & idipsum se præsagituros pollicentur: nimirum, futurum ne sit, ut omnia recte, an perperam circa ægrotantes peragantur.*

§ 163. Hippocratis interim in præsagiendo admirabilis & tantum non divina fuit ἀγχίνοια. cujus tot testes habemus, quot aphorismos in Prognosticis, Prorrheticis, Coacis, Epidemiis, & libris hoc titulo speciatim inscriptis. Ex quibus omnibus si *opus* Prognosticum methodice concinnatum haberemus, videri vere posset αὕτη ἡ βίβλος ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνουσα σύνεσιν, *hic liber excedere humani ingenii solertiam*, uti nunc de (male licet consarcinatis) Aphorismorum libris loquitur Suidas in Hippocrate. Interea sunt omnino omnes & singulæ *prognosticæ* Hippocratis *sententiæ* tales, ut videantur οὐκ ἀνθρωπίνου προελθούσαι ἐκ στόματος, *haut humano ex ore profectæ*. Quod facile nos concedimus, qui non dubitamus, non solum divinorum, sed & humanorum scientiam esse donum Æternæ sapientiæ. Namque BONI

Quidquid sapimus mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto.

XVI.

XVI.

Clonigus Nephriticus.

Hipp. VII. Epid. t. LV.

Κλονίγος ἐν ἀβδήροισιν, ἦν μὲν νεφριτικός. οὖρει δὲ αἷμα, κατὰ σμικρὸν, καὶ πυκνὸν, χαλεπῶς. ἐνόχλει δὲ καὶ κοιλίη δυσεντερική. τούτῳ πρωὶ μὲν ἐδίδοτο γάλα αἰγεῖον, καὶ ὕδατος πέμπτη μερίς. ἀναζυγμῷ τὸ πᾶν κοτύλαι τρεῖς. ἐσπέρῃ δὲ ἄρτος μὲν ἔξοπος· ὄψα δὲ, σεῦτλα, ἢ σίκυος. οἶνος μέλας λεπτός. ἐδίδοτο ὃ καὶ σίκυος πέπων. οὕτω δὴ διαιτωμένῳ καὶ ἡ κοιλίη ξυνέσχε, καὶ τὰ οὖρα καθαρὰ ἐφοίτα. ἐγαλακτοπότησε δὲ, ἕως τὰ οὖρα ἀπεκαθέζετο.

Clonigus in Abderis, erat nephriticus: mejebat sanguinem, paulatim, confertim, difficulter. Infestabat vero etiam alvus dysenterica. Huic mane dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars. Mixturæ totũ heminæ tres. Vespere panis quidem biscoctus: opsonia vero, betæ, aut cucumis. Vinum nigrum tenue. Dabatur vero etiam melopepo Ita autẽ victitanti alvus constitit, atque urinæ claræ itabant. Potabatur denique lacte, donec urinæ subsidere desinerẽt.

COMMENTARIVS.

§ I.

Asclepiades *officium* esse Medici dicebat, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet: Celsus III. 4. *Curare* dicitur, qui apposite remedia confert ad sanandum: Fernelius Therap. I. 1. *Sanare* enim solius Naturæ munus est. *Naturæ* quippe Medici morborũ: VI. Epid. v. 1. *Medicus* autem Naturæ & Artis minister: Gal. ad 1. Epid. II. 51. *Naturæ*

quidem, ut Principis. *Artis* vero, ut Cancellarii ipsius. *Natura*, quæ vult, jubet. *Ars*, jussa Naturæ excipit & promit atque dirigit ad publicam utilitatem. *Excipit*, considerando Indicantia. *Promit*, inveniendo Juvantia. *Dirigit*, definiendo Usum rectum, quæ anima est auxiliorum.

§ 2. *Auxilia* Medicus si confert Naturæ, facit *officium* Ministri: & *probi* atque *fidelis*, si apposite. *Apposite* autem confert, si cito, si tuto, si jucunde. *Cito* confert, qui in tempore & occasione. Etenim *medela tempore fit: aliquando & occasione. Tempus est, in quo occasio: Occasio autem, in qua temporis non multum*: Hippocrates Præcept. initio. *Tuto* confert, qui in periculum non inducit, & ne inducat, Victum medicamentis præfert, Medicamenta ferro, Ferrum igni, Ignem desperationi: Aphor. VIII. 6. In his ipsis tamen *satis tutum præsidium putat, quod unicum est*: Celsus VII. 33. *Iucunde* denique curat, qui ἀπόνως, εὐπόρως, εὐρύθμως: Hippocrates τῷ κατ' ἰητρ. II. 1. Ἀπόνως curat, qui facili labore & nullo aut parvo dolore. Εὐπόρως curat, qui parabilia, qui familiaria, qui pauca offert. Εὐρύθμως denique, qui facienda decore, loquenda honeste, tractanda pudice obit, & ubique se personis & sexui & ætati & tempori concinne gerit. Huc pertinet præceptum VI. Epid. IV. 8. 9. 10.

§ 3. Jam si hoc genuinum *exemplar* Veri medici est, ejus non facile vivum *exemplum*, si non in Hippocrate, repereris ostenderisve. Quem unum in virum contulisse omnes Gratiæ videntu, quidquid abs se sperare concessum est homini. Non hoc *amoris* judicium, sed *veritatis* esse, multis hactenus argumentis evicimus. Quæ quid attinet rememorare? præsertim, cum novum, & novi generis, præsens *historia* suppeditet? In qua non minus admirabili, quam felici *curatione* demonstravit, quanta in medendo fuerit ἐμπειρίᾳ instructus: quam paucis, inquam, quam familiaribus, quam parabilibus auxiliis & binos Morbos & tales curare noverit, quos tantum non nostri pro desperatis haberent.

§ 4. Obstupesco, fateor, cum illum Artis nostræ dæmonem video tantos morbos tam parvo negotio percurare: Recentiorum contra præceptis atque præscriptis insistentes valde quidem ope-

operose multa moliri, sumtui non parcere, & nihil interim efficere, nisi quod *officiosissime* sæpe tales *occidant*, ut alicubi C. Sidonius, & vere queritur. locus est in Epist. lib. II. 12.

§ 5. Suspicor autem fore, qui bonæ Fortunæ potius, quam bonæ Menti acceptum sanitatem suam debuisse Clonigum dicant: aut qui persuadeant sibi nasutiores, fuisse quidem ista istis temporibus, locis, hominibus apta & salubria, neutiquam vero responsura nostris. Istas quippe nænias nobis sæpe occinit vulgus. Quamobrem operæ pretium erit, non enarrasse tantum historiam; sed vel imprimis monstrasse, quemadmodum omnia secundum rationem facienti successerint secundum rationem. Unde tum simul dilucebit, *indicationem* esse τὸ τῆ ὀρθῆς θεραπείας πηδάλιον, *rectæ curationis clavum*, ut Tralliani nunc his accommodem verba, quæ sunt lib. IX. cap. I.

§ 6. CLONIGUS *in Abderis*. quod est in Thracia oppidum, ab Hercule quidem conditum, sed denominatum ab Abdero, amasio suo, Erimi filio; ceu prodidere Apollodorus Biblioth. II. p. m. 96. & Stephanus de Urbibus. quam ex illo corrigendum monet Casaubonus ad Strabonem Geogr. VII. p. m. 331. A. Qui & Tejos huc, non tolerantes Persarum contumelias, migrasse auctor est in XIII. p. 644. A. atque hinc manasse illud:

Ἄβδηρα καλὴ τήϊων ἀποικία·

Abdera pulchra Tejorum colonia.

Quod proverbiali schemate in Adagiis dictum notat Erasmus de iis, qui adire insalubrem terram malunt, quam domi servire servitutem indecoram. Sed aliter sentiunt, qui gloriam in obsequio ponunt &, ut ventri bene sit, Ventres adorant. Abderis ejusce modi fuisse *solum* colligas ex eo, quod Plinius refert in XXV. 8: *Circa Abderam, & limitem qui Diomedis vocatur, equi pasti inflammantur rabie.*

§ 7. *Vrbs* ipsa famosa à Moris fuit. Quos Galenus in fine I. Quod an. mor. scribit multos ibi nasci solitos, sicut Athenis paucos. Hinc Arnobius in V. p. 164. edit. Leidensis: *O Abdera, Abdera, & esse tu fatua, & stoliditatis frigidissimæ judicaris.* Inde & & *Abderitanus* pro stulto positus apud Martialem Epigr. X. 25.

Unable to display this page

λυῶσί πη καὶ μή, *ambiguorum occidendi vel non*, Inflammationes præcipuas omnes recenſet, & in iis Nephritidem. Inſpice locum, & diſce, qui ſint illi Morbi, de quibus audire debeas Aph. 19. lib. 11. Qui enim occidendi ſunt ambigui, neque certam facere ſpem ſalutis aut mortis queunt. Eſſe vero, quos enumerat, acutos omnes, oſtendunt Partes affectæ, Materiæ morbificæ, Symptomata conſequentia. de quibus paſſim videre eſt cum eiſdem in libris de Morbis, tum & in aliis. Porro certum eſt, Morborum *nomina* à Parte affecta in ῖτις deſinentia nunquam non ſignificare *inflammationem* Loci, à quo deſumta eſt denominatio. Cui hoc ſecus videtur, exemplum monſtret contrarium, non ex uſu vulgi noſtri, ſed ſeculi priſci.

§ 12. Unde ergo eſt, quod hodie *nephritis* Affectum quemlibet renis, *aut* Dolorem à calculo reni vel ureteri impacto ſignificet? *Iſtud*, ut puto, nititur auctoritate Auctoris I. De affect. in renib. dign. ac curatione. *Omnis affectus*, inquit, *renis dicitur Nephritis: ſive Similaris ſit, ſive Organicus, ſive Communis. Proprie vero nephritis Calculoſitas dicitur.* ita enim τὸ λιθίασις Cyrilli in gloſſis exponitur.

§ 13. Sed quiſquis ille, quandoquidem ſuum nomen Chriſtianis adſcribit, non fuit certe Galenus: at quia hoc ipſo è loco paret pependiſſe totum à Galeno, nec debet vel veteris Medicinæ arbiter vel priſci Sermonis interpres haberi. Loquendi ætates ſunt, ut vivendi. Et hacpropter mera vis eſt, velle ex uſu novo Veterum æſtimare verba. neque injuriam Interpres ſuo Auctori facere majorem poteſt, quam ſi verba ipſius exponat ex ſuo vel cerebro vel tempore, neque Auctorem ipſum conſulat, aut coætaneos.

§ 14. Quod ad *ſecundum*, prima ejus origo eſſe à vulgo videtur. Auctor nobis Galenus de Nat. fac. 1. 13. ἅπαντες ἄνθρωποι δυζωρουῦντες πολλάκις, ἢ καὶ παντάπασιν ἰσχωρουῦντες, ὅταν ἀλγῶσι μὲν τὰ κατὰ τὰς ψόας, ψαμμώδη δ' ἐξουρῶσιν, νεφριτικοὺς ὀνομάζουσι σφᾶς αὐτούς. *Omnes homines urinam ſæpe cum difficultate reddentes, vel etiam omnino reddere non potentes, quando lumbos dolent & mejunt arenoſa, nephriticos ſeipſos dicunt.* Gorrhæus tamen in Definit. diſerte Galeno tribuit. Νεφρῖτις, inquit, *proprie* λιθίασις, *id eſt, calcu-*

culi morbus appellatur, ut apud Galenum habetur initio libelli de Renum affectus dignotione. quod & idem scribit com. III. *in lib.* VI. *Epid. Neque secus aphor.* XI. *lib.* VI. νεφρῖτις *pro renum calculo accipi videtur. Galenus tamen hoc etiam extendit nomen ad eos quibus renes vel inflammati vel exulcerati sunt.* Quæ quidem uti extant in Foesii Oeconomia, ita huc sunt transcripta, locis ne quidem aditis, quæ citantur. Anutium vel maxime mirabar non exhibuisse ipsa verba nobis: cum in illis alias recitandis sæpe nimium se diligentem præstiterit.

§ 15. Vir doctus, qui Fernelii novissimam editionem procuravit, Pathol. VI. 12. nos in margine ablegat ad librum de Loc. affect. VI. 3. Ubi statim ab initio sic legitur: ἐὰν μὲν εἰσβάλλει ἐξαίφνης νεφρῖτις, ἀξιολόγου λίθου σφηνοθέντος, ἤτοι κατά τινα τῶν νεφρῶν, ἢ καὶ τῶν οὐρητήρων, παραπλήσιον ἄλγημα γίγνεται τοῖς κολικοῖς· *Siquidem incidit desubito nephritis, alicujus momenti calculo impacto alteri vel renum vel ureterum, dolor oritur assimilis colicis.* Apponit deinde *symptomata* atque *signa*, quæ efficere Calculus atque ostendere consuevit ad sui nobis notitiam faciendam.

§ 16. Atenimvero mihi hoc inferri posse hoc è loco non videtur, quod vulgo volunt; si scilicet standum est receptis è Galeno principiis. Verum hoc jam non urgebo: recideret enim res in litem de nomine: quæ sane tanti momenti esse non debet, ut eapropter quis induere se velit. Animadvertit vero hoc, quod intendo, facundissimus Fernelius loco, quem monstravi; & *inflammationem* esse dixit, quæ *proprie* Nephritis appelletur. At qui est à *calculo*, Nephriticum dolorem nominat: rectissime, & prorsus consentanee placito Hippocrateo, quod est l. de Int. affect. t. XIX. collato cum textu XV. prægresso. Quorum priore (si lubet inspicere) videbis *Morbum renis* appellari, qui à Calculo est: at posteriore *nephritidem*, quæ Inflammatio est. vide & Ioan. Martinum in com. ad illum textum XV.

§ 17. Hofmannus III. Inst. XXXIII. *nephriticos* vult Renum imbecillitate laborantes dici. *Propter verba*, inquit, *Galeni de Loc. aff.* VI. 3, *Est & alius renum affectus, in quo tenuis ichor sanguinis mingitur*, &c. *non immerito statueris, renes quoque laborare tali affectu.*

Tum

Tum puta, cum sanguinem, & pro sui nutritione, & pro seminis confectione attractum, inalteratum dimittunt. Et hi potius fuerint Nephritici, quam Calculosi. Favere videntur Floriacensis ex Vet. lex. Græcol. excerpta: quibus *Renium valitudo*, Νεφρῖτις redditur. Succinit his Isidorus Orig. IV. 7: *Nephritis, à renium languore nomen accepit.* Cæterum illum *affectum* Galenus nullo in loco *nephritidem* appellat diserte. Quod si conjectura sola satis est in talibus, quis finis opinandi erit. Renes *trahere* sanguinem, sapit ἀκυρολογίαν, aliquando, non heic tamen licitam. Renes *semen conficere*, Olhafii somnium est, & à me refutatum II. Physiolog. V. 142. & deinceps.

§ 18. Porro *nephritis* est non tantum Inflammatio renum, sed *cum dolore vehementi*, inquit Definitor. *Dolor* Inflammationis signum Pathognomonicum est: doloris *vehementia*, Diagnosticum. vide supra IV. 51. *Vehemens* dolor simul magnus & acutus est. *Magnus*, affligit graviter: *acutus*, celeriter. *Vtrumque* comprehendit Aretæi illud de Cur. acut. II. 8: κατοξὺ ἐν νεφροῖσι φλεγμασίη· *Vehemens in renibus* malum *inflammatio*. Interea *gravior* dolor, quam *acutior* est. Notavit hoc Ruffus l. de Affect. ren. ac ves. cap. 1: φλεγμήναντες οἱ νεφροὶ ὀδυνῶσι μὲν τι καὶ μειζόνως, οὐ μὴν οὐδὲ αὐτὴ ἡ νοῦσος συνταχύνει· *Inflammati renes dolent utique amplius, verumtamen ipse morbus non æque properanter urget.*

§ 19. Addit: *quandoque & dysuria.* Nempe tum, quando inter saccandum incalescit serum & fervet in vesica & ardet in urethra. *Dysuria* heic quæ sit intelligenda, intellexeris ex VI. 13. horum.

§ 20. Pergit: *atque fibrosis excretionibus.* Nisi hæ sint, quæ Hippocrati ὥσπερ τρίχες, *velut pili* dicuntur Aph. IV. 76; non facile dixero, quid sint. Sed esse, collegeris ex Galeni observatione, prodita in l. de Loc. aff. VI. 3. *Et nos*, inquit, *vidimus* ejuscemodi excreta *spithamam longa. Quandoque vero etiam longiora sunt: at quandoque admodum parva.* Hujuscemodi si sunt, putes *fibras* esse, quales à sanguine, si bonus est & bene solidus, misso & aquis excepto separantur ac coeunt. In *causa* generationis id genus excretorum reddenda Galenus perplexus est & candidus. *Cum pilos mejendo excretos vidi, tum ex colore, tum ex mole credidi dicentibus,*

eos

eos ex crassa lentaque materia, quam calor calefecit & exsiccavit, in venis concrescere: quamquam longitudinis ipsorum causam non intelligo.

§ 21. At ea facilis perceptu est. *Crudum* sanguinis ardore lentescens fit ductile. *Hujus* si quod ad renes descendit, & incidit in cribella papillaria, necessario, dum Seri saccandi continuo appulsu urgetur per angustissimos illorum canaliculos, fit instar pili aut fili aut fibræ, prout major est aut minor materiæ lentitudo sive tenacitas intrinseca, hoc est, particularum minimarum inter se. Exempla in artibus obvia.

§ 22. Hæc si *vera* est ratio, mirere non subveniisse Galeno, tanto Philosopho. Quei enim non *excelluisse* putemus, qui cum *naturæ neutiquam tardus esset* [de Diff. puls. II. 3.] *statim ab adolescentia* [Meth. med. IX. 3.] *ab anno ætatis quartodecimo* [de Dign. an. morb. 8.] *operam dedit Philosophiæ, ejusque studia ursit supra omnes æquales* [de Succ. bon. & vit. c. 1.] *præceptoribus usus egregiis* [de Dign. an. morb. 8.] *eosque jam tum rogandi fiduciam habens* [de Plenitud. c. 9:] *imo qui tota vita nihil æque studuit, quam demonstrandi primo scientiam tenere, deinde summo hanc studio exercere?* [Contra Jul. c. 6.]

§ 23. Sed *causa* illius gemina est: *una*, Communis; *altera*, Privata. *Communis* est, quod hominum uni scire omnia concessum sit nemini. Bapt. Egnatius eleganter Epist. quam præfixit Annot. ad Scriptores Vitarum Imp. Rom. *Sciant in homine multo minus mirum esse, nescisse quædam, quam uni constare omnia.* Et hoc quoque sapienter, ut omnia, voluit Deus. Scilicet, ne vel occupatæ Veritatis vel exhaustæ Eruditionis opinione, simul & desperatione bene de proximis posterisque merendi, segnesceret Homo in amore debito Creatori pariter atque Creaturis. Creatori debet, ut scrutetur ipsius opera, & precetur ab eo necessaria scrutationi, atque inventis denique utatur ad gloriam ipsius. Creaturis debet, cæteris quidem, velle discere à se potentiam, sapientiam atque bonitatem Creatoris; Homini vero, velle subvenire alterius, ceu unius Corporis membri, necessitatibus.

§ 24. Causa *privata* est in male concepto dogmate de *facultatibus*

tibus Animæ, sive *potestatibus* Naturæ. Quia namque Galenus *essentiam Animæ* ignorabat, ut multis ipse in locis fatetur, ceu videre l. de Usu part. VII. 8. de Decr. IX. 9. Quod ani. mor. c. 3. ut & alibi sæpe: imo cùm hoc novissimo loco illam à *temperie* quatuor sive *qualitatum* sive *corporum* ab illis denominatorũ non distinguat: *facultates* autem easdem cum Anima faciat Meth. med. IX. 10: non est mirandum nequivisse rationẽ reddere ejuscemodi Naturæ effectuũ. Qua de re arbitrabimur & differemus alibi, si vivimus, latius.

§ 25. Interdum excretiones *arenosæ* sunt, *cum sanguine aliquo*. Quid sint *arenæ*, & quomodo generentur, quæque præterea ad cognoscendam earum naturam attinent, non est heic dicendi locus, ut tuto heic mihi liceat illi rei supersedere. *Arenas* exeuntes quod & sæpe *sanguinis aliquid* comitetur, & propter attritionem capillaris quidem arteriolæ, nemo ignorat, & dicit Aph. IV. 78. Quamobrem redeo ad Hippocratem, posteaquam docui, *nephritidem* ipsi Inflammationem renis renumve significare: ut *nephriticos*, qui ex ea laborant. confer Aphor. VII. 34. 35. 36. Nostrum *inflammatione* laborasse, & Signa & Curatio ostendunt.

§ 26. MEJEBAT *sanguinem*, *paulatim*, *confertim*, *difficulter*. Sunt hæc *symptomata* simul & *signa* Renum inflammatorum: non communia, sed singularia & in hoc præsertim ægro notanda. *Communia* nunc appello, non tantum Pathognomonica, sed & Diagnostica: hoc est, illa quibus *inflammationem* esse, & in specie *renum* significabatur. Quæ non neglexisse, ex eo paret, quod jam dixit: *erat nephriticus*. Hoc enim quei scire poterat, si non attendisset ad *signa*? Neglexit autem referre, quod nulli non essent obvia. Et satis erat *singularia* notasse, sive quæ nec omni, nec semper adsunt. Talia quippe notare *proprietatem* Morbi solent, quam prætervidere non oportet, quisquis (quod exigit Hippocrates l. de Arte t. XVI. 66.) τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους, *medelas inculpatas* satagit præstare.

§ 27. Quod vero *non omnes* Sanguinem mejant, intellexeris ex Aretæo de Caus. acut. II. 9: ἐξερράγη κοτὲ αἷμα ἀπὸ τῶν νεφρῶν πολὺν ἀθρόον, καὶ πολλῇσι ἡμέρῃσι ξυνεχὲς ἔῤῥεε· *Quandoque sanguis prorumpit à renibus multus confertus, & multis diebus continuis pro-*

fluit. Quod vero *non semper* Sanguinem mejant Nephritici, sive non esse hoc symptoma ἐκ τῶν συνεδρευόντων, inter ea quæ statim ab initio adsunt & morbum comitantur accedentem, Ruffus ostendit cap. II. οὐροῦσι, inquit, συνεχῶς καὶ ἐπιπόνως. καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν λεπτὰ καὶ ὑδατώδη. προϊούσης δὲ φλεγμονῆς, ἐρυθρότερα. *Mejunt continue & permoleste. Et in principio quidem tenuia atque aquosa. Procedente autem inflammatione, rubicundiora.* Qui quidem *rubor* non flammeus est, sed coccineus: non ab ardore inflammationis inquam, sed permixtione sanguinis, quem vasa vel nimium turgida vel etiam rupta dimittunt. Ita vero se rem habere, ex ejusdem Ruffi cap. VIII. resciveris.

§ 28. Propositum porro colon non modo Symptoma nobis, sed & Modum symptomatis, certioris notitiæ gratia, proponit. *Symptoma* in Excreto vitium: *modus*, in Excretione, & triplex est. Merentur expendi singula: saltem hoc fine, ut discat juventus, quantum in recessu habeat concisus Hippocratis sermo, & hunc sicco pede non transilire.

§ 29. Inquit: *Mejebat sanguinem.* Hoc dixi *in excreto* Vitium esse. Institutionistæ vocant, *substantiæ* Vitium: scilicet excernitur, quod excerni non debebat. Non debere autem *sanguinem excerni*, res est per se confessa. Rationum prægnantissima est, quod *sanguis* sit *anima*, Deut. XII. 23. Metonymia est subjecti quidem; sed quæ hoc dicit tamen, *sanguinem* esse sedem primam & præcipuam *animæ* seu Spiritus viventis. quo de plenius videsis apud Harvejum de Gen. anim. exerc. LI. quem sequitur, & merito, Glissonius in Anat. hepatis cap. XXXV.

§ 30. Mejebat vero *sanguinem* non purum, sed lotio perfusum. *Purus* inter initia exit, & ruptis venis. Hippocrates l. de Affect. int. t. XVII. qua de *secundo* Renum morbo: ὁκόταν ῥαγῇ τὰ φλεβία, τὰ ἐς τὸν νεφρὸν τείνοντα, ἔπειτα ὁ νεφρὸς αἵματος ἐμπλησθῇ. οὗτος ὁκόταν ταῦτα πάθη, ἐξουρέει ἅμα τῷ οὔρῳ αἷμα κατ' ἀρχὰς τοῦ νοσήματος. ἔπειτα πῦον προϊόντος τοῦ χρόνου. *Ruptis, quæ per renem porriguntur, venulis, ren sanguine impletur. Quisquis hæc passus fuerit, excernit simul cum urina sanguinem in principio morbi. Deinde pus processu temporis.* Ex hoc desumtus Aph. IV. 75. saltem explicandus. Prosp.

Mar-

Martianus tamen ad l. de Nat. hom. versu 268. ex hoc loco desumtum autumat & hunc & sequentes duos: nec est absimile vero. Confer interim Notationem ipsius ad aphorismum allegatum, & disce inde *signa*, quibus dignoscitur Urina sanguinolenta à sanguine perfusa, sive à renibus ille, sive à vesica descendat. *Signorum* apud me hoc casu præcipuum est, quod ruptis in rene venulis multum semper sanguinis mejat æger.

§ 31. At vero *inflammato* Rene, sanguis in progressu demum morbi prodit, viscere repleto & vasis multitudinem nequeuntibus retinere. Unde ejus nunc minus nunc magis cum sero colatur atque excernitur. Atque huc spectat illud *paulatim* atque *confertim*, quod est in textu annotatum. Quod vel puer norit sic esse accipiendum, ut modo *hoc*, modo *illud* fieri intelligatur. Prout namque urget inflammatio, ita fit alterutrum: cum urget magis, exit minus; cum urget minus, exit magis.

§ 32. Quod addit denique, *difficulter* exire lotium cruentum, id molestiam in mejendo significat, sive ea à conatu enitendi, sive ab ardore exeuntis fuerit. Uti vero *ardor* urinæ ab æstu sanguinis ferventis & renis accensi est: ita *conatus* in mejendo difficilis doloriscque plenus ab illo ardore est. Quæ cum sint omnibus obvia nolo heic hærere.

§ 33. INFESTABAT *vero etiam alvus dysenterica.* Quæ *alvus* dicatur *dysenterica*, non facile conjeceris; nisi probe ex Hippocrate, *dysenteria* quæ dicatur, jamante cognoveris. Qui hoc dicat locus est egregius in l. de Affect. t. XXIV. Δυσεντερίη ὅταν ἔχῃ, ὀδυνᾶται ἔχει τὴν πᾶσαν τὴν κοιλίην, καὶ τρόφους. καὶ διαχωρέει χολήν τε καὶ φλέγμα, καὶ αἷμα ξυγκεκαυμένον, ἢ ἢν νοῦσος γένηται, ἐπὴν δὲ χολὴ καὶ φλέγμα καταστείξῃ ἐς τὰς φλέβας καὶ τὴν κοιλίην. νοσέει μὲν τὸ αἷμα, καὶ διαχωρέει ἐφθαρμένον· νοσέει δὲ καὶ τὸ ἔντερον, καὶ ξύνεται καὶ ἕλκεται. *Dysenteria quum habuerit, cruciatus habet toto ventre, & tormen. Atque egerit bilem ac pituitam, & sanguinem combustum. Morbus iste fit, quum bilis ac pituita decubuerit in venas & ventrem. Ægrotat quidem sanguis, & secedit corruptus: sed & ægrotat intestinum, raditurque & ulceratur.*

§ 34. Cum his conferri debent, quæ III. de Diæt. XII. 252.

leguntur. ὁκόταν δὲ θερμαινομένου τοῦ σώματος κάθαρσις δριμέα γίνεται, τότε ἔντερον ξύεται καὶ ἑλκοῦται, καὶ διαχωρέεται αἱματώδεα. τοῦτο δὲ δυσεντερίη καλέεται, νοῦσος χαλεπήτε καὶ ἐπικίνδυνος. *Quum calefacto corpore purgatio acris fit, tum intestinum raditur ulceraturque & secedunt sanguinolenta. Hoc vero dysenteria vocatur, morbus gravis & periculosus.* Ita certe: nam & vehementia symptomatum quandoque conficit ægrotantem cito; quandoque vero paulatim excruciat successu hydropis, aut in lienteriam deducit & consumit pedetentim. vide Aph. VI. 43.

§ 35. *Acris* vero purgatio putanda est, quæcumque caloris inter excernendum exhibet sensum. Ἡ μὲν γὰρ θερμότης δριμύτητος σημεῖον· *Caliditas quippe acrimoniæ signum*, inquit noster in VI. Epid. VI. 11. Qui vero intelligere desiderat, quemadmodum fiat acrimonia in humoribus, attendat ad illud, quod scribit Hippocrates in IV. de Morb. t. XXIII. *Calefacto sanguine, exhalat maxime ob id aquosi, quod est igni adversissimum: relinquitur vero quod pingue est & leve, quod est biliosum, & igni alimento quam maxime est. Exhalat autem hunc in modum. Quemadmodum si quis aquam & oleum in æneum infundens ligna multa succendat longo tempore. Aqua quidem multum diminuetur, quod evaporet ex æneo: oleum vero vix. Aqua quippe ob raritatem valde potest ab igne attenuari, & rarefactum evaporare. Oleum vero, cum sit glutinosum ac densum, non potest extenuari, nec perinde ut aqua exhalare. Ita etiam in homine se res habet. Aquosum quippe sanguinis, calefacto corpore, exhalat foras. Biliosum vero, quia glutinosum est & densum, non æque potest in halitum attenuatione resolvi. Biliosum vero attenuatum, amplius facit incalescere corpus. Nam & copiosius alimentum & aptius igni bilis suppeditat.*

§ 36. Quemadmodum vero *purgatio* oboriatur calefacto corpore, pluribus eodem libro & textu XXV. sequente ostendit. Quorum mihi summa videtur his comprehendi verbis. ἢν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐνέῃ τι νοσερὸν, καὶ θερμαίνηται ὁ ἄνθρωπος, ταράσσεται τὸ ὑγρὸν πᾶν θερμαινόμενον ἐν τῷ σώματι. τοῦτο δὲ ποιέει βίη. καὶ ἢν μὲν ἀποκαθαίρηται ὁ ἄνθρωπος, τοῦ δὲ ταρασσομένου ἀποκρίνεται ὁκόσον αὖ πλέον ἢ τοῦ καιροῦ. *Si fuerit in homine quid morbidum, & incaluerit homo, turbatur humor omnis* (hoc est, universus sanguis) *calefactus*

in

in corpore. Hoc autem vis facit. Quod si vero depurgetur homo, ejus quod turbatum est, hoc totum secernitur quod præter modum est. conferl. de Vet. med. t. XXVIII. & deinceps.

§ 37. Itaque in *dysenteria* Morbi sunt duo: *unus*, Sanguinis; *alter*, Intestini. *Iste* prior est, & causa alterius. *Sanguinis* morbus est corruptio. *Corrumpitur* autem, quando bilescit, salsescit, putrescit. Quæ ex facili omnia ardore obtingunt immodico. Quæ cum evenere, si Natura valet quod corruptum est in tempore, ut cætera pars sanguinis tuta sit, abscindere & per intestina abjicere, spes est evadendi. Interea dum acris illa & fervens materia per arterias descendit mesentericas ad intestinum, necessario & toti ventri cruciatus oboritur atque tormentum dirum, & intestinum raditur ulceraturque. Hoc *ulcus* itaque Morbus est connexus Morbo sanguinis. Quem quatenus agnoscit auctorem sui, inter *symptomata* Dysenteriæ, non ipsum *morbum* esse, rationi nos par est credere. Sed hanc quæstionem, cum longum foret excutere, exercitationi reservabimus peculiari. Meretur enim Dysenteriæ *natura* semel aliquando probe expendi. Nunc sufficiunt, quæ digito dumtaxat tetigi extremo.

§ 38. Jam quæ est *alvus dysenterica*? Quæ *sanguinum* egerit, eumque putridum aut corruptum. *Putridum* appello, in quo exstinctus est vitæ spiritus. *Corruptum* vero, qui præterea resolvitur in tabum. *Iste* cadaveris adinstar recentis est: *ille*, diffluentis. *Putridus* est, qui velut lotura carnium dejicitur. *Corrupti* indices sunt color ater & fœtor morticinus. *Deinde*: Quæ egerit cum rosione quidem, sed sine rasione. Nempe materia corruptione acris, inter transeundum per tunicas, intestina quidem mordicat, non lacerat tamen. Tormina ergo, non ulcera facit. Interea si consideres, & *quod* egeritur, & *modum* egerendi, vix dubites adesse jam Intestini ulcus.

§ 39. Hanc ego interpretationem videor constabilire posse iis, quæ referuntur circa finem historiæ Heropyti, qui in Abderis decubuit ex Febri ardente: III. Epid. III. 80. Huic ὠδὶ ἐκατοστῷ ἡ κοιλίη πολλοῖσι χολώδεσιν ἐπεταράχθη. καὶ ἦδ χρόνον σὺν ἀλίγον πολλὰ τοιαῦτα. καὶ πάλιν δυσεντερώδεα μετὰ πόνου· circa diem

centesimam alvus multis biliosis perturbabatur: & ibant tempore non exiguo multa ejuscemodi: atque iterum dysenteriosa cum dolore. Cum hæc, & hujus generis plura, Galenum video præterire securum, incipio aurem dare Cardano, ejusque judicio, quod vidimus supra VI. 3. Galeni autem lyra non canente, mirum est si quisquam interpretum saltet. Adeo heic omnes silent, quasi oleum perdere metuerent commentando aliquid in rem per se claram. Ego interea habuissem gratias, si meum hunc laborem prævenissent.

§ 40. Τὰ χολώδη, *biliosa*, Hippocrati quæ dicantur, Galenus exponit VI. Epid. IV. 4: ὅταν ἁπλῶς εἴπῃ χολώδη, τὴν ὠχρὰν τε καὶ ξανθὴν ὀνομαζομένην σημαίνει χολήν. *Quum simpliciter dixerit biliosa, pallidam vel flavam appellatam bilem innuit.* Et *hæc*, & *illa*, pars *maxima*, Serum; *minima*, Bilis est. Ab *illo* liquiditatem: ab *hac*, tincturam habet. Unde si Seri copiæ *parum* Bilis fuerit admixtum, pallet modo; si *multum*, flavet. Confer III. Epid. II. 8. & disce ex eo, *utramvis* hanc Bilem, ut vulgo appellamus, cùm Vomitione tum Dejectione non Ægrotantibus solum, sed & sæpe admodum Sanis reddi.

§ 41. Quoties vero *alterutra* desubito multa & crebro profunditur ab alvo, ipsa quidem excretio, κοιλίης ταραχή, *ventris turbatio* dicitur Aph. I. 2: at cui hoc accidit, κοιλίη ταραχώδης, *venter turbulentus*, Coac. 564. & 616. atque alibi sæpius. In historia Heropyti dicitur, quod circa diem centesimum venter non ἐταράχθη, simpliciter; sed ἐπεταράχθη, addita præpositione, quæ significet tum demum factam alvi profusionem, quæ ante numquam fuisset. confer dicta mihi VI. 21. VII. 12.

§ 42. Porro, sicuti in *turba* Hominum est commotio multitudinis & strepitus multus & confusio atque præcipitatio rerum agendarum: eodem modo *turbulentus* Venter impetuose satis præcipitat multum & multa & multo cum murmure atque rugitu ac crepitu. Quo in casu quamvis initium à biliosis fiat, non semper tamen intra hæc se continet excretio; sed alia atque alia subsequuntur sæpe, eaque varia & multigenera interdum. Ita, quæ sit successio & variatio excretorum, si perseveret diarrhœa, & abeat in pejus, perspicere est ex historia Sileni I. Epid. III. 19.

cu

cui Ignē præhenso ἀπὸ τῆς κοιλίης τῇ πρώτῃ χολώδεα, ἄκρητα, ἔπαφρα, κατακορέα, πολλὰ διῆλθον· *ab alvo prima die biliosa, meraca, spumantia, saturata, multa prodierunt.* Ubi *biliosa* significant dilute flavescentia, ad instar spicæ maturæ: *meraca*, mellea, colore & consistentiæ modo: *spumantia*, bullosa ob agitationem & flatum conceptum: *saturata* denique, crocea & ad atritatem jam vergentia. Sed de his in occasione plenius.

§ 43. In *dysentericis* primum ire *biliosa* solent, deinde & *subcruenta* cum cruciatu. Ita videre est in historia filii Eratolai VII. Epid. t. III. Τὰ ὑποχωρήματα ἦν, χολώδεα, λεπτὰ, πολλὰ, καὶ ὕφαιμα μετρίως. ἡ δὲ ὀδύνη τῆς γαστρὸς, σφοδρή. *Dejectiones erant biliosæ, tenues, multæ, & mediocriter subcruentæ. Cruciatus autem ventris, vehemens.* Cujus acerbitate jactatus Spiritus, & extinctus in Sanguine, facit ut hic corruptus, deinde & instar fecis vini rubri prodeat, præsertim si quoquo modo uratur. Quæ ipsa tum δυσεντεριώδεα, quasi dicas, dysentericarum affectionum sunt plena. *Affectiones* hæ conspicuæ sunt in Excretis & Excretione ipsa. *Excretio* fit permoleste. *Excreta* cruenta sunt & fœtida.

§ 44. Quisquis hæc intelligis, & quidem ex observatione magis quam speculatione, atque ex visu potius quam auditu; etiam intellexeris mentem & modum nobilissimi Aphor. VI. 43. Audiamus in transcursu. Ὁκόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται. *Quicumque lienosi* sunt, seu à longo tempore magnum lienem habent, ejusque visceris in sequestrando Sanguinis melancholico carent officio, si quo tempore *dysenria corripiuntur*, hoc est, subcruentorum sive collectæ & stagnantis in Vasis majoribus melancholiæ cum torminibus excretione crebra; *his* ob assiduum Desidendi laborem, & Spiritus inquietudinem, & Sanguinis putredinem, & Intestini exulcerationem, *superveniente longa dysenteria* sive quæ in plures usque & usque dies protracta ingravescat, *hydrops* quidem ascites *supervenit*, si Sanguinem contingat, aut Chymum potius, materiam Sanguinis colliquescere & serescere & ab arteriis Viscerum imi ventris velut exsudare in uterum ipsius præ acrimonia & subtilitate

Ignis

Ignis flagrantis in ſanguine: *aut lienteria*, tunc ſcilicet quando vis Ignis nativi profunditur cum excretis & ob ejus imbellicitatem Ventriculus conficere cibos nequit, ſed indigeſtos & in fluorem ſolummodo converſos diffluere ſinit: *& pereunt*, tarde quidem, ſed certo; ideo nempe, quia in *hydrope* quidem φθείρονται αἱ σάρκες, καὶ τήκονται, καὶ γίνονται ὕδωρ· *corrumpuntur carnes, & colliquefactæ fiunt aqua*: in *lienteria* autem τὸ σῶμα τήκεται, *corpus contabeſcit* ob defectum alimenti. vide ſis l. de Affect. t. XXIII. & XXV.

§ 45. Porro in textu ſic ſatis emphatica eſt & loquendi & connectendi formula: *Infeſtabat vero etiam* Alvus dyſenterica. Onomaſticon: *Infeſto*, ἐνοχλέω. *Infeſtare* dicitur, quod aliquem vel adoritur vehemente impetu velut feſtinans in perniciem ejus, vel opprimit mole turbationum. *Vtrumvis* quadrare in Alvum dyſentericam videtur. Nam & proculdubio Renum inflammationi *deſubito* ſupervênit propter collectam pridie Cacochymiam atque hoc ſtimulo turgentem, & *mole* deinceps laborioſorum Symptomatum tantum non oppreſſit. *Immanes* ſunt à Nephritide & hinc ſubſequente Stranguria cruciatus: *ſæviores*, à Dyſenteria ulceroſa: at, heu! quanti ab illis ſimul in afflictionem fragilis corpuſculi conſpirantibus atque operas Ægri in perniciem ſociantibus?

§ 46. Particula καὶ ita ponitur in Græco, ut in eo aperte ſatis intelligatur, *non ſolum*: prorſus ut etiam in illo Ciceronis ad Lentulum, Famil. 1. 9: *quumque ea contentio mihi magnum, etiam foris* [non ſolum domi] *fructum tuliſſet*. Clonigum ergo, vult dicere, *non ſolum* Nephritis infeſtabat, verum *etiam* Alvus dyſenterica ſeu Dyſenteria incipiens. Quo graviſſimo ſymptomate, & periculi pleno *comitata* Nephritis extitit vel hoc nomine metuenda. Alias enim veriſſimum eſt, quod ſcribit Aretæus de Cauſ. acut. II. 9: Νεφροὶ, τὴν μὲν τοῦ σώματος ἰδέην, οὐ κάρτα ἐπίκαιροι ἐς κίνδυνον, ἢν καί τι πάθωσι ὀξέως· ἀδενώδεες γὰρ τὴν φύσιν, ἐς δὲ ὄλεθρον εὐήθεες. *Renes, ratione quidem corporis, non admodum expoſiti ſunt periculo, etiamſi quid patiantur acuti: glanduloſi enim natura ſunt, & ob id in perniciem innocentes.* Morborum acutiſſimus eſt inflammatio. Ea ipſa tamen raro occidit: plerumque tranſit in ſuppuratum & longa valetudine ægrotantem conficit, ſi inter initia, excreto pure, non conſolidetur.

§ 47.

§ 47. Ut hæc concludam, *tres* Clonigum morbi simul & eodem tempore afflixere. Quorum tamen *præcipuus* fuit Nephritis: unde & illum inscripsimus titulo. Nephritidi *comites* fuere Cacochymia sanguinis & Dysenteria incipiens. Sed ita, ut *prior* Causæ continentis rationem: posterior, Effecti seu potius Coeffecti haberet. *Coeffecta* dici unius causæ bina effecta, notum est. Et quidem *proprie* Dysenteria est *effectum* Sanguinis ferventis & acris. Qui ipse, ut *nephritidem* genuit; ita & genitam fovet & auget. Cujus *auctæ* ratione quia Alvus citatur & fit dysenterica, eapropter *effectum* Nephritidis dici illa potest quidem, sed *improprie* tantum. Quod satis interim in arte.

§ 48. Tantum de his, quæ attinent ad *cognoscendum* Clonigi morbum. Deinceps ea se nobis offerunt, quibus ille curatus fuit, facilitate ambigas, an felicitate majore. *Vtrâvis* spondere sibi Hippocrati licuit instructo plena notitia Morbi & eorum quæ habere in promtu oportet, priusquam aggrediare ad curandum. Certe ita est, ut ipsus ait in l. de Arte t. XIX. 91: τὸ αὐτῆς ξυνέσιός ἐστιν, ὥσπερ τὸ εἰδέναι τῶν νόσων τὰ αἴτια, καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς δύνασθαι πάσησι τῆσι θεραπείησιν, αἱ κωλύουσι τὰ νοσήματα μεγαλύνεσθαι. *Ejusdem solertiæ, cujus est perspicere Morborum causas, est & curare illos scire omnibus iis medelis, quæ prohibent ægritudines invalescere.*

§ 49. Porro ut, quod promisi pronuper, nostris constet, quam apposite omnia fecerit Hippocrates ad sanandum, quanta solertia Auxiliorum materiam invenerit, quanta prudentia administraverit: age ostendamus, quò Præceptor optimus intenderit atque omnem medendi rationem direxerit. Quo vero ejus in arte præstantia eluceat illustrius, proponemus primum Indicationes, ad quas respicere nos Recentiores jubent, quique omnia vel imprimis agere secundum rationem volunt videri. Adferam vero verba Sennerti, non quod aliorum non possim, sed quod eum hodie omnes ceu Antesignanum eligant, ac multi etiam solum legant, propterea quod persuadeant sibi illum unum habere, quidquid est uspiam boni.

§ 50. Quando itaque *nephritide* simul & incipiente *dysenteria* Clonigus noster conflictabatur, non est dubium, quin Practico-

rum hodie vulgus, casu sibi simili oblato, intenturi sua sint consilia in *utrumque* Affectum, & ceu *connexos* Morbos tractaturi. (Qui *morbi* dicantur *connexi*, dictum obiter mihi exerc. VI. 19.) Quamobrem operæ pretium erit utriusque Affectus *indicationes*, quas sibi imaginantur nostri Auctores, seorsim ob oculos ponere, & addere aliquid de *materia* Auxiliorum, quibus satisfieri illis seu curari *utrumlibet* Affectum posse nobis eunt persuasum.

§ 51. Quod ad *nephritidem*, de ea Sennertus III. Pract. VII. f. 11. 8: *Vti in aliis inflammationibus, ita & hic sanguis ad renes p.n. affluens revellendus, repellendus ad vicina derivandus, discutiendus, ac si suppuratio prohiberi non possit, ea promovenda, & hinc puris eruptio procuranda, ulcusque curandum.* Hui, quanta moles intentionum, quam indigesta, quam rudis! Qua certe obrutus ipse ostendit se imparem tot simul negotiorum executioni. Materias quippe ostensurus, quibus intentionum singulis sit satisfaciendum, adeo rem perfunctorie agit, ut videatur docere non docendos voluisse, sed doctos. Præterquam enim, quod *repulsionis*, deinde & *derivationis* atque *discussionis* vix verbo meminit, etiam in cæteris adeo est jejunus, ut spondeam nihil opis allaturum ægris, quisquis meliora non didicit. Quin imo, tamquam non satis scoporum præstituerit, ad quos curantis consilia vocet, mox alium addit atque alium: Fervoris videlicet in sanguine mitigationem, atque Doloris lenitionem. Sed adeamus porro singula, & appendamus ad trutinam rationis.

§ 52. *Principio ergo revulsionis gratia vena in cubito aperienda.* Quare? Quia *Revulsio est aversio humoris in partem aliquam fluentis in contrarium*: v. Inst. II. s. 1. 18. Ubi quam male *revulsionem* confundit cum *aversione*: tam male explicat, quid sit per *contrarium* intelligendum. Quæ nunc examinare si velim, plane erit ab instituto decedendum. Interea nunc fontem doctis aperio, unde rem ex toto accipere si velint, possint. Sanguinis in partium quaslibet *influxus*, ut moderati, ita & immodici principium est Cor, primum vivens, primum calens, primum movens, Ignis nativi focus, castellum Spiritus, fons Sanguinis. Hujus ceu aquæductus sunt Arteriæ, quarum pars sursum eunt ad superna thoracis, manus

nus, caput: pars deorsum, ad pectoris reliqua, ad imi ventris omnia, & pedes. Igitur *sanguine* à Corde sursum exæstuante & irruente v. gr. in Fauces, si ab his revellere impetum velis, in pede venam seca: si avertere, in brachio: si quod influxit, derivare ex parte laborante, sub lingua. Contra deorsum v. gr. in Renem præcipitatum sanguinem ut revellas, è cubito: ut avertas, è poplite incisa vena mittendus est. Derivari, qui influxit, nisi per urinas nequit. Verum, ut dixi, de his aliàs latius.

§ 53. Eadem periodo Sennertus addit: *In morbi vero progressu venæ, quæ in poplite sunt, aut malleolis, aperiri possunt.* Ubi licet non dicat, cujus gratia: tempus morbi tamen dicit, *derivationis.* confer v. Inst. 11. s. 11. 5. Sed *cum ea ex parte affecta per vicinam humorem illapsum evacuare debeat, necesse est ut talis vena, quæ cum parte affecta communicet, aperiatur*: ut ipse monet in v. Inst. 11. s. 1. 19. Dic ergo, bone vir, quemadmodum poplitea aut malleolaris cum rene communicet. Nam qui à rene redit sanguis in emulgentem, inde in cavam sursum tendit ad originem. At pedis aliqua vena depleta denuo ex ejusdem arteriis impletur. Ita par est credere fatentes αἵματος περίοδον, *sanguinis circuitum*, quem appellat Hippocrates l. de Insomn. t. x 111. 144.

§ 54. Pergit: *Pro venæ sectione etiam curcubitulæ coxis & natibus affixæ è regione renis inflammati venæ sectionis vicariæ sunt.* In revellendo, an derivando? In *neutro*, si rationem audis, aut consulis experientiam. Nulla enim contrarietas est inter renem & coxam è regione positam: nulla etiam vasorum communio.

§ 55. Pergit: *Si hæmorrhoides sponte aperirentur, valde commodum esset; quod nisi fiat, hirudines iis applicari possunt.* Hoc dictu facilius experti, quam factu norunt. Sed esto, sit molestiæ nihil in applicatione: quæ earum indicatio est? Nam derivare nequeunt: multo minus revellere. Non istud: quia sanguis elici à parte laborante per venas debet: at quæ eum ab ano fundunt, arteriæ sunt. Non illud: quia revulsio derepente præstari debet. & tantum non pari vi retrahere in contrarium, ac aliquo irruit furor ferventis sanguinis.

§ 56. Pergit: *Simul frictiones & ligaturæ extremorum instituendæ*

endæ. At vero *frictiones ea ratione sanguinem imminuunt, quod calorem in corpore excitent, qui substantiam corporis nostri dissolvat & dissipet*, ut ipse ait v. Inst. II. s. 1. 16. § Frictiones. At quod est hujus Indicans? *Ligaturæ* quid possint, non video, concessa Sanguinis circulatione.

§ 57. Pergit: *Si bilis in ventriculo vel in mesaraicis hæreat, ne ad renes rapiatur, evacuanda Syrupo rosarum vel violarum, manna, tamarindis, cassia, rhabarbaro, electuario lenitivo: diaprunis, diacatholico, triphera Persica.* Non jam dicam, mihi cum oculos tum aures dolere, quoties in illam barbariem incurro: hoc nunc rogo tantum, ad quam indicationem hæc pertineant? Deinde, cur *rhabarbarum* in illum censum adducat, cum *stranguria laborantibus commodum non sit?* vide v. Inst. I. s. 1. II. § Rhabarbarum. imo cum *urinam moventia plane vitanda* sint, uti heic & paulo post monet. Hoc autem facere rhabarbarum, experientia testis, & tinctura qua inficit urinas. vide III. Inst. I. s. III. II. § Secundo. Possem opponere quoque Aph. I. 24: sed faciam alias.

§ 58. Pergit: *Vel injiciatur clyster, qui simul dolorem leniendi, & nonnihil refrigerandi vim habeat.* Injectionibus utare, an purgantibus, si refert nihil, cur velis purgare & turbare? Sed iterum, quæ est illa ex præmonstratis indicatio, ad quam dirigatur hæc materia? Nam hoc videre tirones debent, ut sint certi, se cum ratione agere.

§ 59. Pergit: *Simul exhibenda, quæ fervorem sanguinis mitigant, ejusque ad renes motum & affluxum impediunt. Commoda hic sunt emulsiones sem. IV. frigid. majorum, aquæ, decocta, syrupi & conservæ è violis, rosis, portulaca, lactuca, acetosa, halicacabo.* Jam dixi, hanc indicationem extra numerum esse earum, quæ ab initio proponebantur, velut fluentes ex natura Inflammationis. Sed facto illi loco, adeone nihil refert, qua forma medicinæ præparentur atque exhibeantur, ut ita promiscue hoc vel medici arbitrio vel ægrotantis palato sit relinquendum?

§ 60. Pergit: *Extra quoque applicentur, ad dolorem leniendum, calorem temperandum, & humorum affluxum prohibendum, epithemata è succis vel aquis rosarum, &c. vel cataplasmata ex iisdem, & farina hor-*

hordei; aut illinatur oleum rosaceum, &c. Præterquam quod & hæc incidant in eamdem, quam proximo movebam, difficultatem: quid est, quod rectum eorum usum definiat?

§ 61. Atque hæc quidem omnia nos in principio vult agere; etiam incremento; etiam in statu; etiam in declinatione; sed cum aliqua aliquorum, quamvis levi mutatione, quæque nullis certis nitatur rationibus. Quare nec demitto me ad examen ejusmodi male præceptorum. Quin imaginor mihi accidere in his primum periclitantibus & recti bonique judicium atque usum nondum adeptis, quod iter facientibus & rectam viam nescientibus. Hi enim, cum veniunt ubi in plures una diffinditur, hærent anxii, nec singulas audent eligere, nec universas probare.

§ 62. Quæ procul dubio nostris solicitudo plurimum augetur in perplexitate negotiorum, cujusmodi se præsenti in casu offert. Nam quæ eodem tempore, nec minore molestia, etiam majore metu Clonigum infestabat Alvus dysenterica, ea certe non debuit insuper haberi. Quæ vero *Indicationes* in ea se offerant, compendio Sennertus dicit III. Pract. II. s. II. 7. § Indicationes, in fine. *Vt curandi*, inquit, *scopos in dysenteria breviter complectamur, acres & vitiosi humores evacuandi sunt, eorumque acrimonia temperanda est, & si maligni simul sint, malignitas alexipharmacis expugnanda; ab intestinis avocandi, fluxusque sistendus, dolores mitigandi, ulcus mundandum & consolidandum.*

§ 63. Quibus indicationibus quibus materiis sit satisfaciendum, usque adeo deinde confuse atque jejune inerteque dicit, ut in curando malim Empiricorum insistere consiliis, quam rationibus eorum, qui se Rationales dicunt, sed irrationales sunt. Verum eam in arenam nunc non descendo. Jam enim hoc liquere arbitror, longe difficillimum esse tot & tantis Indicationibus & tam inter sese intricatis simul satisfacere. Quin experiuntur medicinam qui faciunt, quo se studeant curatius istis dare, hoc ipso minus præstare. Neque mirandum sane. quei enim veras nobis suppeditet curandi intentiones, qui veram Morbi naturam non perspexit. confer dicta mihi VIII. 61.

§ 64. Hippocrates contra, *utrumque* Morbum (videlicet

Nephritidem & Alvum dysentericam, *illum* Factum jam, *hunc* Fientem adhuc) eâdem esse ab origine sciens & certus, excisa radice, quidquid ex ea germinavit, exarescere, huic uni tantum non omnem intendit curam. Ea vero *radix* procul omni controversia fuit in Sanguine, & speciatim in fervore ejus & acrimonia fervendo concepta. A *fervore* Sanguinis enim & fieri Inflammationem & factam esse hanc in rene, declaravi cùm exerc. IV. 23, tum hujus 20. Ab *acrimonia* Sanguinis autem quomodo Dysenteria fiat, itidem fuit in præcedentibus ostensum.

§ 65. Obtulere itaque se Hippocrati in hoc casu *indicantia* tria: *unum*, Primarium; *duo*, Consectaria. *Primarium* fuit, Sanguis in vasis suis fervens & acris, atque adeo turgens. *Consectaria* fuere hujus, Sanguis stagnans in Rene, & arrodens Intestinum. Nota, me *priore* loco accipere *vocem* Sanguinis proprie: ast posteriore, æquivoce. Neque enim meretur *sanguis* dici, cum quo ita comparatum est, ut & officium præstare non possit, & necessario debeat excerni: quemadmodum certe debet tam qui Renem inflammat, quam qui Intestinum excruciat torminibus rosionibusque.

§ 66. Ex his vero *indicantibus* certum est in primis urgere primum, utpote quod *vere* Causa continens cæterorum est: unde & *primarium* appellavi. Vulgus mavult *præservatorium* dicere: nec equidem male; dummodo non ignoret, *per se* Morbum esse, quæ *respectu* Morbi, quem fecit & fovet, dicitur Causa continens, quod hac posita ponatur ille, nec removeatur nisi Morbo priore seu Causa sui remota. Quatenus ergo hujus amolitione *præservatur* Ægrotus ab incremento Morbi graviore & periculo exhinc imminente: eatenus *præservatorium* Indicans facile concedimus appellari, quod per se spectatum & in sua natura est *curatorium*, quemadmodum mos est vocare.

§ 67. E *consectariis* Indicantibus (ut vocavi propterea, quod sint *coeffecta* prioris, *alterum* dumtaxat est Curatorium, si rem recte putes. *Curatorium* vocant, cujus ablationi studentes proprie & proxime *curare* Ægrotantem, hoc est, vindicare à Functionum impedimentis atque afflictionibus videmur, eumque integritati

suæ

suæ atque pristinæ valetudini restituere. *Hoc*, præsenti in casu, *indicans* Nephritis est, seu Inflammatio renis.

§68. *Alterum*, est Alvus dysenterica. *Quod* quemadmodum appelles, ambiguum est. Nam & considerari potest ut Morbus, sed fiens; & ut Symptoma, sed urgens. Si consideres, ut est *morbus fiens*, partim Curatorium, partim Præservatorium est. *Curatorium*, respectu ejus quod factum est, quodque auctor dolorum est in intestino. Nihil equidem fit, cujus non pars aliqua est facta. adisis Erastum l. de Causa cont. p. 16. § Tertio. & p. 19. § Sicut. At quia *morbum* nominare nisi *factum* non solemus, volente Galeno in Meth. med. II. 3: hacpropter neque recte *curatorium* Indicans vocaverint præsertim illi, qui hoc Therapeuticæ proprium volunt, *fientes* autem Morbos ablegant ad Hygieinen, & recte quidem. Dysenteria igitur quatenus est *in fieri*, vere est Indicans *præservatorium*, seu tale quod Sanitatem postulat confirmari contra graviorem lapsum, quin & redintegrari illud quod lapsum est.

§69. Quod si rursus consideres ut *symptoma urgens*, Mitigatorium ab aliquibus, nec male nominatur hoc indicans. Non quod *symptoma* per se quid indicet (qui possit enim? cum sit velut umbra tantum, cum Morbo accedens & recedens) sed *quatenus* urget. *Vrgere* dicitur Symptoma, quodcumque *vel* excellit & se vehementia induit contra vires, ut Dolor acutus; *vel* revera Morbus est. Nam ita est, ut iterum vir solide doctus, quem modo laudabam, Tho. Erastus (eodem libro p. 53. § Constat) ait: *insinities accidit, ut morbus aliquis morbum alium creet. Quod cum sit, morbus posterior est symptoma, priori comparatus.* Ejuscemodi vero *symptomata* cum ex toto nequeant auferri, nisi ablato Morbo causa: hacpropter *mitigare* ea dicimus, quoties prohibemus sævire & sistimus in furore. Atque hæc ego data opera χολαστικωτέρως, scilicet ut advertant nostri quam non heic satisfaciant Institutiones vulgatæ & nimium vulgares.

§70. Nunc porro ad *indicata* progrediamur, quæ istis Indicantibus respondent. *Sanguis*, qua *talis*, postulat quod suo se accessu restauret, humectet, refrigeret. vide supra exerc. XIII. 526.

Qua

Qua *fervens*, exigit quod & ſuum reprimat fervorem & tranquillet furorem Spiritus. Qua *acris*, quod demulceat, imo obtundat ſtimulos. *Ille* vero, qui obſidet renem, quod ſe evacuet, & in ſpecie ureticum. Nam *quæ educere oportet, quo maxime*, hoc eſt, Naturæ ductu *vergunt* & ire foras conſuerunt, *eo ducenda* etiam ab Arte ſunt, modo *loca* ſint *convenientia*, neque laborent affectu, quo de metus ſit fore ut exacerbetur tranſitu peccantis per ſe materiæ: Aph. 1. 21. Denique *illud* Sanguinis, quod confluit ad inteſtinum, hoc exulceraturus, niſi proſpiciatur ipſi in tempore, jubet nos exhibere quod avertere queat, & alioverſum deducere acrem & corruptam materiam.

§ 71. Quibus itaque *remediis* fuerit opus, paret. *Materia*, quæ illis ſatisfaciendo eſſet, tota fuit deſumta ex Diætetica: & recte quidem, ſive rationem æſtimes, ſive ſucceſſum. *Succeſſus*, ut videbimus, proſper fuit atque ex voto. Cæterum, quia ſapientium eſt, non ab eventu, ſed ab animi inſtituto res ponderare; videamus *rationem*, quam ſecutus fuit Vir clariſſimus. certi interea ejus, quod ipſe ex vero ait l. de Loc. in hom. t. LVIII: μῶνοι ὀπιτυγχάνουσιν, οἱ καλῶς τι πρῆξαι ὀπιζάμενοι. ὀπιτυγχάνειν τε γὰρ τυτέοι, τὸ καλῶς ποιέειν. τῦτο δ' οἱ ὀπιζάμενοι ποιέυσιν. *Rem ſoli feliciter gerunt, qui recte quid agere norunt. Namque recte facere, hoc eſt proſpere rem gerere. Hoc vero ſapientes faciunt.* Eodem ſpectat illud Sacerdotis apud Sophoclem Oedipo tyr. verſu 43:

Ὡς τοῖσιν ἐμπείροισι κἀν τοῖς ξυμφοραῖς
Ζώσας ὁρῶ μάλιστα τῶν βουλευμάτων·
Conſulta maxime peritis ut viris
Videmus evenire cuncta proſpere!

confer etiam, ſi placet, ad Plauti Perſam act. IV. ſc. 1.

§ 72. Dicebam vero exerc. VIII. 68, *materiam* Remedii, ſeu *Quo agendum* ἀπὸ τ ἐπισωδῶν, hoc eſt, *connexis eſſentiæ* Indicantis principalis pendere ac deſumendum eſſe. Indicans *principale* vero Sanguinem turgentem eſſe dicebamus. *Turgere*, malum eſt vehemens, hoc eſt, magnum & feſtinum. Requirebatur ergo talis *materia*, quæ potenter & propere poſſet illum furorem ſanguinis compeſcere, & ſedare. Nam quod turget, urget. Urget

get autem minitando periculum præsens. Quod prævenire præstat, quam præveniri. *differre enim in talibus, malum*: Aph. IV. 10.

§ 73. Indicantia porro *minus-principalia* fundavimus in Sanguine stagnante in Rene, & mordicante Intestinum. *Iste*, quia & coire solet & transire debet per angustias Caruncularum papillarium, requirit *materiam* se diluendo & transcolando idoneam. *Ille* vero, quia confluit qua ire nec solet nec debet, exigit *materiam* talem, quæ & præpedire ipsius affluxum queat, & munire partem contra offensam.

§ 74. Quibus præhabitis jam porro expendamus, *an* satis *exarte* & bona ratione hæc *omnia* Præceptor administrarit. In eo quippe cardo rei vertitur, velut summa curæ præsentis. Qui igitur in nassam hanc innatavi, videre debeo, qua exeam, & suam Hippocrati meritamque laudem asseram.

§ 75. Huic *mane dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars. Mixturæ totum, acetabula tria.* Spectant hæc principaliter *primum* Indicans, *turgentem* Sanguinem, *causam* omnium Clonigi malorum. Nobis spectanda in istis occurrunt, *primo*, Materia remedii: *deinde*, Usus materiæ. *Materia* erat, Lac caprinum & Aqua. *Vsum* definit à Persona, forma, quantitate, atque tempore. Dicebam vero, *principaliter* quia revera convenit etiam utraque illa *materia* Indicantibus cæteris, ceu mox ostendemus.

§ 76. *Lac caprinum* multoties Hippocrati & multis variisque in morbis fuit in usu. Ego nunc ea dumtaxat sisto loca, quibus præscribit *inflammatis*; & quidem propter eos, qui omnem simpliciter Lactis in talibus usum damnant auctoritate Aph. v. 64. Ergo inspicere si lubet, videbis etiam commendari in *pulmonia*, l. de Int. aff. t. IV: in *pleuritide*, III. de Morb. t. XXIV: in *morbo hepatico*, l. de Int. aff. t. XXXI: in *ischiade*, eod. lib. t. LIV.

§ 77. Galenus *lac caprinum* non ab una dote nec uno in loco laudat. Laudat à *substantia*, quod neque crassum, neque tenue, neque pingue sit nimis, l. de Alim. fac. III. 15: & de San. tu. v. 7: & Meth. med. v. 15. Laudat à *temperie*, l. de Simpl. fac. v. 21: & de Dissol. cont. c. 5. Laudat à *salubritate*, l. de Succ. bon. c. 4. Unde non immerito Simeon Sethi l. de Alim. fac. ὅτι πάντως ὁ

γάλακτος τὸ αἴγειόν ἐστι βέλτιστον· *Ex omni lacte caprinum est optimum.* quæ verba exhibeo è Codice Vaticano, cujus apographum mihi Cl. Joh. Rhodius procuravit: pro quo aliisque beneficiis fateor, & lubenter, me plurimum humanissimæ ipsius benevolentiæ debere. Cum Setho facit Plinius XXVIII. 9. Varro tamen illi præfert *ovillum* in l. de Re rust. II. 2. Sed propius ad rem.

§ 78. Lactis *facultates* sunt, non tantum egregie alere corpora, quibus convenit; verum etiam humectare, refrigerare, mitigare. *Alit*: quia boni succi est. Dioscorides II. 75: Γάλα κοινῶς μὲν πᾶν, εὔχυμον καὶ τρόφιμον· *Lac generatim omne boni succi & alibile est.* Idem testatur Celsus II. 20. Galenus etiam *optimum* ait omnium, quæ vescitur homo. vide l. de Alim. fac. III. 15. & l. de Succ. bon. c. 4. Quin Aristoteles in Polit. VII. 17. dicit, τὴν τοῦ γάλακτος τροφὴν, μάλιστα οἰκείαν τοῖς σώμασιν· *Lac alimentum esse appropriatissimum corporibus*: & hoc apparere ex gentibus, οἷς ἐπιμελές ἐστιν εἰσάγειν τὴν πολεμικὴν ἕξιν, *qui satagunt conciliare sibi habitum corporis bello aptum.* Quæ quam non intellexerit Gaza, versio docet. *Alit* autem, ut dixi, *egregie*: sed ea dumtaxat corpora, quibus convenit. *Convenit* enim non omnibus; sed his inprimis, qui sunt in vigore ætatis. quo spectat Hippocratis quod citavi & emendavi exerc. V. 90.

§ 79. *Humectare*, docet Galenus l. de San. tue. I. 7. *Refrigerare*, planum est ex iis quæ scribit ad Aph. V. 40: & de Simpl. fac. IV. 17. *Mitigare* denique, paret ex l. de Comp. κ. τόπ. VIII. 1. ubi in faucium inflammationibus eo gargarisare inter initia jubet. quod & hodieque populus cum successu facit. Hippocrates expresse in I. Muliebr. t. LXXXVIII: ὅτε δὲ δάκνεται [ἥ, τε κεφαλὴ καὶ αἱ φρένες] καὶ δριμέα ἐστὶ, γάλα τάυτησι εὐμενές· *Quum vero roditur [caput septumque] ab acribus, lac illis propitium* ac mitigationi est.

§ 80. *Quæ* Lac si potest, fuit sane *materia* Intentioni propositæ appropriatissima. Neque *illi* tantum: sed & *illi*, quæ Alvum respicit dysentericam. Aetius tetr. I. serm. II. 92: ὅσοι δὲ χυμοὶ δακνώδεις ἐνεῖσιν, ἐκκαθαίρει τὸ γάλα. ὅθεν καὶ δυσουριῶντι καὶ διαχωροῦντι δριμὺ οὐ μόνον πιεῖν συμφέρει, ἀλλὰ καὶ ἐνιέναι κάτωθεν· *Quicumque*

que humores mordicantes insunt, eos expurgat lac. Vnde & ægre mejenti ac dejicienti acria non solum bibere illud expedit, sed & infundere.

§ 81. Quibus in casibus præ quovis alio lacte convenit *caprinum*. Cujus rationem perceperis ex Dioscoridis, quæ de hoc testatur in II. 75. Τὸ δὲ αἴγειον, inquit, ἧττον κοιλίας ἅπτεται, διὰ τὸ τὰς αἶγας τὸ πλέον συφόσῃ νομῇ χρῆσθαι· ὅθεν καὶ διὰ στόμαχον τυγχάνει. *Caprinum minus alvum tentat, quia capræ fere adstringenti pabulo vescuntur: unde & ventriculo conducit.* quin & intestinis, ceu quæ nihil sunt aliud quam ventriculus elongatus. confer ad Cæl. Aurelianum Tard. pass. IV. 3. p. m. 464.

§ 82. *Tale* vero *lac* cum nullum sit præterea, neque vero id haberi semper & ubique queat, *facere* Galenus jubet l. de Simpl. fac. x. 8. Vetus *faciendi modus* erat, διὰ πύρων κόχλαξιν ἐξικμάζειν, *ignitis silicibus exiccare.* ita ibidem Dioscorides. Meminit ejus Hippocrates in historia filii Erotolai VII. Epid. t. III. & χάλα πεπυρωμένον vocat. Cælius jam citato loco p. 463. *diacocleon* ait appellari. Foesius in Oecon. *diacoclacon* dicendum existimat. Sunt enim *coclacæ*, Festo auctore, *lapides ex flumine rotundi ad coclearum similitudinem.* Cyrilli Lexicon Græcolat. vetus: Κόχλαξ, ὁ λίθος, *Glarea.* Græce fuit, διὰ κοχλάκων. id fuit Cælio, *diacochlacon.* Cujus verbis etiam aliud & majus subesse mendum videtur. Ait: *Lac quoque bibendum præcoctum, quod appellant diacochlacon, sive singulare.* Quid heic sibi velit τὸ *singulare*, quis divinet? Forte fuit, *silicare.* Ut enim ψύλλιον *Pulicaris herba* dicta aliquibus est à *pulex*: quid ni sequior Latinitas à *silex* fecerit *silicaris*? Sed in spongiam incumbat ea conjectura, si dissentiunt membranæ.

§ 83. Galenus cum valde *astringere* Lac cupit, siliçibus *ferrum* præfert: quoniam non tantum paria cum illis in exiccando facit, sed & astrictoriam præterea virtutem cum subtilissima scoria deponit extinctum in lac. Hodie *chalybe* potius utimur.

§ 84. Porro *opponentibus* Aph. 64. lib. v. respondet, & docte, Petrus Vaezius in Comment. medico cap. xx. quem vidisse operæ erit. Interim ratio & fundamentum, quibus responsio ipsius nititur, jam olim proposita fuere à Ruffo. scies ex Aetio tetr. I. serm. II. 93.

§ 85. Hoc casu tantum aberat, ut *aquosum* Lactis esset vel ista vel alia quacumque ratione exiccandum, ut ratio exigeret non modo eligi *lac caprinum*, quoniam sua natura *aquatum* est, & ob id *constrictioni ventris incongruum*, ut ibidem Cælius ait; sed insuper addi aliquid *aquæ*: quo scilicet *lac* etiam minus incendi posset, & magis refrigerare. Ὕδωρ γὰρ, ψυκτικόν· *Aqua enim refrigerat*, inquit Præceptor in II. de Diæt. t. XII. 223. Quantum vero in *refrigerando* valeat Aqua, facile didiceris ex III. de Diæt. t. X. 201. ubi, si quem contingat incidere in febrem ex eo quod *labores superati sunt a cibis*, præcipit προσφέρειν μηδὲν ἄλλο, ἀλλ' ἢ ὕδωρ ἡμερέων τριῶν· *offerre nihil aliud, nisi aquam diebus tribus.* confer ad Celsum in Præt. & l. III. 9. & considera, ibi quidem, Cassii ingeniosissimi, ut appellat, medici; heic vero, Petronis consilium factumque in febribus curandis.

§ 86. Sed cum *differentiæ* Aquarum tantum non sint innumeræ, ceu colligere est ex iis, quæ tradit de iis Hippocrates l. de Aere aq. & loc. t. VI. 68. & deinceps: heic vero non definiat, *quam* Lacti miscuerit: neque possit non interesse, *quæ* offeratur: quid ejus nos faciet certos? Ratio & exemplum.

§ 87. *Ratio* suadet optimam dari: non simpliciter; sed casui præsenti. *Huic* autem *conducibilior* dulcissima, levissima, limpidissima. Præceptor eodem libro t. VII. 78: ὁκόσων μὲν αἱ κοιλίαι ξυγκαίειν ἀγαθαὶ, τουτέοισι μὲν τὰ γλυκύτατα ξυμφέρει, καὶ κουφότατα, καὶ λαμπρότατα· *Quorum ventres accensu promti sunt, his dulcissimæ conducunt, & levissimæ, & clarissimæ.* Tales vero *cœlestes* sunt. Iterum noster textu seq. 85: τὰ μὲν ὄμβρια κουφότατα, καὶ γλυκύτατά ἐστι, καὶ λεπτότατα, καὶ λαμπρότατα· *Pluviales igitur levissimæ & dulcissimæ sunt, ut & tenuissimæ, ac limpidissimæ.* Quo autem indicio *levissimam* deprehendas, docet Aph. V. 26. qui transumtus est ex II. Epid. II. 12: ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον· *Aqua quæ cito calefit & cito refrigeratur, levissima.*

§ 88. Etiamne, *optima?* Ita arbitratur Philotheus in com. & sequuntur ipsum Interpretum plerique. confer Annotationem Foesii ad locum è II. Epid. allegatum. Quos ego mihi respon-

deant

deant rogo, quemadmodum *optimæ* mereantur dici, quæ καὶ σήπεται τῶν ὑδάτων τάχιστα, καὶ ὀδμὴν ἴσχει πονηρὴν, *& præ cæteris aquis putrescunt celerrime, & fœtorem acquirunt pravum?* nam ita de *pluvialibus* testatur Hippocrates l. de Aere, aq. & loc. t. VIII. 90.

§ 89. Ego *simpliciter*, nec habito respectu ad certum usum, prætulero *fontanam*: volente ipso iterum Præceptore ibidem t. VII. 71. 72. Ubi *optimas* dicit, quarum fontes in sublimi ad ortum æstivum erumpunt è collibus terreis. Has enim dulces esse, & albas ait, & puriores atque odoratas ac leves, modicoque vino ferendo idoneas. Quid præterea *dotium* requiras ad salubritatis apicem? vide ad Athenæum II. 7.

§ 90. Hoc casu *cœlestem* præfero tamen. Et habeo *exemplum* in III. de Morb. t. XXIX. ubi Dictator exhibens *catalogum* eorum, quæ in Febribus ardentibus apta nata sunt refrigerare, eidem inserit quam laudamus. Τοῦτο δὲ ὕδωρ οὐράνιον αὐτὸ καθ' αὑτό q. d. *Hoc vero* etiam præstat *aqua cœlestis ipsa per se*, hoc est, cui nihil incoctum, nihil additum sit. Eamdem commendat Celsus II. 18.

§ 91. Quod si *aquam* quis existimet Dysentericæ alvo non convenire, is attendat ad illud Celsi IV. 15: *Potui, si febricula est, aqua pura calida, vel ea, quæ ipsa quoque adstringat, dari debet. si non est, vinum lene, austerum. Si pluribus diebus nihil remedia alia* [forte *illa*] *juverunt, vetusque jam vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumta, ulcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit.*

§ 92. Tantum de *materia*, ad satisfaciendum *primæ* Intentioni adscita. Sequuntur quæ *rectum* Usum concernunt. Ubi *primæ* considerationis, *persona* est.

§ 93. *Huic*, inquit. Clonigo videlicet nephritico & mejenti sanguinem, paulatim, confertim, difficulter; & quem præterea alvus infestabat dysenterica. *Huic*, inquit, bibendum *dabatur* Lac temperatum aqua. Ergo, *huic*, cum dicit, meminisse præcepti oportet, quod præcipit Præceptor l. de Affect. t. II: τοὺς νοσέοντας χρὴ σκοπεῖν εὐθὺς ἀρχομένους ἐν τῇ καταστάσει τῶν νουσημάτων, ὅτου ἂν δέωνται· καὶ οἵους τε ὄντας, φαρμακευθῆναι. καὶ ἄλλο ὅπερ ἄν τις θέλῃ προσενέγκαι. *Ægrotos oportet considerare protinus ac inceperint*

affici morbis, cujus omnino egeant: & satin' apti sint ad purgandum, aut omnino id, quod quis voluerit offerre.

§ 94. Certe nulla est medicina tam proba atque probata, quæ non suo, si inscite & intempestive præbeatur, effectu careat &, quamvis efficacissima, inefficax reddatur. Hoc autem Philo Judæus ostendit in Josepho seu De vita politica, p. m. 531. c. Ἰατρὸς, inquit, οὐχὶ μιᾷ χρῆται θεραπείᾳ πρὸς ἅπαντας τοὺς κάμνοντας, ἀλλ' οὐδὲ πρὸς ἕνα τοῦ παθους μὴ ἐπιμένοντος, ἀλλ' ἐπιτηρῶν ἀνέσεις, ἐπιτάσεις, πληρώσεις, κενώσεις, αἰτιῶν μεταβολὰς, ποικίλλει πάντα πρὸς σωτηρίαν, ποτὲ μὲν ταυτὶ, ποτὲ δὲ ταυτὶ προσφέρων. hoc est: *Medicus neutiquam una utitur medicina ad omnes ægrotos, imo nec ad unum, affectu non persistente; sed observans remissiones, intentiones, repletiones, vacuationes, causarum mutationes, omnia variat ad salutem, nunc hoc, nunc illud offerens.*

§ 95. In hanc rem egregie quadrat historia, quam narrat D. Augustinus ad Marcellinum Epist. v. *Magnus*, inquit, *ille nostrorum temporum medicus Vindicianus, consultus à quodam, dolori ejus adhiberi jussit, quod in tempore congruere videbatur: adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus corporis causa commotus, hoc idem ille putavit adhibendum: adhibitum vertit in pejus. Miratus currit ad Medicum, indicat factum. At ille, ut erat acerrimus, respondit: Ideo male acceptus es, quia ego non jussi. ut omnes, qui audissent parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibusdam postea stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati jam non hoc se fuisse jussurum.*

§ 96. *Alterum*, quod in his concernit *usum* Materiæ præfinitæ, *forma* est. Ita nunc appello *modum consistentiæ*, sub quo visum fuit *lac* & *aquam* Clonigo offerri posse cum fructu sperato. Equidem non parum refert, qua quid *forma*, Liquida an Solida, exhibeas. *Liquida* enim cito subeunt in Venas & suffunduntur Sanguini, & quaquaversum meant in Viscera atque Membra. *Solida* econtrario diu morantur in Ventriculo, & multa sæpe indigent attritione, neque tunc quoque tota penetrant; sed sua potius virtute, hoc est, subtilibus quibusdam particulis & sæpe inefficacioribus

cioribus imprægnant vel Serum ventriculo inſtillatum, vel Potum ſuperfuſum, vel Liquorem denique pro vehiculo admixtum.

§ 97. In *alimentis* quæ quidem *liquida* ſunt, promte Viribus ſuccurrunt laborantibus; ſed haud duraturam apponunt materiem: *ſolida* vero, quanto ſæpe tardius ſubveniunt, tanto etiam firmius quid robori addunt. Ita enim eſt, ut Præceptor ait l. de Alim. t. XII. 31: τροφὴ ἡ δυσκολοίως, δυσεξανάλωτος· ἡ δὲ εὐπεπτος, εὐεξανάλωτος· *Alimentum quod ægre conficitur, tarde conſumitur: quod facile apponitur, cito deteritur.* Eodem reſpiciens II. de Diæt. VI. 71, de *Cyceonibus* ait, quod, qui parantur διὰ γάλακτος *cum lacte*, ſint τρόφιμοι πάντες *alibiles omnes*, ſive plus nutriant, quam ſi cum aqua aut vino aut melle conficiantur.

§ 98. Cæterum intelleximus jamante, *fervorem* Sanguinis eſſe urgens malum, & poſtulare materiam, quæ promtum præſtet auxilium. *Tale* autem nequibat præſtari, niſi ab ea, quæ ex facili poſſet commeare ad intima Corporis, ad lacum fontemque Sanguinis. Jam vero comperimur, quotquot experimentum capimus in nobis, nihil æque famem ſanis ſedare ac potum lactis calidi. Quin tam potenter lac & nutrit & temperat vim Caloris omnia depopulantis, ut per illud non tantum vivere liceat, & ſanis, ſed & bene valentibus. Athenæus teſtatur in Deipnoſ. II. 71, πολλὰ ἔθνη γαλακτοποτοῦντα ζῶ· *multas gentes lactis potu vivere.* Etenim *poteſt lac* (inquit Joach. Struppius in Anchora Famis & Sitis penu v. cell. VI.) *omnia præſtare, cibum, potum, & medicamenta domeſtica plurima & ſaluberrima. Quod quidem Helvetii, robuſtiſſimi & vivaces populi ipſa re atque experientia didicerunt.* Et annon omni die hoc diſcimus in infantibus noſtris? Sed ita eſt, quæ ante pedes ſunt prætervidemus &, ceu uſum non habeant, præterimus.

§ 99. *Tertio* ſeſe loco offert *quantitas* Materiæ exhibitæ, tam *quoad* Mixturæ totum, quam *quoad* Partes ejus ſingulas.

§ 100. *Mixturæ totum* fuit κοτύλαι τρεῖς, *heminæ tres.* Quæ κοτύλη Græcis, eadem *hemina* Aureliano dicitur Tard. paſſ. IV. 3. reperies enim p. m. 468: *Cum ciſternina vero aqua, ad heminas ſex, quas cotylas Græci appellant.* Ne dubites, addo etiam teſtimonium

nium Q. Rhemnii Palæmonis è l. de Pond. & mensſ. 11. 67:

At cotylas (quas, si placet, dixisse licebit
Heminas) recipit geminas Sextarius unus.

Athenæus XI. 8: *Diodorus in Italicis glossis & Heraclitus, ut ait Pamphilus, tradunt τὴν κοτύλην καλεῖσθαι καὶ ἡμίναν, cotylam vocari etiam heminam.* Qui cum ad Epicharmi atque Sophronis auctoritatem provocent, satis fatentur & hoc vocabulum esse à Græcis devolutum ad Latinos.

§ 101. Interpretes non raro *acetabulum* pro Cotyla reddunt: præeunte, ut opinor, Onomastico: cui *Acetabulum*, ἡμίνη exponitur. At erat *acetabulum*, quod ἐξύβαφον Græci, heminæ seu cotylæ pars dumtaxat quarta. Ita est in Excerpto περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, quod Marcellus Empiricus Operi suo præfixit: τὸ ἐξύβαφον ἦ, τέταρτόν ἐστι κοτύλης. Habes expresse etiam apud Galenum de Vict. acut. 1. 21. Etiam apud Plinium XXI. 34: *Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas* XV. Quod & confirmatur ex libris Cleopatræ, qua de Pond. & Mens. *Cotyle, mensurâ quidem habet cyathos* VI: *pondere autem drachmas* LX.

§ 102. Cæterum κοτύλη *alia* Græca, *alia* Alexandrina, *alia* Italica erat. *Italica*, eadem & *libra* dicebatur apud Romanos, ceu videre apud Galenum de San. tue. IV. 8. & de Comp. κ. γένη I. 15. *Libra* autem *Romana*, quæ & *medica*, uncias continet duodecim, ceu notissimum est omnibus. Unde in jam laudatis Excerptis id *manifestum* dicitur, *quod Italica hemina habet uncias* XCVI. ἡ δὲ ἀλεξανδρίνη κοτύλη ἐλαίου μὲν ἔχει ϛο η. οἴνου λ. ϛο θ. *Alexandrina autem hemina olei quidem habet uncias* VIII: *vini autem, uncias* IX.

§ 103. Quod vero *cotylam* Græcam attinet, video apud Hippocratem nominari Atticam & Ægineam. *Atticam*, l. de Nat. pueri t. XII. 85. & multis præterea locis. *Ægineam*, II. de Morb. t. LXII. & sæpe alibi. *Attica* capiebat uncias mensurales novem. Et hæc intelligenda venit, quoties vel *simpliciter* κοτύλη, vel cum additione ἑλληνικὴ occurrit apud Auctores. Ostendit hoc Plinius loco, quem laudavi: *fere enim Attica*, inquit, *observatione medici utuntur*. Imo ostendit Athenæus Deipnos. XI. 8. ubi τὸ κοτύλης

nomen

nomen Athenienſibus proprium fuiſſe probatè Thucydide & Ariſtophane. Neque dubito hoc loco, qui præ manu eſt, de *Atticis heminis* accipere.

§ 104. Inquies: *Nimiam* videri eam *menſuram*, utpote XXVII. unciarum, præut uno tempore, nedum una vice queat aſſumi. Reſpondeo, *primum*: Parvam eſſe eam quantitatem, ſi compares cum illa, qua nonnulli *aquas* bibere *medicatas* præſcribunt. Ita enim Mengus (referente Gabr. Fraſcato de Aquis Returbii lib. III) ſummam doſin conſtituebat lagenas IV: Lud. Zimalia de Baln. Pancratii, uncias CCLXXX: Andr. Baccius l. de Therm. II. 10, uncias CCXL: Gabr. Fallopius tr. de Therm. cap. XI, uncias CXX: Fraſcatus ipſe, uncias C. confer ad Melch. Sebizium de Acidulis ſect. II. diſſ. VII. 9. & deinde. Archigenes apud Aetium tetr. III. ſerm. III. 30. ubi de Diæta in Veſicæ ulcerum curatione obſervanda, inter alia laudat *Aquas albulas*, eaſque trium heminarum menſura primo die potatas, perveniendo deinde ad quinque & ſex. Ut jam non dicam, quantum ſæpe vel Vini vel Biræ ingurgitent horum cupidi. videſis ad Lipſium in Epiſt. miſc. III. 51.

§ 105. Reſpondeo *ſecundum*: Non eſſe, quod quis de menda ſuſpectum habeat codicem, cum & alibi parem præſcribat menſuram, & verbo tali, quod cadere in ſuſpicionem non poteſt. Ita videas l. de Affect. int. t. IV. in Pulmonis inflammatione, ſub qua *tubercula* ipſi accidunt & ſuppurantur: ubi pure evacuato inter alia jubet bibere ἵππειον γάλα σεσεισμένον ἑκάστης ἡμέρης ἕωθεν τρικότυλον κύλικα, ἢν ᾖ δυνατός. Cornarius: *equinum lac excolatum quotidie mane, poculi tres heminas continentis menſura, ſi facere poterit.*

§ 106. Etiam κότυλος *menſuræ* olim fuit nomen. Etiam apud Hippocratem, ſi credimus iis, quæ *de Menſuris & Ponderibus medicinalibus, ex Græco translatis, juxta Hippocratem* ſe tradere profitetur Marcellus initio operis ſui. Scriptum eſt ibi: *Cotylos habet* -III. *quod facit cyathos* II. *& cochlearia ſex.* Apud Sicyonios *cotylus* erat poculi genus parte una auritum. auctor eſt Athenæus XI. 8: imo Diodorus libro quem ad Lycophronem ſcribit. Pamphilus

poculi quidem genus fuisse, sed Baccho peculiare volebat.

§ 107. Ut vero hinc τετράτυλον κύλικα dictum existimem, à me non impetro. Ut enim non attingam quæ dici in hanc rem Grammatice queunt, mensura unciarum duodecim revera minor est, præut necesse habuerit Senex addere eam conditionem, ἰῶ ἢ δυνατὸς, *si potis sit*. Quam merito tamen stipulatur, si bibendæ sunt unciæ viginti septem. Revera enim facile tantum bibere nequeunt, nisi qui dudum consueverunt κοτύλαις μεγάλαις εἰς χέειν ἐς σφέτερον δέμας ἀδενὶ κόσμῳ, *magnis cotylis* vinum aliumve luxuriæ potum *infundere in suum corpus nullo pudore*. ita enim hæc, ibidem Athenæus quæ citat è Cocalo Aristophanis, recte legenda observat doctissimus Casaubonus in Animadv. XI. 8. Quare *corpus* Græcis δέμας nuncupetur, discres ex Macrobio in Scip. somn. I. II.

§ 108. Sed γάλα στεστμμένον Hippocrati quid est? Foesius in Annot. ad hunc librum n. 11: *Sic quidem legunt quotquot vidimus exemplaria. Sed στεσιμμένον lego cum Interpretibus: etsi Calvus mihi videtur utramque lectionem adhibuisse.* Suidæ τὸ σήθω, κοσκινίζω exponitur. Est autem κόσκινον, *cribrum*. Hodie quibus utuntur ad incernendum & purgandum lac à pilis & id genus sordibus inter mulgendum aliterve illapsis, faciunt ex setis seu caudæ equinæ pilis: unde & setaceum appellant; nostrates, *een seef*. Atenim tanti ne id est, ut locum habere in præceptis medicis debuerit? Nolim de tanto Viro sensisse tam humiliter. Sin aliud est *lac excolatum*, paratus sum discere & discedere à sententia rem doctus.

§ 109. Ego quod scriptum est, rectum censeo, & commodum præsenti loco. Videtur id vidisse etiam Joh. Martinus, doctissimus hujus libri interpres. Vertit enim: *lac equinum agitatum*. Industriam interea & diligentiam in Explicatione desidero. Itaque & ista nos manent. Viderint autem eruditi, num exspectationi suæ satisfecerim, & mihi subveniant deficienti.

§ 110. *Recte* scriptum esse, mihi quidem videtur liquere ex IV. de Morb. t. XXV. Hippocrates eo in loco ostensurus, quemadmodum ex *perturbatione* Sanguinis secessio fiat humorum ejus massam constituentium, adducit exemplum lactis, & inquit:

ἔοικε

ἔκοικε δὲ τοῦτο, ὥσπερ οἱ Σκύθαι ποιέουσιν ἐκ τοῦ ἱππείου γάλακτος. ἐγχέοντες γὰρ τὸ γάλα, ἐς ξύλα κοῖλα, σείουσι. τὸ δὲ ταρασσόμενον, ἀφριεῖ καὶ διακρίνεται. καὶ τὸ μὲν πῖον, ὃ βούτυρον καλέουσιν, ἐπιπολῆς διίσταται, ἐλαφρὸν ἐόν. τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ, κάτω ἵσταται, ὃ καὶ ἀποκρίναντες, ξηραίνουσιν. ἐπὴν δὲ παγῇ καὶ ξηρανθῇ, ἱππάκην μὲν καλέουσιν. ὁ δὲ ὀρρὸς τοῦ γάλακτος, ἐν μέσῳ ἐστίν. Quæ sic reddebam: *Simile hoc ei, quod Scythæ faciunt ex equino lacte. Infusum quippe lac in ligna cava,* h. e. lignea vasa, *quatiunt. Vexatum vero, spumat ac discernitur. Et pingue quidem, quod Butyrum vocant, in superficie natat, cum sit leve. Grave vero & crassum subsidit: quod sequestrantes exiccant. Vbi vero concretum siccatumque fuerit, Hippacen nominant. Serum lactis autem in medio est.*

§ 111. Ista, quod ad rem, nihil habent aut habere difficultatis possunt apud hos, qui umquam rei rusticæ interfuere. Nec quemquam hodie tam hospitem nostro in orbe puto, qui ignoret quemadmodum opera ista lactaria fiant. *Butyrum* itaque non secerni à lacte, nisi vi & concussu vehementi, notum est. Id noster diserte σείειν, *quatere*, seu violenter tundere, & tundendo agitare, & agitando cernere. Unde deduxero nostratium *karnen*: quod est huic negotio proprium. Plinius XXVIII. 9: *E lacte fit butyrum, barbararum gentium laudatissimus* (quia lautissimus) *cibus, & qui divites à plebe discernat. Plurimum è bubulo, & inde nomen: pinguissimum ex ovibus. Fit & ex caprino. Fit hieme calefacto lacte, æstate expresso tantum, crebro jactatu in longis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore.* Sed clarum est, quod non nisi *vi coactum* se prodat atque in summo fluitet.

§ 112. Itaque γάλα σεσεισμένον audacter reddidero *lac quassum*, sive quod vehementer agitatum sit, sive quod vim agitatione sit passum, nec amplius integrum, utpote privatum parte pinguiore &, Hollandis meis si credas, meliore ac merita egregiis suis dotibus *D. Virginis soror* appellari. Qua secreta, quod superest lac ebutyratum, nos *karne-melk* deinde vocamus.

§ 113. Nullus queo dubitare, quin id ipsum sit, quod Poeta Bucolicor. I. 82, *lac pressum* dicit. Tityrus abiturientem Melibœum ut retineat apud se, invitat commoditate primum loci

ad quieſcendum, ruris deinde delitiis ad veſcendum, moleſtia denique itineris ad cavendum.

Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem
Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preßi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

§ 114. Interpretes ad illud, *preßi lactis*: *Aut vere caſei, quod potius. Aut lactis recens mulcti: quia premuntur exprimunturque ubera, cum mulgentur.* Non poſſum diffiteri: oculi mihi aureſque dolent, quoties incido in ejuſcemodi ineptias. Si enim intellexit *lac recens mulctum*, quare non dixit, *& largi copia lactis*, ut in Georg. III.308? Si vero *caſeum* intellexit, quare non dixit, *denſati copia lactis*, ut Plinius in XXVIII.9? Ruris, ut dixi, delitiæ ſunt Poma atque caſtaneæ maturæ ad edendum, & Lac preſſum ad bibendum. Pretioſius hoc, præut potui ſit quotidiano & tenuioribus. In Friſia non urbani ſolum, ſed & pars magna nobilitatis, præſertim feminæ magna cum voluptate in potu familiari hoc preſſo lacte utuntur. Certe recens & aſſuetis potus eſt jucundus & ſalubris valde. Nam & egregie nutrit ob reliquam caſei materiam, & facile exit per urinas, & mire temperat æſtum ſanguinis. Poſſem plura heic ſubnotare: ſed non hoc jam ago.

§ 115. Dicat aliquis: Non poſſe illam expoſitionem admitti, propterea quod *butyri* rem nomenque diu ignorarint Græci, nec Romani minus. Hoc autem liquere ex textu ipſo, quem allegavi. Hippocrates enim, exemplum ſi fuiſſet domeſticum, quid habebat opus externum, à Scythis petere, gente barbara & longius diffita? Quod ſi butyri è lacte extundendi modum ignorarunt, qua veri ſpecie appellaſſe γάλα στεσσόμενον, *lac preſſum*, putabimus, quod non niſi expreſſo butyro ſic gaudet appellari? Sin illam noverint rationem premendi lac, cur ait, ὃ βούτυρον καλέουσι, *quod butyrum vocant*?

§ 116. Atenim vero ad hæc non eſt difficile reſpondere. Concedimus, antiquiſſimis temporibus aliud Græcis pariter ac Latinis *pingue*, aut corpori curando, aut cibis parandis, non fuiſſe in uſu

usu præter *oleum*, proprie sic, quia ex olivis exprimitur, dictum. At posteaquam aliqui ex ipsis Thraciam, Pæoniam, Scythiam, alias nationes barbaras adierunt, earum βούτυρον edentes nomen id *butyri* in Græciam primi invexerunt. id quod ex Aristotele etiam constare Casaubonus ait in Animadv. ad Athenæum x. 14. Mihi locus non succurrit: nec vacat quærere. Fecerit, qui de fide dubitavit Viri diligentissimi. Interea si ita est, ut esse constat ex Hippocrate, qui Scythas ait *pingue* Lactis concutiendo expressum vocare *butyrum*: male Galenus de Simpl. fac. x. 11: male Plinius XXVIII. 9. qui ita dictum censent, quod plurimum è bubulo fiat lacte.

§ 117. Res ipsa quia vetustissimæ notitiæ est, quid causæ est, cur negemus Græcis fuisse notam? Illud sane apparet ex sacris. Lxx. interpretes enim sæpe nobis exhibent τὸ βούτυρον: ceu videre Gen. XVIII. 8: Deut. XXXII. 14: Jud. v. 25: II. Reg. XVII. 29: Jobi XX. 17: XXIX. 6: Psal. LV. 22: Prov. XX. 33: Esai. VII. 15. 22. confer ad Cl. Coccejum Jobi XXIX. 6. & disce, ea voce ubertatem & copiam rerum vitæ non tantum necessariarum, sed & jucundarum significari in Scripturis divinis.

§ 118. Quando itaque res fuit notissima Cananæis & successoribus eorum Hebræis, non video rationem, cur putemus eam ignorasse Græcos. quos constat sapientiæ studio Ægyptum atque Chaldæam adiisse. Quidni vero etiam Judæam adierint, præsertim Salomonis tempore, regum sapientissimi ac famigeratissimi, cujusque conspectum incolæ totius terræ dicuntur quæsivisse, ut audirent sapientiam ejus, quam Deus indiderat animo ejus? I. Reg. x. 24.

§ 119. Hippocratis è verbis hoc, si attendis, recte solum intuleris: Scythas solos ex *equino lacte* expressisse *pingue* & hoc *butyrum* appellasse. Græci enim ex bubulo, forte & ovillo ac caprino etiam extundebant. Vocabant autem ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος, *oleum è lacte*. Hecatæus (vetustissimus auctor, ceu ex Suida liquet) in peregrinatione per Europam de Pæonibus ait, ἀλείφεσθαι ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος, *ungere se oleo è lacte*. Veteres quippe quodvis pingue ἔλαιον vocabant. Ejus plura sunt vel apud Hippocratem so-

lum testimonia. quorum pars jam monstrata è Foesio in Oeconomia.

§ 120. Quare autem *ex lacte oleum* vocent, innuere Philosophus videtur 111. Hist. de Anim. xx. 250: ὑπάρχει δ' ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότης, inquit, ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης· *Ineſt in lacte pinguedo, quæ & in caseis evadit oleosa.* In casei requisitis est, ut sit non Argus, non Largus, non Mathusalem, non Magdalena, hoc est, pingue suum velut oleum nonexsudans & quasi lachrymans. Si hoc Philosophus non voluit, videndum an hoc voluerit: Lactis particulas pingues crebro jactatu expressas & collectas concretasque induere seu æmulari quammaxime naturã olei.

§ 121. Ἱππάκη Hesychio *tria* significat. *Primo*: σκυθικὸν βρῶμα ἐξ ἵππου γάλακτος. *Scythicum edulium ex equino lacte.* Ergone nescivit quale id esset? *Caseum* appellant, qui ejus primi meminere. Hippocrates l. de Aere, aq. & loc. t. XIV. 140. qua de Scytharum *Nomadum* seu pascuam planitiem inhabitantium victu: ἐσθίουσι κρέα ἑφθά, καὶ πίνουσι γάλα ἵππων, καὶ ἱππάκιον τρώγουσι, τοῦτο δ' ἔστι τυρὸς ἵππων· *comedunt carnes coctas, & bibunt lac equarum, & Hippace vescuntur: ita vero appellant Caseum equinum.* Ex quo Dioscorides in II. 80: ad quem videsis Saraceni scholia, si libet plura de eo cognoscere, & qui præter nostrum ejus meminere. Vide & Hier. Mercurialem in Var. lect. II. 26. & Foesium in Oecon. Laudat hunc *caseum* Scaliger ad III. Hist. anim. XX. 241: *ex equabus*, inquit, *caseum factum esse vidimus in Apulia, ut ajebant, dulce & pingue.*

§ 122. *Secundo* significat ὀξύγαλα ἵππειον, ᾧ χρῶνται σκύθαι. *Oxygala equinum, quo utuntur Scythæ.* Non facile quis dixerit, quale id fuerit. Quod conjecturam reddit difficilem, illud est, quod de ejus usu subjicit Hesychius: πίνεται δὲ καὶ ἐσθίεται πηγνύμενον, ὡς Θεόπομπος ἐν τρίτῳ αὐτοῦ λόγῳ· *Bibitur vero & estur coactum, ut Theopompus in tertio suo libro*, Historiarum haut dubie. quas sæpe citat Athenæus & singulari elogio condecorat in III. 8. quo de etiam Casaubonum adi, qui verum ait & approbat testimonio Dionysii Halicarnassei Epist. ad Pompeium, atque Luciani de conscribenda historia.

§ 123.

§ 123. Plinius *duplex* Oxygala nobis describit. *Additur* [lacti scilicet] *paululum aquæ, ut acescat. Quod est maxime coactum, in summo fluitat. id exemptum addito sale, oxygala appellant. Oxygala fit & alio modo, acido lacte addito in recens quod velis acescere.* Brevitas invidiosa. Sed ita est, qui suo tempore in vulgo notissima oderunt in scriptis accurare, ut ne nimium diligentes habeantur, pontem sternunt, qua ad posteritatem transeat ignorantia suarum rerum.

§ 124. Si quid conjicere possum, istud *prius* Oxygala est, quod nostrates vocant *op-ruitsel*, & colligunt ex lacte post ebutyrationem acescente. Forte hoc est, de quo Asiatice disserit Galenus de Alim. fac. III. 16: ut brevibus ex eo Aetius tetr. I. serm. II. 98. *Posterius* autem credo esse, quod nobis dicitur *saene*, & fit ad multum lactis recentis atque egelidi affuso modico pressi seu ebutyrati. *Aliud* Oxygala est, quod parare Columella docet in XII. 8. *Aliud*, quod μέλκα Græcis, sed accepta voce à Latinis, nuncupatur, cujusque confectionem egregiam docet Paxamus Geop. XIX. 21. Romani ruris *vocem* esse Galenus dicit l. de Cibis boni & mali succi c. 13. Laudat, ad *refrigerandum*, Meth. med. VII. 4. confer & Æginetam III. 37.

§ 125. *Scythicum* Oxygala apud suos *Thur* vocari testatur Scaliger Exerc. CCLXXXIV. 2. *Equinum*, inquit, *lac acidum Tartari Solis vi cogunt in casei duritiam, & Thur vocant.* Quod nomen Ambr. Contarenus Itiner. Persici cap. VII. adscribit Tartaris Precopensibus. Addit Scaliger ab iisdem Scythis *lac acidum* vocari *Comiz.* Quibus quia lucem dare licet ex Gul. Rubrico (cujus Itinerarium Tartariæ editum est Gallice à Petro Bergerono Parisiis & annis abhinc viginti tribus:) operæ id erit, vel ad assequendam Grammatici mentem. Dabimus autem ejus verba ad verbum Latine, & caput VI. pene totum.

§ 126. *Ipsorum Cosmos* [commis] *sive lac equinum comparant sibi hoc modo. Extendunt supra terram longum funem utrimque palo attensum. Deinde illi alligant tribus admodum horis tres pullos equarum, quas mulgere volunt. Quæ manentes hac ratione apud pullos suos, magna sese lenitate patiũtur mulgeri. Quod si quæ ferocior forte occurrit*

suum

ſuum ipſi pullum admovent, ut aliquantum lactet, quo facto deſubito hunc amovent, jubentque accedere eum, cui illam mulgendi demandata eſt cura. Quando itaque magnam eo modo collegerunt quantitatem lactis, adinſtar vaccini, dulcis, protinus id infundunt in utrem aliudve vas. Vbi tum concutiunt & jactant valde ligno quodam ad hoc apto, utpote inferius habente pilam magnitudine humani capitis, ſuperius cavo. Sic quaſſatum lac incipit inſtar muſti effervescere, atque aceſcere velut fermentum : atque interim pergunt contundere, donec extuderint butyrum. Quo facto guſtant &, ſi deprehendunt mediocriter acre, bibunt. Pungit vero hoc linguam, prorſus ut lora, quum bibitur. Bibitum vero poſt ſe relinquit linguæ ſaporem amygdalinum, reficitque valde cor: quin & inebriat capite infirmiores, ac potenter ciet urinas.

§. 127. *Porro faciunt & aliud genus quod nigrum* [nonnihil ad cæruleum vergens] *eſt, unde & Cara-coſmos appellant, quod ſit Magnatibus in uſu. Faciunt autem hoc modo. Lac equinum non coagulatur. Ratio eſt, quod non videamus ullius animalis lac coagulari, niſi ejus quod concepit. Cæterum movent illi hoc lac tamdiu, donec ejus quod craſſius eſt, ſubſidat ad fundum, perinde ac fex vini: quod autem purius eſt, atque ſubtilius, remanet ſuperius clarum lac, ſerum velut aut muſtum album. Etenim ſedimina ſunt admodum alba : dantque ea ſervis ſuis; quibus ſomnum egregie conciliant. Sed quod ad clarum, hoc niſi à dominis non bibitur. qui profecto potus eſt ſuavis admodum atque magnarum virtutum.*

§. 128. *Quod ad lac caprarum, ei primum ſubtrahunt butyrum, deinde hoc coquunt ad plenum uſque rancorem, atque mox immittunt in corium caprinum conſervationis gratia. Non ſaliunt autem butyrum ſuum, neque curant inſignem illum rancorem. Reſervant vero in hiemem. Quod ad lactis reliquum, quod ablato butyro ſupereſt, ſinunt id aceſcere, quantum quidem poteſt. Deinde coquunt fiuntque grumi, quos* [excolato ſero] *exiccant ad Solem: qui reddit illos duros inſtar ſcoriæ ferri. Conſervant autem in ſaccis in hiemem. Hac tempeſtate enim, cum ipſis deficit lac, aliquid accipiunt ejus egregie durati acidique, quod appellant Gri-ut* [Currut & Curt ac Court] *& mittunt in utrem atque affundunt aquam calidam, jactantque tamdiu donec penitus reſolvatur in aqua, quæ inde aceſcit & in potu ipſis ſervit vice lactis.*

Dili-

Diligenter quippe cavent, ut ne bibant aquam puram putam.

§ 129. Et hæc quidem ex relatione Rubrici, exceptis illis paucis quæ virgulis inclusi: sunt enim hæ notationes, quas margini codicis sui adscripsit Cl. D. Jacobus Golius, Mathesios & Linguarum Orientalium apud nos Professor longe doctissimus, qui ista quoque in Arabia observavit. Lactis illius exsiccati etiam meminit Marcus Polus lib. VII. cap. 47.

§ 130. Laconibus denique ἱππάκη erat μάνδρα ἵππων, *equile* aut cubile equorum. Verum satis exorbitatum est: revertamur aliquando in orbem nostrum.

§ 131. Itaque ad *difficultatem* motam § 104. respondeo *tertium*: Magno morbo fuisse opus auxilio magno. Ἢν γὰρ μὴ μετακινήσῃς τὸ νοσέον, αὔξεται, inquit Hippocrates l. de Loc. in hom. t. LIV. Sane ita est, *nisi dimoveris* de potestate sua *morbum*, *invalescit* irritatus irrito conatu. Quisquis ergo *medicinam* vis aliquid præstare, memineris τοῖσιν ἰσχυροῖσι νοσήμασιν, ἰσχυρὰ φύσει τὰ φάρμακα, *validis morbis valida suâ naturâ auxilia* adhibere. Vides heic & sæpe alias facere Principem medicinæ. Quando autem *lac* debuit *materia* auxiliandi esse, non potuit *magnum* Remedium nisi à *multo* Lacte præstari.

§ 132. Venio ad *tempus* denique Lactis exhibiti. *Dabatur*, inquit, *mane*. Philoxenus: *Mane*, πρωὶ, ἕωθεν. Macrobius in Saturnalib. II. 3. *tempora* Diei, inde à media nocte, accurate digerens, *mane* vocat, *dum dies clarus*; sive, ut Isidorus loquitur Orig. V. 30, *lux matura & plena* est. Medicis *mane* suam latitudinem habet, nempe quadrantem diei. Quo alludit Martialis. I. Epigr. L. 30: *Sed mane totum dormies*. Columellæ dicitur *dies matutinus*, IX. 15. *Tempus* est, quod Lex sacraverat olim offerendo agno, in typum Agni ante jacta mundi fundamenta mactati: Exod. XXIX. 39. Apoc. XIII. 8.

§ 133. Nobilis est apud Hippocratem discursus de *temporibus*, & in his captandis atque arripiendis *occasionibus*, in I. de Morb. t. IV. Ubi inter egregia multa & hoc occurrit: νουσήματά ἐστιν, οἷσι καιρός ἐστι θεραπεύεσθαι τὸ πρωὶ τῆς ἡμέρης. διαφέρει δὲ οὐδὲν ἢ πάνυ πρωὶ, ἢ ὀλίγω ὕστερον. *Sunt morbi, quos tempus est curandi mane diei.*

Nil vero refert, bene mane, an paulo serius. vide Salium in com. t. 28.

§ 134. In hoc *censu* Morbus est, qui præ manu est. Spiritus enim noster nocturna quiete solitus ea curare, quæ concernunt cum Corporis tum suam è Sanguine refectionem, atque eâ factâ redire ad conversationem cum rebus externis, ut his adsit, foras sese ad Sensuum atque Motionum organa mane effundit, secumque Sanguinem, vectem suum, rapit. Quod quia sine nixu non facit, eapropter & ipse & secum sanguis fervet ad lucem sibi redditam, & quam præ omni ac quavis re corporali desiderat & amat ceu comparem sive potius ministram fidelem & ducem fidum ad eas res, quibuscum sibi conversandum est. Lux enim est, quam primam inter corporales Deus bonam dixit: quæ & ipsa bona est, & omnia bona corporalia revelat. Quæ & ita corporalis est, ut spiritualibus proxima sit, atque omnia bona spiritualia per similitudinem denotet. Quæ luce animadvertens Spiritus noster, qui est lampas à Domino, non potest non illam amare & ad Solem ceu sponsum matutinum è thalamo suo egredientem properare in occursum, ut in ipsius se luce & oblectet & exerceat in his, quæ sui esse muneris vel Naturæ instinctu novit.

§ 135. Quoniam igitur Naturæ quadam consuetudine cujusque diei matutino, perinde ac cujusque anni tempore verno, Sanguis à centro ad circumferentiam, ut quidam amant loqui, hoc est, à ventribus ad habitum corporis, à visceribus ad carnes sese soleat effundere magis: eapropter est, quod hoc tempore opportunius exhibeantur, quæ ad frenandum ejus sive impetum sive furorem sunt composita. Uti enim in vacuum hæc tunc veniunt: ita & sincerius atque celerius perveniunt in vasa, & operantur efficacius.

§ 136. Bonum est consilium, quod suppeditat inter alios Conr. Gesnerus l. de Lacte & operib. lact. p. 17. *V. Qui lac ebiberit, summe cavere,* inquit, *debet, ut interim à reliquis cibis abstineat, donec illud exacte concoctum sit, atque alvo secesserit. Si namque eo nondum confecto novum alimentum ingesseris, præter quod ipsum putrescet, etiam quidquid adjeceris, simul ad putredinem trahet. Mane vero bibendum nuperrime mulctum, atque interim magno labori parcendum*

cendum, ſenſimque deambulandum, interjectis quietibus, quæ tamen citra ſomnum ſint. His enim conditionibus potum facile ſecedit, educens ſecum quæ ſupervacua fuerint. Illud enim præ cæteris maxime obſervari oportet, ut primum ſemper ſecedat: quod ubi ſeceſſerit, novum bibendum eſt. In principio igitur ſecedit quidem commode, purgans non tantum quæ in tota corporis mole ſunt, ſed inprimis quæ in ventriculo, inteſtinis, proximiſque membris continentur. Poſtea vero cum jam per venas diſtribuitur, optime nutrit, neque amplius dejicit alvum, ſed potius ſiſtit. Vide ſis etiam de his Hier. Acorombonum tract. de Lacte, p. 86. inprimis ſi vis variorum de iſtis, quæ attulimus, videre ſententias. totus enim in his colligendis fuit.

§ 137. VESPERE *autem panis quidem biſcoctus: opſonia vero, betæ, aut cucumis. Vinum nigrum tenue. Dabatur vero etiam melopepo.* Quæ hac pericopa proponuntur, principaliter ſpectant *conſectaria* Indicantia, ſeu duo illa *coeffecta* Sanguinis ferventis in vaſis, quæ jamante, *nephritidem* eſſe atque *dyſenteriam incipientem*, expoſui. Nobis in præſens *ſpectanda* duo ſunt potiſſimum: *primo*, Materia medica quæ fuit data: *deinde*, Tempus datæ.

§ 138. *Materia* multiplex fuit; eſculenta partim, partim potulenta. *Eſculenta*: Panis atque Opſonia. *Panis* erat biſcoctus. *Opſonia*: Betæ, cucumis, melopepo. *Potus*: Vinum, nigrum, tenue. Dabantur autem hæc *veſpere*. Sed adeamus ſingula ordine, quo digeſſi.

§ 139. Ἄρτος ἐξοπτος. Cornarius: *panis valde aſſatus.* Foeſius & heic & in Oeconomia: *panis exaſſatus. qui* (addit, vice gloſſæ) *plurimum ſiccat, eoque utitur in dyſenteria.* Latine licet, *exaſſatus*, dici potuerit: Latinorum tamen quis uſurpaverit, dici non poteſt. Cicero illud Xenophontis in Oeconomico ſive Memorabil. v. p. m. 860. B, ἡ δὲ γῆ ὁπλῶτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου, redditurus vertit, *terra à ſole percoquebatur.* citat Nonius ex III. Oecon. in *Interſici*, VI. 9. Quomodo etiam Lucretius in v. 24: *& terram percoxerat igni.* Id vero eſt ἐξοπτᾶν Græcis. Sophocles Hippodamia (citante Athenæo in XIII. 2.) *metaphorice* uſurpat pro *urere aliquem aſpectu ſuo.* quod eſt excellentium pulchritudine. *Proprie* vero ſignificat, quod dixi. Latine igitur dixeris: *panis percoctus.* Belgæ, phraſi ſimili: *deur-gebakken brood.*

§ 140. Qualis dici *medullosus* non potest. Potest, & vere & solus, *biscoctus*. Nam & totus crusta est, & fit talis coctione repetita. Qua hoc efficitur, ut medulla aut non aut parum differat à crusta. Non differt eo in genere, quod fit è siligine tritici: differt, sed parum, in eo quod olim ex secundaria farina, nunc ex secali seu rogga confectum appellant *nauticum panem*. Plinius Valerianus II. 45: *Panem nauticum infundes pridie in vino acri.* Cæterum unica coctione usque adeo ex toto etiam medullam exsiccare, tantum non impossibile est. Impedit enim crusta, quæ obducitur. Idcirco extractum è furno panem nostrates pistores sinunt refrigerari, atque mox bisecant subtepentem: deinde remittunt in furnum, & leni ac lento igne percoquunt.

§ 141. Coctio hæc si intra tostionem erit, facit panem egregie salubrem & humiditatibus è ventriculo, quin toto corpore absorbendis aptum. Quod si modum illa excedat, & torreat sive crustam sive medullam quoque, facit amarescere, & cibo panem injucundum atque insalubrem valde. Atram bilem quippe generare atque ad insaniam ducere compertum est. Atram bilem gignere optima ratione ex Galeni de Vict. acut. IV. 104. colligit illustre artis & patriæ suæ lumen ac columen D. Renatus Moreau (quem ut sine honoris præfatione nominem, non sinit favor, quo me vir humaniſſimus dignatur) in Animadv. ad Scholam Salern. cap. XVII. p. 271.

§ 142. Dicat aliquis: Videri me non recte ἔξοπτον *biscoctum* exponere, cum hic δίπυρίτης appelletur Hippocrati in l. de Int. affect. t. XXVIII. Ubi *hydropi à liene* Victum præscribens ait inter alia: ἄρτῳ μὲν χρέεσθω πυρίνῳ ὀπτῷ, ἢ ἐκ τῶν σκληρῶν πυρῶν, διπυρίτῃ. Cornarius: *Pane utatur triticeo assato, aut ex duro triticeo, biscocto.* Hesychius: Δίπυροι ἄρτοι, οἱ ἐκ δευτέρου ὀπτώμενοι· *Biscocti panes, qui iterato sunt cocti.*

§ 143. Sed quid sunt σκληροὶ πυροί? quid *durum triticum?* Phavorinus: Σκληρὸς, καὶ σκληρότης. καὶ τὰ ἀπ' αὐτῶν πάντα καὶ τὸν αὐτὸν λόγον, ὡς καὶ τῷ Ἱπποκράτει· *Dura, arida. Eademque ratione omnia inde deflexa sumuntur apud Hippocratem.* Iterum: καὶ σκληρῶς, καὶ ξηρῶς· *Aridus, exsiccatus.* Unde putarim σκληρὸν πυρὸν

πυρὸν Hippocrati esse vel *vetus* & vetustate aridum triticum, vel *tostum*; seu qualis est Rogga orientalis dicta Sitopolis. Illa quippe, cum sit vitio soli & cœli crudior humidiorque, & ob id de facili coacervata incalescat ac putrescat: eapropter torreri solet, priusquam vel reponatur in horreum vel committatur mari.

§ 144. Simile quid etiam βυὴ, Asclepiadæ dicta, est. Ἔστι δὲ κριθὴ βεβρεγμένη, καὶ βλαστήσασα, καὶ πεφρυγμένη μετὰ γλωσσιδίων, inquit Aetius tetr. III. s. II. 29. hoc est: *Byne est hordeum maceratum, ac germinans, & una cum lingulis tostum.* Belgis: *mout.* confer ad Cornarii Expos. in Dioscor. lib. II. embl. LXXV. & sequenti. *Torrendi* triticum longe vetustissimum esse morem collegeris è II. Sam. XVII. 28.

§ 145. Huic conjecturæ si locum damus, jam dixero *dipyritem* Panem esse, qui bis sit expertus ignem: semel in frumento: deinde in massa. Atque ita non recte hic *biscoctus* appellabitur.

§ 146. Porro neque necesse est, ut ἄρτον ὀπλὸν exponamus *panem assatum.* Possis enim, *aridum* aut *squalidum.* Sic eruditissimus Casaubonus ad Athen. III. 19, Pompejani Philadelphensis illud, ὀπλὸς γάρ ἐστι μοι τὸ δέρμα, exponit, *squalida namque mihi cutis est.* Mox enim, ut squalorem sibi sordesque defricet, adferre jubet ἐλαίου τὸν λήκυθον, *olearium vas.* quo de adeundus Eustathius ad Hom. Odyss. ζ'. p. m. 1552. l. 23. Non mirabere vero, τὸ δέρμα *cutem* dici, si attendis quo Pompejanum elogio Cynulcus ibi commendet; quod nempe fuerit ὀνομαπθήρας. Græcis sic appellabatur *aucupator verborum*, sive cujus omne studium in vocularum observationibus & novationibus positum. Idem significat θηρολέξης, ut explicat Hesychius. Metaphoram desumsit Pompejanus à salsamentis, quibus si cutis est, aspera & rugosa admodum sit digestis à sale humiditatibus.

§ 147. Jam hoc modo illud ὀπλὸν si recte exponimus, possit ἄρτος ἐξοπλος dici *panis præsqualidus.* Fidem fecerit illud Dioscoridis in II. 107: ὁ δὲ παλαιὸς καὶ ξηρὸς [ἄρτος, καὶ] καθ' ἑαυτὸν καὶ μιγεὶς πιὼν, ἵστησι κοιλίαν ῥέουσαν· *Vetus autem & squalidus panis, tum per se, tum mixtus aliquibus, sistit alvum fluentem.* Cæterum cave ejus generis intelligas, cujus aliquos assumserant secum Gibeonitarum

nitarum legati ad S. P. Q. Iſraelis, exoraturi pacem & veniam vitæ ſuæ: Joſ. IX. 5. 12. Simpliciter *ſiccum* oportet intelligere. quem cibi tenuiſſimi exemplar ponit Salomon rex in Prov. XVII. 1.

§ 148. Verumenimvero huic expoſitioni locum dare apud Hippocratem vetat locus, qui eſt l. de Int. affect. t. XXI. ſane conſiderabilis. Conſulit pituita obſeſſis, ut per duos treſve dies vomitu facto, deinde pro cibo ſumant ἄρτον ἑξοπτον ἑωλον, *panem biſcoctum heſternum*. Ubi *heſternum* ſignificat tempus præteritum, ſive propius illud ab hodierno, ſive longius abſit. Opponit ergo *heſternum* Panem hodierno ſeu recenti. Ratio conſilii, quam addit, nobilis eſt, etiam hodie: ἑλκεῖ γὰρ μάλιστα ταῦτα τὸ φλέγμα· *Hæc enim maxime pituitam abſorbent*. Sane nos hoc de nullo panis genere comperimus verum, ſi non de biſcocto. Quo ſolo propterea veſci cogimus, qui lueſe veneria male mulctarunt.

§ 149. Nota vero, illud ταῦτα reſpicere ſimul πλὼ μάζαν ψεϛλὼ, *mazam oleo & melle ſubactam*, ut reddit Cornarius. Græcis τὸ μάττειν eſt in magide farinam ſive triticeam ſive hordeaceam, puram, non-puram, aqua vel ſola miſtam vel cum oleo ſimul, aut melle, aliisve ſubigere faciendæ mazæ.

§ 150. De *mazis*, qua materiam, formam, facultates, luculenter Hippocrates in II. de Diæt. t. VI. 54. Heſychius: Μάζα, ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ· *Maza: farina ſubacta aqua & oleo*. Hæc vulgarior haut dubie. Medici variare jubebant ex cujuſque uſu. Quæ cum oleo & melle ſubigebatur, ea ψαιϛὴ dicebatur. Galenus in Exegeſi, ψαιϛλὼ μάζαν exponit πλὼ μέλιτι καὶ ἐλαίῳ πεφυρμένῳ, *melle & oleo ſubactam*. Extat apud Hippocratem bis eodem l. de Int. affect. t. XLIV. & ſequenti, ſeu p. 207. l. 24. 47. confer ad Foeſii Oeconomiam.

§ 151. Poſſis hinc ſuſpicari & iſto loco eſſe non ψεϛλὼ, ſed ψαιϛλὼ legendum. Præſertim ſi uſum conſulis & ipſum Hippocratem. *Vſus* ibi eſt, abſumendi pituitam. Id quod mel, aqua miſtum, ſubducendo per alvum facit egregie. Hippocrates de *Cyceone* (qui non niſi *forma*, ſeu ſubſtantiæ modo diſtat à maza) II. de Diæt. VI. 70: ὅπῃ μέλιτι ᾖ, θερμαίνει μᾶλλον ἧσσον, καὶ τέφει, ἀραχωρέει μᾶλλον, ἢν μὴ ἄκρητον ᾖ τὸ μέλι· ἢν δὲ μὴ, ἧσσον ἀραχωρέει, ἀπ-

ἀλλ' ἧσσον· *Cum melle* (paratus Cyceon) *calefacit quidem minus, nutritque; secedit vero magis, nisi merum fuerit mel: sin, non secedit, sed sistit.*

§ 152. Verum cum Aldinus ubique ψεσλῶ, non ψαισλῶ legat, & Foesius testetur istud præ se ferre exemplaria omnia, videtur non facile heic posse eligi verum. Imo potest, si loca ipsa consulis, & usum ibi requisitum. Quo de dicemus planius, si quid sit ψεσὴ, dixero prius. Τὸ ψέω Phavorinus exponit λεπτύνω *attenuo*. Unde ψεδνὴ ibi, ἡ λεπτὴ *tenuis*. Ab eodem verbo est haut dubie ψεσὴ, & significationis ejusdem. Quo *tenuior* Maza autem erit, eo melius percoqui potest. *Percoctissimam* vero voluisse dari liquet clare iis è locis quæ novissime allegavi. *Priore* enim, in *victu* Typhi tertii, præscribit ἄρτον μὲν, ὡς ὀπτόν· μάζαν δὲ, ψεσλῶ ὡς μάλιστα· *panem quidem, quam coctissimum: mazam vero, tenuem quam maxime.* Sic & *posteriore* loco, in *curatione* Typhi quarti, ἄρτον ἔξοπτον, μάζαν τε ψεσλῶ ὡς μάλιστα· *panem* (si ita vis) *percoctum, & mazam quam maxime tenuem.* Mazæ enim quia fermentum non habent, nec elevantur: eoque minus, nisi tenues sint, percoqui queunt.

§ 153. Quod si minus hæc emendatio placet, vide an velis reponere Φύσλω. Hesychius: Φύση, μάζα ἄτριπτος· *Physte, maza non subacta*, sive *non intrita*, sed mistione dumtaxat farinæ cum aqua parata. Etymologici author: Φύση, ἡ ἐν τῇς σκάφαις τριβομένη καὶ ῥέμμα ἀναδιδομένη μάζα· *Physte, quæ in scaphis subacta est & nonnihil irrigata maza.* Athenæus III. 29: Ἀθηναῖοι μὲν φύσλω, τὴν μὲν μὴ ἄγαν πεπιεσμένην μάζαν· *Athenienses physten vocant mazam, quæ non multum sit subacta.*

§ 154. De hoc *genere* Mazæ accipio, quod scriptum est in II. de Diæt. VI. 57: μάζα προφυρηθεῖσα, ῥαντὴ, ἄτριπτος, κρύφη, καὶ ἀψυχρή, καὶ ψύχει. ψύχει μὲν, ὅτι ψυχρῷ ὕδατι ὑγρὴ ἐγένετο. ἀψυχρή δὲ, ὅτι ταχέως πέπτει). κρύφη δὲ, ὅτι πολλῆς τροφῆς μὴ ἐπιθυμεῖ· ἔχει δὲ ὀπτικείνη). *Maza pridem subacta & irrigata, sine intritione, levis est, secedit, & refrigerat. Et refrigerat quidem, quia frigida aqua humectata est. Secedit vero, quia cito concoquitur. At levis est, quia multum alimenti cum flatu foras exit.*

§ 155.

§ 155. Si, quæ sit *origo* Typhi, quæ *natura* utriusque, consideramus, sane fatendum est, bene quadrare id mazæ genus. Verum hoc me dimovere à proposito non potest, quin saltem isto loco, cujus occasione in hæc incidimus, ψεσλὼ legam. De cæteris alias arbitrabimur curatius. Joa. Martinus in com. ad t. XLII. 19. satis habuit lectorem suum remisisse ad t. XIII. 25. heic autem de *maza* tantum, & obvia dixisse. Sed is est mos plerorumque interpretum, multum dicere de quibus multi dixerunt, silere contra cum silentibus, præsertim si quis difficilis locus & operosus se offerat.

§ 156. Cæterum, cum ex collatione locorum, quæ quarto abhinc paragrapho exhibui, constet ἔξοπτον καὶ ὀπτότατον, *percoctum* & *coctissimum* Panem eumdem esse : talem vero alium hac nos ætate ignoremus præter *biscoctum* : recte etiam existimo me hoc verbum, vertendo illud, Latine reposuisse. Et vel eam ob causam, quod hic egregie conveniat in casu proposito, ceu ex ipso mox eventu innotescet, & confirmabimus plenius,

§ 157. Vidimus itaque de *pane* præscripto : videamus, *quid* Pani fuit additum. Addit præceptor: ὄψα δ', σεῦτλα, ἢ σίκυα· *Opsonia vero, betæ, aut cucumis.*

§ 158. Ὄψον, *opsonium* Athenæo VII. 2. definitore dicitur proprie πᾶν τὸ πυρὶ καταπολαζόμενον εἰς ἐδωδὴν, *quidquid igne præparatur ad esum*, sive elixetur, sive assetur. Verum hac significatione *augustior* Antiquiorum, *angustior* Recentiorum est.

§ 159. *Antiquioribus* quippe Græcis & ὄψον & προσόψημα non aliud significabant, quam προσφάγιον, id est, *quidquid ad panem adhibetur*, ut vertit Cicero apud Xenophontem. Belgæ dicimus *toe-spyse*. Id vero dilucet ex ipso Xenophonte Memorabil. III. p. m. 789. ubi Socratem introducit definientem, quinam dicendi sint ὀψοφάγοι: nempe, οἱ μικρῷ σίτῳ πολὺ ὄψον ἐπιθέμενοι, *qui cum tantillo panis multum opsonii comedunt.* Mos præ cæteris gentium frequentatissimus Anglis, & causa illis gravium morborum. Et merito de illis dubites, ὁπότερα τῷ σίτῳ ὄψῳ, ἢ τῷ ὄψῳ σίτῳ χρήσωνται· *utrum pane opsonii vice, an opsonio panis utantur.* Sed ne abeam longe, ecce disertum Didymi testimonium apud Hom. Iliad. λ'. 629 : πᾶν δὲ τὸ μὴ ἄρτος ἐσθιόμενον, ὄψον καλεῖται.

Quid-

Unable to display this page

de Athenæum XI. 3. confer Clem. Alexandrinum Pædag. II. 1. p.m. 146. B. & nos horum X. 208. Myrtili vero istis gemina prorsus & insuper in eam rem egregia reperies apud Plutarchum Sympos. IV. 4.

§ 162. Interpretum quotquot hoc ignorabant, locis sexcentis ὄψον *opsonium* verterunt, cum deberent *pisces*: ut & ὀψάριον, *parvum opsonium*; ubi erat vertendum, *pisciculus*. Sic enim de sacro N. T. codice meritissimus Beza apud S. Johannem Euang. VI. 9. Glossarium vetus: ὀψάριον, *ciculum*. scribe, *Pisciculus*. Ita scribendum liquet è sequenti: ὀψάριον πᾶν ἐγχύλισμα, *Alec, Alex*. Hoc quid sit, indicat Cassianus Bassus Geop. XX. 45. nempe, *sedimentum gari*. Isidorus Orig. XII. 6: *Halec, pisciculus ad liquorem salsamentorum idoneus*. Is pisciculus, *manis* est. Onomasticon: *Alec*, μαινίς. Bassus tamen ei rei idoneos plures nominat.

§ 163. Bon. Vulcanius in Notis ad Cyrilli glossam jam modo exhibitam monet, in Euangelio Johannis ὀψάρια rectius verti *pisces assos*, quam *pisces* simpliciter. Quare autem? ὀψάριον enim dicitur ἀπὸ τῆς ὀπτᾶν i. e. *assare*. atque ita quod apud Lucam legitur XXIV. 42: οἱ δὲ ἐπέδωκαν αὐτῷ ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος· *illi vero dederunt ipsi pisces assi partem: periphrasis est* ὀψαρίου, inquit.

§ 164. Sed aliud judicium Casauboni est ad Athen. VII. 2: *Somnium merum est, quod jam olim vigilantes quidam Grammatici somniarunt,* ὀψάριον, *non pisciculum significare, sed piscem*, ἀπὸ τοῦ ὄψον ἄρεσθαι ἐκ τῆς θαλάττης. Etymologici auctoris ista sunt. Et aliquanto post: *De etymo*, inquit, *audiamus aliorum magistrorum judicium.* Γίνεται, ajunt, ὄψον ἀπὸ τοῦ ὀψέ. διότι οὐκ ἐνωθεν, ἀλλ' ὀψὲ ποικίλας τροφὰς φερόντων. ἢ μᾶλλον ὅτι ὀψὲ καιρῷ εἰς χρῆσιν ἦλθεν ἀνθρώποις ἡδονῆς χάριν, τὸ ὄψον. *Factum est opson ex opse. Quoniam non mane, sed sero ejuscemodi cibos offerrent. Sive potius, quod sero hominibus in usu venerit opsonium voluptatis gratia.* Simile quid Eustathius Odyss. γ'. p. m. 1477. l. 40.

§ 165. Atenimvero hoc ultimum, *tarde* hominibus pisces in cibum fuisse acceptos, unde probent Grammatici, nequeo conjicere. Romanis certum est *pisces marinos in usu fuisse protinus condita*

dita Roma. auctor est Cassius Hemina. cujus ea de re verba recitat Plinius XXXII. 2. De Græcis pariter ex vetustissimis auctoribus constat. Israelitæ etiam murmurantes in deserto recordabantur piscium, quos ederant in Ægypto: Num. XI. 5. Oportet vero in delitiis habuerint, quos adeo vesane desiderabant.

§ 166. Quod autem *pisces* Græci appellarint ὄψα, in causa est aviditas ejus cibi, quæ ut Græcis olim, ita & hodieque multis est familiaris, cum ab instituto, tum à natura. *Instituto* quidem plerique Græcorum erant gulæ atque cupediis dediti. quo nomine sæpe eos videas famigerari à Comicis. Sed fallam, si te velim illud intelligere de Græcorum prioribus. Sane hi frugales erant, & mensam instruebant sine arte. Unde per jocum ab Antiphane comico in Oenomao dicuntur μικροτραπεζοι καὶ φυλλοτρῶγες, *tenui mensa atque oleribus victitantes.* citat Athenæus IV. 3.

§ 167. Fuere itaque Græci *instituto* quidem ὀψοφάγοι, sed libero: prorsus ut inter monachos, quos appellant, Carthusiani hodie. quibus illud epitheton nemo negarit, qui viderit perpetuo περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναστρεφομένους, *circa forum piscarium discursantes,* ut Myrtilus ait apud Athenæum VII. 2. *Instituto* etiam, sed *coacto* Ichthyophagi erant, quorum meminit Ptolomæus Geogr. IV. 9. & Strabo in XV. p. m. 720. D. Sunt hodieque in Norwegia populi, quibus *pisces* pro pane pariter atque opsonio est. Pro *pane* scilicet duratus vento: pro *opsonio*, recens. Iste est, quem *stokvis* vulgo nuncupamus, quod nisi fuste prius & probe subactus, atque maceratus aqua, ne ab igne quidem, nedum à nostro coqui probe queat. De quo Cl. Hofmannus v. Inst. XXI. 15: *quia in frigore illo Septentrionali tantopere exsiccatur, ut nisi bene contundatur insuperque diutius in qua maceretur, edulis non sit, abeat in pace. Qui cum Aselli speciem* dicat, *verumtamem non illam, quam tantopere commendat Galenus Meth. med.* VII. 9. VIII. 2. *de Alim. fac.* III. 30. *de Vict. att.* 8. hoc quidem recte; non illud tamen; ceu plene, ut arbitror, ostendi in XI. harum exercitationum.

§ 168. *Naturâ* etiam aliquibus inseri propensionem ad pisces, constat multorum exemplis. quorum aliquot variis ex auctoribus adducit Zuingerus in Theatro vol. IX. lib. II. p. 2239. Qua-

rum propensionum qui causas posse negant humano ab ingenio adferri, næilli tenuiter nimis sentiunt de illius sagacia perspicaci! Cujus diligentiæ quid non videmus subjici? Sed ut facilia nos negligentes fugiunt: ita & difficilia consequimur accuratione. Quare nec ardua desperemus. Nihil est, quod non expugnet ingenium acre, si adsit pertinax opera & intenta ac diligens cura.

§ 169. Sed pergamus *species* Opsonii videre, quas Clonigo præscripsit Hippocrates. *Istæ* erant: *Betæ*, *Cucumis*, *Melopepo*. De *quibus* hoc notes in genere, fuisse ejus generis materiæ, in qua minimum alimenti est. Celsus II. 18: *Imbecillißima materia est omne olus, & quidquid in cauliculo nascitur, qualis est cucurbita, & cucumis, & capparis.* Quinimo Galenus de Alim. facult. II. 43, merito medicamentis adscribi potius, quam alimentis censet quæcumque oleracei sunt generis. De quibus merito dixeris illud Demosthenis (Olynth. III. p. m. 39. E.) ὅτ' ἰσχὺν ἐντίθησιν, ὅτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ, hoc est, (interprete Hieronymo ad Ezech. IV. 16.) *non vires tribuunt, sed mortem prohibent.* Symmachus Epist. I. 17. al. 23: *Parvis nutrimentis quamquam à morte defendimus, nihil tamen ad robustam valetudinem promovemus.* Hinc discе, satin' recte Fr. Juretus emendare hunc locū sit conatus. Lectius jure retinet.

§ 170. Talem vero materiam exigebat *impuritas* Corporis, sive *illa* Cacochymia, cujus fructum docuimus Dysenteriam fuisse. Veritatis certe infallibilis est effatum Aph. x. lib. II: Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων ὅσῳ ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις· *Non pura corpora quo plus nutriveris, eo magis læseris.* confer Aph. VII: 65. 67.

§ 171. *Beta*, quam πεῦτλον Græci, aut σεῦτλον dicunt, vulgo quidem agnoscitur duûm generum, *alba* & *nigra*. Ita Theophrastus Hist. plant. VII. 4. Dioscorides in II. 149. & qui sua ex illis habet, Plinius XIX. 8. Eudemus autem I. de Oleribus (citante Athenæo IX. 2.) quatuor ejus genera nominat: πεζόν, καυλωτόν, λόβηλον, πάνδημον. Dalechampius: *sessile, in caulem erectum, candidum, & ubique vulgare.* Sed *betæ sessilis* quis meminit umquam? Rescribe: πάσσον, *latum*. Hesychius: Πάσσονα, παχύτερον, ἢ πλατύτερον. *Beta major* & foliis latissimis crassioribusque, nota Botanicis est, & hortis nunc plurimis. Describit eam Andr. Cæsalpinus

ſalpinus l. de Plantis. Mirabar hoc non vidiſſe Stapelium meum, ſed in com. ad illum Theoph. locum p. 778. ſecutum eos qui σπαστὸν citra rationem reponunt. Hæc ipſa cum *alba* ſit, recte alii ſub hoc genere comprehendebant. Καυλωτὸς *beta* quæ ſit, non dixero, ſi non eſt πλατύκαυλος Dalechampii Hiſt. gen. plant. v. 2. p. 533. cujus caulem ait quatuor ſe digitos latum vidiſſe. Iconem ſi inſpicias, dixeris hanc Hermolaum Barbarum habuiſſe præ oculis, cum καυλωτὸν *ſurculoſam* vertit. Πάνδημος *beta* proculdubio eſt, quam *nigram* cæteri appellant. Sub qua forte *laticaulem* comprehendebant. Quidquid ſit, vulgares maxime ſunt *alba* & *nigra* Beta dicta paſſim. quam differentiam ex foliorum colore, non radicum æſtimandam recte monuit Hofmannus II. de Med. offic. XXXVI. 2.

§ 172. Sed *utra* ex illis dabatur Clonigo? *Alba*, ſi recte puto. Ejus quippe folia veſca magis & ſalubriora gratioraque. Theophraſtus Hiſt. VII. 4: εὐχυλότερον δὲ τῶν τευτλίων τὸ λευκὸν τοῦ μέλανος· *Ex betis autem alba eſt ſapidior quam nigra.* Eſt autem *ſapidior*, quia ſucci melioris. *Melioris*, inquam: non boni ſimpliciter. Ἀμφότερα γὰρ κακόχυμα διὰ τὸ ἐν αὐτοῖς νιτρῶδες· *Vtraque enim mali ſucci propter nitroſum quod habent*: ut recte monet Dioſcorides II. 149. Quæ etiam ratio eſt, quare inter *res mali ſucci* Betam enumeret Celſus II. 21. Ægineta l. VII. lit. T. 6: Τεῦτλον, νιτρῶδές ἐστιν. ὅθεν καὶ ῥύπτει, καὶ διαφορεῖ, καὶ διὰ ῥινῶν καθαίρει. πλέον δὲ τὸ λευκὸν. ἑψηθὲν ἀφλεγμάντου γίνεται δυνάμεως, [καὶ] ἀτρέμα διαφορητικῆς. *Beta, nitroſa eſt. Vnde & detergit, ac diſcutit, ac purgat per nares. Magis vero alba. Cocta poteſtatem acquirit ſedandi inflammationes, leniterque diſcutiendi.* Oribaſius in hæc conſentit Collect. med. XV. lit. T. 2. & luculentius l. de Virt. ſimpl. II. l. T. 2. Plane gemina ſunt apud Aetium tetr. I. ſerm. I. lit. T. 2. Oribaſius Synopſios I. 9. collocat inter *ſecundi ordinis refrigerantia.* A quo diſſentit Simeon Sethi, ſi proba editio eſt: Σεῦτλον θερμόν ἐστι καὶ ξηρὸν κατὰ τὴν γ'. ἀπόστασιν. *Beta calida eſt & ſicca in tertio gradu.* Sed chirographi mei, Vaticanus & Regius, legunt κατὰ πρώτην, *in primo* gradu. quod nos malle ſenſus jubet. Manet interim difficultas contrariantium inter ſe ſententiarum. Sed ea nulla eſt.

Simeon recte: σύγκειται δὲ τὸ σεῦτλον ἐξ ἐναντίων δυνάμεων. ὁ μὲν γὰρ χυλὸς αὐτοῦ ἐστι θερμὸς, καὶ γαστρὸς ὑπεγωγὸς καὶ διψώδης. αὐτὸ δὲ τὸ σῶμα πεχυμερὲς καὶ φυσῶδες, καὶ δύσπεπτον καὶ ψυχρὸν, καὶ γαστρὸς ἐφεκτικὸν, καὶ διὰ τοῦτο δυσφόρως ἐψόμενον [Vaticanus, quod probo, διαφόρως ἐψημένον] ἐναλλασσομένου δὲ ὕδατος, ἐν ᾧ ἕψεται, ἐπέχει τὴν γαστέρα διὰ τὸ ὑποβαλεῖν τὴν νιτρώδη ποιότητα. *Constat autem beta ex contrariis facultatibus. Etenim succus ejus est calidus, & ventrem subducit, sitimque facit. Corpus ipsum vero crassarum partium est & flatulentum, refrigerat etiam, ventremque cohibet. Itaque diutius cocta donec mutet saporem aqua, ex qua coquitur, cohibet alvum propterea quod deposuerit nitrosam qualitatem.*

§ 173. Hippocrates *geminas* in Beta potestates agnoscit: alendi videlicet, & medendi. *Medicinales* curate distinguit secundum partes, 11. de Diæt. XIV. 280. Τεῦτλα, inquit, ὁ μὲν χυλὸς, διαχωρέει. τὸ δὲ λάχανον ἐσθιόμενον, ἵστησιν. αἱ δὲ ῥίζαι τῶν τεύτλων, διαχωρητικώτεραι. *Betæ, succus quidem, alvum solvunt: at herba comesta, sistit. Radices autem betarum, magis alvum laxant.* Paulo post (n. 295) *Betam* ponit inter ea, quæ alvum magis, quam urinas cient. Agnovisse *quid alimentarii* etiam in Beta paret ex l. de Affect. t. XLIX. ubi τεῦτλον κομιστικὸν dicit. Hesychius: Κομίσαι· θρέψαι. Iterum: Κομιστὴ· τροφή. Diphilus Siphnius apud Athenæum IX. 2: Τὸ σεῦτλίον φησὶν εὐχυλότερον εἶναι τοῦ κράμβης, καὶ θρεπτικώτερον μετρίως· *Betam ait sapidiorem* [aut *succi melioris*] *esse quam brassicam, & paulo amplius nutrire.* Idem statuit: *albam ducere ventrem magis: nigram, urinas. At radices & gustui gratiores esse, & plus alimenti præbere.* Cui consentit Plinius XX. 8. confer & ad Hofmannum loco non ita pridem laudato.

§ 174. Ex istis spicilegium si facias, reperies *inesse* Betæ albæ & coctæ *virtutem* molliendi & extergendi leniter alvum, & cohibendi simul ne diffluat, sedandique inflammationes & digerendi nata ex his fuliginosa atque acria, pariterque aliquid utilis & alimentarii succi suppeditandi. Quas sane dotes quisquis consideras, non potes non fateri optima ratione pro *obsonio* Betam fuisse Clonigo imperatam.

§ 175. *Cucumis* (qui σίκυος Græcis, & σίκυς) duplex est: ἥμε-

ρος

ρος καὶ ἄγριος, *sativus* & *silvester*. De *illo* Dioscorides II.163: de *hoc*, IV.154. In *illo* cibus pariter ac medicina inest: in *hoc*, medicina quidem, non sine veneno tamen. De *hoc* in præsens non cogitabimus amplius: de *illo* etiam plusculis.

§ 176. *Cucumim*, ceu vulgaris notitiæ plantam, neque Dioscorides nobis, neque Veterum quisquam alius descripsit suis notis. Unde factum, ut nostro seculo dubitatum sit, quis *verus* Veterum *cucumis*, ex omni nunc noto genere, sit habendus. Verum videtur Matthiolus com. ad Diosc. II. 128. veris conjecturis ostendisse τὸν σίκυον τὸν ἥμερον Dioscoridi dictum esse eumdem, quem hodieque *Concommer* vocitamus. Matthioli sententiam elevare conatus est Amatus Lusitanus Enarrat. in Dioscor. d. l. Verum non tanti ejus sunt rationes, ut propterea velis sequi; saltem non expensis, quæ Matthiolus respondet in Apol. adv. Amatum cal. XI. Dioscoridem vero non alium *cucumim* appellasse, quam qui id nominis haberet ab antiquo, prorsus est veritati consentaneum. Quidquid sit, nos in *vulgari*, rotundo pariter ac longo agnoscimus eas facultates, quibus conferre ad salutem potest ejuscemodi in casu, ut est propositus.

§ 177. In *facultatibus* Diphilo Siphnio neque cum Dioscoride convenit, neque cum Demetrio Ixione. Dioscorides II. 163: Σίκυς ἥμερος εὐκοίλιος, εὐστόμαχος, ψυκτικὸς, οὐ φθειρόμενος, κύστει ἁρμόδιος, ἀνακτητικὸς λειποθυμιῶν ὀσφραινόμενος· *Cucumis sativus alvo & stomacho utilis: refrigerat, non corruptus: vesicæ prodest: revocat deficientes odoratu.* Contrarium scribit Diphilus apud Athen. III. 2: ὁ σικυὸς ψυκτικὸς ὑπάρχων δυσοικονόμητός ἐστι, καὶ δυσυποβίβαστος· *Cucumis refrigerandi vi præditus ægre cum in corpus distribuitur, tum per alvum descendit.* Sed de *immaturo* alterum loqui, alterum de *maturo*, certum mihi. Etenim ex Dioclis Carystii, quæ exhibentur Deipnos. II. 27, videre est venisse in cibum tam crudum quam bene coctum à Sole. Nostrates non nisi immaturo vescuntur; & vel acetarii vice, vel condimenti. Condiuntur parvuli quippe muria primum, mox aceto, pipere, macere, & anethi aut feniculi comis. *Agourkes* vocant, vocabulo, ut videtur, ex ἄγγουροι corrupto.

§ 178.

§ 178. Veteres non *maturum* modo, sed & *immaturum* esitasse paret ex Hippocratis quæ legimus II. de Diæt. XV. 317: Σίκυοι ὠμοὶ ψυχροὶ, καὶ δύσπεπτοι. οἱ δὲ πέπονες, ὑρέουσι, καὶ διαχωρέοντα· φυσώδεες δέ. *Cucumeres crudi frigidi, & difficiles concoctu. Maturi vero, mejere faciunt, & alvo secedere: flatulenti interim.* De *his* intelligendus Celsus II. 20: cum *rebus boni succi:* contra de *illis*, capite sequenti, ubi contrariis adstituit.

§ 179. Diphilus porro ἀφροδισίων ἐφεκτικὸν, *venerem cohibere* scribit. Demetrius contra, ὁρμητικὸν ὑπάρχειν: id est, interprete Dalechampio, *venerem accendere.* Sed menda leviſſima maximum in errorem abduxit Virum eruditiſſimum. Ixion quippe ἐτυμολογῶν, cum σίκυον dixisset dici à σάλλειν & κίειν, quæ verba motum atque progressum in ulteriora significant: ejus etymologiæ rationem mox reddit ex natura rei, quoniam ὁρμητικὸς ὑπάρχει, i.e. *late se fundit* in cucumerario, sive (ut Dalechampius Hist. gen. plant. v. 29. explicat, & forte se corrigens) *ad gignendos, spargendos, diffundendos ramos caulesque valde incitetur.*

§ 180. Libri, proniſſimo errore, pro κίειν legunt κύειν. *Quod est, vel osculari,* inquit Interpres, *vel utero gerere, quoniam eo cibo venus accenditur.* Quei potest, si refrigeret? atque adeo etiam, ut Quintilii in Geop. XII. 19. testentur, *si puero lactanti & febrienti accubare feceris cucumeres æquilongos, fore ut protinus sanetur.* Fallitur vero etiam, quum eo respicere Veterum illud *proverbium* putat:

Τὸν σίκυον τρώγουσι γυῖαι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

Cum enim, inquit, *textrices magna ex parte, si Aristoteli creditur, sint impudicæ, ut in iis veneris impetus refrenetur, adagium edendos cucumeres textricibus consulebat, quod veneri refragentur.* Proverbium ad verbum sic recte reddideris:

Tu cucumim vescens mulier, sis texito lænam.

Quo admonebantur mulieres, quarum opera vestes olim conficerentur, ut cum maturus erit cucumis, cogitent de hieme & parandis familiæ hibernis vestibus, cujusmodi est læna. confer sis ad Casaubonum Animadv. ad Athen. III. 1. & Stapelii com. ad Theoph. VII. 4. p. 781.

§ 181. Ea itaque *dos* & *virtus* Cucumis est, ut cum fructu fructus

ctus hic potuerit Clonigo offerri. *Refrigerando* enim, & *humectando*, & Ventri profuit, & Sanguini. *Ventri*: ne incenderetur ab acribus ad se confluentibus. *Sanguini*: ut remitteret de fervore, quo urebatur & intra se concipiebat acria plurima. Prosper Alpinus de Plantis Ægypti c. XXXVIII. notat, esse ibi Cucumeris genus quod *chaté* vocant, cujus aqua stillatitia, si ad librum bibatur, mirifice sanet renes inflammatos.

§ 182. DABATUR *vero etiam* σίκυος πέπων. qui Galeno, contractis in unam vocibus, σικυοπέπων dicitur de Alim. fac. II. 4. Stapelius d. l. interpretatur, *cucumis maturus*: errore egregio. Tota *specie* differunt Σίκυος & Σίκυος πέπων. Probari hoc primum ex Aristotele potest. Quærit in Probl. XX. 32: *cur* Σίκυοι πέπονες *meliores nascantur in palustri solo, quale* AEgypti *est*? Ratio dubitandi, *una*, Quod per se sint humidi: *altera*, Quod οἱ σίκυοι αὐτοὶ ὑγρότεροι, *cucumeres ipsi humidiores* ibi, & hac de causa etiam in hortis, utpote paludosis, fiant deteriores. Responsionem qui requirit, Philosophum adeat: qui non intelligit, Septalium, commentatorem insignem. Vide & Theophrastum de Caus. plant. III. 22. & adde ὄπμυδίαν Scaligeri in com. cap. 23. p. m. 201. D.

§ 183. Idem vero apertius ex Hippocrate liquet. Locus est l. de Affect. t. 1. Σίκυος πέπων, καὶ διερητικὸν, καὶ λαχωρητικὸν, καὶ κῦφον. ὁ δὲ ἕτερος πέπων, ψύξιν τινὰ παρέχει· καὶ δίψαν παύει. τροφὴ δὲ ἀπὸ ἑκατέρου τούτων οὐ γίνεται, εἰ μὴ λεπτή τις. ἀλλ' οὐδὲ φλαῦρον ἀπ' ἑκατέρου οὐδὲν ἄξιον λόγου. Quæ tantum non ad verbum verteris: *Cucumis pepo, & ciet urinas, & laxat alvum, & mitigat. At alter pepo, refrigerat aliquo modo, ac sitim sedat. Alimentum vero à neutro eorum, præter quod tenue, obtingit. Sed neque malum aliquod effatu dignum.* Quid in his clarius, quam distingui *peponem*, qui sic simpliciter appellatur, ab eo, qui, cum additione, *cucumis pepo* dicebatur.

§ 184. Hoc ipsum clare innuit Pollux VI. Onomast. IX. 2: σίκυος, ἢ σίκυος πέπων, ὃν καὶ σπερμαλίαν ὀνόμαζον· *Cucumis, ac cucumis pepo, quem & seminosum nominarunt.* Ostendit *nomen*, fuisse è *genere* Cucumerino. Ostendit *cognomen*, fuisse tamen *census* distincti, *speciei* diversæ. Scivit hoc Theodorus, & hinc in Pro-

blemate laudato, pro σίκυοι πέπονες reddidit, *cucumeres*, *cognomento pepones*. Tam sane recte, quam absurde alius, *cucumeres maturi*.

§ 185. Non arbitror fore, qui opponat, *fructum* hunc sero admodum innotuisse & venisse in cibum. Plutarchus enim Sympos. IX.9. disputans, *Fiant ne subinde novi morbi, & quibus ex causis?* ut affirmativam probet, argumentum inter alia sumit ex novitate ciborum, qui alio atque alio tempore admittuntur in usum. De hoc vero experientia testatur. Quippe rebus secundis solet luxuria invalescere & immutare victus rationem quoque, & pro simplici ac familiari atque salubri cibo sectari semper ea, quæ se saporis novitate commendent gulæ. Ita, inquit, πολλὰ τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἡδίστα νῦν γέγονεν· *multa eorum, quæ olim ne gustabantur quidem, nedum edebantur, nunc facta sunt suavissima.* Adfert deinde talium exempla quædam, & inter alia σικύας πέπονας, & novisse se multos seniorum ait, qui vel gustare de eo non sustinerent. Sed quis non videt loqui Chæronensem de suo tempore & populo Romano? Quod ex Plinio mox plenius liquebit.

§ 186. Sed an *notus* est nostro seculo fructus? Notissimus, & ipsus ille cujus nomen expressum in textu. *Melo*, inquam, sive *melopepo*, ut quidem Græci recentiores communius appellant. Sed cum plerisque hodie verisimile non videatur, tam nectaream suavitatem appellatione *cucumis*, tam insipidi fructus Veteres fuisse complexos, probemus testibus, probemus ratione.

§ 187. *Testem* jam habuimus Pollucem, qui σίκυον πέπονα esse dicit, quem σπερμαλίαν appellabant aliqui. At σίκυος σπερματίας est Melo seu melopepo. Hesychius: σίκυος σπερματίας, ὃν ἡμεῖς μηλοπέπονα· *Cucumis seminosus est, quem nos Melopeponem* dicimus. At *peponem* Cratinus ita ait appellari in Ulyssibus. Verba extant apud Athenæum II.27. quæ procul dubio Deipnosophista ipse legi vellet atque interpungi: τὰς πέπονας Κρατῖνος, τὰς μὲν σικύας, σπερμαλίας κέκληκεν ἐν Ὀδυσσεῦσι. Jam nisi impingere in rei naturam velis, debes reddere: *Pepones Cratinus, nempe cucumeres, spermatias vocavit.* Videtur hujus auctorem appellationis Cratinum agnoscere, sive hoc significare; Cratinum id genus *cucumim*

cumim maluisse à proprietate & multitudine seminis *seminosum*; quam à carnis affinitate cum peponibus *peponem* cognominare cum Platone comico, Anaxila, Theopompo, imo antiquitate & Græcia tota. Scilicet placere sibi in epithetis Poetæ solent: & pars est non infima poesios, ea rebus ex sua natura dare.

§ 188. Sed & *rationem* testem habemus. Comparet aliquis interiora veri Cucumeris cum interaneis Melonis, & sentiet causam appellationis jam allatæ. Σπερμαλίων scilicet Cratinus, aut quisquis ejus est cognominationis auctor, dixit à numeroso, quod in meditullii velut loculis continet, semine. Quod, ut Matthiolus scribit, una cum parte carnea estur & non estur, prout fructus ipse plus minusve maturitatis est adeptus. Si namque ultimam senserit maturitatem, quod intimum est, insuave reperitur.

§ 189. Plinius XIX. 5. ex *semine* Cucumis vulgaris natum primo in genus credidit transisse. *Ecce jam maxime*, inquit, *nova forma cucumerum in Campania provenit mali cottonei effigie. forte primo natum ita audio unum: mox semine ex illo genus factum. Melopeponas vocant.* Ridicule. Nam semen quodcumque qualicumque terræ datum, si prodit in plantam, servat speciem. Ne in insitionibus quidem arbor subjecta mutat surculum. Naturæ hoc opus, quæ æterna lex est, data rebus à Creatore suo. Quod considerans Hippocrates 1. de Diæt. XL. 344. negat φύσιν μεταπλάσσειν ἀφανέα οἷόν τε, *possibile esse ut Natura insita immutetur.* Confer & quæ præcedunt textu XIV. 151. & deinde.

§ 190. Cæterum ut *prisca* Græcia hunc *cucumim* Peponem à similitudine carnis: ita *insima* Melopeponem, à facie rotunda instar mali nominarunt. Qua facie cucumis non reperitur. *Melonem* ab eadem ratione vocitavit Latinitas posterior. Videntur enim quasi μήλωνες, hoc est, *pomei* dicti.

§ 191. *Serendi* eos modum Palladius docet in Martio tit. IX. Ut *dulciores* habeas, sequere Florentini consilium Geop. XII. 20, cujus & Plinius meminit laudato loco. Qui, ut *sine semine* nascantur, quosdam ait semen eorum præmacerare herba, quæ *culix* nomine, trita. Tales διυχίας Plato appellat in Laio. *Culicis*

herbæ quis præterea meminerit, non memini, neque, quæ sit, novi. Docebunt forte Botanographi: quorum hæc cura laborem sollicitat.

§ 192. De *facultatibus* ex Hippocrate jam audivimus. Florentinus etiam ἐμψύχειν ἱκανῶς, *egregie refrigerare* ait. Nec tantum: sed & δυνάσθαι καὶ δίψαν τὸ ἀπὸ καύσου καταπαύειν, *posse etiam sitim à causone sedare*. Græciæ noviſſimæ est τὸ καύσων. Id in veteri Lexico Græcolat. exponitur, *ardor*. Ita *febrem ardentem* appellabant. Gariopontus & alii maluerunt Græculum illud retinere. Ita videas apud illum lib. VI. cap. 1: *Ex rubea vero cholera putrefacta in vaſis, ſit tertiana indeficiens. Quæ & cauſon & ſynocha dicitur.* Veterum nemo utrumque hoc nomen unius febris fecit. ſed de hoc alibi ſuo tempore.

§ 193. Florentini iſta antiquiſſimæ ſunt obſervationis. Quid ni velimus enim ex ipſo fonte aquas noſtras & puriores haurire? Hippocrates ſub finem III. de Morb. t. XXIX. luculentum nobis exhibens catalogum ψυκτηρίων ὅπη τοῖσι καύσισι, *Refrigeratoriorum in ardoribus*, inter alia jubet offerri σίκυον πέπονα, ἄνευ δ' δέρματος πάλης, ἐφ' ὕδατι. *cucumim peponem, ſine farina corticis* (hoc eſt, Melonis carnem ſolam) *ex aqua*. Quo fructu? τοῦτο οὐρέειν, καὶ ψύχει, καὶ τὸ δίψαν παύει· *Ciet hoc urinas, & refrigerat, & ſitim ſedat.*

§ 194. Imo vero etiam foris applicata Melonis caro egregie inflammationes compeſcit. Ita ſi ſedes inflammetur, præcipit σικύου πέπονος τὸ ἔνδον τρίψας λεῖον καταπλάσσειν, *cucumis peponis medullam probe contritam ſub forma cataplaſmatis* apponere: l. de Fiſtulis t. VI. II. Steph. Manialdus, accepta Foeſii verſione (*Cucumeris maturi pars interior diligenter contrita imponatur*) in commentario errorem deinde errat, quem undecimo abhinc paragrapho redarguebam. Habet interim aſſentientem ſibi Hofmannum II. de Medic. offic. LXXVI. 6. & Bacc. Baldinium tract. de Cucumeribus p. 12. Ego autem mihi Salmaſium Plin. exercit. p. 958. & Stapelium com. ad Theophr. p. 782. Interim, ſi cui rem ſatis certam feciſſe non videbor, ei dicam hoc Theopompi: εἰ δ' ἄλλος νοεῖ ἑπέρως, κρατείτω τὴ ἑαυτοῦ γνώμης· ἐμὲ δὲ μὴ ἐνκλείτω.

χλείτω. *Si alius ſentit aliter, fruatur ſuo ſenſu: mihi vero negotium ne faceſſat.*

195. Atque ex iſtis jam judicare eſt, ſatin' recte de *melonibus* Clonigo obtulerit Hippocrates. *Rectiſſime*, inquis: ſi Sanguinis fervori comprimendo, & fervidis per urinas exigendis. *Non recte* tamen conſuluiſſe videtur Alvo dyſentericæ. Nam fructus iſte, cum ſit horarius, ad Choleram morbum concitandum eſt peridoneus. Ita enim ipſe in v. Epid. t. XXVII, Biantem pugilem refert in hunc affectum incidiſſe, cum ex aliis, tum ex cucumi pepone.

§ 196. Parvi ea difficultas momenti eſt, ſi & *illa* conſideres, quæ de Melopeponibus notat Galenus, in 11. de Alim. fac. 9: & *illud*, quod de Biante teſtatur Hippocrates. Sane non corrumpuntur in ventriculo, niſi pravum in eo humorem aut quam aliam corruptionis cauſam offendant. Quo caſu tamen Galenus ait etiam minus eſſe corruptelæ obnoxios, quam Pepones; neque choleram facere, aut febres, niſi & pleno ventriculo aut cum aliis cibis ſumantur, & prorſus non concoquantur. confer ad Hofmannum laudati modo loci § 14.

§ 197. In iſta, & quidem univerſa impegiſſe Biantem, perquam vero eſt ſimile. Erat enim φύσει πολυβόρος, *natura multivorus*. Qua voce etſi non Menium aliquem intelligamus, qui, ut Horatius ait 1. Epiſt. XV. 35, *tribus urſis quod ſatis eſſet*, ſolitus fuit cœnare: talem tamen, qui ſe plurimo ſaburrabat cibo, eoque nec ſatis manſo comminutoque; qui mos eſt voracium & magna cibos aviditate rapientium atque ingurgitantium. Quibus quamdiu Natura valet, ſponte ſeſe ſua deonerare modo per vomitum ſolet, ſæpe per ſeceſſum, & in bilioſioribus plerumque cholerico modo. quo de alias latius. De Menio poeta quod dicit, ut ne poeticum putes, vide ſis ad Cam. Baldum in Phyſiogn. Ariſt. parte IV. apoteleſm. XXIV. & Lipſium Epiſt. miſcell. III. 51. & in Theatro Zuingerum vol. IX. lib. II. p. 2237.

§ 198. Sed habemus in textu, quod ſatisfacere dubitationi queat. Neque enim ſua emphaſi caret illa phraſis: *dabatur vero etiam*. Mihi quidem ſubindicat & tempus & quantitatem & for-

mam Melopeponis exhibiti. *Tempus*: nam ponit post usum Vini, ita ut liquido intelligas, primario atque ordinario datum Opsonium è betis aut cucumi cum vino nigro tenui. Quo cum esset usque eo profectum, ut alvus & purior iret & minore cum molestia, tum varietatis causa datum de melone arbitror. Quia namque dulcescere maturitate præ cucumi solet melo, eapropter satius fuit dari demum purgatiore alvo: vel ideo, ut per urinas expurgaret liberius atque fructuosius. *Quantitatem* loquendi formula modicam innuit. Quod ad *formam* denique, crudum fuisse concessum. neque opsonii vice aut modi.

§ 199. Fuit *cibus*. Sequitur *Potus*. quo sine Cibus, ut non bene conficitur in alimentum, ita nec distribuitur in partes. Cæterum ille non vulgaris fuit, non Aqua; sed medicinalis, quippe

§ 200. VINUM *nigrum tenue*. Heic se nobis considerandum offert, *primo*, Quale hoc vinum fuerit: *deinde*, Quare vinum, & ejus quidem generis obtulerit.

§ 201. Quod ad *prius*, Hippocrates l. de Vict. rat. acut. III. 1. 7, *triplex* Vinorum genus à Colore agnoscit: alba, nigra, gilva. Quæ distributio juxta cum aliis ibi propositis egregie vapulat Commentatori, qui omnium audit fidissimus: scilicet! Οὐ μόνον ἀτάκτως, inquit, ἀλλὰ καὶ ἐλλιπῶς τὸν καθ' ἕλκον ἐποιήσατο τῶν οἴνων· *Non solum inordinate, sed & insufficienter enumerationem inivit vinorum*. Nam differentia, *quæ in colore est, ea in album, nigrum, gilvum, flavum, atque rubrum dividitur*. Brasavolus in commentario excusat & dicit, istum catalogum *neque esse inordinatum neque diminutum, cum id sibi tantum instituerit de vinis contracte agere: ut ex his diligens lector per conjecturam omnia quæ de vinis dicenda essent, eliciat*. Similis excusatio Vallesii est ad hunc locum. in cæteris etiam saltat ad lyram Galeni, interpretum choragi.

§ 202. Ego vero satisfeciisse non *instituto* tantũ, sed & *naturæ* rei arbitror. Medici enim est spectare *vires* Vinorum, & quid quodque conferat ad usum medicum. *Illas* ut æstimet, necesse non habet præter *extrema* Vinorum, alba & nigra, atque inter hæc *media* gilva, considerare alia. *Cuilibet* ordini sua latitudo est: sua est *albis* Vinis, sua *gilvis*, itemque *nigris*. In quovis ordine non

tanta

tanta est coloris varietas, quæ manifeste *virtutem*, & ob id necessario *usum* variet. *Alba* vina inquam, licet sint minus alba; & *nigra*, magis nigra; & *gilva*, vel remissiora vel intensiora: non idcirco tamen Medicus possit aut velit sectari istas minutias numquam & nuspiam profuturas.

§ 203. Ergone nescimus *utilitatem* medicam discernere à *curiositate* philosophica? Galeno igitur gratiæ, qui medicinam Hippocraticam nobis transformavit in sophisticam, matronam in meretricem! Sed istam ego laudem ipsi numquam invidebo. quin optavero potius, uti cum Prosp. Martiano etiam alii viri magni suas socient operas, ac tandem aliquando vindicent innocentem ac castam Susannam, quam sibi Hippocrates, princeps ille & parens medicorum desponsavit, à duobus senioribus istis, Galeno atque Avicenna, quorum commentis laborare fama atque existimatione dudum cœpit apud S. P. Q. M. Sed hoc per transennam.

§ 204. Sed forte vel Galenistæ alicui vel Avicennistæ videbor ex amore Senis nostri insanire, & audiam ex illo illud Prudentii περὶ στεφάνων hym. x. 236:

Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.

Quamobrem non possum non, præter rationem pridem allatam, adferre auctoritatem Mnesithei, qui (citante Agellio XIII. 29.) scribit, *tria genera esse vini, nigrum, album, medium, quod vocant* κιρρὸν, *& efficere nigrum vires, album urinam, medium* πέψιν.

§ 205. Sunt hæc, ut vides, prorsus ex sententia Hippocratis, & procul dubio ex disciplina ipsius. Auctor enim medici seu Introductorii cap. IV. ordine enumerans Rationalis sectæ (cujus auctorem & principem facit Hippocratem: recte an male, nunc non disputo. dixi tamen in XIII. 393.) professores, quinto loco nominat Mnesitheum Athenienſem. cui Galenus in 1. de Cur. rat. ad Glauc. cap. 1. hoc testimonium dicit: quod fuerit *vir tum in aliis omnibus, quæ ad artem pertinent, sufficienter doctus, tum vero, qua via ac ratione medendi scientiam oporteat exercere, nemini peritia secundus.*

§ 206.

Unable to display this page

contra quam *albus*, qui cum sit summus, cæteros admittit omnes, & se interim remittit. Scaliger exerc. CCCXXV. 10: *Nigro colori nomen ab eo, quod est ejus, quod fuit: ut niger* νεκρός. *Mortui namque nigri.* Similiter φαιὸς, *phæus*, à φάω *neco.* Videri possit *niger* esse ex αὐχρὸς *tristis.* Certe *nigredo* & signum tristitiæ & causa est. *Signum* esse cum tristitiæ tum deformitatis atque afflictionum, quarum causa tristatur homo, colligas ex Jer. XIV. 2: Thren. IV. 8: Psal. CXX. 5. *Causam* tristitiæ atque horroris esse, nemo non in tenebris experitur. Neque miramur. Nihil æque luci est contrarium ac tenebræ. At lux est Spiritus noster, ideoque amat in luce esse, & pavet in tenebris.

§ 210. *Nigri* significatio *laxior* est, quando opponitur non *albo*, sed *gilvo*: colorum non extremo, sed medio. quem κίρρον Græci, *gilvum* & *helbum* Latini dicunt. Isidorus Orig. XVII. 15: *Elbum est inter nigrum candidumque colore. Nam elbum nec album, nec nigrum est.* repetit lib. XIX. 28. In glossis Cyrilli κίρρος exponitur *rubeus.* Quem cave confundas cum *rubro.* Anton. Thylesius l. de Colorib. cap. VII: *Invenitur & rubeus: etsi aliqui non indocti vocem non esse Latinam monuerint: quum tamen apud auctores non malos, ex uvis nigris fieri vinum forte legatur, ex rubeis autem suave. necnon bos rubeus probatur. Verbum est omnino rusticum, nec prorsus idem color est, qui & ruber: sed ad eum proxime accedit.*

§ 211. Ita sane, ut si *parum* Nigri admisceas *rubeo*, mox transeat in *rubrum.* Sic & *uvæ* natura *nigræ*, ab initio sunt *albæ* quidem, sed matureſcendo fiunt *rubeæ* primum, mox *rubræ*, tum paulatim *vinosæ* & *puniceæ.* confer sis ad Aristotelem l. de Colorib. cap. V. *Nigri* itaque gradus primus in rubro est. *Rubrum* vero appellatione nigri contineri vel solus ille Dioscoridis locus evicerit, qui est IV. 175. ubi Ebuli fructum ait μελαίνειν καὶ τρίχας ἐγχριόμενον, *denigrare etiam capillos, si inungatur.* Quis nescit autem baccarum Ebuli succum colore rubro, eoque saturo, rubere adinstar sanguinis floridi? Unde & *sanguineas ebuli baccas* Poeta dixit in Bucol. X. 27. Qui *color* quia & in plurimis sese vinis ostentat, & illecebrosius blanditur oculis, eapropter est quod & *vinum* Patriarcha atque Moses appellarint *sanguinem uvarum*, & ab eo caven-

dum monuerit Sapiens, cum ſui cupidinem blandiendo atque ſaliendo infuſum accendit : Gen. XLIX. 11 : Deut. XXXII. 14 : Prov. XXIII. 31.

§ 212. Præſenti in loco quemadmodum *nigri* appellationem accipias, *ſtricte* inquam, an *late*, definitu erit non admodum difficile, ſi attendas ad *alterum*, quod additur, verbum. Neque enim ſimpliciter dicit : potui erat οἶνος μέλας, *vinum nigrum* : ſed ut qualitatem ejus proximius deſignet, addit

§ 213. λεπτός. Quod verbum accipi *dupliciter* ſolet : proprie atque improprie. *Proprie*, de Conſiſtentia rei ſeu Modo ſubſtantiæ cujuſque. Scaliger exerc. CXLI. 5 : *Tenuem ſubſtantiam docet Galenus, quæ ad minima facile redigi poteſt : in ſiccis quidem mutuo abſceſſu ſeparabilia : in humidis viſcidis productilia : in aqueis, quæ poſſunt ſubire & penetrare.* vide Galenum de Simpl. fac. IV. 3. Ariſtoteli II. de Gen. & corr. II. 10 : λεπτὸν *tenue* dicitur, quod eſt λεπτομερὲς καὶ μικρομερὲς, *ſubtilium & minutarum partium.* Quale quod eſt, ſua natura eſt ἀναπληστικὸν, ſeu aptum natum replere rerum ſpatia, etiam imaginaria, ſive quæ videri niſi mentis acie nequeunt. Quam ſubtilitatem ut minus ſubtiles faceret intelligere Joan. Grammaticus, explicat ſimili profecto haut ſubtili : εἰ μὲν εἰς μέδιμνον καρύων σεμίδαλιν ἐμβάλλεις, διεισδύνουσα εἰς τὰς μεταξὺ τῶν καρύων κενὰς τοῦ στερεοῦ σώματος χώρας, ἀναπληρεῖ ταύτας. *Siquidem in medimnum nucum conjicias ſimilam, ea ſe inſinuans inter nuces, vacua ſolidi corporis ſpatia adimplet.* Quiſquis autem hoc non intelligis, ne te conferas in ſcholam Democriteam, nedum Epicuream.

§ 214. *Improprie* τὸ λεπτὸν ad Vires rei refertur, & Impotentiam ſignificat, quam res conſequitur ex minutione ſui corporis. *Robur* omne in mole & ſoliditate conſiſtit. *Hæc* quæ habent, *craſſa* dicuntur. Craſſis *quod* deteris, detrahis viribus. *Terendo* ſane fiunt parva, levia, mobilia, & ad reſiſtendum inepta. *Natura* terit & attenuat movendo. *Movet*, cum coquit & coquendo alimenta præparat animantibus. *Quorum* corporibus ſi plus aufert, quam adfert, extenuat ſimul & infirmat.

§ 215. Similiter in *vinis* quia numquam, quietis impatiens

ſpiritus

ſpiritus igneus, ceſſat agitare & attenuare; eapropter eſt, quod etiam craſſiſſima quæque & prorſus opaca fiant tenuia atque pellucida imbecillioraque, ſaltem in nutriendo. *Nutriendi* vis enim craſſis major. vide Galenum l. de Bonit. ſucc. c. XI: imo Hippocratem II. de Diæt. XIII. 231. *Vim* hanc, quæ dos præcipua vini eſt, ſi amittant (amittunt autem ſubſidentibus craſſis) merito deinde dicuntur λεπτὰ, hoc eſt, *tenuia* qua Subſtantiam, & *infirma* qua Vires. *Quas* quæ ob ortu, ſive in nutriendo, ſive in vegetando, habent exiguas, natura ſunt λεπτὰ, & ſimpliciter *invalida*. Heſychius: λεπτόν· ἀσθενές.

§ 216. *Affine* huic vocabulum aliud apud Hippocratem reperio, μαλακὸν. quod Heſychius exponit, ἡδὺ, τρυφερὸν, ἁβρὸν, ἀσθενές· id eſt, *ſuave, lene, delicatum, infirmum*. Apud illum extat laudato textu n. 225. 226. Ubi *nigrorum* Vinorum duplex facit genus. Sunt enim τῶν οἴνων οἱ μέλανες, alii αὐστηροὶ, alii μαλακοί. Latini dicerent: *Vinorum nigra* quædam *auſtera* ſunt, quædam *mollia*. Vinum *auſterum* vocant τὸν οἰνώδη καὶ δύσπονον, quod *forte* & *robuſtum* vulgo dicimus, quodque *durum* eſt atque *ingratum*. Contra *molle*, quod ſe novitate, lenitate, ſuavitate, atque remiſſa quadam generoſitate commendat. *Auſtera*, inquit, *ad robur atque ſiccitatem commoda ſunt*: l. de Affect. t. 1. *Mollia* igitur an humectant & enervant? imo & effeminant, ſi abutare. Priore loco Nigrorum *auſteris* tribuit, quod ſint ſicciora, & alvum non moveant, neque urinam cieant, neque ſalivam: quin calefaciant & ſiccando humiditates è corpore abſorbeant. *Mollibus* contra, quod humidiora ſint, inflent, atque alvum leniant, hoc eſt, lubricent aquoſitate ſua.

§ 217. Quibus præſtructis, jam nullus aſſeverare dubito, Hippocratem heic loci per οἶνον μέλανα λεπτὸν intellexiſſe *vinum rubrum parvum ac leve*, quod appellamus vulgo. Cujuſcemodi plura habet Gallia, & habuit haut dubie Græcia quoque, vel ex ſe, vel ſubvecta. *Francicum* quod nominant Galli à ſpeciali provincia & ſolo natali, ſi bene maturum eſt, poſſit pro exemplari eſſe & γλύμαλι ſeu guſtu, ut vocant. Sane ego non vererer ſubſtituere & concedere, ſi mihi propoſito ſimilis offerretur caſus.

§ 218. Vidimus, *quæ* Esui, *quæ* Potui fuere data. Videndum ulterius, & *primo* quidem, Quo tempore: *deinde*, Quare illo. Quod ad *primum*, sive *tempus*, quo Opsonium obtulit cum Vino, factum id

§ 219. Ἑσπέρᾳ. *Vespera*, si vocis usum spectamus, triplex est: prima, vera, & sera. *Prima* fit Sole inclinante. Juvenalis Sat. III. 316: *jam Sol inclinat, eundum est.* confer Jud. XIX. 8. & Lucæ XXIV. 29. *Inclinare* vero incipit lucis seu diei nona. Sidere inclinato, Græcis ὀψὲ, *suprema* Romanis dicebatur. *Illius* auctorem habeo Thucydidis scholiastem Hist. I. p. 35. n. 4. ad illud, ἤδη ὢν ἰῶν ὀψὲ. ubi disserte: ὃ λέγει ὅλη ἰῶν ἑσπέρας, ἀλλ' ὡς ἐννάτη ἢ δεκάτη ὥρᾳ· *non dicit, quod esset vespera, sed quasi nona aut decima hora.* Criticis veteribus τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς, *tempus circa occasum Solis* dicebatur. De *altero* Plinius VII. 60: *Accensus Consulum cum ab Curia inter Rostra & Græcostasin prospexisset Solem à columna Mænia ad carcerem, inclinato sidere Supremam pronuntiabat. Quamquam plurimi*, inquit Censorinus de Die nat. XXIV, *Supremam, post occasum Solis esse existimant: quia est* in XII. *Tabulis* scriptum sic. SOL. OCCASUS. SUPREMA. TEMPESTAS. ESTO. Sed hoc mutatum postea M. Plætorii Tribuni plebis scito. quod & Varro monet in v. Ling. Lat. p. 44. Confer & Agellium XVII. 2. nisi pro Veteribus unum Salmasium mavis in Plin. exerc. p. 649.

§ 220. *Vera* vespera incipit cum Sole occaso. Censorinus: *Post supremam sequitur vespera.* Erat itaque insigne spatium *inter duas vesperas* istas, ut appellat S. Scriptura Exod. XII. 6: XVI. 12: XXIX. 39. 41. Hoc *spatium* dicebatur Judæis *parasceue*; Gentibus, *cœna pura.* de quibus adi sis ad Martinii Lex. Philologicum, & quos ibi laudat.

§ 221. *Sera* vespera denique sub crepusculo erat. Cyrilli glossæ: Ἑσπέρᾳ, *Sera vespera, Crepusculum.* Censorinus: *Inde porro crepusculum, sic fortasse appellatum, quod res incertæ creperæ dicuntur; idque tempus noctis sit, an diei incertum est.* Itaque & inter *veram* ac *seram* Vesperam spatium est, sed perinde, ut prius, vagum atque incertum, propter incrementa & decrementa lucis. Ob

quæ

quæ non potest eadem mensura esse solstitialibus & brumalibus, vel æquinoctialibus diebus, dierumque partibus.

§ 222. Istud *spatium* Græcis ὀψινὴ ὥρα: Latinorum priscis *suprema tempestas* dicebatur, ceu modo vidimus. Cyrilli iterum glossæ, *crepusculum* appellant. Ὀψινὴ ὥρα, ἡ μὴ ἡλίου δυσμαῖς, *Crepusculum*. q. d. *Sera tempestas*, sive *quæ post Solis occasum* sequitur, *crepusculum* dicitur. Sed malim esse hoc tempus dubiæ lucis, sive quo inter similia oculus discernere haut satis potest. Unde, ut Hadr. Junius notat in Nomenclatore, Galli dicunt *jour fallant entre chien & loup*. q. d. tempus quo ex colore dignosci canis à lupo nequit.

§ 223. *Qua* jam *vespera* Clonigus opsonavit? Si morem cœnandi priscum consulas, non facile definiveris. Cœnæ tempus ordinarium erat, Sole occidente sive undecima diei hora labente. Quam tamen viri graves occupationum causa sæpe differebant usque περὶ λύχνων ἅφας, quod *luminibus accensis* Romani, antiquiores *prima face* dicebant. Et quia propter eamdem causam fere parcius prandebant, idcirco cœnabant liberalius & hilaritates etiam suas ac compotationes ei reservabant. Illo certe tempore etiam Cyrum cœnatum legimus apud Xenophontem Cyropæd. IV. p. m. 104. B: ὁ μὲν δὴ Κῦρος δεῖπνησε τὰς Πέρσας, ἐπεὶ δὲ καὶ σπένδεσθαι ἔμελλον· *Cyrus cœnam Persis præbuit, quum tenebræ jam essent.*

§ 224. *Hoc* interim *tempus* quam impatienter exspectarent, præsertim vinosi, ostendit Alcæi illud apud Athenæum XI. 8:

Πίνωμεν. τί τὸ λύχνον ἀμμένωμεν;
Δάκτυλος ἀμέρα.
Bibamus: quare lumen exspectabimus?
Digitus dies.

Quæ ut manifestissime arguunt Lyrici illius φιλοινίαν: ita & hoc innuunt, doluisse vinoso poetæ, quod propter sobrios sodales cogeretur exspectare lucernarem horam. Quid moras trahimus? inquit: quid exspectamus, ut vespera sit, atque inferatur lumen? Annon videtis, qui restat, diem digitum esse?

§ 225. Is est δάκτυλος ἀὼς in Epigrammatis, VII. 180. Quod an recte interpretatus sit Vinc. Opsopœus, itemque Erasmus

in Adagio, *Dies digitus*; intelliges ex Casauboni Animadv. in istud Alcæi. Hodie altitudinem Solis occidentis metimur extensissima dextra, sic ut pars ejus ima attingere Finitorem videatur. Tum si summum latus contingat imam Solis orbitam, hora præterpropter diei supereſt. Quomodo si Alcæus digito dumtaxat abesse Solem ab Horizonte voluit, jam sane digitus dici potest mensura tempori conveniens.

§ 226. Etiam *famelicis* quam fuerit durum, Soli ventrem oblatrare, egregie Plautus in Bæotia ostendit sub persona parasiti. Cum enim essent πεχέδηπνοι, *patinarum assectatores*, & venire soliti in convivium invocati, ut de se Ergasilus ait Captiv. act. 1. sc. 1. 2: eapropter queritatur contra Romæ posita solaria, atque ex eorum ceu lubitu instituta convivia & tempora capiendi cibi.

Vt illum dii perdant, inquit, *primus qui horas repperit,*
Quique adeo primus hîc statuit solarium.
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puero venter hic erat solarium,
Multo omnium istorum optumum & verissumum.
Vbi iste monebat, esse: nisi cum nihil erat.
Nunc etiam quod est, non estur, nisi Soli lubet.
Ita cum adeo jam oppletum est oppidum solariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

§ 227. Ill. Salmasius & heic & in Plin. exerc. p. 649. ostendit, eo tempore non nisi unicum in Urbe solarium, in foro ad Rostra, fuisse statutum & in columna positum: quei itaque heic de pluribus conquestio est? An quia à foro venientes solebant rogari horam? Ita hodie sciscitantur qui absunt à campana longius ex iis, quos inde venientes habent obvios. Ita quidem non invenuste dici oppidum potuit repletum horologiis seu horarum indicibus.

§ 228. Porro non semper cœna in id tempus, nedum convivia fuere dilata: quoniam multi ea *tempestive* agitabant, & ad pocula etiam de die seu statim à meridie accedebant. confer quæ supra jam diximus exerc. x. 255. imo potius quæ ea de re luculentissimis scripsit Salmasius cum in eisdem Plin. p. 648. tum in Notis ad Fl. Vopisc. p. 233. v. 10.

§ 229.

§ 229. Cum itaque præsenti in casu opsonationis tempus ex more temporum definire non liceat, videamus an definiri ex usu Artis queat. Hippocrates l. de Affect. t. XXXVII: πρὸς μὲν τὰ φλεγμαίνοντα, ξυμφέρει τὰ ψυχρά· *Inflammationibus conferunt frigida.* Quamobrem? κρῆσις γὰρ καὶ μετριότης, τῷ μὲν θερμῷ, γίνεται ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ· *quia temperatio atque mediocritas calido quidem obtingit à frigido*: l. de Vet. med. XXVIII. 91. Accedit quod, ὅταν ῥεῦμα γίνεται, καὶ φλεγμονή ἐστιν, ἐπὴν δὲ παχύτερόν τε καὶ ἧσσον ὀριμὺ, πέπον τε καὶ μεμιγμένον μᾶλλον, τῷ πρότερον γιγνομένῳ, τότ' ἤδη καὶ τὸ καῦμα πέπαυται· *quum fluxus atque inflammatio adest, siquidem quod fluit crassius atque minus acre fiat, coctumque ac mixtum magis priore, tunc quoque cauma cessat*: ut ibidem dicitur t. XXXI. 104.

§ 230. Jam vero præ *somno* nihil est, quod magis vel refrigeret, vel mitiget, vel maturet. *Refrigeret*, inquam: φύσει γὰρ πέφυκεν ὁ ὕπνος ψύχειν· *Sua quippe natura somnus aptus natus est refrigerare*: l. de Flat. XX. 215. *Mitigandi* vim, sive dolorem sedandi, somno inesse cognoveris ex Aph. V. 2. τὰ δὲ παύοντα ὀδυνέων, παντῶν ἀμείνω· *Quæ vero sedant dolorem, omnium optima* dicit in Progn. II. 51. neque enim vetat, quod ibi de uno notat, etiam ad alia transferre: cum revera nihil & naturæ amicius & jucundius ægrotanti sit, quam liberari à dolore; quâ demum id ratione fiat. *Maturationibus* somnum conferre, hoc potest argumento esse, quod sub eo occlusior sit alvus. Ὅσα δὲ πεπαίνεσθαι δεῖ, κατέχεσθαι δεῖ· *Quæcumque vero maturari oportet, concluſa esse oportet*: VI. Epid. II. 23.

§ 231. Porro, quia oportet πρὸς νύκτα καθεύδειν, *nocte dormire*, Progn. II. 11; ceu quæ quieti data est hominibus, Joh. IX. 4: plenus autem venter dormiat libenter, eapropter cibum putamus sub noctem opportunius dari. Quo tempore scilicet Spiritus noster se recepturus est in viscera, & vacaturus negotiis privatis & domi curaturus ad quæ velut familiæ cura vocat. repete, si placet, quæ pridie etiam huc pertinentia dixi § 134. & sequenti.

§ 232. ITA AUTEM *victitanti alvus constitit, atque urinæ claræ itabant.* Hactenus propositum nobis fuit, *quibus* Morbis detineretur

neretur Clonigus, & *quibus* Auxiliis eum curaverit Hippocrates medicus. Qui deinceps nobis *eorum* Succeſſum exponit, & porro, *quid* egerit ad integram uſque ac ſecuram reſtitutionem.

§ 233. *Succeſſum*, uſque ad ſtuporem multorum qui legunt, & Hippocraticâ curandi rationem non intelligunt, fuiſſe proſperũ, felicem, facilem, pridem monuimus, nunc videmus. Neque dubito, quin hunc etiam *eventum* Ægrotanti prædixerit, imo promiſerit τὸ δέοντι ποιέοντι, *facienti juſſa*, Aph. 1. Hoc ſane pertinebat ad erigendum animum afflicti. Ita enim eſt: *animus lætus bonam reddit medicinam*, inquiebat Paroemiographus ſacer Prov. XVII. 22. Quo ſpectat præceptum noſtri de *fiducia* erigenda in ægrotis, Progn. 1. 2. Sed & ſciebat Præceptor, & monuerat l. de Eleg. IX. 145: προδιαστέλλειν τὸ ἐνβησόμενον ἐκ τῆς ἐμπειρίης, ἔνδοξον καὶ ὑμᾶς· *præmonere* ægrotantem *de eventu* morbi *ex* antehabita *experientia* ſive ſimilibus anteviſis caſibus, *glorioſum* eſſe atque *bene verſati* in arte. Viderat autem ſimile in Erotolai filio. cujus hiſtoriam luculente conſcriptam exhibuit VII. Epid. t. III.

§ 234. *Ita autem victitanti*, ut præſcriptum fuit, & in eo victu perſeveranti, primo quidem *conſtitit alvus*, hoc eſt, deſiit deſidendi vel frequentia vel moleſtia inquietare; non affluentibus amplius acribus ad inteſtina.

§ 235. Deinde etiam *urinæ claræ itabant*, ſive quales ire ſanis aſſolent, aut quando vitii nihil in viis eſt urinariis. *Claras* vocant, quæ tales & redduntur & redditæ permanent. Græce dicuntur οὖρα καθαρά, *urinæ puræ*, ad verbum. Ita vero ſtricte dicuntur, *quibus* nihil eſt alienæ ſubſtantiæ admixtum. Fuerant *urinæ cruentæ*, ſeu ſanguine perfuſæ ac turbidæ. Profectum autem, cùm emollientibus ac refrigerantibus cæteris, tum matutino præſertim lactis potu, tantum fuit, ut urinæ iſtæ cruentæ deinceps puræ atque claræ redderentur.

§ 236. Nec *puræ* tantum, verumetiam *citra dolorem*, & *libere*, ac *liberaliter*. Quod me neceſſariâ inferre conſequentiâ fatebere, ſi conſideres, *laborioſæ* & *paulatinæ* Mictionis cauſam agnitam fuiſſe *ſanguinem*. Cujus *ardori* adſcripſimus in commentario utrumque illud, quod vidimus, vitium. Quando itaque non amplius

plius arderet urina, & pura iret, non potuit non libere ac liberaliter ire. Neque, si aliter heic evenisset, Præceptor id tacuisset.

§ 237. Quibus ex voto & ratione effectis, quotusquisque hodie non putaret rem confectam, & negotii amplius nihil superesse? Præceptor tamen ostendit, *germina* dumtaxat præcisa, non esse excisam *radicem*. Hanc evicimus suo loco, *cacochymiam* Sanguinis fuisse, venarum insigne vitium: & ex hac *nephritidem* natam, atque subsecutam *dysentericam* Alvi constitutionem. *Victu* præscripto igitur cum superati essent hi morbi, quo ne radice relicta alii, serius ocyus, succrescerent, juremerito etiam isti eradicandæ adhibuit curam. Atque hoc est, quod ultimo nobis colo ac loco considerandum proponitur.

§ 238. POTABATUR *autem lacte, donec urinæ subsidere desinerent.* ita reddebam in textu. Cornarius: *Bibit autem lac, donec urinæ restitutæ sunt.* Foesius: *In lactis autem potu perseveravit, tantisper dum urinæ restitutæ sunt.*

§ 239. Quam clarum periodi hujus membrum *prius* est: tam est *posterius* obscurum. Etiam *obscurius*, si addas ἐπιμύθιον Foesii, quod in Oeconomia fuit adfabulatus. Vertit enim illud, ἕως τὰ οὖρα ἀπεκατέστη, *quoad urinæ restitutæ sunt, quæ antea supprimebantur & ægre prodibant.* Unde illud de *suppressione* Urinarum sit, quis divinet? nam verbum de ea non est in textu. *Aegre*, sive cum difficultate fuisse redditas, & qua de causa, paret in textu, & exposui in loco.

§ 240. Porro cum *urinæ* non recte dicantur *restitutæ*, nisi prius fuerint vitiosæ; dicendum hoc *vitium* erat, si aliud esset ab illo, quod dictum est. Quod dictum est, in *contento præternaturali* erat, ut loquimur vulgo, sive in sanguinis mixtione cum urinis. At hoc jam emendatum erat, cum *urinæ itarent puræ*. Euntibus vero *urinis claris*, nec amplius sanguine turbidis, quid erat opus, ut in Lactis potu perseveraret Clonigus? an, ut fieret, quod factum jam erat?

§ 241. Tota heic *difficultas* est in ignoratione *cum* Originis morbi, *tum* Significationis verbi ἀποκαθίστασθαι.

242. Quod ad *originem* Morbi, non videntur Interpretes con-

ſideraſſe, *utrumque affectum*, Renum inflammationem inquam, & Inteſtinorum tormina, pependiſſe à *ſanguinis* Cacochymia putrida & acri. Cujus etſi *mordacitas* atque *malignitas* eſſet eatenus obtuſa, ut deſineret moleſta eſſe Inteſtinis atque Renibus, neque vel hos inflammare amplius, vel illa mordicare: non propterea tamen *ipſa* Corpori erat depurgata. Qua tamen relicta, relinquebatur metus recidivæ. Nam, *quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere ſolent:* Aph. II. 12. confer VI. Epid. II. 12.

§ 243. Hanc itaque *cauſam* Malorum, *morbum* principalem ut amoliretur, juſſit in *matutino* Lactis potu perſeverare, quouſque *urinæ*, tum claræ & puræ euntes, non tantum *ſubſiderent*, verum *ſubſidere* rurſus *deſinerent*, adeoque repetita puritate jam *purum* eſſe Sanguinem oſtentarent, & ſecuritatem promitterent ægrotanti.

§ 244. Atque hanc *ſignificationem* Verbi ἀποκαθίστασθαι eſſe ſi monſtravero, confecta & ſalva res erit. Τὸ καθίστασθαι, quoties dicitur de urinis, *ſubſidere* ſignificat, ſeu deponere ſedimentum, quale quale. Sic (ut unum modo exemplum, atque alterum adferam) I. Epid. I. 25, οὐ καλῶς καθιστάμενα οὖρα, *urinæ non probe conſiſtentes*, interprete Foeſio, *dicuntur, quæ nullam, aut paucam, eamque crudam & incoctam habent ſubſidentiam, ideoque perturbatæ remanent & craſſis fere junguntur, iiſque ibidem* τὰ καθαρὰ *opponit.* Sic & I. Epid. II. 31, οὖρα πάχος μὲν ἔχοντα, θολερὰ δὲ, οὐδὲ καθιστάμενα· *Vrinæ craſſitudinem quidem habentes, verum turbulentæ, nihil conſiſtentes*, ſimul ponuntur, inquit Foeſius in Oeconomia.

§ 245. Neutro loco autem recte, τὰ καθιστάμενα, *conſiſtentes* reddit. Aliud *conſiſtere* eſt, aliud *ſubſidere*: imo, ſi recte putes, contraria ſunt. Τὸ συνίστασθαι *conſiſtere* ſignificat proprie, Donato ad Adelph. act. II. ſc. I. 2. interprete, *conſtanter ſtare.* Hoc ſenſu Ovidius Metam. VII. 572. dixit; *prohibent conſiſtere vires.* Et Cicero in Orat. XXVIII: *ſi ſemel conſtiterit, numquam cadet.* Hoc ſenſu itaque *conſiſtentes* Urinæ eædem eſſent & *claræ* Medicis dictæ, & opponi *turbatis*, atque *turbidis*, ac *confuſis* ſolitæ. Quarum *iſtæ* Claræ redditæ turbantur quidem mox; ſed perinde ac *illæ* ſubclareſcunt iterum, depoſito turbamento: *cæteræ* conſtant in confuſione. At

quam

quam isthæc interpretatio istis locis non conveniat, nimio clarius est vel luscitiosis intuenti.

§ 246. Hippocrati τὸ συνίστασθαι, *consistere*, dicitur ordinarie de rebus fluentibus aut membris fundentibus fluores, cum fluere aut fundere desinunt. Ita III. Epid. III. 72, τὸ κοιλίη συνέστη est, quod Cato cap. 125. dixit, *alvus constitit*. In eadem Parionis, seu primi post statum pestilentem ægroti historia legeris: καὶ κατὰ κοιλίην συνιστάμενα. καὶ πάλιν διαλύομενα· *Excreta consistebant: sed iterum diffluebant*. Possem ejuscemodi plura ex Hippocrate sistere; sed nolo me detinere in re non ignota ipsi Foesio, atque in vulgo confessa.

§ 247. *Subsidere* autem, quod Græcis est καθίστασθαι, dicuntur *proprie* in Urinis ἑτερογενῆ, *aliena* illa, quæ præter naturam *vel* subrepserunt in Sanguinem, *vel* secesserunt à Sanguine. *Illius* generis sunt, quæcumque cruda suggerit tempore valetudinis secundæ, Satietas nimia. *Hujus* vero, quæcumque cocta egerit, tempore valetudinis adversæ, Natura valida. *Neutra* quia Sero sanguinis permiscentur, sed confunduntur tantum: idcirco de facili se segregant gravitate sua, & subsidunt ad fundum. Quemadmodum & *illa*, quæ sese Sero associant in viis, qua transit. Exempla horum & loca vide sis apud Foesium quoque in Oeconomia.

§ 248. Quando itaque extra controversiam est *subsidendi* significatus in verbo καθίστασθαι: videndum restat, sit ne *præpositio* altera in decomposito otiosa & supervacua, an significativa; &, ut prima est, ita & principalis.

§ 249. *Istud* præsumere quemquam vetat studiose quæsita veteribus & nullo non tempore accepta sapientibus βραχυλογία, seu multa paucis dicendi contentio. Agnoscit & merito laudat Sidonius Epist. IV. 3: *Quondam nec injuria hæc principalis facundia computabatur, cui paucis multa cohibenti, curæ fuit, causam potius implere, quam paginam.* Quam *brevitatem* ut in Orationibus, ita & in Dictionibus sectabantur. *Vtriusque* exemplar, si ullibi invenias, certe in Hippocrate. Quo nemo perfectius expressit atque explevit Medici sapientis officium. Quod quidem in ipso, ut ipsius è I. de Diæt. XX. 213. verbis dicam, πολλοὶ θαυμάζουσιν,

ζουσιν· ὀλίγοι, ἢ γινώσκουσιν· *multi mirantur, sed pauci cognoscunt*; imo cognoscere studeant, panico quodam obscuritatis metu absterriti. Ita enim ex vero loquor, ceu certus, longe apertius Hippocratem animi sensum & historiam rei & veritatem naturæ & utilitatem artis expressisse atque ostendisse suo in breviloquio, quam Galenus in omni sua λογοδιαρροίᾳ sive *profluentia loquendi*, ut appellant Cynulcus apud Athenæum IV. 15, & Cicero in Partit. XXIII.

§ 250. *Otiosa* igitur præpositio heic si non est, quid ei in significando negotii est? Perfectam, *cum* Morbi ejectionem, *tum* Sanitatis restitutionem demonstrare. Τὸ ἀπὸ, inquam, heic significat perfectionem ab initio ad finem. quod & in voce σωαπεργάζεσθαι Scaliger observat apud Theophrastum de Caus. plant. III. 15; secundum Gazam 14. in fine. *Initium* fuit, cum urinæ, quæ reddebantur jam claræ, cœperunt turbari, & deponere sedimentum multum, crassum, rubeum. *Finis* fuit, cum urinæ, quæ ad tempus fuerant turbatæ, cœperunt claresceré rursus, & nubeculam ostentare albam, lævem, æqualem. Sicut enim *istæ* urinæ indicio erant, Cacochymiam sanguinis mitigatam esse, & secretam, & excerni beneficio cum Naturæ, tum Artis: ita rursus *illæ* significabant, non modo Materiam quæ vitium fecerat, sed & utrumque Morbum, atque in totum esse remotos atque sic in tutum esse Corpus collocatum, pristinæque valetudini assertum.

Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, μόνῳ σοφῷ
Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τιμὴ ἡ δόξα
εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

AMHN.

INDEX

INDEX AVCTORVM,

qui in his SELECTIS laudantur, illustrantur, emendantur.

Aetius, *citatus*, x. 254. xiii. 475.
Achmes, *citatus*, x. 163. xv. 58.
Acorombonus, Hieronymus, *citatus*, xvi. 136.
Actuarius, *citatus*. iv. 6. 107. viii. & xiii. 60.
Adamantius, *citatus*, xi. 61. 139.
Ægineta, Paulus *citatus*, iv. 87. v. 70. 76. vii. 52. viii. 92. x. 49. 75. xiii. 71. 510. xiv. 61. 63. xvi. 124. 172.
Ælianus, *citatus*, v. 27. 81. 98. 107. x. 167. xi. 17. 58. 91. 101. 144. 150. 154. 205. *emaculatus*, x. 178.
Æschines, *citatus*, ix. 22.
Aetius, *citatus*, iv. 27. 30. 33. v. 98. viii. 8. x. 179. xi. 183. xv. 119. xvi. 80. 84. 104. 124. 144. 172.
Africanus, *citatus*, x. 192.
Agellius, *citatus*, viii. 10. 12. x. 88. 119. 200. 255. 281. xi. 69. 124. 197. xiii. 60. 127. xv. 79. 91. xvi. 219.
Aggregator Brixiensis, *citatus*, iv. 104.
Akakias, Martinus *citatus*, xiv. 29 30.
Albertus Magnus, *laudatus*, xi. 84. 215.
Alcæus, *citatus*, xvi. 224. 225.
Aldinus codex Hipp. *citatus*, iv. 10. xvi. 152. *laudatus*, v. 16.
Aldrouandus, Ulysses *citatus*, v. 4. 36. 44, 50. 60. 64. 74. 77. 98. 107. 112. xi. 4. 28. 44. 56. 57. 59 62. 84. 90, 100 149. 228. *laudatus*, xi. 61. 137. *notatus*, xi. 4. 61. 134. 137.
Alemanus, Adrianus *citatus*, vii. 57. xv. 79.
Alexander ab Alex. *citatus*, ix. 23.
Alexandrinus, Georgius *emendatus*, v. 111.
Alexandrinus, Julius *citatus*, v. 79. 86. x. 72. 80. xii. 57.
Alexis, *citatus*, v. 74. 99. 102.
Alexius, *citatus*, xi. 36.
Allatius, Leo *citatus*, v. 76.
Alpinus, Prosper *citatus*, v. 19. 21. xvi. 181.
Amatus Lusitanus *citatus*, viii. 97. xvi. 176.
Amesius, Gulielmus *citatus*, xi. 118.
Ammonius, *citatus*, xi. 50.
Anacharsis, *citatus*, ii. 27.
Anacreon, *citatus*, xiii. 454.
Anatolius, *citatus*, x. 192. 200.
Anaxilas, *citatus*, xvi. 187.
Androtion, *citatus*. xiii. 312.
Anthologicon, *citatum*, v. 26.
Antiochus, *laudatus*, x. 87.
Antiphanes, *citatus*, xiii. 141. xvi. 166. *emendatus*, v. 93.
Antyllus, *citatus*, xiii. 409.
Aphrodiseus, Alexander *citatus*, v. 69. x. 235. xiii. 112. 147.
Apitius, Cælius *citatus*, v. 77. x. 9. 24. 64. 72.
Apollinaris, citatus, x. 259.

76. 158. 292. 372. XVI. 6. 107. 116. 122. 146. 160. 164. 180. 225.
Cassianus Bassus, *citatus*, V. 77. IX. 69. X. 15. 134. 153. 155. 160. XVI. 162.
Cassiodorus, *citatus*, X, 197. XI. 207. XIV, 54.
Cassius, *laudatus*, XVI. 85.
Cassius Hemina, *citatus*, XVI. 165.
Castellus, Vascus *citatus*, XII. 5. 190.
Castro, Rodericus à *citatus*, XIV. 27.
Catholicon, *citatum*, XIII. 463.
Cato, *citatus*, V. 109. X. 133. 187. 191. 193. 196. 200. 203. XIII. 180. 184. XV. 110. XVI, 246. *emaculatus*, X. 189.
Celsus, A. Corn. *citatus*, III. 2. IV. 7. 12. 13. 16. 22. 28. 45. 50. 55. 60. 73. 89. 99. 107. V. 26. 75. 91. 96. VI. 7. 10. 13. 48. 52. 54. 59. 69. VII. 3. 7. 11. 17. 22. 25. 34. 60. 63. VIII. 1. 8. 42. 63. 76. 77. 80. 81. 83. 87. 95. IX. 8. 15. 18. 20. 26. 39. 57. 64. 72. X. 28. 58. 63. 64. 71. III. 147. 148. 152. XI. 12. 163. 222. XII. 23, 60. 63. 132. 133. 161. 172. 175. 188. XIII. 11. 150. 51. 71. 81. 160. 161. 163. 193. 194. 197. 211. 249. 257. 267. 322. 346. 347. 354. 362. 365. 366. 380. 383. 386. 388. 393. 413. 415. 427. 428. 435. 436. 443. 459. 469. 478. 479. 491. 506. 509. 510. 512. 536. 542. 547. XIV. 7. 25. 26. 35. 91. III. 112. 114. 125. 133. 135. 139. 141. XV. 14. 15. 27. 32. 34. 86. 88. 101. 111. 133. 151. 156. 158. XVI. 1. 2. 78. 85. 90. 91. 169. 172. 178. *emendatus*, VII. 3. *explicatus*, XV. 109 *tentatus*, IV. 72.
Celsus, Ictus *citatus*, XII. 35.
Censorinus, *citatus*, XI. 179. XVI, 219. 221.
Cerda, Ludovicus de la *citatus*, V. 42. XI. 167. XV. 115.
la Chambre, *laudatus*, XIII. 166.
Charisius, *citatus*. XI. 38.
Charondas, *citatus*, II. 27.
Chifflerius, Johannes *citatus*, IV. 54.
Chœrilus, *citatus*, VI. 48.
Chrysippus, *citatus*, I. 23. 24. 26. IX. 44. XVI. 161.
Chrysologus, Petrus *citatus*, X. 242.
Cicero, *citatus*, I. 18. 19. V. 26. 48. 54. 65. VI. 48. VII. 49. IX. 22. 29. 54. X. 258. 265. 280. 291. 292. XI. 39. 72. 73. 130. 163. 187. 217. XII. 189. XIII. 107. 108. 111. 122. 124. 126. 129. 262. 378. 380. XIV. 11. 17. XV. 47. 94. 111. 135. XVI. 7. 46. 139. 159. 245. 249.
Citesius, Franciscus *citatus*, VII. 52.
Cleinias, *citatus*, XV. 99.
Clemens Alex. *citatus*, V. 69. VII. 43, IX. 60. 61. 63. X. 31. 166. 220. 254. XI. 104. 109. 120. 126. XV. 91. 99. 132. XVI. 161.
Cleopatra *citata*, XVI. 101.
Coccejus, Johannes *citatus*, V. 47. XIII. 95. 450. XVI. 117.
Colmenerus, Antonius *citatus*, X. 151.
Columbus, Realdus *citatus*, IV. 44.
Columella, *citatus*, V. 109. IX. 57. X. 36. 41. 51. 54. 61. 63. 96. 97. 99. 100. 108. 120. 131. 161. 175. 184. 185. 189. 190. 191. 192. 199. 207. 220. 283. XII. 21. XIII. 159. XV. 109. *emaculatus*, X. 161. 175. 185.
Constantinus, Robertus *citatus*, X. 145. 277. XI. 21. 22. XIV. 131. *notatus*, XIII. 175.
Contarenus, Ambrosius *citatus*, XVI. 125.
Copernicus, Nicolaus *laudatus*, XI. 176.
Cordæus, Mauritius *citatus*, V. 18. 85. XIV. 6. *laudatus*, V. 21. *notatus*, V. 19.

Cornarius, Janus *citatus*, IV. 16. 82. 90. 92. V. 22. VII. 12. 65. X. 103. XII. 135. XIII. 82. 179. 203. 309. 357. 394. XV. 37. 119. XVI. 105. 139. 142. 144. 149. 238. *laudatus*, IV. 10. V. 18. 77. XIII. 86. 539. *notatus*, IV. 84. V. 77. 86. 92. X. 13. 200. XIII. 21. 290. 301. 305. 329. 376. XV. 59. 60.
Cornificius, *citatus*, X. 208.
Craſſus, Junius *citatus*, IV. 101. *notatus*, VII. 5.
Crates, *citatus*, I. 26. XI. 130.
Cratinus, *citatus*, XVI. 187.
Crato, Johannes *laudatus*, XII. 57.
Cujacius, Jacobus *laudatus*, XI. 38.
Curtius, Quintus *citatus*, I. 10.
Cynulcus, *citatus*, XV. 10. XVI. 146. 249.
Cyrilli lexicon, *citatum*, IV. 36. 91. X. 51. 135. 162. 198. 260. 251. 269. XI. 20. 38. 61. 68. 155. XIII. 58. 65. 394. 510. XV. 37. XVI. 9. 12. 82. 221. 222. *emaculatum*, X. 52. 128. XI. 75.
Cyrillus Hieroſolymitanus *citatus*, X. 290.
Cyprianus, *citatus*, VIII. 28.
Cyrenæus Poeta, *citatus*, IX. 60.
Dalechampius, *citatus*, V. 60. IX. 69. X. 30. 47. 67. 99. 119. 164. 196. XI. 36. 40. 137. 150. XVI. 171. 179. 208. *notatus*, X. 118. XI. 61.
Daniel Propheta, *citatus*, XI. 115.
Delrio, Martinus *notatus*, XV. 51.
Demetrius Ixion, *citatus*, XVI. 177. 179.
Democritus, *citatus*, X. 30. 192. XIII. 557. XV. 99. XVI. 7.
Demoſthenes, *citatus*, X. 258. 282. XVI. 169.
Dempſterus, Thomas *citatus*, X. 124.
Deſignatianus, Largius *citatus*, IX. 26. *tentatus*, IX. 26.
Didymus *citatus*, X. 15. 82. 106.
Didymus Homeri ſcholiaſtes *citatus*, XVI. 159.
Dio, *citatus*, XIII. 554.
Diocles Caryſtius *citatus*, XVI. 177.
Diodorus, *citatus*, XI. 167. XII. 8. XVI. 100. 106.
Diogenes, *laudatus*, X. 89.
Dionyſius Afer *citatus*, X. 126.
Dionyſius Halicarnaſſeus *citatus*, XVI. 122.
Diophanes, *citatus*, X. 140.
Dioſcorides, *citatus*, IV. 84. V. 13. 21. 26. 49. VII. 14. 25. 33. 39. X. 13. 28. 34. 50. 53. 57. 60. 63. 82. 87. 92. 103. 120. 125. 134. 142. 145. 146. 151. 152. 155. 159. 173. 191. 195. 198. 199. 210. 220. 237. XI. 21. XIII. 449. XVI. 78. 81. 82. 121. 147. 171. 172. 175. 177. 211. *emendatus*, V. 21. *tentatus*, V. 95.
Diphilus Siphnius *citatus*, V. 79. 84. X. 112. 164. 254. XVI. 167. 177.
Diverſus, Petr. Salius *citatus*, IV. 25. 26. 41. VI. 16. VIII. 4. 8. 19. 75. 106. XII. 119. XVI. 133. *laudatus*, VIII. 6.
Donatus, ſcholiaſtes *citatus*, XI. 217. XIII. 282. XVI. 245.
Donatus, Marcellus *citatus*, IX. 69. XV. 102.
Doringius, Michael *citatus*, XIV. 102.
Dorion, *citatus*, XI. 24. 30. 34. 36.
Dorothæus, *citatus*, IX. 65.
Druides, *citati*, III. 31.
Dubravius, Janus *citatus*, XI. 90. 100. *notatus*, IV. 78. 79. VI. 38.
Duretus, Ludovicus *citatus*, IV. 4. 8. 87. 88. 93. 98. VI. 17. 18. 23. 47. 54. 65. VII. 12. VIII. 31. IX. 38. XII. 124. 811. 197. 255. 257. XIV. 132. XV. 19.
Egnatius, Baptiſta *citatus*, XVI. 23.
Elmenhorſtius, Gebhartus *citatus*, X. 119. 200.
Ennius, *citatus*, IX. 54. XI. 124.

Ent, Georgius *laudatus*, XIV. 46.
Epænetus, *citatus*, XI. 120.
Epicharmus, *cit.* XI. 134. 142. XVI. 100.
Epictetus, *citatus*, I. 29. III. 9.
Epicurus, *citatus*, XIII. 105. XV. 100.
Epimenides, *citatus* XI. 110.
Eraſiſtratus, *citatus*, XIII. 60.
Eraſmus, Deſiderius *citatus*, X. 2. 74. 143. 278. XI. 112. XIII. 128. 438. XV. 48. XVI. 6. 7. 225.
Eraſtus, Thomas *citatus*, XVI. 68. 69.
Eratoſthenes, *citatus*, IX. 60. X. 250. XI. 166.
Erhardus, Georgius *citatus*, X. 273.
Erotianus, *citatus*, IV. 92. 93. 99. VIII. 38. XII. 7. 51. XIII. 106. 132. 135.
Eryximachus, *citatus*, XV. 99.
Eſther, *citata*, XII. 116.
Etymologici Auctor, *citatus*, V. 10. X. 241. 269. XI. 200. XII. 83. XIII. 128. XVI. 151. 164.
Eubulus, *citatus*, VII. 36. X. 101.
Eudemus, *citatus*, XVI. 171.
Eugraphius, *citatus*, XIII. 123.
Eunapius, *citatus*, X. 208.
Euphron, *citatus*, X. 84.
Euripides, *citatus*, I. 10. X. 280. XI. 130. XIII. 449. XV. 48. 108. 135.
Euſebius, *citatus*, XIII. 55.
Euſtathius, Hom. ſchol. *citatus*, V. II. 27. IX. 16. X. 48. 62. 92. 112. 130. XI. 41. 171. 228. XIII. 140. 269. 316. 321. 323. XVI. 146. 164.
Euſtathius, Bartholomæus *notatus*, XIII. 137.
Euthydemus, *citatus*, XI. 24.
Ezechiel Propheta *citatus*, V. 94. XI. 112. 118.

Fallopius, Gabriel *citatus*, XVI. 104.
Ferdinandus, Epiphanius *cit.* IV. 45.
Fernelius, Johannes *citatus*, IV. 15. VI. 13. 23. VII. 7. 61. XII. 57. XIII. 294. XV. 72. 84. XVI. I. 15. 16. *laudatus*, VI. 69. *notatus*, XV. 68.
Feſtus, *citatus*, V. III. VII. 24. VIII. 22. 43. IX. 14. 53. 54. X. 38. 141. 153. 200. XI. 38. 39. 69. 128. XII. 84. XIII. 61. 67. XVI. 82. *emaculatus*, X. 224.
Firmicus, Julius *citatus*, XI. 178. 187.
Florentinus *citatus*, X. 100. 176. 185. 192. 209. XVI. 191. 192.
Florentinus, Ictus, *citatus*, X. 52.
Floriacenſis *citatus*, XI. 56. XVI. 17.
Foeſius, Anutius *citatus*, IV. 16. 22. 82. 90. 99. V. 19. 22. 36. 86. 109. VI. 69. VII. 65. 67. VIII. 31. 58. IX. 17. X. 134. XII. 43. 47. 135. 172. XIII. 2. 30. 82. 132. 179. 192. 203. 264. 324. 357. 394. 537. XIV. 24. 122. XV. 70. 151. XVI. 14. 82. 88. 108. 119. 139. 150. 152. 194. 238. 244. 247. *laudatus*, IV. 12. 77. 92. 95. V. 16. 18. VI. 24. VII. 55. X. 239. XIII. 241. 434. 531. 539. XV. 41. III. *notatus*, IV. 10. 84. 95. V. 16. 21. 71. 92. VII. 3. 4. 8. VIII. 59. XIII. 3. 4. 21. 84. 85. 301. 305. 307. 309. 329. 377. 433. XV. II. 36. 37. 57. 59. 60. 70. XVI. 108. 239.
Foreſtus, Petrus *citatus*, IV. 31. 34. 35. 45. 46. 47. VI. 7. VIII. 89. 110.
Francus, Petrus *citatus*, VIII. 109.
Frambeſarius, Nicol. Abrah. *citatus*, IV. 45. VIII. 109.
Fraſcatus, Gabriel *citatus*, XVI. 104.
Freinshemius, Joh. *citatus*, X. 158.
Freitagius, Arnoldus *citatus*. XI. 227.
Fridævallis, Hugo *citatus*, V. 76. XI. 95.
Fulgentius, *citatus*, X. 168.
Furlanus, Daniel *citatus*, X. 124. XI. 34.
Frobenianus codex Hipp. *citatus*, IV. 10.

Fru-

Fruterius, Lucas *citatus*, IX. 53.
Fuchsius, Leonardus *citatus*, VI. 14. 20. X. 25.

Gajus lctus *citatus*, XIII. 320. XV. 111.
Garnerius, Antonius *citatus*, XI. 231.
Galatinus *citatus*, X. 142.
Galenus, *citatus*, IV. 2. 14. 17. 22. 29. 36. 42. 48. 51. 52. 57. 59. 60. 64. 70. 87. 93. 99. 105. V. 13. 16. 21. 26. 36. 39. 41. 44. 49. 51. 75. 90. 91. 100. 117. VI. 13. 16. 17. 23. 24. 26. 27. 28. 30. 47. 49. 51 57. 61. 63. 64. 68. 69. 70. VII. 6. 7. 10. 16. 31. 39. 46. 48. 51. 57. 60. VIII. 9. 19. 42. 47. 52. 56. 58. 60. 61. 63. 79. 81. 84. IX. 6. 8. 10. 15. 41. 44. 45. 47. 49. 49. 50. 51. 70. X. 6. 9. 10. 12 33. 45. 47. 49. 56. 63. 66. 68. 75. 76. 81. 83. 111. 148. 179. 208. 216. 219. 237. 278. XI. 1. 18. 45. 49. 107. 219. 222. XII. 43. 48. 50. 51. 58. 65. 79. 93. 97. 99. 122. 125. 129. 139. XIII. 10. 20. 28. 31. 78. 93. 94. 106. 135. 143. 146. 149. 160. 164. 176. 186. 192. 200. 206. 241. 248. 255. 266. 267. 276. 280. 294. 324. 335. 337. 370. 402. 404. 409. 412. 413. 446. 455. 466. 474. 480. 482. 484. 490. 491. 492. 493. 512. 538. 561. XIV. 29. 63. 64. 67. 68. 82. 88. 102. 104. 110. 115. 116. 127. 138. 148 XV. 46. 59. 67. 69 70. 80. 83. 91. 100. 109. 118. 120. 121. 123. 126. 128. 129. 131. 144. 148. 149. 155. 164. XVI. 1. 7. 14. 20. 24. 68. 77. 78. 79 82. 83. 101. 116. 124. 141. 150. 167. 169. 182. 196. 205. 208. 213. 215. *emendatus*, V. 27. VIII. 9. 76. XVI. 208. *explicatus*, *illustratus*, IV. 73. *laudatus*, IV. 24. 79. 83. 84. 92. VIII. 165. XIV. 99. 117. 137. 138. XVI. 22. 24. *notatus*, IV. 80. 86. V. 23. VI. 1. 2. 3. 15. 42. 70. IX. 45. XII. 123. XIII. 300. XIV. 53. 54. 70. 78. 79. 101. 117. 127. 142. XV. 95. XVI. 22. 39. XVI. 203. *oppugnatus*, IV. 41.
Gariopontus, *citatus*, IV. 67. XVI. 192.
Gassendus, Petrus *laudatus*, XIII. 105. 107. 123. XV. 100.
Gaudanus, *notatus*, V. 41.
Gualtherus, Rodolphus *laudatus*, XIII. 463. *notatus*, XIII. 390.
Guastavinius, Jul. *notatus*, XIII. 456.
Gaza, Theodorus *citatus*, V. 65. XI. 54. 56. 64. 228. XVI. 184. *excusatus*, V. 55. *laudatus*, XI. 43. 71. *notatus*, V. 28. 72. 47. 49. 55. 58. VII. 46. X. 225. XI. 34. XVI. 78.
Geminus, Rhodius *citatus*, XI. 178. 190. 191. 200
Germanicus, *citatus*, XI. 164. 165. 188.
Gesnerus, Conradus *citatus*, XI. 2. 90. 133. 146. 149. 163. 231. XVI. 135.
Gisanius, Obertus *cit.* IX. 54. XV. 85.
Glissonius, Franciscus *citatus*, XVI. 29.
Glossarium Floriacense *cit.* XI. 20.
Golius, Jacobus *laudatus*, XVI. 129.
Gorrhæus, Johannes *citatus*, X. 145. XII. 47. 172. XV. 128. 151. XVI. 14. *laudatus*, IX. 10.
Gothofredus, Dionysius *citatus*, X. 151. 196. *emendatus*, V. 71.
Gradius, Joa. Matthæus *cit.* XIII. 61.
Grammaticus. v. Philoponus.
Grapaldus, *citatus*, X. 187.
Grotius, Hugo *citat.* XI. 163. 167. 168.
Gruterus, Janus *laudatus*, V. 77.
Guastavinius, Julius *citatus*, VIII. 70. X. 233.
Guilielmus, Aggregator Brixiensis *citatus*, IV. 104.
Guilielmius, Janus *citatus*, IX. 26. 72.
Guintherius, Joh. *notatus*, VII. 52.
Gyraldus, Lilius *citatus*, XIII. 128.

Hagias, *citatus*, X.231.
Hartmannus, *citatus*, VIII.98. 100.
Harvejus, Gulielmus *laudatus*, V.30. 53. XVI.29.
Hecatæus, *citatus*, XVI.119.
Hedylus, *citatus*, X.248.
Heinsius, Daniel *citatus*, X.2.48.229. 252.290 *laudatus*, XII.42.
Heliodorus, *citatus*, VIII.28.
Heraclitus, *citatus*, XVI.100.
Heraldus, Desiderius *citatus*, IX.55. XI.38.
Hermippus, *citatus*, X.129.
Hermogenes, *citatus*, XI.143. XIII. 145.
Hermogenianus, *citatus*, XV.107.
Herodotus, *citatus*, VIII.23.
Herophilus, *citatus*, III.15.
Hervetus, *laudatus*, *notatus*, IX. 61. XI.187.
Hesiodus, *citatus*, XI. 171.
Hesiodi Scholiastes, *citatus*, XI.109.
Hesychius *citatus*, IV.14. V.10.11. 12.27.35.36.50.52. X.30. 32.62.63. 75. 78. 81. 92. 100.112.123.128. 130. 198. 200.207. 240. 251.277. XI. 20. 22. 27. 43. 73. 75. 99. 126. 133. 136. 138. 141. 150. 155. 189. XII.39. 87. XIII. 61.62.64.85.112. 121. 124. 135. 143. 146. 176. 268. 269. 287. 294. 295. 309. 310. 337. 389. 414. 456. XV. 89. XVI. 122. XVI. 142. 146. 150. 153. 171. 173. 187. 215. 216. *defensus*, X. 48. *emendatus*, IV. 99. V. 9. X. 47. 103. 111. 134. 177. 269. XI. 26. 28. 37. 50. 68. 70. 123. XIII. 390. *explicatus*, XVI. 121. *illustratus*, X. 106. 128. 138. 162.
Heurnius, Johannes *notatus* IV. 72. 105. VI. 36. 56.
Hicesius *citatus*, XI. 43. 99.
Hieronymus, *citatus*, XVI. 169.
Hildanus, Gul. Fabritius *citatus*, IV. 15. 42. 45. VIII. 109.
Hincmarus, *citatus*, X. 280.
Hippocrates *citatus*, I. 12. 15. 16. 39. III. 7. 8. 12. 13. IV. 2. 9. 12. 15. 19. 25. 26. 28. 29. 30. 36. 47. 52. 54. 56. 57. 59. 60. 61. 62. 67. 70. 71. 77. 81. 82. 83. 84. 89. 92. 98. 99. 101. 107. V. 3. 6. 14. 15. 20. 57. 71. 78. 84. 85. 86. 88. 90. 91. 93. 97. 101. 104. 109. VI. 7. 8. 9. 10. 14. 17. 21. 24. 25. 27. 40. 47. 48. 49. 50. 59. 62. 66. 67. 72. 73. 74. VII. 2. 6. 11. 14. 19. 20. 23. 24. 26. 35. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 57. 66. VIII. 7. 13. 17. 22. 24. 54. 60. 61. 78. 86. 89. 97. IX. 8. 9. 16. 17. 18. 19. 20. 28. 30. 34. 37. 38. 40. 43. 51. 54. 72. 73. X. 5. 6. 7. 10. 12. 20 21. 27. 28. 32. 34. 47. 56. 58. 62. 71. 79. 89. 107. 148. 173. 231. 239. 240. 242. 243. XI. 7. 9. 46. 50. 109. 111. 161. 169. 182. 183. 184. 186. 196. 221. 228. 229. XII. 1. 2. 22. 25. 26. 28. 29. 30. 34. 40. 42. 51. 56. 59. 60. 61. 64. 67. 68. 69. 70. 71. 74. 75. 77. 78. 79. 80. 81. 88. 89. 90. 91. 92. 119. 120. 126. 127. 137. 139. 145. 146. 149. 151. 152. 153. 156. 157. 159. 180. XIII. 10. 13. 15. 17. 20. 37. 43. 50. 53. 79. 92. 94. 97. 102. 103. 104. 124. 132. 133. 134. 141. 160. 161. 164. 174. 186. 196. 198. 206. 208. 211. 212. 213. 214. 216. 222. 223. 226. 230. 238. 241. 248. 249. 250. 251. 253. 254. 255. 256. 257. 265. 266. 273. 276. 277. 292. 293. 296. 297. 298. 312. 323. 324. 325. 326. 345. 349. 352. 354. 358. 359. 361. 364. 370. 371. 375. 386. 387. 412. 414. 416. 419. 421. 425. 426. 427. 428. 429. 436. 436. 438. 439. 447. 451. 457. 459. 461. 467. 468. 474. 479. 483. 490. 491. 493. 497. 500. 501. 503.

503.507.509.514.525.533.535.559.561.562.563.564.565. XIV.6.15.16.35.64.67.70.71.83.95.112.114.118.120.124.131.133.140. XV.1.2.3.5.6.11.12.13.18.24.27.28.30.31.32.37.38.39.40.42.44.53.55.61.656.773.76.79.91.93.95.102.110.111.113.114.118.128.133.147.153.154.155.159.160. XVI.1.2.8.11.16.20.25.26.30.33.34.35.36.39.40.41.42.43.45.48.53.57.64.70.71.76.78.79.82.85.86.87.88.89.90.93.97.103.105.106.110.119.121.131.133.142.148.150.151.154.159.170.173.178.183.189.193.194.195.196.201.215.216.229.230.231.233.242.244.246.249. *emendatus*, IV.95. V.9.22.86.89. VII.3.6.8.26.31.44. XV.61. *explicatus*, IV.10.12.13.14.24. VI.54.67. ad 74. XI.49. XII.87.88. XIII.87.88.89. XIV.44.134. XV.27.69.70.71.72.97. XVI.42.44.108.112.140.148. *illustratus*, IV.84.92.99. *laudatus*, VI.7. VII.31. XVI.3. *tentatus*, XII.138. *vindicat*. VI.8. VII.69.70. VIII.21.24. XIII.4.5.6. XV.40.41. XVI.202.

Hieronymus, *citatus*, X.272.275. XI.189. XIII.510.

Hipponax, *citatus*, V.27.

Hœschelius, David *citatus*, XI.167.

Hofmannus, Caspar *adjutus*, VI.51. *citatus*, IV.2.40.46.63. V.47.116. VII.33. X.6.101. XII.57. XIII.19.20.59.94.194.245.263.319.338.342.400.403.404.409.415.446. XIV.22.24.36.127. XV.67.86.88.97.108.120.124.144.149. XVI.167.171.173.194.196. *laudatus*, IV.103. VII.57. XII.95. XIII.413. XIV.104. *notatus*, IV.18. IX.9. XIII.69.72.343. XVI.17.

Hollerius, Jacobus *citatus*, VI.54.71. VII.25. IX.70. XII.188.

Homerus, *citatus*, I.36. II.31. V.42. VI.48. VII.6. VIII.26. X.35.75.107. III.144. XI.228. XIII.190.191.361.

Homeri scholiastes, *citatus*, V.10.

Horatius, *citatus*, I.18. IV.82. VII.24. IX.18. X.11.83.181.208.221. XI.48.6.231. XII.87.171. XIII.68.220.557. XIV.17. XVI.160.197. *explicatus*, VI.48. XI.48.

Horstius, Gregorius *citatus*, IV.45. XV.129.130.

Horus Apollo, *citatus*, XI.167.

Hotomannus, Gothofredus *citatus*, X.196.

Humelbergius, Gabriel *notatus*, V.41.

Hyginus, *citatus*, XI.165.167.168.

Iacchinus, Leonardus *citatus*, IV.31.34. *laudatus*. XV.88.

Jacotius, Desiderius *citatus*, VI.40.

Javolenus Ictus, *citatus*, XIII.206.

Ibn Sina, sive Avicenna *citatus*, V.80. XII.51. XIII.413.418.

Ibn Zoar, *citatus*, IV.31.

Jeremias Propheta *citatus*, X.250. XVI.209.

Jesaja Propheta *citatus*, VI.48. X.184.257.262. XI.112.115.118. XII.90. XVI.117.

Ignatius, *citatus*, VIII.26

Ijob Hagiographus *citatus*, VIII.24. XI.119. XII.90.166. XIII.95.157.

Joel Propheta *citatus*, X.15.

Johannes Euangelista *citatus*, VIII.27. X.126.150.184.283. XI.112. XIII.95. XV.51. XVI.132.163.231.

Johannes Saresberiensis *citatus*, X.291. XV.45.

Jonas Propheta *citatus*, XI.56.

Josephus, Flavius *citatus*, X.271.

Josua Hagiographus *citat*. XVI.147.

Unable to display this page

287. XIII. 75. 112. 119. 159. 247.
Matthiolus, Andreas *citatus*, v. 81. 82. XVI. 176.
Mauſſacus, Phil. Jacob. *citatus*, XI. 17.
Maximus, Valerius *citatus*, IX. 4.
Meibomius, Io. Henr. *citatus*. XIII. 321. 325. 498.
Mey, Joh. de *citatus*, VII. 63.
Melanchthon, Philippus *citatus*, IX 51.
Mena, Ferdinandus *citatus*, XIII. 482.
Mengus, *citatus*, XVI. 104.
Mercatus, Ludovicus *citatus*, XV. 83.
Mercurialis, *citatus*, VI. 15. 20. 60. 64. VII. 1. 28. 33. 45. 65. VIII. 33. 38. 58. IX. 57. X. 158. 164. 197. 217. 232. XI. 103. XVI. 121. *laudatus*, VII. 61. VIII. 60. XIII. 48. *notatus*, IV. 7. VI. 70. VII. 30. 46. 48. 49. 64. VIII. 21. 22. 23. 24. 31. 60. XI. 105. 106. XIII. 293.
Meurſius, Johannes *citatus*, IX. 65. X. 16. 198.
Mneſiphilus Phrearius, *citatus*, X. 88.
Mneſitheus, *citatus*, V. 87. VII. 35. XVI. 204. 207.
Mneſtheus, *citatus*, XVI. 206.
Modeſtinus Ictus, *citatus*, X. 52.
Montanus, Joh. Baptiſta *citatus*, XIV. 30.
Moreau, Renatus *laudatus*, XVI. 141.
Moſchopulus, *citatus*, XI. 67.
Mouffetus, Thomas *notatus*. V. 12.
Moyſes Propheta, *citatus*, V. 47. 63. X. 188. 194. 262. 293. 294. XI. 116. 171. XIII. 114. 247. 448. 450. XV. 56. 87. 114. XVI. 29. 117. 132. 165. 211. 220.
Mundella, Aloyſius *laudatus*, XI. 231.
Muſæus, *citatus*. VIII, 25.
Muſambertius, Claudius *citat.* V. 10.
Mynſichtus, Hadrianus *citatus*, VIII. 89. 100. 103.
Myrepſus, Nicolaus *citatus*, X. 25. 179.
Myrtilus, *citatus*, XVI. 161. 167.

Nannius, Petrus *citatus*, V. 42.
Nicander, *citatus*, IV. 34. 53. V. 27. XII. 110.
Nicandri Schol. *citatus*, V. 27. XV. 126.
Nicarchus, *citatus*, XIII. 261.
Nonius Marcellus, *citatus*, IX. 26. 53. X. 51. 91. 105. 131. 196. 198. 282. XI. 39. 40. 128. XII. 39. 169. XIII. 317. 475. XV. 49. 94. 110. XVI. 139.
Nonnius, Ludovicus *citatus*, X. 197.
Nonnus, *citatus*, X. 281.
Nonus, *citatus*, VIII. 8.

Occo, Adolphus *citatus*, XII. 57.
Olhafius, Joach. *citatus*, XVI. 17.
Olympiodorus, *citatus*, X. 215. 245.
Onomaſticon vetus *citatum*, IX. 57. X. 34. 87. 261. 268. XI. 67. 112. XIII. 197. XIV. 7. 63. XVI. 101. 162.
Oppianus, *citatus*, V. 42. 63. 107. XI. 28. 36. 43. 57. 87.
Opſopæus, Vinc. *citatus*, XVI. 225.
Oribaſius, *citatus*, V. 75. 76. X. 66. 67. XIII. 409. XVI. 172.
Ovidius, *citatus*, V. 31. 57. 63. VI. 54. IX. 21. 22. 23. 26. X. 255. 273. XI. 97. 168. XIII. 158. 189. XIV. 24. XV. 24. 163. XVI. 245.

Pachymerius, Georg. *citat* X. 276.
Pacius, Fab. *citatus*, XII. 47. 48. 99.
Pædianus, *citatus*, IX. 22.
Palæmon, Q. Rhem. *citatus*, XVI. 100.
Palladius, *citatus*, X. 19. 24. 26. 40. 51. 95. 192. XVI. 191.
Pamphilus, *citatus*, X. 15. XVI. 106.
Pantinus, Gulielmus *citatus*, V. 96. XIII. 363. 469. 472. XV. 109.
Papias, *citatus*, IV. 91. IX. 53. XII. 84. XIII. 196.
Papinius, Statius *cit.* V. 10. X. 45 XV. 106
Paræus, Ambroſius *cit.* VIII. 106. 110.
Paroemiographus, *citatus*, VII. 33. IX. 1. X. 58. 74. 90. 188. 265. XIII. 95. 122. XV. 4. 46. XVI. 117. 149. 233.

Pa-

Paschalius, Carolus *citatus*, VIII. 97.
Patinus, Guido *laudatus*, XII. 167.
Patritius, Franciscus *citatus*, XI. 16. 211.
Paulus Apostolus *citatus*, III. 1. V. 54. 112. VI. 48. VII. 24. VIII. 16. 26. IX. 2. 4. X. 53. 71. 194. 154. 255. 265. 281. 283. 287. 294. XI. 104. 110. 112. 113. 116. 117. 121. 127. XII. 166. XIII. 118. 119. 247. 290. 361. 450. XV. 49. 87. 88. 89.
Pausanias, *citatus*, XII. 8. 9.
Paxamus, *citatus*, X. III. XVI. 124.
Peccettius, Franciscus *citatus*, VIII. 110.
Pedemontanus, Franciscus *citatus*, IV. 100. 104.
Pelusiota, v. Isidorus.
Pendasius, *citatus*, XIII. 339.
Perla, Franciscus *citatus*, XIII. 227. XIV. 140.
Perottus, Nicolaus *citatus*, X. 38. XI. 58. XIV. 24.
Persius, *citatus*, V. 71. X. 272. XI. 228.
Petavius, Dionysius *citatus*, XI. 162. 164. 178. 179. 180. 183. 191. 196. 198.
Petro, *laudatus*, XVI. 85.
Petronius, *citatus*, V. I. X. 273. XIII. 439.
Petrus Apostolus *citatus*, X. 287. XIII. 157. 158. XV. 43.
Phædrus, *citatus*, XI. 61.
Phavorinus, *citatus*, IV. 14. 36. 99. V. 11. 41. IX. 58. 61. X. 15. 47. 75. 78. 134. 207. XI. 20. 22. 50. 74. 76. 123. 126. XIII. 451. 453. XV. 79. XVI. 143. 152. *emendatus*, V. 9. X. 269. XI. 37.
Philander, Gulielmus *laudatus*, X. 178. XIII. 66.
Phile *citatus*, V. 27. 107.
Philemon, *citatus*, X. 285. XIV. 99.
Philippus, *citatus*, V. 33.
Philippus Romanus *laudatus*, XI. 221.
Philiscus, *citatus*, XIII. 554.
Philo Judæus, *citatus*, I. 22. XV. 115. XVI. 94.
Philochorus, *citatus*, V. 103. XI. 189.
Philolaus, *laudatus*, XI. 176.
Philotheus, *citatus*, IV. 70. VI. 20. 24. VIII. 38. XVI. 88. *laudatus*, IV. 74.
Philotimus, *citatus*, XI. 1. 45.
Philoxeni Glossæ, *citatæ*, IV. 82. V. 23. 26. 41. 50. IX. 22. 58. X. 34. 266. 268. 269. XI. 38. 39. 40. 56. 75. 116. 139. XII. 82. XIII. 197. 268. 382. 463. 539. XIV. 7. XV. 94. 110. 116. XVI. 9. 132. 162. *emendatæ*, XI. 38. XVI. 162.
Philoponus, Johannes *citatus*, V. 10. XVI. 213.
Phrygius, Petr. Franc. *citatus*, VIII. 30. 38. 40. 78.
Pindarus, *citatus*, I. 15.
Plantius, Gulielmus *citatus*, VI. 53.
Platina, Baptista *citatus*, X. 76. XI. 206. 220. 221.
Plato, *citatus*, I. 15. 23. VIII. 26. IX. 62. 63. X. 32. 88. XI. 117. 142. XV. 37. 47. 99. 106.
Plato Comicus *citatus*, XVI. 187. 191.
Plautus, *citatus*, I. 27. 30. V. 77. 109. 110. VI. 48. IX. 25. 31. 32. 34. 37. 45. 51. 56. X. 50. 63. 91. 121. 133. 136. 165. 191. 222. 253. XI. 6. 22. 113. 127. 131. 136. 139. 155. 209. XII. 41. XIII. 78. 155. 156. 157. 546. XVI. 71. 226.
Plempius, Vop. Fortunatus *citatus*, XIII. 216. 497. 498.
Plinius Major *citatus*, IV. 5. 99. V. 4. 19. V. 23. 31. 41. 42. 54. 66. 72. 77. 81. 109. 117. 121. VII. 6. 22. VIII. 2. IX. 4. 32. 36. 51. 57. 69. 70. X. 4. 22. 24. 35. 39. 49. 50. 51. 53. 55. 58. 61. 63. 67. 77. 82. 93. 97. 99. 102, 103, 106, 110. 113. 114. 119. 121. 127. 133. 138. 140.

140.144. 145. 148. 161. 166. 167. 171. 175. 184. 185. 186. 188. 189. 191. 194. 198. 199. 200. 202. 203. 207. 211. 215. 221. 223. XI. 21. 23. 29. 40. 43. 55. 58. 64. 71. 79. 109. 139. 143. 162. 164. 178. 179. 211. 220. XII. 12. 154. XIII. 96. 184. 239. 296. 477. 511. XVI. 6. 77. 101. 103. 111. 114. 116. 123. 165. 171. 173. 189. 191. 206. 219. *defensus*, X. 139. 140. 141. 158. *emaculatus*, X. 127. 138. *notatus*, V. 27. 58. X. 185. XI. 69. XIII. 175. *tentatus*, X. 148.

Plinius, Iunior *citatus*, V. 69. IX. 25.

Plistonicus, *citatus*, X. 216.

Plutarchus, *citatus*, V. 54. 60. 91. 109. VI. 7. IX. 23. X. 2. 63. 82. 88. 151. 152. 191. 204. 221. 222. 230. 234. 243. 256. XI. 120. 130. 167. XII. 65. XIII. 20. 171. 318. 462. XIV. 15. XV 99. 135. XVI. 161. 185. *emaculatus*, X. 246. *tentatus* V. 34.

Pogghius Florentinus *laudatus*, XI. 221.

Polemon, *citatus*, XI. 61.

Pollux, Julius *citatus*, V. 109. IX. 57. X. 101. III. 130. 162. 177. 185. 199. 222. XIII. 64. 144. 390. 461. 463. XVI. 161. 184. *emaculatus*, X. 47. 162. XIII. 390.

Polus Marcus, *citatus*, XVI. 129.

Polyænus, *citatus*, X. 227.

Pompejanus Philadelpensis *citatus*, XVI. 146.

Popma, Ausonius *citatus*, X. 185. 187.

Porta, Joh. Baptista *citatus*, V. 122. XI. 61. 140.

Posidippus, *citatus*, X. 159.

Pratensis, Ictus *citatus*, X. 90. XII. 167

Priscianus, Theodorus *citatus*, IV. 102. VI. 56. IX. 8. XIII. 72. *laudatus*, IV. 67.

Proclus, *citatus*, XI. IVI. 188.

Protagoras, *laudatus*, X. 88.

Prudentius, *citatus*, XVI. 204.

Psalmista, *citatus*, VII. 33. VIII. 16. 26. X. 35. 150. 254. 265. XI. 119. 176. XII. 166. XIII. 75. XV. 49. XVI. 117. 209.

Ptolomæus, *citatus*, XI. 178. 183. XII. 10. XVI. 167.

Pythagoras, *citatus*, I. 18. 30. V. 3. XIII. 128.

Quinctilianus, *citatus*, I. 24. VI. 3. VIII. 25. IX. 3. 68. X. 255. XV. 109.

Quintilii, *citati*, XI. 164. XVI. 180.

Ramiresius, Laurentius *notatus*, V. 10.

Rasarius, Joh. Baptista *citatus*, X. 66.

Regum libri *citati*, XVI. 117. 118.

Reusnerus, Hieron. *citatus*, VII. 55. XIII. 215.

Rhenanus, Beatus *citatus*, XI. 129.

Rhodiginus, Cælius *citatus*, V. 33. 57. IX. 22. 69. X. 100. 175. 221. XI. 39. *notatus*, X. 185.

Rhodius, Johannes *laudatus*, IV. 72. V. 76. XVI. 77.

Rittershusius, Conradus *citatus*, V. 42. XI. 87.

Riverius, Lazarus *citatus*, IV. 3.

Rondeletius, Gulielmus *citatus*, V. 5. XI. 58. 88. 99. 101. 102. 133. 147. *laudatus*, V. 50. *notatus*, V. 27. XI. 99

Ronsseus, Balduinus *citatus*, V. 96.

Rousetus, Franciscus *citatus*, VIII. 109.

Rubeus, Hieron. *laudatus*, VI. 10.

Rubricus, Gulielmus *citatus*, XVI. 125. 126. 127. 128.

Rudius, Eustachius *citatus*, IV. 64.

Ruellius, Johannes, *citatus*, X. 185. XI. 167. *notatus*, IV. 84. X 13. 145. 147. 148.

Ruffus Ephesius, *citatus*, IX. 54. XI.

151. XV. 119. XVI. 18. 27. 84.
Rulandus, Martinus *citatus*, IV. 36. VIII. 96. 98.
Salmasius, Claudius *citatus*, V. 23. 26. 77. IX. 17. 56. X. 16. 151. 159. 188. 273. XI. 4. 164. 167. 172. 191. 192. 475. XV. 125. XVI. 194. 219. 227. 228. *laudatus*, IX. 38. 71. X. 160. 124. 138. XIII. 523. *notatus*, X. 139.
Salvianus, Hippolytus *citatus*, XI. 101. 137. 147. 218. 222. 226.
Salustius, *citatus*, XIII. 441. XIV. 72.
Samuel Hagiographus *citatus*, X. 262. XVI. 144.
Sanchez, Franciscus *laudatus*, VIII. 100 *notatus*, VIII 97.
Sanctacrucius, Anton. Ponce *citatus*, XIV. 64. 94. 96. 122. 146. XV. 40. 147. *laudatus*, XIV. 145.
Sanctorius, *citatus*, XIII. 482. 518.
Santorellus, Antonius *citatus*, XV. 7.
Sapphus, *citatus*, XV. 92.
Saracenus, Ianus Antonius *citatus*, XI. 21.
Scaliger, Jul. Cæsar *citatus*, V. 4. 41. 47. 48. 51. 52. 57. 59. 68. 91. 112. VIII. 22. XI. 34. 36. 43. 50. 54. 58. 69. 90. 93. 95. 98. 128. 147. 168. 185. 205. 216. XIII. 47. 243. 274. 296. 332. 542. XV. 45. 64. XVI. 121. 125. 160. 182. 209. 213. 250. *contradicens sibi*, V. 68. *laudatus*, V. 2. 10. 53. 72. XI. 14. 108. 156. XIII. 243. XV. 37. 45. 64. *notatus*, IV. 5. XI. 70. 94.
Scaliger, Josephus *citatus*, IX. 55. X. 185. 195. 266. XI. 38. 216. XIV. 23.
Scappus, Bartholomæus *citatus*, V. 77. 95.
Scapula, Johannes *notatus*, V. 6.
Schenckius, Joa. Georg. *citatus*, XIII. 117. XV. 102.
Schola Salernitana, *citata*, V. 80. XIII. 262.
Scholzius, Laurent. *laudatus*, XII. 47.
Schonevelde, Joh. à. *citatus*, XI. 4.
Scotus, Jonas *citatus*, VI. 10.
Schenkius, Joh. Georg *citatus*, VI. 31
Scribonius Largus *citatus*, VIII. 100. X. 221.
Seberus, Wolfgangus *citatus*, X. 47. *notatus*, XIII. 360.
Sebizius, Melchior *citatus*, XI. 97. 225. 226. XVI. 104.
Seneca, Philosophus *citatus*, I. 15. 18. 20. 21. 22. 29. 36. 37. V. 29. IX. 27. 70. X. 202. 256. 286. 291. XI. 61. XII. 162. XIII. 109. 129. 178. 470. 533. XIV. 17. XV. 105. 152.
Seneca, Tragicus *citatus*, VII. 43. IX. 17. 26. 40. X. 258. XIII. 456. XV. 7. 46
Senensis, Hugo *citatus*, V. 20.
Sennertus, Daniel *citatus*, XII. 57. 62. 66. 68. 81. XV. 82. 149. 157. XVI. 51. 62. *laudatus*, XV. 154. *notatus*, IV. 20. XII. 66. XV. 83. XVI. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 63.
Septalius, Ludovicus *citatus*, VII. 11. 27. X. 233. *notatus*, XIII. 456.
Septuaginta Interpretes *citati*, XIII. 247. XVI. 117.
Serenus, Quinctus *citatus*, VI. 56. IX. 35.
Servius, *citatus*, V. 10. X. 91. 187. XI. 179.
Sextus Empiricus, *citatus*, V. 122. XI. 187.
Sidonius, Cajus *citatus*, XVI. 4. 249.
Silius Italicus, *citatus*, XI. 75.
Silvaticus, Joh. Bapt. *citatus*, XIV. 2. *laudatus*, XIV. 136.
Simeon Sethi, *citatus*, V. 76. 78. 122. XVI. 77. 172. *emendatus*, XVI. 172.
Simplicius, *citatus*, X. 270.
Sipontinus, *vide* Perottus.
Sirachides, *citatus*, XIV. 135.

Socra-

Socrates, *citatus*, VIII. 26. IX. 22. X. 90. XVI. 160.
Solinus, *citatus*, XI. 64.
Sophianus, *citatus* XII. 12.
Sophocles, *citatus*, I. 26. VII. 43. IX. 1. 27. 39. XI. 121. XVI. 8. 71. 139.
Sophron, *laudatus*, XVI. 100.
Soranus, *citatus*, XIII. 7. 139.
Spartianus, Ælius *citatus*, XIII. 158.
Spigelius, Adrianus *notatus*, XV. 95.
Stapelius, Joh. Bodæus *citatus*, V. 47. X. 161. XVI. 171. 180. 194.
Stephanus, *citatus*, XII. 14. XV. 6.
Stephanus Athenienſis, *cit.* XIV. 31.
Stephanus, Henricus *citatus*, V. 71. X. 269. XIII. 25. 193. *laud.* V. 6. 71.
Stevvechius, Godeſch. *citatus*, IX. 55.
Stobæus, Johannes *citatus*, XI. 130. XIII. 110. 111. 126. 130. 141. XIV. 99. XV. 99.
Strabo, *citatus*, IV. 95. V. 81. XI. 32. 58. XII. 10. 12. XIII. 144. XVI. 167.
Struppius, Joach. *citatus*, XVI. 98.
Stuckius, Guil. *citatus*, V. 86. X. 65.
Suetonius Tranquillus *citatus* V. 4. 81. IX. 23. XIII. 261.
Suidas, *citatus*, IV. 99. V. 27. VIII. 23. X. 30. 134. 137. 143. 167. 207. 240. XI. 42. 75. XII. 8. XIII. 144. 295. 462. XV. 43. 165. XVI. 108. 119. *emaculatus*, X. 269. *explicatus*, XV. 44.
Sutrius, *citatus*, X. 164. (ad 51.
Sylburgius Fridericus *citatus*, XI. 136
Symmachus, *citatus*, VIII. I. XVI. 169.
XII. Tabulæ, *citatæ*, XI. 117.
Tacitus, *citatus*, VI. 73. X. 253. XIV. 160.
Tatius, Achilles *cit.* XI. 166. 168. 178. 200.
Taurus, VIII. 10.
Teleſius, Bernardinus *citatus*. IX. 51.
Terentius, *citatus*, IX. 82. VI. 73. IX. 19. 22. 53. XI. 130. XIII, 562. XIV. 23. XV. 48.
Tertullianus, *citatus*, X. 217. 219. 261. 286. XI. 129. XV. 48.
Theætetus, *citatus*, XII. 87.
Theocritus, VIII. 25.
Theocriti Scholiaſtes *citatus*, IX. 6. X. 200.
Theognis, *citatus*, XI. 127.
Theon, *citatus*, IX. 65. XI. 173.
Theophilus Protoſpatharius *cit.* XV. I.
Theophraſtus, *citatus* I. 10. V. 112. X. 9. 32. 114. 124. 140. 166. 185. 221. 225. XI. 34. 196. XIII. 242. 243. 206. XV. 64. 114. XVI. 171. 172. 182. *emendatus*, XV. 64. *illuſtratus*, X. 115. 116.
Theophylactus, *citatus*, XIII. 95.
Theopompus, *laudatus*, X. 87. XVI. 122. 187. 194. 207.
Thriverus Hieremias *citatus*, VI. 14. 31. *refutatus*, VI. 31. 32. 33. 34. 35.
Thuanus, Aug. *citatus*, XIII. 116.
Thucydides *citatus*, V. 55. 104. X. 291. XVI. 103.
Thucydidis Scholiaſtes, *citatus*, XII. II. XVI. 219.
Thyleſius, Antonius *citatus*, XVI. 210.
Tiberius Cæſar *citatus*, X. 102.
Tifernas, Gregorius *citatus*, XI. 228.
Timachidas Rhodius, *citatus*. X. 118.
Timon Pyrrhonius, *citatus*, X. 74.
Trallianus, Alex. *citatus*, VII. 21. VIII. 8. 77. 90. 97. 108. XIII. 60. 148. XVI. 5.
Tranquillus *vide* Suetonius.
Triclinius, *citatus*, IX. 1.
Trincavellius, Victor, *laudatus*, XIV. 55. 56.
Trophilus, *citatus*, XIII. 564.
Tulpius, Nicolaus *citatus*, IV. 28. 59. IX. 33. 71.
Turnebus, Hadrianus, *citatus*, V. 77. 109. IX. 53. 69. X. 24. 131. 158. 161. 197. 273. XI. 48. XIII. 66. *not* X. 24.

Tyrius, Maximus *citatus*, XI. 140.
Tzetzes, Johannes *citatus*, XI. 178.

Vaezius, Petrus *laudatus*, XVI. 84.
Valerianus, Plinius *citatus*, IX. 51. 57. XVI. 140.
Valla, Laurentius *citatus*, X. 266. XIII. 276.
Vallesius, Franciscus *citatus*, IV. 29. 47. 107. V. 98. VI. 14. 15. 74. VII. 10. 27. 34. 55. 65. 66. 67. VIII. 58. XII. 24. 31. 158. 173. 186. XIII. 369. 464. 492. 532. XIV. 122. XV. 20. XVI. 201. *laudatus*, VII. 44. VIII. 54. XII. 185. XIII. 8. *notatus*, IV. 66. VI. 39. 54. VII. 26. 27. VIII. 31. 56. 60. XIII. 32. 33. 35. 492. 497. 533. 546. XV. 21. 23.
Varinus, *vide* Phavorinus.
Varius, Aulus *citatus*, XII. 189.
Varro, *citatus*, V. 10. X. 10. 51. 91. 124. 161. 183. 185. 189. 192. 196. 200. XI. 179. 196. XIII. 65. 82. 318. 475. XV. 49. 66. XVI. 77. 219. *explicatus* X. 183. ad 200.
Vegetius, *citatus*, VI. 13. 73.
Veiga, Thomas à *citatus*, XIII. 338.
Vergilius, Marcellus *citatus*, X. 82. *laudatus*, V. 95.
Verulamius, Fr. Baco *citatus*, XIV. 89.
Vesalius, Andreas *citatus*, XIII. 453.
Victorius, Benedictus *citatus*, VI. 14. 66. VII. 43.
Victorius, Petrus *citatus*, X. 193.
Vidius, Vidus *citatus*, VII. 42.
Villanovanus, Arnoldus *citatus*, IV. 14. V. 80. VII. 24. XI. 90.
Vindicianus, *laudatus* XVI. 95.
Vindanionius, *citatus*, X. 157.
Virgilius, *citatus*, V. 42. X. 11. 45. 100. 189. XIII. 191. 243. 377. 448. XV. 114. XVI. 113. *explicatus*, XVI. 114.
Vitruvius, *citatus*, V. 26. X. 178. 187. 207. XI. 72. 165. XIII. 66. XVI. 7. *emendatus*, XIII. 66.
Vives, Ludovicus *citatus*, XIII. 263. XV. 51.
Vlpianus Ictus *citatus*, V. 10. 71. VIII. 25. IX. 22. X. 102. 196. 198. 222. 266. XI. 40. XII. 3. 162. XIII. 206. 207. 319. XV. 24. 105. 107. *tent.* X. 198.
Vlpianus Rhetor, *citatus*, V. 10.
Vocabularium vetus, *citatū*, XI. 125.
Vorstius, Adolfus *laudatus*, V. 4.
Vossius, Joh. Gerardus *citatus*, X. 38. 235. XI. 2. 124.
Vulcanius, Bonaventura *citatus*, X. 52. XI. 38. 75. XIII. 58. XVI. 163. *laudatus*, X. 241.

Walæus, Johannes *citatus*, IX. 47. XIII. 154. XVI. 14.
Wendelinus, Godefr. *citatus*, XI. 198.
Willichius, *citatus*, XIII. 215.
Winsemius, Menelaus *laud.* I. 3. 32.
Wissenbachius, Joh. Iac. *laudatus*, XIII. 207.
VVolphius, Hieronymus *citatus*, XIII. 117.
VVottonus, Edoardus *citatus*, XI. 225. *defensus*, V. 107. *notatus*, XI. 150

Xenocrates, *citatus*, I. 22. XI. 2.
Xenophon, *citatus*, X. 235. XIII. 90. 124. 150. XVI 139. 159. 160. 223.
Xylander, Gulielmus *citatus*, V. 91. XI, 228. *notatus*, X. 232.

Zacutus, *citatus*, IV. 31. VII. 52. VIII. 97. 100. XII. 188. XIII. 482. XIV. 2. 27. 52. 77. 81. *laudatus*, XIV. 136. 138. *notatus*, XIV. 82. 93. 141
Zeno, *citatus*, I. 22.
Zimalia, Ludovicus *citatus*, XVI. 104.
Zoographus, *citatus*, V. 82.
Zuingerus, Theodorus *citatus*, IV. 16. XI. 125. 196. XIII. 20. XV. 153. XVI. 168. 197. *laudatus*, IV. 12. 57. XIII. 559. *notatus*, XV. 41.

INDEX

Vocum Græcarum.

Ἄγγυροι. XVI. 177.
Ἀγνοεῖν μανίην. XII. 91.
Ἄγονος. X. 63.
Ἀδεισιδαιμονία. III. 3.
Ἀδύναμος. X. 199.
Ἀεί. IV. 73.
Ἀειγλευκές. X. 172. 202.
Ἀθάλασσον. X. 63.
Ἀιγίς. XII. 65.
Ἀιθάλη. XV. 124.
Ἀιμάσσω. XIII. 463.
Ἅιμα θολερόν. XIV. 134.
Ἀιματηρόν. XIII. 449.
Ἀιματία. IX. 69.
Ἀιματικόν. XIII. 446.
Ἀιμάτινον. XIII. 447.
Ἄιματος περίοδος XVI. 13.
Ἀιματώδης. XV. 103.
Ἀισχημοσύνη. XIII. 247.
Ἄκεσις χρόνῳ. XII. 166.
Ἀκίνητός ἐστι. X. 241.
Ἀκμάζειν. XII. 82.
Ἀκμή. XII. 83.
Ἄκος. XIII. 321.
Ἀκρατισμός. IX. 65.
Ἄκρεα. VIII. 48.
Ἄκρητα. IV. 77.
Ἄκρητον. VII. 24.
Ἀκρίβεια ἱπποκρατική. VIII. 86.
Ἀκριβής. XV. 23.
Ἄλγεα. XIII. 310.
Ἀλγεινή XIII. 310.
Ἀλγηδών. XIII. 121. 124.
Ἅλις. VI. 73.
Ἀλλοίωσις. XIII. 335.
Ἀλλότρια. XII. 43. XIII. 123.
Ἀλυσμός. IV. 57.
Ἀμιλλᾶσθαι ταῖς μούσαις. X. 229.
Ἀμύζειν. XIII. 90.
Ἀμφί. XI. 69.
Ἀμφόδοντες. XI. 69. 70.
Ἄμφω. XI. 69.
Ἀναγωγή. V. 49.
Ἄναιμον. XIII. 453. 454.
Ἀναισθησία. IV. 98.
Ἀνακυρίωσις. II. 23.
Ἀναπνοὴ κακή. IV. 58.
Ἀναῤῥοπίη. IV. 100.
Ἀνατέλλειν. X. 178.
Ἀνατολή. X. 178.
Ἀνειμένος οἶνος. X. 63.
Ἀνέμη. IX. 36.
Ἀνεῳγώς. XI. 61.
Ἀνθίας. XI. 99.
Ἀνθοσμίας. X. 135.
Ἀνθοσμίας οἶνος. X. 130.
Ἀνιγρός. XIII. 275. XVI. 209.
Ἀνορεξία. XIV. 61.
Ἀνόρεκτοι. XIV. 64.
Ἀνορύττειν. IV. 101.
Ἀντίξοον. XII. 180.
Ἀντιπερίστασις. X. 115.
Ἄνω. IV. 22.
Ἄνω καὶ κάτω. XIII. 355. 357.
Ἄνω εἴλησις. VI. 18.
Ἄνω κοιλίη. IV. 26. VII. 69.
Ἀξυγγία. VIII. 76.
Ἀπάντησις. II. 26.
Ἀπαράχυτος οἶνος. X. 63.
Ἀπάτη. X. 266.
Ἀπειλή. IX. 60.
Ἀπειλημμένος. IV. 99.
Ἀπεμπόλησις. II. 30.
Ἀπιόντος. X. 116.
Ἀπό. XVI. 250.
Ἀποκαθίστασθαι. XVI. 241. 242. 243. 244.
Ἀποκουφίζεσθαι. XIII. 252.
Ἀπολελαμμένος. IV. 99. 100.

Ἀπολέσθ. VI. 53.
Ἀπόνως. XVI. 2.
Ἀποπατεῖν. XIII. 251.
Ἀπόπατος. XIII. 251. 252.
Ἀπόῤῥοια. XI. 187.
Ἀπόσιτος. XIII. 79.
Ἀπόσταγμα. X. 207.
Ἀποστάλαγμα. X. 207.
Ἀπόστασις. IV. 84. XIII. 370.
Ἀποστήματα. IV. 16.
Ἀποστηρίγματα. IV. 16.
Ἀποστρέφομαι. XIV. 63.
Ἀποστροφή. XIV. 63.
Ἀπόσφαγμα. V. 27.
Ἀπὸ ταὐτομάτου. XII. 110. XIII. 258.
Ἀποτόμως. XI. 111. 112.
Ἀποτυχία τῆς ἐνεργείας. XV. 149.
Ἀποχωρέειν. XIII. 252. 256.
Ἅπτειν. XI. 171.
Ἄπυος. VII. 21.
Ἄπυρον. X. 30.
Ἀργία. XI. 123.
Ἀργός. X. 123.
Ἀρικύμων. XIII. 421.
Ἀῤῥώστημα. IV. 15.
Ἄρτος διπυρίτης. XVI. 139. 147.
ἔξοπτος. XVI. 142.
ὀπτός. XVI. 146.
Ἄρωμα. X. 135.
Ἀρωματεῖον. X. 128.
Ἄσαι. IV. 57.
Ἀσίρακος. X. 21.
Ἄσιτος. XIII. 78.
Ἀσκίτης. IX. 15.
Ἀστήρ. XI, 166.
Ἀστράπτειν. XI. 171.
Ἀστροκύων. XI. 167.
Ἄστρον. XI. 166. 169.
Ἀτενίζειν. IV. 94.
Ἀτενίζειν κεκαρωμένῳ. IV. 92.
Ἄτεχνον. IX. 22.
Ἀτμός. XV. 124.
Ἄτονος. X. 63.
Ἄτονος οἶνος. X. 63.
Ἀτροφεῖ. XIII. 194. 195.
Ἀτροφία. XIII. 71.
Ἀυάντη. XIII. 50.
Ἀυλός. V. 33.
Αὔξειν. XV. 92.
Ἀυτίτης. VII. 24.
Ἀυτομάτως. XV. 138.
Ἀφόδευσις. XIII. 251.
Ἀφορμαί. IV. 36.
Ἀφορμή. XI. 10.
Ἀφρώδεα διαχωρήματα. IV. 11.
Ἄχος. XIII. 322.
Ἀψίκοροι. XIV. 63.
Βαδίζειν. V. 63.
Βάσανος. X. 276.
Βδέλλα. XI. 58.
Βίος. XIII. 206.
Βίοτος. XIII. 206.
Βόεια. XIII. 68.
Βορβορυγμός. VI. 69.
Βότρυς. V. 50.
Βοῦ. XIII. 62. 63.
Βουκάκρατον. IX. 65.
Βούκκας. IX. 65.
Βουλιμία. XIII. 58.
Βουλιμιᾶν. XIII. 142. 144. 149.
Βούλιμος. XIII. 58. 59. 69. 70.
Βούπαις. IIII. 64. 65.
Βούπεινα. XIII. 60.
Βούπειρον. XVI. 115. 117.
Βούτυρον. XVI. 115. 117.
Βραχίων. XIII. 412.
Βρογχοκῆλαι. XI. 40.
Βρόγχος XI. 40.
Βρόχος. XI. 40.
Βρῶμα. X. 78. XIII. 290.
Βρῶσις XIII. 180.
Βυνή. XVI. 144.
Γάδος, XI. 26.
Γάλα πεπυρωμένον. XVI. 82.
σεσεισμένον. XVI. 108. 115.
Γαλαρίας. XI. 28.
Γαλέα. XI. 54.
Γαλεός. XI. 26. 54. 56.

Γα-

Γαλίαι. XI. 28.
Γαμψοί. XI. 68.
Γάνδος. XI. 27.
Γαστέρες. XI. 109. 123.
ἀργαί. XI. 110. 122. 126.
Γαστήρ. XIII. 94.
Γαστρὶ δουλεύοντες. XI. 130.
σύνδειπνοι. XI. 130.
χαριζόμενον. XI. 127.
Γαστρίμαργος. XI. 126.
Γίγαρτα. X. 192.
Γλαγόεις. XI. 43.
Γλάγος. XI. 43.
Γλαύκης. X. 248.
Γλευκίσαι. X. 252.
Γλεῦκος. IX. 67. X. 3. 48. 173. 201. 206. 207. 211. 215. 226. 243. 245. 248.
Γλεῦκος ἐξοίνου. X. 227.
Γλεῦξις. X. 62.
Γλίσχρος. V. 51.
Γλύκασμα. X. 15.
Γλυκασμός. X. 15.
Γλυκύς. X. 87. 235.
Γλύξις. X. 62.
Γλωσσομανής. X. 208.
Γνώμη. XV. 38.
Γνωμολογίη. II. 28.
Γογγύζειν. X. 37.
Γονή. VIII. 26.
Γραμματιστική. V. 12.
Γραφικόν. V. 26.
Γυῖον. XIII. 412.
Γυναικομανής. X. 208.
Γυνή. VIII. 25.
Δάκτυλος ἀώς. XVI. 225.
ἀμέρα. XVI. 224. 225.
Δὲ καί. VII. 62.
Δέμας. XVI. 107.
Δευτερεῖα. X. 198.
Δευτερίας. X. 198.
Δευτερίναρ. X. 198.
Δηλωτικὰ σημεῖα. IV. 51.
Δηγμός. XIII. 137.
Δημός. XI. 50.
Διαβορβορίζειν. VI. 69.
Διαγνωστικά. IV. 51.
Δίαιτα. XIII. 206.
Διὰ νεφρῶν. XII. 48.
Διάῤῥηκτος. XI. 71.
Διὰ φόβον. V. 65.
Διαχωρίειν. XIII. 252.
Διαχώρησις. XIII. 255.
Διάχυτος. X. 118.
Διαψύχειν. V. 104.
Διδόναι. VII. 19.
Διπυρίτης. XVI. 142.
Διυλίζειν. X. 219.
Δίψαι. IV. 61.
Διωγμός. XIII. 137.
Δόξη. II. 23.
Δριμύ. IX. 44.
Δύναμις. V. 12. XIII. 276.
Δυσεντερίη ἄνευ ὀδύνης. VII. 65.
Δυσεντεριώδεα. XVI. 43.
Δυσεξανάλωτον. XIII. 161.
Δύσις. XI. 178.
Δυσόνειρον. X. 28.
Δυσφορία. IV. 57. VIII. 31.
Δωριάς. V. 93.
Ἑβδομαίους ἀπέλλυσιν. IV. 54.
Ἐγγλωττογάστορες. XI. 131.
Ἔγκατα ἰχθύων. IV. 69.
Ἐγκοίλιον. IX. 57.
Ἐγκύκλιος. V. 12.
Ἕδρη. IV. 99.
Ἐθελοθρησκεία. XI. 117.
Εἴδησις. III. 3.
Εἰδωλολατρεία. XI. 116.
Εἴδωλον. XI. 116.
Εἰκών. X. 116.
Εἰλεῖσθαι. IV. 14.
Εἰλεοί. IV. 12.
Εἰλεός. IV. 2.
Εἰλεός. IV. 2.
Εἰλέω. IV. 2.
Εἰλέω. IV. 2. 4.

Ἐι-

Ἐιλεώδεα. IV. 33.
Ἐιλεῶδες. V. 115.
Ἐιλήματα. IV. 14.
Ἔιποις τὰ τρία. X. 143.
Ἐιρωνέια. X. 266.
Ἔιχετο. XIII. 21.
Ἐιωθυῖα κίνησις. XIII. 232.
Ἐκθύματα. XI. 189.
Ἐκκοπρωτικά. XII. 50.
Ἐκλαμπαίνειν. IX. 17.
Ἔκλυσις. IV. 71. XIII. 474.
Ἐκτραπελόγαστρος. XI. 136.
Ἐκτραπελογάστωρ. XI. 136. 142.
Ἐκτράπελον. XI. 143.
Ἐκχαυνῶν ὄχλον. XIII. 10.
Ἔλαιον. X. 233.
ἀπὸ γάλακτος. XVI. 119.
Ἐλᾶν. IV. 101.
Ἔλασμα. IV. 101.
Ἐλισσόμενος. VII. 5.
Ἐμβάφιον. V. 26.
Ἔμετος. XIII. 136.
Ἐμπείρων. XIII. 150.
Ἔμυξεν. XIII. 84.
Ἐμφερής. XI. 150.
Ἐν. XV. 70.
Ἔναιμον. XIII. 449. 450. 451.
Ἐναλλὰξ ἐμπίπτειν. XI. 76.
Ἐναλάσσειν. XI. 76.
Ἐνδεδινημένα ὄμματα. IV. 93.
Ἐνδοξότερος. II. 15.
Ἐνέδρα. X. 266.
Ἐνέργημα ὀδύνης. XIII. 309.
Ἐνισχόμενα. XIII. 17.
Ἐν καρδίῃ. IV. 65.
μέρει. XIII. 433. 434.
πυρετοῖσιν. XV. 18. 19.
Ἐνισχόμενον σῶμα. XV. 65. ad 70.
Ἐνουρεῖν. V. 71.
Ἐντροπή. II. 20.
Ἐνύπνιον. XV. 42.
Ἐξ. VI. 19. 20. 21. XV. 55.
Ἐξ ἀναγωγῆς. V. 49.
Ἐξαιμάσσει. XIII. 463.
Ἐξαιμάσσομαι. XIII. 463.
Ἔξαιμον. XIII. 462.
Ἐξαρκέειν. XII. 90.
Ἐξευνουχίζειν οἶνον. X. 221.
Ἐξηγητική. V. 12.
Ἐξσιτία. VIII. 76.
Ἔξω. IV. 60.
Ἔξωθεν. VIII. 48.
Ἐξομοίωσις. XV. 62.
Ἐξονειρωγμός, XV. 63.
Ἐξονείρωσις. XV. 62.
Ἐξονειρώσσειν. XV. 35. 53. 55. 58.
Ἐξοπτᾶν. XVI. 139.
Ἐπαλλάττειν. XI. 73. 73. 74.
Ἔπειτα. XIII. 531.
Ἐπεταράχθη. XVI. 41.
Ἐπί. VI. 21. VII. 12. VIII. 46.
Ἐπὶ κυνί. XI. 182.
τὰ κάτω. VI. 69.
Ἐπιγίνεσθαι. XII. 179.
Ἐπιγίνεται. VI. 22. 23. 24. 25.
Ἐπιγινόμενον. VII. 12. 14. XII. 125.
Ἐπιδιδόναι. XV. 89. 91.
Ἐπιεικὴς εἰλεός. VII. 5.
Ἐπιμένειν. XIII. 82.
Ἐπίμπρατο. IV. 53.
Ἐπίπαστα. XIII. 323.
Ἐπισημασίαι. XI. 191.
Ἐπιτείνομαι. XV. 92.
Ἐπιτέλλειν. XI. 178.
Ἐπιτολή. XI. 178.
Ἐπιφαινόμενον. XII. 125.
Ἐπουρεῖν. V. 71.
Ἔργον τῆς φύσεως. XV. 144.
Ἐῤῥῶσθαι. XIII. 298.
τὴν διάνοιαν. XIII. 491.
Ἐρωτόληπτος. XV. 44.
Ἐρωτομανής. XV. 44.
Ἐσμυρνισμένος οἶνος. X. 141.
Ἑσπέρα. XVI. 219. 221.
Ἐστ' ἂν. VII. 35.
Ἐστεγνωμένος. IV. 99.

Ἐυ-

Ἐυθυωρία. XIII. 429.
Ἔυνοια. XV. 87.
Ἐυνοχίας.. XVI. 191.
Ἐυκόρως. XVI. 2.
Ἐυρύθμως. XVI. 2
Ἔυσαρκος. XV. 107.
Ἐυσχημονέστερος. II. 15.
Ἔυτονος. X. 110.
Ἔυφλεκτα. IX 61.
Ἔυχροια. IV. 60.
Ἔυχροιαν περιποιεῖν. X. 147.
Ἐφηλίδες. XI. 189.
Ἔχεσθαι. XII. 123.
Ἐχόμενος. XII. 17. 122. XIII. 21. 25.
Ἔψημα. X. 39.
Ἔωλος. XVI. 148.
Ζέον ὕδωρ. XIII. 211.
ωμὸς μέλας. X. 84.
περίεργος. X. 81.
Ζωπυρῆται. XIII. 222.
Ἡδύσματα. X. 76.
μίνη. XVI. 101.
Ἡπατικοί. IX. 9. 10.
Ἡπατικόν. IX. 8.
Ἡπατίτις. XIII. 419.
Θάμνα. X. 200.
ανάσιμον. XII. 27.
Θανατῶδες. XII. 27.
Θελόπεδον. X. 92.
Θεοὶ λεγόμενοι. XIII. 450.
Θεραπεία. XII. 93.
Θεραπεύειν τὰς αὐλάς. XVI. 160.
Θέρεστρα. X. 189.
Θέρμαι. IV. 53.
Θηρία. XI. 119.
Θηρία κακά. XI. 115.
Θηρολέξης. XVI. 146.
Θολερόν. V. 8.
Θόλον, τὸ μέλαν. V. 6.
Θόλος, ἡ. V. 10.
Θόλος, ὁ. V. 8.
Θολός, ὁ. V. 7. 11.
Θολόω. V. 8.
Θρίσσα. XI. 228.
Θύματα. XI. 189.
Θυμός. XIII. 476.
Ἰαίνεσθαι. XIII. 140. 141.
ητρεῖον. X. 128.
Ἱππάκη. XVI. 121. 122.
Ἰσχνότης. XIII. 197. XIV. 22. 24.
Ἴσχοντα. XIII. 17.
Ἰσχυρόν. V. 91.
ῖτις. terminatio quid significet. XVI. 11.
Ἰχώρ. V. 68.
Ἶψ. V. 112.
Κάθαιμον. XIII. 449.
αθαμμίζειν. XI. 206.
Καθαιρόμενος XII. 155.
Καθαριότης. II. 27.
Καθαρώδεα. IV. 92.
Καθιστάμενα. XVI. 245.
Καθίστασθαι. XVI. 244. 247.
Καί. VII. 65. XIII. 242. 243. 345.
κατὰ, pro κατά γε. XIII. 243.
Καιρός. XII. 77.
Κακοήθεια. X. 266.
Καλέεται. VI. 18.
Καλλαρίας. XI. 28.
Καμάρα. V. 10.
Καντίον. X. 16.
Καπνός. XV. 124.
Καρδία. XIII. 132.
Καρδιακὴ διάθεσις. XIII. 139.
Καρδιαλγεῖν. XIII. 135.
Καρδιωγμός. XIII. 137.
Καρδιώσσειν. XIII. 136. 144. 146.
Καρηβαρεῖν. X. 240.
Καρηβαρία. X. 28.
Κάροινον. X. 25.
Κάρος. X. 27.
Καρυκεία. X. 68. 73.
Καρυκεύειν. X. 78.
Καρύκη. X. 74. 80.
Καρχαροδεῖν. XI. 68.
Καρχαρόδοντα. XI. 67. 68. 77.

Καρχαρόδους. XI.76.77.
Καρωτικὸς οἶνος. X.111.
Κατά. VIII.22.
λόγον. VII.26.31. XIII. 442.
μικρόν. VII.26.
Καταδακτυλίζειν. X. 277.
Καταιγίζειν. XII.81. 87.
Καταιγίς. XII. 87.
Κατάκαυμα. XI. 189.
Κατακορέα. IV. 77.
Κατανοεῖν XII. 139.
Καταχρῆσθαι. V. 66.
Κάτω. IV. 12.
κοιλίη. IV. 26. VII. 69.
Κατωτερικά. VI.69. XII.47. 52.
Καυλωτὸν σεῦτλον. XVI. 71.
Καύματα. XI. 183. 189.
Καχεξία. XIII. 51.197.
Κεκρατημένος. IV. 99.
Κέλλειν. XI. 38.
Κεστρεὺς νῆστις. XI. 36.
Κεχηνότες. XI.61.
Κλαρίας. XI. 28.
Κνιποί. X. 82.
Κοιλίη. IV. 22. VIII. 38. XI. 108.
Κολικόν. VII. 3.
Κομίσαι. XVI. 173.
Κοπριήμετοι. IV. 62.
Κόσκινος. XVI. 108.
Κοτύλη. XVI. 100. 102. 103.
Κότυλος. XVI. 106.
Κυπαρίς. XI. 21.
Κῦφος. V. 90.
Κόχλαξ. XVI. 82.
Κραῦρος. V. 41.
Κρεμαστῆρες. X. 185. 192.
Κρίσιμον. V. 91.
Κριτική. V. 12.
Κρύος. V. 41.
Κρύψις. XI. 178.
Κυλλός. XI. 39.
Κῦφι. X. 151. 152.
Κύων. XI. 169.
Κύων μεγάλος. XI. 166.
Κωδεία. X. 185.
Κωδία. X. 185.
Λάβραξ. XI. 98.
Λαγαρός. V. 41.
Λαπάρη. VII. 6.
Λαπάρης. VII. 4.
Λαπαρῦ. VII. 4.
Λειποθυμίη. XIII. 471. 473. 483.
Λειποψυχίη. XIII. 471. 473. 474. 484.
Λειπυρία. VIII. 47.
Λείφαιμον. XIII. 455. 457.
Λεπτόν. XVI. 213. 214.
Λεπτότης. XIV. 23.
Λευκός. XI. 99.
Λιμοπαλεῖν. X. 181.
Λιμός. X. 192.
Λιγνύς. XV. 124. 126.
Λιθίασις. XVI. 12.
Λικυάμην. V. 77.
Λικῦλμην. V. 77.
Λιμοκρατούμενοι. XIII. 29.
Λιμῷ ἐχόμενοι. XIII. 25.
Λιμώττειν. XIII. 151.
Λογοδιάῤῥοια. XVI. 249.
Λόγος. VII. 31.
Λογοσοφία. VIII. 1.
Λύει. VII. 60.
Λύκος. XI. 99.
Λυκεῖον. XI. 133.
Λύπη. XIII. 101. 110. 111. 112.
Λυπῶ. XV. 77.
Λυσιτελές. XIII. 541.
Μάζα. XVI. 150.
Μαζίναι. XI. 34.
Μαινίς. XVI. 162.
Μαλακά. V. 4.
Μαλακία. IV. 71.
Μαλάκια. V. 4.
Μαλακόν. XIII. 269.
Μαλερόν. XVI. 216.
Μαλόν. XIII. 296.
Μανία. X. 208.

Μά-

Μάξεινος. XI. 34.
Μάρις. X. 227.
Μάργος. XI. 126.
Μάττειν. XVI. 149.
Μεγαλεῖα. X. 261. 262.
Μέγιστον. V. 55.
Μείουρος. XI. 65.
Μελαγχολικά. V. 15.
Μελάγχρους. IV. 82.
Μέλαν. V. 13. 14. 15. XVI. 209. 210.
Μελανδοχεῖον. V. 26.
Μελιηδές. X. 50.
Μέλκα. XVI. 124.
Μέλλον τροφή. XIII. 186.
Μεμεστωμένοι. X. 251.
Μεστός. X. 251.
Μετακινέειν. XIII. 331.
Μετὰ κύνα. XI. 183.
Μετ' ὀλίγον. IV. 63.
Μετρεῖν ✝ ἑαυτοῦ σκιάν. XIV. 15.
Μήλωνες. XIV. 190.
Μικρόσφυκτοι. X. 155.
Μικροτράπεζοι. XVI. 166.
Μόνος. XI. 205.
Μύζειν. XIII. 85. 90.
Μύλη. XI. 150.
Μύξα. XI. 43.
Μύξινος. XI. 34. 41.
Μύξων. XI. 43.
Μύουρος. XI. 65.
Μυρίνης. X. 162.
Μύρον. X. 162.
Μύῤῥα. X. 124.
Μυῤῥίνης. X. 159.
Μυῤῥινίτης. X. 159.
Μυρσινίτης. X. 159.
Μυρτίτης. X. 159.
Μύρτον. V. 47.
Μύρτος. V. 47.
Μύτις. V. 5. 34. 36.
Μυττίς. V. 35.
Μωκᾶσθαι. X. 269.
Μῶκος. X. 268. 269. 270.
Μωκός. X. 369.

Νάρκωσις. X. 241.
αὐλία. XIII. 136.
Νέκταρ. X. 153.
Νεκταρίτης οἶνος. X. 145.
Νεύρων ἀκράτεια. X. 241.
Νεφρῖτις. XVI. 14. 17.
Νεωστί. XIII. 287. 288.
Νηπενθής. X. 144.
Νόσος. XIII. 16. 30.
Νοτίς. XIII. 216.
Ξηρότης. XIII. 213.
Ὀδυνᾶν. XIII. 100. 131.
δύνη. VII. 65. 100. 121. 125. 126. 127. 128. 129.
ἰσχυρή. IV. 14.
καρδίας. XIII. 133.
Οἶνος ἀδύναμος. X. 199.
ἀνειμένος. X. 63.
ἀνθοσμίας. X. 130.
ἄτονος. X. 63.
γλυκάζων. X. 13.
διηθητικός. X. 225.
διηθικός. X. 225.
διηθουμένος. X. 224.
διυλισμένος. X. 219.
ἐσμυρνισμένος. X. 150.
καρωτικός. X. 111.
μύρινος. X. 162.
περίεργος. X. 82.
πολυφόρος. X. 111.
πότιμος. X. 198.
πρόδρομος. X. 177.
πρότροπος. X. 177.
σεσακκισμένος. X. 221.
σκευαστός. X. 198.
σκυβελίτης. X. 179.
συγκεκεραμμένος. X. 163.
τραπητός. X. 181.
τρυγηφάνιος. X. 199.
Ὀινειάδης. XII. 8.
Ὀινειάς. XII. 14.
Ὀινόφλυγες. X. 112.
Ὀινώδης. V. 115.

Ὀλός. V. 1.
Ὄμματα αὐχμηρά. IV. 91.
Ὁμότεχνος. XIII. 525.
Ὀνειροπολεῖν. XV. 41.
Ὀνειρώσσειν. XV. 35. 40. 41. 52.
Ὀνίσκοι. X. 69.
Ὀνίσκος. XI. 18. 20. 23. 24.
Ὄνομα. XIII. 43. 45.
Ὀνοματοθήρης. XVI. 146.
Ὄνος. XI. 18. 19.
Ὀξέα σειριάειν. XI. 188.
Ὀξίνης. X. 150.
Ὀξος. X. 101. 150.
μετὰ χολῆς. X. 149.
Ὀρθοστάδην. XIII. 22.
Ὁρμῶντα. XIII. 17.
Ὀῤῥόν. IX. 38.
Ὀστρακόδερμα. V. 41.
Ὄστρεα. V. 41.
Ὄστρεια. V. 41.
Οὖρον. IX. 38.
Ὀψάριον. XVI. 162. 163. 164.
Ὀψέ. XVI. 219.
Ὀψινὴ ὥρα. XVI. 222.
Ὀψομανεῖς. XVI. 161. 162.
Ὄψον. V. 86. XVI. 158. 161.
Παθογνωμονικά. IV. 51.
Πάθος. XII. 99.
Παιδεία. V. 12.
Παίζειν. VI. 48.
Παλμός. IX. 34.
Πάνδημον σεῦτλον. XVI. 171.
Παρά. VII. 22.
Παρακινδυνεύειν. XIV. 140.
Παρακόπτειν. XII. 164. 169. 172.
Παρεγχείρησις. X. 266.
Παρειμένος ἀπὸ τῶν οἴνων. X. 252.
Παρεόν. XIII. 336.
Παρόν. XIII. 337.
Πάσσον. XVI. 171.
Πάχος γεννᾷν. X. 148.
Πείσματα. X. 192.
Πέλματα. X. 192.
Πελογάστωρ. XI. 138.
Πέλωρ. XI. 138.
Πελωρογάστωρ. XI. 141.
Πέλωρον. XI. 138. 141.
Πένομαι. XIII. 102.
Περίειμι. XV. 108.
Περίεργος. X. 81.
Περισκελῆ καύματα. XI. 189.
Περὶ λύχνων ἁφάς. XVI. 223.
Περισταλτικά. VIII. 69.
Περίψυχρον. VIII. 48.
Πέρκαι. XI. 229.
Πικρότης. X. 116.
Πίνων. XIII. 355. 356.
Πῖον. XI. 50.
Πιστά. XIII. 323.
Πλεκτάναι. V. 57.
Πλὴν. V. 89.
Πλύμα σταιτὸς ἐπὶ πυρί. VI. 9.
Πνεῦμα. XIII. 216.
Πνεῦμα θολερόν. VIII. 13.
Πνεύμων. IX. 39.
Ποικιλογάστωρ. XI. 137.
Πολλόν. VII. 23.
Πολυφόρος οἶνος. X. 111.
Πονεῖν. XIII. 103.
Πονηρόν. XIII. 268. 273.
Πόνος. IV. 71. XIII. 101. 104. 106. 107. 112. 133.
ἑλισσόμενος. VII. 5.
λυπηρός. XIII. 130.
πουλύς. VII. 5.
Πορνοβοσκός. IX. 22.
Πόρος. V. 37.
Πότιμος. X. 198.
Ποτόν. VIII. 34.
Πριονώδης. XI. 67.
Προαγωγεία. IX. 22.
Προαγωγός. IX. 22.
Προγάστωρ. XI. 139.
Πρόγνωσις. XV. 151.
Προγνωστικὰ σημεῖα. IV. 51.
Πρόδρομος. X. 177.

Προε-

Προεξευκρινήσας. XII. 59.
Προεῤῥήθη. XV. 153.
Προκέφαλος. XI. 38.
Πρόκοιλος. X. 139.
Πρὸ κυνός. XI. 182.
Προκύων. XI. 162. 163. 164.
Πρόῤῥησις. XV. 151.
Πρόσγειοι. V. 58.
Προσόψημα. XVI. 159.
Προσφάγιον. XVI. 159.
Πρόσφατα τῶν ἐπαρμάτων. VI. 68.
Προσφέρειν. XIII. 296.
Προσφερόμενα. XIII. 294.
Πρόσφορα. XIII. 294. 295.
Προσφοραί. XIII. 292. 293. 294. 296.
Πρότροπος. X. 177.
Πρόφασις. IV. 27.
Πρόχυμα. X. 176.
Τῶν γλεύκους. X. 177.
Πυρετός. IV. 17.
Πυροὶ σκληροί. XVI. 143.
Πύρωσις XI. 189.
Ῥέπειν. XIII. 402.
Ῥήγματα. XII. 15.
Ῥήματα βόεια εἰπεῖν. XIII. 68.
Ῥιπτασμός. IV. 57.
Ῥύσις νυκτός. XV. 54.
Σακκίας. X. 222.
Σακκίζειν. X. 219.
Σάκτος. X. 222.
Σάργος. XI. 35. 36.
Σαρκοφάγα. XI. 67.
Σειρῆνες. XI. 171.
Σείρια. XI. 200.
Σειριάειν. XI. 171.
Σείριος. XI. 170. 171.
ἀστήρ. XI. 171.
Σέλας. XIII. 176.
Σέλαχα. XI. 53.
Σελάχια. XIII. 176.
Σεμίδαλις. XIII. 510. 511. 512.
Σεῦτλον. XVI. 161.
Σήθω. XVI. 161.
Σηπίδιον. V. 84.
Σήπιον. V. 41.
Σίκυος. XVI. 175.
πέπων. XVI. 182.
σπερματίας. XVI. 187. 188.
Σιλίγνις. XIII. 512.
Σιμός. XI. 39.
Σιρά. X. 52.
Σίραιον. X. 47. 52.
Σιρωτής. X. 52.
Σιτία. XIII. 160.
Σῖτος. XIII. 264.
Σῖτος πονηρός. XIII. 267.
Σιφνιάζειν. X. 277.
Σκάφιον. X. 185.
Σκελέων ὀδύνη. VII. 56.
Σκέλη. VII. 53.
Σκευαστός οἶνος. X. 198.
Σκῆνος. IV. 60.
Σκληρά. XVI. 143.
Σκύβαλον. IV. 36.
Σκυβελίτης οἶνος. X. 179.
Σκώπτης. X. 269.
Σμύρνα. X. 124.
Σοφία. II. 8.
Σπληνῖτις. XIII. 419.
Σπυράδα. IV. 36.
Σπυράθιον. IV. 36.
Σπύραθον. IV. 36.
Σπυραθώδη. IV. 36.
Σπυράς. IV. 36.
Σπύρδανα. IV. 36.
Στάσιμον. V. 31. XIII. 507.
Στέμφυλα. X. 186. 192.
Στηρίζω. IV. 16.
Στόμα. XI. 62.
ἀνεῤῥωγός. XI. 61. 64.
ἀνεῳγός. XI. 61.
τῆς γαστρός. XIII. 94.
Στραγγουρία. VI. 15.
Στρόφοι. VI. 50. VIII. 41.
Συγκαμπαί. XIII. 414.
Συγκατανασιφάγοι. XI. 130.

Σύγ-

Σύγκαυσις. XIII. 401.
Συγκεκλεισμένος. IV. 99.
Συγκοπή. XIII 471. 486.
Συναγελάζεσθαι. XI. 86. 87.
Συναπεργάζεται. XVI. 250.
Συνδρομή. XIII. 32.
Συνειλημμένος. IV. 99.
Συνεξομοιοῦται. XV. 62.
Συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου. X. 250.
Συνίστασθαι. XVI. 245. 246.
Συστροφή. V. 50.
Σφραγιδονυχαργοκομήτης. II. 27.
Σωκράτης ὑπογάστωρ. XI. 140.
Ταπεινοῦται. XIII. 122.
ταπείνωσις. XIII. 121.
Τάριχος. XVI. 146.
Ταρσοὶ καλάμων. XI. 75.
Τὰ τρία. X. 143.
Ταυρώδεα λεύσσειν. XII. 110.
Τεύθις. V. 39.
Τεῦτλον. XVI. 171.
Τέχνη. V. 12.
Τεχνική. V. 12.
Τηγανιστός. V. 99.
Τραπεῖν. X. 181.
Τραπητὸς οἶνος. X. 181.
Τραχύς. XI. 68.
Τραχύτης. XI. 68.
Τρεχέδειπνοι. XVI. 226.
Τρῆμα. V. 37.
Τρικότυλος κύλιξ. XVI. 107.
Τριταῖος. XV. 15.
Τριταιοφυής. XV. 15. 16.
Τριταιοφυέα τρόπον παροξυνόμενος. XV. 15. 16.
Τριτογονήσαντα. XV. 62.
Τρίχες ὥσπερ. XVI. 20.
Τροφή. XIII. 205.
πανηρή. XIII. 267.
Τρυγηφάνιος. X. 199.
Τρύξ. X. 200.
Τύφος. XI. 186.
Ὑγιναίνειν. XI. 113.
Ὑγρόν. XV. 64.
Ὑγρότης μυξώδης. V. 51.
Ὑδρόμηλον. X. 160.
Ὑδρωποειδές. XIII. 375.
Ὕδρωψ. IX. 30.
Ὑπεναντία. IV. 19.
Ὑπεραγκάζεσθαι τὴν κρᾶσιν τοῦ μύρου. X. 167.
Ὑπερορᾶν. XII. 34. XIII. 6.
Ὑπεροχὴ θεῖα. II. 35.
Ὑπέρυθρον. V. 57.
Ὑπήλατα. XII. 51.
Ὑπό. XII. 69.
Ὑπόβρωμον ὄζειν. X. 195.
Ὑπὸ κύνα. XI. 182.
Ὑπόσφαγμα. V. 27.
Ὑπότριμμα. X. 78.
Ὑπόχυτον. X. 118.
Ὑποχωρέειν XIII. 246.
Ὑποχώρησις. XIII. 255.
Φάγος. XIII. 159.
Φαγών. XIII. 158.
Φάλκη μυῶν. XIII. 390.
Φαρμακεύειν. XIII. 390.
Φάρμακον. XII. 39. XIII. 316. 324. 326.
Φαῦλος. XI. 51.
Φερώνυμος. XIII. 564.
Φθίνειν. IX. 51. XIII. 192. 195. 196.
Φιλόλαγνοι. XIII. 13.
Φιλότεχνοι. V. 12.
Φλαῦρον. IV. 92.
Φλεβοτομοῦμαι. XIII. 394.
Φλεβοτομούμενος. XIII. 345.
Φλεγμασία. IV. 17.
Φλέγματα. X. 215.
Φλεγμονή. IV. 17.
Φλεγμονώδης κόπος. XIV. 82.
Φόνου ὄζειν. XIV. 131.
Φρύγειν. X. 36.
Φυκίς. V. 36.
Φυλλοτρῶγες. XVI. 166.
Φύστη. XVI. 153.
Φωλεός. XI. 155.
Φωλεύειν. XI. 155.

Φω-

Φωλητήρ. XI. 155.
Χαλεπός. XIII. 312.
Χαλεπῶς. IV. 50.
Χαλκῆ μυῖα. XIII. 389.
Χάλλωνες. XI. 37.
Χάραξ. XI. 75.
Χάραξις. XI. 75.
Χαριέστερος. II. 15.
Χαῦνος. V. 41.
Χελῶνες. XI. 37.
Χελιδών. XIII. 414.
Χελῶνες. XI. 37.
Χελμών. XI. 37.
Χίμεθλον. XI. 189.
Χλευάζω. X. 268.
Χλευαστής. X. 268. 269.
Χλεύη. X. 268.
Χλωρός. IX. 17.
Χολάδη. XVI. 40.
Χριστά. XIII. 323.
Χρόνιος. IV. 84.
Χρυσομανής. X. 208.
Χωρεῖν. XIII. 248.
Χωρέοντα. XIII. 249.
Ψαιστή. XVI. 150.
εδνή. XVI. 152.
Ψεστή. XVI. 152. 155.
Ψέω. XVI. 152.
Ψεύστης. XI. 120.
Ψυχή. XIII. 476. XV. 37.
Ψύλλιον. XVI. 82.
Ψυχρόν. VIII. 48.
περιοδικόν. VIII. 48.
συνεχές. VIII. 48.
Ψυχρῶ. VII. 8.
ώδης, terminatio quid significet. V. 115.
Ὠμόλινον. V. 109.
Ὠμοφάγα. XI. 91.
Ὠφελέεσθαι. XIII. 376. 382. 539.
Ὠχρός. IX. 18.

INDEX

INDEX

rerum memorabilium,

quæ in his SELECTIS occurrunt.

Abdera, *Ciceroni quid.* XVI. 7. *colonia Tejorum.* XVI. 6. *oppidum Thraciæ* XVI. 6. *unde famosa.* XVI. 7.

Abderitanus *quis* XVI. 7.

Abderitica *mens.* XVI. 7.

Abscessus *causa ilei & quomodo.* IV. 48.

Abstinentia *sermonis nimia nocet Medico.* II. 28.

Abundare & redundare *quid differant.* XV. 110.

Abusus *pro* usu. V. 66.

Academia *quid.* I. 25. *qui ad eam mittendi.* ibid. *via ad praxin.* III. 22. *unde male audiat.* I. 25. *Franekerana qualis.* I. 32.

Acetabulum *quid.* XVI. 101.

Accidentium *an & quæ materia aut forma.* XII. 101. *non est proprie definitio.* IV. 19. 20.

Acetum *sitienti potum ladit stomachum.* X. 101.

Aciei *quæ materia & forma,* XII. 101.

Acinaticium *quid.* X. 196. *an recte dictum.* X. 197. 198. *Vlpiani vero concinnaticum.* X. 198.

Acinaticum *quid.* X. 197.

Acinus *quid* X. 196. 197. *fructibus multis communis.* X 197. *vinaceus quis.* X. 197. *unde turgeat.* X. 94.

Acipenseri *os quale.* XI. 65.

Aconitum *ilei causa.* IV. 34.

Acrimonia *humorum unde.* XVI. 35. *stimulus spiritui.* XIII. 407.

Actio *naturæ munus.* XV. 141. *frustrata.* XV. 149. *insolens.* XV. 143. *læsa.* XV. 141. 148. *rei moventis quando cesset.* XII. 100.

Actus *quot & quibus potentiis oppositi.* XIII. 338.

Ad callum *quomodo perveniatur.* XIII. 124.

Adjectiva *in* ωδης *qualitatem sub excessu notant.* V. 115.

Adjuncta *morbo quæ.* VIII. 68.

Adipem *ubi animalia habeant.* XI. 50.

Adolescentia *facile seducitur.* I. 29. *ejus opportunitas.* II. 7. *quousque se extendat.* XV. 105.

Adulator *à tergo illudit.* X. 274.

Adulterium *verborum triplex.* XII. 165. 166. 167. 168. *vini, nefas* X. 61.

Æger *delinquit sæpe.* XII. 123. *haberi quis dicatur.* XII. 123. *medico male nititur.* III. 19. *desperante cur convalescat.* III. 10. *ut pareat quid agendum.* II. 23. *mente quamdiu constet.* XII. 141. *opinionibus pravis sæpe imbutus.* II. 12. *quis obnoxius culpæ & pœnæ regis Amasiæ.* II. 29. *varius admodum.* II. 13. 24. *vinum pro lubitu non concedendum.* VII. 35. *vires unde æstimandæ.* XIII. 491. *votum, poto pharmaco.* XII. 143.

Ægritudo *quid.* XIII. 110. 122. *quas partes habeat.* XIII. 126. *laboriosa cur Ciceroni.* XIII. 126.

Ærum-

Ærumna *quid.* XIII. 128. *quæ Ciceroni.* XIII. 126. *magnum quid.* XIII. 127.
Æsculapius. I. 37.
Æstas *autumnare quando incipiat.* XI. 184. *matura quæ.* XV. 114. *tertianarum ferax.* XV. 111. *veri affine initium habet.* XV. 114. *unde fiat.* XI. 196.
Aer ἀτμώδης XI. 198. *vinum in cellis an mutet.* XI. 114.
Æstus *caniculares cui debeantur.* XI. 191. 192. 193. *quid possint.* X. 214. *maximi Sole cadente.* XI. 194.
Æstas *quæ justa.* XV. 107. *obnoxia ileo.* IV. 27. *tutissima.* XIII. 15.
Affectus *magnitudo quotuplex* VIII. 84.
Agentium *natura quæ.* XI. 194.
Aigleuces *quid.* X. 102. *ex quibus.* X. 203. *durabilitas.* X. 204. *non inebriat.* X. 247. *usus.* ibid.
Alchemistarum *emblema & vanitas.* V. 54.
Alimentum *capere & percipere, quid differant.* XIII. 204. *corruptum quid causet* XII. 120. *omne quæ habeat.* XI. 47. *piscium noxiorum quale* XI. 48. *præcipuum munus.* X. 34. *spirituosum quod.* XI. 47. *solidum* XI. 47. *quomodo apponatur secundum Ibn Sinæ.* XIII. 219. *valentissimum.* XIII. 160. 161. *vox sumitur improprie* XIII. 205. *late.* 206. *proprie* 208. *stricte* 207.
Allevare *quid.* XIII. 379.
Alligari *quid.* VIII. 12.
Alosa *an Clupea.* XI. 216. *an Thrissa.* ibid.
Alterari *quid.* XIII. 334. 335.
Alternatio *quid.* XI. 74.
Alvus *adstrictior familiaris facientibus iter.* VI. 50. *caprino more.* V. 36. *dysenterica.* XVI. 38. *effectum nephritidis* XVI. 47. *regiones tres.* XII. 52. *ad primâ quæ confluant.* XII. 53.
Amatus *cujus fidei.* VIII. 97.
Amaurosis *quid.* IV. 92.
Ambulatio *impeditæ causa.* XII. 202. *impeditur à liene.* IX. 31. *lienosis prodest.* IX. 72.
Amor *erga homines & artem ad quid obliget.* XV. 157. 158. *vitæ modum nescit.* II. 11.
Anaticulæ *piscinas Luciis implent.* XI. 100.
Angoris *quod signum* XIII. 119.
Anguillæ *an pinguedinem habeant.* XI. 50. *cur mortuæ non fluitent.* XI. 50. *unde nascantur.* XI. 50. *vivant.* XI. 46.
Anima *ab ἀνέμῳ.* IX. 36. *Hippocrati quid.* XV. 39. *pro Spiritu.* IX. 36. *purpurea quid.* XIII. 448. *defectio quæ.* XIII. 152. *huic qui obnexii.* XIII. 151. *vertere quid.* IX. 36.
Animalia *calidiora quæ.* XI. 159.
Animus & anima *quid differant.* XIII. 475. *apud medicos.* XIII. 476. *apud Stoicos.* ibidem. *generosus quis.* II. 38. 38. 39. 40. *Hippocrati quid.* XV. 40. *purgatio quid.* II. 29.
Anni *dimidium quid.* XI. 196. *partes quæ.* XI. 196. *secundum veteres.* XV. 112.
Annulus *cujus emblema.* III. 30.
Anorexia *quid.* XIV. 61. 62. *ex quibus causis.* XIV. 65.
Ante canem *dicendum.* XI. 163.
Ante diem *medium in vino deprehendi, antiquis in crimine.* X. 256. *veteres vel aquam non sumebant.* X. 256.
Anthosmias *quid.* X. 130. *descriptus* X. 137. *vox adjective & substantive sumitur.* X. 135.

Antiquorum *studia excellunt nostra.* VIII. 1.
Anxietas *unde noscatur.* VIII. 49. *sedens corde quid faciat.* XIII. 128.
Appetitus *auctior prognosticum morbi.* XI. 12. *caninus.* XIII. 302. 303 *urgentior febrim quibus accendat.* XI. 12.
Apud *quid & unde.* VIII. 22.
Aqua *evaporat, non exhalat.* X. 233. *etiam jejuni olim abstinebant* X. 256. *hordeacea quando largiter danda.* XIII. 403. *lacti cur addatur.* XVI. 85. *optima.* XVI. 87. 88 89. *quantum refrigeret.* XVI. 85. *quibus conveniat.* XVI. 90. 91.
Arctatio *intestini quid causet.* IV. 25.
Arcturi *occasus observandus* XI. 186.
Arenas *cur sanguis exeuntes comitetur.* XVI. 25.
Aristotelis *libri περὶ ζώων & ζωικῶν an diversi* XI. 16. 17. *Historia de Anim. quomodo condita.* XI. 211. *interpres qualis esse debeat.* XI. 73.
Aroma *pro* myrrha. X. 125. 127. *usus ad condiendum vinum.* X. 15.
Ars *Luciano qua.* V. 12. *Dei, Natura.* III. 8. *divisio.* V. 12. *liberalis, ansa virtutis.* I. 22. 23. *proprium quid.* XV. 145. *Medica aditur fere cum tenui scientia.* XII. 3. *cur amanda.* XV. 158. *Natura imitatrix non erat.* VII. 59. *jussa quomodo curet.* XVI. 1. *monitu facit sua.* XI. 9. *partes nobilissimæ.* VIII. 61. *perfectio.* III. 13. *purganda à commentis speciosis.* VIII. 5. *plures dicentes quam probantes habet.* VII. 14 *qua male exercita, damnosissima.* XII. 3 *qui ejus testimonium det.* XII. 4. *quis fideliter didicerit.* IV. 1.
Arsenicum *causa ilei.* IV. 34.
Arteriæ *quæ eant.* XVI. 52.
Articulis *quid conducat.* VII. 44.
Ascites, *collativus tumor.* IX. 15. 16. *quibus è causis.* IX. 64.
Asellus *antiquorum alius ab hodie dicto.* XI. 7. 8. 12. 13. 14. *quis.* X. 69. XI. 14. *bipes quis* XI. 22. *& asinus, an differant.* XI. 82. *an habeljavus.* XI. 4. *Dorionis & Philotimi quis.* 44. 45. *condit se limo.* 204. 206 *cor in ventre cur dicatur habere.* 101. 102. 103. cur πλωρεχάφης. 141. *latitat sub cane.* 185. *quibus diebus* 202. 203. *ubi.* 206. 201. *quibus notis noscendus.* 52. *seorsim degit.* 91 *minor nobis quis* 4. *mollis quis.* 4. *Noster triplex.* 4. *carnem firmiorem habet.* 7. *accersere sæpe febres putatur.* 8. *difficilioris concoctionis.* 12.
Asinus ad lyram. X. 278.
Assa *super prunas, cruda,* V. 103.
Aster & astron *quid differant.* XI. 166.
Astra *quos effectus edant.* XI. 185.
Athletæ *cur abstinerent mulieribus.* XV. 99. *habitus non à Natura.* VIII. 5.
Atramentū *sepia quid.* V. 27. 33. 39. 94. *quomodo fiat.* 32. *ubi.* 34. *quantitas.* 55. *spargendi causa.* 59. *regenerātur.* 72. *usus.* 45. & seq. *apud prælitigiatores.* 121. 122. *in cibis.* 95. *facultates.* 96. *non alit.* 73. *facit choleram.* 115. 116. 117. 118. *& volvulum.* IV. 33. V. 114. 115. *movet alvum.* 118. *insania aptum.* 121. *Veterum quod.* V. 26.
Atrophia *species Tabis qua.* XIII. 71.
Auante *quid.* XIII. 50. 51. 52. 54.
Auctoribus *recentioribus quomodo credendum.* XI. 15.
Auctoritas *concilianda Medico.* I. 13. II. 32. *sed non nundinatione.* II. 32. *homi-*

hominis quanti. XI. 15. *Hippocratis ſtare licet.* VI. 7.
Audacia *in crimine.* XIII. 533. *propria quibus.* XIV. 18. *prudentiaque non eunt ſimul.* XIII. 533.
Aures *cui immobiles.* X. 278. *mobiles.* ibid.
Auricularum affixio, *ſpecies ſanna.* X. 278. *cui propinqua*, Cornua. 279.
Averſioni *quæ in Ileo conveniant.* VIII. 77.
Auxiliatio, *tempore fit.* XII. 156.
Auxilium, *quod in poteſtate Medici.* XIII. 545. *determinatio in morbis qua requirat.* XIV. 103. *magis requirens. juvandum prius.* II. 31.
Autumnus *cur multis periculoſus.* XI. 184.

Bacchus *piſcis quis.* XI. 20. 30.
Balæna *ubi.* XI. 56. *caret dentibus.* XI. 77.
Balnea *aqua dulcis cujus uſus.* XIII. 404. *digerentia quid faciant.* VIII. 94.
Balſamum *Natura quod.* XI. 93.
Barbaries *unde metuenda.* III. 14.
Bene *quis dicatur purgare.* XII. 77. *valere* XIII. 491. *plus hoc quam ſanum eſſe.* IX. 26.
Bella *fera cur gerant.* XI. 91. *cur homines.* ibid.
Belle comedere, *nec proficere, mirũ vulgo.* XIII. 241. *unde fiat.* 244.
Berœenſium *ſtudium laudatũ.* IX 46
Beſloten vvinden. IV. 14.
Beſtiæ *in SS. qui.* XI. 15. *quotuplices.* 116. 118. 119.
Beta *quid & quotuplex.* XVI. 171. *alba ſalubrior.* 172. *ejus facultates.* 173. 174.
Bibere *quid.* XIII. 356.
Bilis *quid* IV. 62. *frenum quod.* XII. 78. *mera natura.* IV. 63. *Hippocrati.* XVI. 40. 42. *non copia, ſed qualitate æſtimanda.* IV. 65. *torrida.* IX. 60.
Bilioſum *quid.* IV. 62. *quid proprium ei.* XII. 16.
Bilioſi *ex facili febricitant.* VI. 58. *pleuritici fiunt.* XII. 75.
Bira *quid.* VI. 9.
Bono *quid non competat.* X. 258.
Bonis *quis bene utatur.* II. 19. *quis benefice.* ibid.
Borborygmus *quid.* VI. 69.
Brachium *quid & quotuplex.* XIII. 412. *vena ſecanda cur fere eligatur.* 427.
Braſſicam *criſpam quis laudet.* XIII. 180.
Brochus *quis.* XI. 40.
Bronchi *qui.* XI. 40.
Bronci *qui.* XI. 40.
Bruine ſauſſe. X. 80.
Bruta *non moveri niſi objectis præſentibus.* V. 64.
Bubonocele *cauſa Ilei.* IV. 46.
Bubula *elixa melior.* V. 102. *facultates Celſo.* XIII. 506. *Hippocrati.* 507. 508 *ventrem ſtipant.* V. 92.
Buccea *quid.* IX. 65.
Buik-krimping *quid.* IV. 13.
Bulimus *quid.* XIII. 58. 59. 60. 70. 71. 148. *an defectio animæ.* 148. 149. 151. *magna fames.* 60 61. 69. *morbus quis* 71. *Hippocrati an notus.* XIII. 73. *quid proprium ei* 74. *affectis cur purgante opus.* 147.
Bupreſtis *cauſa Ilei.* IV. 34.
Butyrum *priſcis an notũ* XVI. 115. 116. 117. 118. *quo nomine Græcis.* 119. *unde & quomodo fiat.* 111.

Cabeljavus *quis.* XI. 4. 5. 45. 83. *differt à Schelviſſo* 83. *non eſt Aſinus veterum.* 88. 89. *ubi capiatur.* 212. *degat.* 45. *latitet, &*

quando. 209. *ponat ova.* ibidem. *sub Cane cur in foro non prostet,* ib. *an carnivorus.* 141. *lapides habeat in cerebro.* 148. *ventris tumor qualis.* 133. *quibus febrim accersat.* 8.
Cacochymia *quid.* XVI. 237 *fructus, dysenteria.* 170. *putrida quid causet.* 242.
Cacothymia. *malignior improbis, quam imperitis.* II. 29.
Cadavera *cur fluitent.* XI. 50. *cur prona marium.* ibid.
Cadus *quis.* X. 139.
Cæcum *intestinum ubi.* VII. 7.
Calamitas *cur à purgatione maxima.* XII. 58.
Calculus *quid rei pr. n* XII. 106. *quid Ischuria conferat.* 112. 118. *quomodo urethram obstruat.* 108. 109. 114. *obstructionis respectu quid.* 97. 111. 112. *obstruentem repellens quomodo curet.* 104, *natans in vesica quid.* ibid.
Calenum *vinum quod* X. 24.
Calidum *corporis quid.* VII. 40. *omne lenit.* 43.
Calor *omnis modum requirit.* XV. 131. *amicus plerisque piscium.* XI. 158. *semina educit in actum.* XI. 193.
Caligo *quid* IV. 92.
Callarias *quis.* XI. 31. 32. 33. *an Asellus.* 28. 29. 30. *an Clarias.* 28. *ubi degat.* 32.
Cando *quid.* XI. 171. *candeo.* ibid.
Canis *fessus.* X. 281. *cur hiet.* XI. 61. *Celestis quis.* XI. 174. *quotuplex.* 162. *major* 166. 167. *præfulgidus.* 169. 170. *oriens observandus.* 186. *de ortu dissidium quis conciliaverit.* 179. *minor.* 162. 163. *cur Procyon.* 164. *ubi.* 165. *Galeus unde dictus* 27.
Capnias *uva qua,* X. 9.
Caracosmos *quid.* XVI. 126. 127. 128.
Carcharias *quis.* XI. 67. 76.
Caro *pinguis inflammationi apta.* XI. 49. *sanguinem non trahit.* XIV. 46. *sectantes cupiditatem quibus malis expositi.* XV. 43.
Carnosus *quis.* XV. 109.
Carœnum *quid.* X. 19. 24. *quomodo fiat.* 26. *caput gravat.* 28. *rari usus olim.* 29.
Cartesii *quod dogma vetus.* X. 23.
Carus *quid.* X. 27.
Caryca *quid.* X. 74. 75. 77. 78. 79.
Casei *qua requisita.* XVI. 120.
Castrare vinum *quid.* X. 221.
Casus *Stoici memorabilis.* VIII. 10.
Catulaster *quis.* XIII. 64. 66.
Catulire *quid.* XIII. 65.
Cauma *quid.* XI. 189. XIII. 371. *Hippocrati* 373.
Cauponum *qua vita.* X. 59.
Causa *morbi qua.* XV. 145. *Græcis.* XII. 99. *quid differat à materia.* III. *à Symptomate.* XV. 144. *continens, ipse morbus.* VIII. 68. 71. *non indicat.* 68. *qui se demere prætendant.* XII. 152. *qua cruciatus Ocniada* XIII. 99. *maciei.* XIV. 47. *vicissitudinum in temporibus.* XI. 100.
Cavillatio *quid.* X. 266.
Causi *malignissimi signum.* VIII. 47.
Causon, *quid verbi* XVI. 192.
Cellere *quid* XI. 38.
Celso *nemo post Hipp. sapientior medicus.* IV. 72.
Cerebrum *an delirii causa.* XII. 35. 142. *consentiat succingenti membrane.* 33.
Cerevisia *usus vetustissimi.* VI. 9 *mustea cujus.* IX. 56.
Chaldæorum *de sideribus commentum.* XI. 187.

Cha-

Character *cuique suus.* IX. 19.
Chilo *quis.* XI. 38.
Chilus & *cremor suus quid differant,* XIII 282. *ut fiat.* 167. 172. *quæ præstet.* XIV. 129.
Chocolata *quid.* X. 151.
Cholera *quid.* V. 97.
Christo *quid oblatum in cruce.* X. 149. 150. *discipuli qui.* 287.
Chus *quid.* X. 227.
Chymus *quis.* XIII. 282.
Cibus *an pharmacum.* XII. 40. *firmus.* V. 104. *gravis.* XIII. 278. *maleficus* 279. *malignus.* 227. *malus.* 273. *niger & perversus.* 274. 275. 276. *optimus.* X. 64. *opportunus.* XVI. 231. *sorbilis quibus utilis.* VIII. 34. *quantitas salubris quæ.* XIII. 518. *sine potu cur non sumatur.* XVI. 199. *non omnis eodem tempore cur concoquatur.* XIII. 154 *quei conterat ventriculus.* 168. *contritio quid à coctione differat.* 178. *volvulosis conveniens.* VIII. 99. *non appetens an fastidiat etiam.* XIII. 99. *corrupto, Medici an recte purgent.* 348.
Ciccus *quid.* V. 52.
Ciconia. *quæ Sanna* X. 273. 274. 275. *pinsit.* 274. *quid hoc Græcis.* 277.
Cilo *qui.* XI. 38.
Cillo *qui.* XI. 38.
Cinædi *qui.* XI. 39.
Cimus *quid.* X. 198.
Circumcidere vinum *quid.* X. 193.
Circumstantiæ morborum *quæ.* VIII. 69. *remedii usum moderantur.* ibid.
Clyster *usus veteris,* IV. 101. *in pleuritide.* XII. 62. *quibus infundi nequit, quid faciendum.* VIII. 97. *volvulosis quis conveniat.* 96. XIII. 166.
Coctio *ciborum à calore est.* XIII. 163. 164. *elixationi similis.* XII. 129. *modus cui optime explicatus* XIII. 166. *ab humorum coctione quid differat.* 129. 130. *quomodo promoveatur.* XIII. 182. *infelix mater pituitæ.* VI. 48. *turbatæ causa* ibid. *quæ optima.* X. 94. *humorum ubi non est sperabilis, nec evasio speranda.* VIII. 54.
Coctiva *quæ.* V. 77.
Cœlius Aurelianus *quis* IX. 7. *criminatur Hippocratem.* VII. 69.
Cœnæ *quod tempus olim.* XVI. 223.
Cognitio *plena cui bono.* XI. 6. *quando pereat.* XIII. 43.
Coitus *quid* XV. 99. *opus non arbitrii.* 135. *sed naturæ.* 136.
Colica *passio quæ.* IV. 13. *dextra frequentior* VII. 7. *Tiberiana, quæ* VIII. 2. 39. *morbus unde dictus.* VIII. 2. *mutatus in comitialem* VII. 52. *resolutionem.* ibid.
Collapsus corporis *unde.* XIII. 229.
Collativus venter *quis.* IX. 14. 15. *hepatici pathognomonicum* 13.
Colliquationis *causa.* XIII. 195. *signum.* 200.
Colliquescere *quæ dicantur.* XIII. 199.
Colon *cur ὀνηρὸν Hippocrati.* VIII. 7. *valvula.* VII. 6. 2. *communio cum ileo.* IV. 21. *affectiones* VII. 32. VIII. 20. *inflammatio, morbus peracutus* 30.
Color *corporis respondet humoribus.* IX. 20. *quis medius* XVI. 210. *pallidus.* XVI. 211. *tenuis.* IV. 82. *niger firmissimus.* ib. *quid significet.* XVI. 210. *fuscus facile mutatur.* 211. *prapallidus quid signet.* IV. 60. *veri in buxantem mutatio unde.* IX. 20.

Comedo *quis.* XI. 128.
Comestura, *Catoni dictum.* XIII 180.
Comicorum *stultitia.* IX. 3.
Commentationes *quales esse oporteat.* VII. 16.
Commodi *Imp obscœnitas.* V. 94.
Comparanda, *regulam quam habeant.* XII. 6.
Conatus *in mejendo unde.* XVI. 32.
Conchus *Gracorum quis.* X. 74.
Concinnare *quid.* X. 138.
Concinnaticum *vinum quid.* X. 198.
Concretile *gypsescit.* V. 117.
Condita *cur noxia.* X. 64.
Conditio ægri *noscenda, ut noscatur causa morbi.* VIII. 24.
Conjuncta *morbi qua.* VIII. 68.
Conjuncti *morbi qui* VI. 19.
Conjunctiones *completiva cui bono* XII. 37.
Conjux *sua cur cuique* XV. 87.
Connexa *morbi quotuplicia.* VIII. 68.
Connexi *morbi qui.* VI. 19.
Consequentes *morbi qui.* VI. 19.
Consistere *quid proprie.* XVI. 245. *Hippocrati.* 246.
Contabescere *quid* IX. 51.
Contagio *quid Ciceroni.* XI. 187.
Contemtor, *coram illudit.* X. 274.
Contentum *quid* XV. 71.
Contradicere *errori quid.* XII. 162.
Contra naturam *sumtum non bene conficitur.* XIV. 67.
Contumelia *qua gravissima.* X. 282.
Convalescere *quid* XIII. 241.
Convalescentibus *excrementa fere qualia.* X. 79.
Conversatio *cum malis contagiosa.* I. 29.
Convivia *olim nocturna.* X. 254. *non semper.* XVI. 228.
Convolvulus *quid.* V. 110. 111.
Coquo *quid principale artis.* X. 164.
Cor *princeps.* IX. 50. *principium.* XVI. 52. *fœtui ad quid conferat.* XIII. 89. *dierectum* IX. 71. *latum quid præstet.* XV. 4. *lienosum quid.* IX. 34. *quid significet in SS.* XIII. 130. *in ventre habere quid.* XI. 103. 107. 108. 109. 132. *anxietas unde.* IV. 57. *unde æstimetur vulgo.* XIII. 127. *dolor, signum Hepatici* IX. 13. *igniendo quid aptissimum.* 64.
Corium *quid.* V. 42.
Corpus *quod debilissimum.* XIV. 43. *gracile.* XV. 104. *habilissimum.* ibid. *languidum.* XIV. 43. *obesum.* XV. 104. *optimum in febribus.* 132. *quadratum* ibid *vegetum.* XIV. 43. *quando seminis plenius.* XV. 116. *doleat maxime in laborando.* XIII. 124. *jactetur.* XII. 87. XIII. 127. *ladatur ab alimento.* 503. *umbram mittat.* XII. 114. *unde augeatur, & contra* X. 148.
Correctio *modesta qua.* II. 20. *medica qua.* XV. 69.
Corruptio, *auctorum unde.* XI 2. *ciborum quid conferat homini.* V. 119.
Cortex *quid.* V. 42.
Cosmos *quid* XVI. 126. 127. 128.
Crassulorum *è plebe cum levantur in altum, qua insolentia* IX. 24.
Cremasterum *in uvis qua partes.* X. 192.
Crepusculum *quod tempus.* XVI. 221. 222.
Cretenses *quales.* XI. 110.
Cribrum *quid.* XVI 108.
Crimen *defendi non debet.* X. 292. *Professoris, non est artis.* III. 13. XII. 161.
Crisis *qua.* XV. 153.
Crotalistria *qua.* X. 273.
Cruciarii *qua experiantur.* XIII. 130.

Cru-

Cruciatus *quid.* XIII. 129. 130. *jecoris.* IX. 41.
Crucium *vinum quod.* X. 102.
Cruditas *quid.* XIII. 159. *causa ilei.* IV. 31. *à catarrho.* VII. 14.
Crudivora *quæ.* XI. 91.
Crudus *quis.* VI. 48. *humor qualis.* VI. 63. *an purgandus.* XII. 152. *victus.* X. 30.
Crura *quid.* VII. 56. *doloris in volvulo frigido causa.* ibid.
Cubiti *vena una.* XIII. 413. *quæ in Ileo secanda.* VIII. 79.
Cucumis *quid.* XVI. 175. 176. *AEgyptiis.* 181. *facultates.* 177. *usus apud veteres.* 178 *quibus conveniat.* 181.
Cucurbitula *usus in Ileo.* VIII. 77. 78.
Culina *corporis quæ.* X. 116.
Cupedii *qui.* X. 82.
Curæ *quid noceant.* II. 24.
Curare *quid.* VII. 61. *cui proprium,* ib. *opportunitas celeris.* III. 20.
Curatio *quotuplex Hipp.* VII. 17 *Naturæ prior* ibid. *optima quæ.* XIII. 392. *pendet à cognitione.* VIII. 61. *quid spectet in morbis materialibus.* XII. 103. *viri à mulieris quid differat.* XIII. 15.
Cutio *quid.* XI. 21.
Cyceon *quid.* X. 107.
Cydonia *servandi ratio.* X. 161.
Cyllo *quis.* XI. 39.
Cyphi *confectio & usus* X. 151. 152.
Cyprinus *cum Lucio vivit.* XI. 92 *ejus proprietates.* 230.
Cyrus *quando cœnaverit.* XVI. 223.

Debiles *qui.* X. 155.
Decoctum *quid* X. 36.
Decumbere *quid.* VIII. 30 *invalidorum est.* IV. 81. *contrarium, allevari.* XIII. 378.
Defectio *animi & animæ quid differant.* XIII. 478. *quotuplex.* 470. 471.
Definitio *absurda quæ.* IV. 20. *inutilis quæ.* ibid. *morbi eadem & indicatio* IV. 19.
Defluxionis *incommodi quid.* IV. 16.
Defrutare *quid.* X. 36.
Defrutum *quid.* X. 19. 36. *unde dictum.* 36. 38. 40. *facile corrumpitur.* X. 58 *usus vulgaris olim* 29. *in cibo.* 64. *in culinâ condiendis vinis.* 61. *in medicina.* 60.
Dejectiones *colorem assumtorum referunt sæpe.* X. 83. *hepaticorum.* IX. 70. *laudabiles in pleuritide.* XII. 127.
Dejectorium *quid.* XII. 47. 53.
Delirare *quid.* XII. 169. *à pharmaco quibus contigerit.* 174. 175. 181.
Delirantibus *quæ propria.* XII. 170. 171. *quid frequens.* VIII. 51.
Delirium *unde.* XIII. 230. 231. *acutum unde.* XII. 16. *à quo medicamento.* 44. *imminens qui præveniatur* 136.
Demens *quis.* XII. 162.
Democritus *qualis.* XVI. 8.
Dentex *quis piscis.* XI. 77.
Deorsum *nihil excernere cujus signum.* IV. 4.
Detenta & retenta *quid differant.* XV. 71.
Detentus *quis proprie.* XII. 17.
Devorare *quid.* XIII. 301. *canibus proprium.* 302.
Dextræ *porrectio cujus signum.* III. 33.
Deus *auxilium sæpe inexspectato mittit* III. 15 *huc rogandus.* 21. *& ut sit præsens remediis.* 15. *mediis non astrictus.* ibid. *privatos quis habeat.* XI. 117
Diachyton *vinum quod.* X. 118.
Diagnostica *quæ.* IX. 51. *hepatis purulenti.* IV. 13. *ilei.* IV. 64.
Diaprunum *solutivi usus an in pleuritide tutus.* XII. 128.

Diarrhœa *quid.* VII. 65. XII. 120. *unde.* VII. 14. *bonum in vulvulo frigido.* 66. *malum pleuritidi.* XII. 120. 121. 123. 124. *an semper.* 122. 125. 126. ἐπιγινομένη & ἐπιφανομένη *quid differant.* 125.
Dicacitas *scenica scurrilis,* IX. 68.
Dierectus *quid.* IX. 71.
Dies *quotuplex.* XI. 196. *partium varietas unde.* 198. *quando vesperascat.* XVI. 219. *nonus & undecimus in morbus an prævertantur umquam.* XI. 30.
Differunt *quæ modo substantiæ, etiam specie in artibus.* X. 19.
Difficultas *in Hipp. quædam.* VIII. 55. *urinæ qualis.* VI. 13.
Dii *nuncupativi qui* XIII. 450.
Diffidentia *ægri de medico semper inutilis.* II. 30.
Diligens *quis.* XV. III.
Dilutu *tenuissimum esse & habere multum limosi an contradictoria.* X. 245.
Discidium. IX. 54.
Disciplinarum *divisio.* V. 12.
Dispositio *incongrua Naturæ.* XV. 141. *materiæ quæ.* X. 20. *morbosa unde.* XV. 143. *partis pr. n. quid.* XII. 95. *permanens quæ.* 99. *ad febriendum quæ.* XI. 9.
Disjuncti *morbi qui.* VI. 19.
Dissipium. IX. 54.
Dissiptum. IX. 54.
Doctores *medici quales.* XII. 192. *semicrudi.* V. 12.
Doctrina *medico necessaria.* I. 17. *quibus fovenda.* III. 32. *naturam juvat.* I. 17.
Doctus *indocto quid differat.* I. 24.
Dolia *ut collocanda* X. 184.
Dolor *quid* IX. 29. XIII. 107. *cur* βλάβη *Græcis.* XIII. 106. *causæ.* IV. 23 IX. 45. XIII. 124. *species.* VII. 56. *oberrans.* 5. *continuati effectus:* XIII. 105. *repetens affligit acerbius.* IV. 15. *quibus mitigetur.* VIII. 76.
Dudum *quid.* XIII. 288.
Dulcia *arcent ebrietatem.* X. 238. 239. *calefacta replent calidum.* VII. 41. *facile vitiantur.* X. 58. *faciunt aquas & pituitam.* 239. *ex musto duplex genus.* 18. 86.
Dulcor *appetitum fastidio comprimit.* X. 231.
Dysenteria *quid* XVI. 33. 34. *quæ sine dolore.* VII. 65. *dolor unde.* ibid. *ex quibus constet morbis.* XVI. 37. *qualia exeant.* 43.
Dysuria *quid, causæ, signum.* IV. 98. *differt à stranguria.* VI. 13. *non fit n si plena vesica.* ibid.

Ebrietas, *æstuosa.* X. 240. *febris diaria.* 242. *diurna crimini erat Veteribus.* 253. 254. *nocturna, vitio.* 254. *laudata Gentibus si intempestiva.* 255. *quid adferat.* ibid. *impediat.* 232. *mos & fructus.* VII. 24. IX. 59. *sancta.* X. 290.
Ebuli *bacca quis color.* XVI. 211.
Eccoprotica *quæ.* XII. 50.
Edaces *qui.* XIII. 159.
Educatio *qualis esse debeat.* I. 21. 24. *mollis perdit.* 25
Effectum *rei mala quandoque signum bonum.* VI. 28
Efficiens *causa quæ,* XII. 100.
Eijerlandia *ubi.* V. 30.
Elixa *an sicciora assis.* V. 101. 102. 103. 104.
Elixatio *qui fiat.* XIII. 166.
Eloquentia *non curat.* II. 6.
Empirici *quid differant à Dogmaticis.* XIV. 143. *de affectu quando pronunciarent.* XIII. 32. *hodierni quem sæpe ludum ludant.* 389.

Emta

Emta *cum mensura, & sic bibenda.* x. 242.
Enema *emolliens nobile.* VIII. 89.
Erodere *quid dicatur.* V. 117.
Error externus *quis.* XV. 149.
Errores *notari interest.* XII. 160. *& artis.* 161. *& posteritatis.* 162. *notanti quid debet esse propositū* 163.
Eruditionis *fenus quod.* II. 22. *pretium quod hodie.* XI. 42. *via minus ardua, quam apparet.* I. 35.
Erui *nihil è veterum libris sine labore potest.* XI. 6.
Esitia *quæ.* V. 77.
Evaporare *quid.* X. 234.
Evenire *quid.* XV. 135.
Eventu *bona, sæpe per se mala.* VI. 27.
Ex, *cujus usus.* VI. 20.
Excrementum, *contentum quale.* XV. 71. *nullum homini alimentum.* V. 117. *quotuplex.* XI. 108. *numquam desunt, si alimenta non desunt.* V. 72. *avium album quid.* 30. 31
Excreta, *caryæ similia.* X. 79. *cruda, tenuia, pauca, quando.* VIII. 57. *non juvare, malum.* VIII. 58. 59. *inspicere haut turpe.* XIII. 265.
Excretiones *in infantibus à natura, an ratione fiant.* XIII. 258. *quæ in morbis tutissimæ* XII. 146.
Excretrix, *cui bono sit.* IX. 45.
Exomphalos *causa ilei.* IV. 47.
Experientia *quomodo sæpe paretur.* XII. 119. 182.
Exquisitum *quid.* XV. 24.
Exsangue *quid.* XIII. 445. *corpus facere Hipp. quid.* XIII. 497. 499. 500. 528.

Facetiæ *quos non deceant.* X. 265.
Facilitas *ubique amabilis.* VIII. 1.
Facultas *quid.* XI. 15. *Hippocrati & Gal.* XIII. 276. *ipse spiritus.* IV. 80. *pro arte quid.* XV. 1.
Fallere & falli *qui dicantur Hipp.* XII. 151.
Fama, *nomen bonum.* X. 90. *qui prosequantur, sed assequantur famem.* XI. 42.
Famelicum & famelicosum *quid.* XIII. 72.
Famere, & fame deficere, *differunt.* XIII. 146.
Fames *quid.* XIII. 81. 97. *acerba.* 77. *magna signum.* 98. *effectus.* 146. *pertentionem non patitur.* 83. *medicina ubi.* 23 *præternaturalis quæ.* 25. *corripit ut febris.* ibid.
Fastidientium *genus duplex.* XIV. 63.
Fatigatio *unde.* XIII. 103. *quid creet.* 104.
Favilla *quæ.* XV. 126. 127.
Febres *quid Hipp.* XII. II. 12. 13.
Febris *quid.* XV. 17. 34. 77. *quæ morbus.* IV. 85. *una interdum plurium numero venit.* XV. 17. *ex quo fieri possit.* VII. 34. *cur ab esu cabelj avi.* XI. 9. 10. 11. 12. *corripi quis dicatur.* XIII. 25. *coeundi adimit desiderium.* XV. 65. *glisc ere quæ dicatur.* XV. 95. *sæpe accendi debet.* VII. 34. *sæpe præsidio est.* VI. 59. VII. 63. *id Hippocratis dogma, non Campanellæ primum.* ibid. *sanatura qualis esse debeat.* IV. 62. *colicum ut solvat.* VII. 64. *urinas ut cieat.* VI. 67. *quæ vetet purgare.* XII. 79. *quis male curet.* XII. 104. 115. *Nicippo in pejus cur non ierit.* XV. 102. *adrapida quæ.* VIII. 13. *ardens quæ veteribus.* IV. 52. *quid proprium.* ib. *cōtinuæ similes in quodissimiles.* XV. 169. *exacta quæ.* XV. 24. *exquisita quæ.* XV. 24. *hectica signū familiare.* XI. II. *intermittens vacat periculo.* XV. 32. *familiare frigus periodicū.*

VIII. 48. *putrida quæ.* VI. 61. *quartana quæ, & qualis* XV. 27. *stranguria superveniens qualis.* VI. 60. 61. 62. 63. 64. 66. *quæ pessima.* 57. *tertiana quæ & qualis.* XV. 14. 28. 29. 30.

Feces, *quei indurentur.* VII. 15.

Feculentum *alimenti spirituosi quid.* XI. 48.

Feminæ *abstinebant olim vino.* X. 154. 200. *buccinæ medicorum.* XIII. 542. XIV. 10. *subebria quid.* X 164. *aliter curandæ ac viri.* XIII. 15.

Pendicæ *quid.* IX. 55.

Feræ *quotuplices.* XI. 91.

Fervor *æstatis quando exspectandus.* XI. 184. *causa.* IV. 23. *effecta.* 24. *in vino.* X. 212. *spiritus quid faciat in corpore.* XV. 77.

Festinatio *periculosa.* II. 12.

Fibula *quibus imponenda.* II. 27.

Fibrosæ *excretiones quæ & unde.* XVI. 20. 21.

Fides *exacta quæ.* XV. 24. *Hipp. numquam satis laudanda.* VI. 7.

Fiducia *quid præstet in ægris.* XV. 4.

Fistula, *quid medicis.* IV. 101.

Flatus *quid.* VII. 45. *frigidus quis.* VII. 9. *revolutus quid.* IV. 17. *liberum esse debere, qui voluerint.* XIII. 261. 262. *mire sonori.* 263. *qui hypochondria tendant.* VI. 69. *intestina semper plena.* VII. 15. *ea inflans ciet volvulum.* VI. 50. *in ileo cur prorũpere nequeat.* IV. 71. *humidus ileum facit sine inflammatione.* VI. 51. *somnum attenuatus facere nequit.* VII. 15. *dolorem carnibus & hydropem qui faciat.* VII. 57. *vesicæ collum an obstruere queant.* VI. 36.

Florere *quid, cum de vino dicitur.* X. 131.

Flos vini *quid.* X. 131. 132. 133. *qualis.* 134.

Fluores *à capite quot & quibus viis Hipp.* IV. 11.

Foetii *versio Hipp. qualis.* IV. 10. VII. 4. XIII. 330.

Foetus *quomodo fugat in utero.* XIII. 88. 89.

Foramen *quid.* V. 37.

Forma *quid.* X. 19. XII. 112. *dat rei suam aptitudinem.* XV. 140. *perit destructa materia.* XII. 112. *substantialis quæ.* X 21.

Fraces *quid.* X. 199.

Franekera *studiis opportuna.* I. 31.

Frigere *corpore, visceribus æstuantibus quale signum.* IV. 89.

Frigidum *quid.* VIII. 48. *dolorem proprie non facit.* VII. 15. *ubi dolorem augeat.* VII. 11.

Frigus *pedum quid causet.* IV. 15. *periodicum à continente quid differat:* VIII. 48.

Frisia *unde commendabilis.* I. 31.

Frisiorum *luxuria in vino apsinthite.* X. 139. 165.

Frixa *cujus alimenti.* V. 105.

Fronto *quis.* XI. 38.

Fructus *horarii quid causent.* XVI. 195. *Spiritus quis.* X. 287.

Frugalitas *prisca quæ.* XVI. 160.

Fruiten *quid Belgis.* X. 36.

Fuligo *quæ.* XV. 125. *quomodo educatur à corpore.* XIII. 400. *augetur à purgantibus.* XIII. 374. *retenta nocet.* XV. 132. *facile febrim excitat.* 128. *quando igniat carnes.* XIII. 173. *educenda ubi materia copiosior in arte.* XII. 403. 404.

Fumus *quid.* XV. 124. 125. *usus in musto & vino.* X. 244. *quernus qualis.* XIII. 271.

Functiones *quid.* XV. 140. *hominis quales.* III. 7. *non lædi, nisi læso organo.* IV. 105.

Fungi, *causa ilei* IV. 34.
Furca *quid.* X. 280.
Furcilla *quid.* XIII. 58.
Furtum *quibus laudatum.* X. 255.
Futurum *alimentum quod.* XIII. 186.

Galenus *quanto junior Hipp.* IX. 10. *vita & studia.* XVI. 22. *quæ testetur de se.* XIV. 106. 107. 108. 109. *laudum suarum quantus prædoniator.* XIII. 10. *contradicit sibi.* XIV. 127. *Hipp. & Arist. sapius.* XVI. 201. *Hipp. insimulat ignorantiæ.* VI. 1. 2. 3. *Hipp. abrogat, si quid non intelligit.* VI. 42. *non constat sibi.* VI. 2. 15. *suo se gladio jugulat.* XII. 140. 141. *nulla injuria est si multa ignorasse dicatur.* IV. 2. *medicinam Hipp. transformavit in sophisticam.* XVI. 203. *aliter ubi facere præceperit, aliter fecerit.* XIV. 59. 70. *& cur.* 71. *non semper curavit per indicationes.* 104. *quid hæ præstent cognitioni Empiricæ, experiundo didicit.* 110. *sæpe Empirice curavit.* 103. *somnium de Somno.* VII. 42. *error in distinguenda diarrhœa pleuritidi accedente.* XII. 125. *frivola distinctio doloris hepatici.* IX. 49. *male Medicamentum definit.* XIII. 335. *an sanguis mittendus male colligi ex tumore venarum docet.* XIV. 120. 121. 123. *ad deliquium quando censeat mittendum.* XIII. 493. *cur prætulerit purgationi in curanda nobili femina.* XIV. 135. *cur eidem miserit liberaliter.* 143. 144.
Galeus *quotuplex.* XI. 56. *Dorioni quis.* 26.
Galleridas *quis,* XI. 24. 28. 34. 41. *vorax, non ferox.* 146.
Garum *quid.* IX. 69.
Gastrimargia *quid.* XI. 126.
Gemmæ *sal ubi magni usus.* VIII. 96.
Generosum *vinum quod.* X. 111. *cur crassescat ætate.* 114. (194.
Gentiles *religionem quid docuerit.* X.
Glans, *pro clystere ubi substituendus.* VIII. 98.
Gleucus *è vino quid* X. 227. *quæ copia daretur in mensa Regum Persarum* X. 227.
Glisco *quid.* XV. 227.
Globuli *usus in Ileo.* VIII. 118.
Gloria *ignis, quæ.* IX. 61. *medicorum, Dei est.* III. 16.
Gonorrhœa *cur metum faciat in febre.* XV. 36. *quid in ea fluat.* 120. *Nicippi qualis.* 155.
Gracile *quid.* XIV. 7. 23
Græci *cupediis dediti.* XVI. 166. *inventum, vina mari condire.* X. 63. *cabeljavum non norunt.* XI. 212.
Gravedinis *causa quæ.* X. 204. *qualis sub ea dolor.* 241
Graveolentia *quod signũ in Ileo.* IV. 86
Gubernator *unde noscatur.* XIII. 562. 563.
Gula *quid causet.* IX. 59.
Guttatim *contabescere quid.* IX. 52.

Haberi *à morbo quid.* VIII. 12.
Hæmorrhoides *suppressa causa ilei.* IV. 37.
Haustus *qui dicantur* XIII. 356.
Hedysmata *quid.* X. 76. 77.
Helenii *facultates.* X. 45.
Hepatarius *quis.* IX. 60.
Hepatici *qui.* IX. 6. 11. *cur venter tumeat,* 52. *dolor unde.* 43.
Hepsema *quid.* X. 32. 34. 35. *cui usui.*
Herbeus *color quis.* IX. 18. (59.
Hiare *quid.* XI. 61.
Hippocrates *cur breviloquus.* XVI. 249. *an Dogmaticus.* XIII. 393. *dux artis certissimus.* XIV. 148. *errorem cur fassus.* XII. 23. *excusatio.* XIII.

4. 14. XVI. 3. *contradictio apparens.* VII. 68. *dogmata irrefragibilia.* XII. 64. *licet ignorantia insimulata.* XIII. 74. *artificium mirabile.* VII. 58. *scripta commendata.* XV. 9. *etsi neglecta.* XIV. 148. XI. 222. *vinum febrientibus quibus dederit.* VII. 38.

Hippocraticum *quid.* X. 223.

Hira *quid.* IX. 53. 57. 58. *dolor quod signum.* IX. 13.

Hirundo *quid in brachio.* XIII. 414.

Hirudo, *quid trahat.* XIII. 409. *usus in Ileo.* VIII. 102.

Historiæ *medicæ utilitas quæ.* IV. 1. *qui ordo conveniat.* VIII. 51.

Homines *cujus grata faciant omnia.* II. 10. *quo fine sint.* III. 9. *nihil habent à se.* 21. *in superstitionem quid ducat.* II. 33. *cur creaturæ potius, quam creatori fidant.* III. 15. *maxime sensibiles quando.* 211. 133. *facile in securitatem incidunt.* X. 218. *quando brutorum simillimi.* XI. 127. *mos.* X. 284. *quale os.* XI. 62 63.

Humanitas *quorum parens.* II. 32. *fere exulat.* IX. 24. *officium quod.* 23. *Medici officit nundinatio.* II. 32.

Humerus *quid.* XIII. 412.

Humiditas *quando major.* XI. 197.

Humilitas *medici quæ.* II. 22. 23.

Humores *quid.* XV. 65. 66. 67. *maturationem quid turbet.* XII. 130. *quid membris conferant.* XV. 69. *volvulum facientes calidi.* VII. 9. *qua ferantur ab intestinis ad articulos.* 49. 51.

Hyemem *quid faciat.* XI. 196.

Hippocampę *veneno quid medeatur.* V. 98.

Hydrops *intercus, barbarum.* XI. XI. 163.

Hypochondrium *quid.* IV. 14. *sublatum.* VI. 68. 69. *sublime.* IV. 84.

Hypochytum *vinum.* X. 118.

Hysitia *quid.* V. 77.

Iecoris *arteria unica.* IX. 47

Iecorosus *quis.* IX. 7.

Iejunis *merum potare quibus usitatum olim.* 256. *quo se excusent.* 210. *quid noceat.* 259.

Ientaculum *veterum.* IX. 66. 67.

Ignavia *quid.* XI. 6. *noxia.* I. 39.

Ignis *animalis quis.* XIV. 48. *ubi, cui ineśt mens.* XII. 140. *unde alatur.* XI. 48. *coquit optime.* X. 94. 214.

Ignorantia *fugienda.* II. 37. *non semper.* XIII. 31.

Ile. IV. 5.

Ileus *quid.* IV. 4. 7. 8. 17. 18. 19. *spiritus quis.* 10. 13. *pars affecta.* 21. *mitis numquã.* 71. *colicam superat.* 8. *an à pituita.* 16. 17. *quid proprium.* VIII. 55. *exitialis.* 60. *stranguria quando superveniat.* 44.

Imago *quid.* XI. 116.

Imperitia *quid.* II. 29. *quid causet.* IX. 68. XV. 5.

Imperium *medici quale.* II. 23.

Impetuosa *fuga cordis quid.* XIII. 137.

Improbitas *quid.* II. 29.

Incidentia, *incitantia.* V. 117.

In diem *quid.* IX. 26.

Indicans *quid.* VIII. 66. *primarium quod.* XVI. 66.

Indicationes *invenit Hippocrates.* VII. 31. *quid.* VIII. 63. XII. 180. XVI. 5. XIV. 104. 105. *vulgo triplices.* VIII. 63. *continentur in definitione morbi.* VIII. 71.

Indicata *quid.* IV. 19. *unde.* VIII. 73.

Indulgentia *corrumpit.* I. 28. 29.

Inebriari *turpe.* X. 295.

Inedia *quæ extrema* XIII. 238. 239.

Ineptum *quid.* XI. 123

Inertia,

Inertia, *temeritatis nutrix.* VIII. 78.
Infelicitas *quæ maxima.* XI. 121.
Infestare *quid.* XVI. 45.
Infinitivus *pro imperativo frequens Hipp.* VII. 19.
Infirmitas *periculosa.* XIII. 366.
Inflammatio, *vocabulum æstus.* IV. 53. *quid* IX. 45. *quis morbus.* XVI. 46. *est febris.* IV. 52. *fit à fervore sanguinis.* XVI. 64. *quotuplex.* IV. 17. *odit in initio purgantia.* XII. 64. *& repellentia.* VIII. 75. *membranæ solius ubi impossibilis.* IX. 45. 49. *hepatis qui fiat.* 48. *etiam colo accidit.* VIII. 7. 8. *vesica non est causa Ilei.* VI. 30.
Influxus *sanguinis omnis à corde.* IX. 47. *non à dolore.* 45. *siderum quid.* XI. 187.
Infusiones *in alvum molliunt morbum.* XIII. 362. 363.
Ingenia *varia.* I. 14. *levia.* XII. 132.
Ingressus *intestinorum mutuus quis in Ileo.* IV. 44.
Injuria, *quæ lædat maxime.* X. 258. *quid efficiat patientiam lædens.* 286 *an respondendum.* 284.
Initiatio *medici unde.* III. 23.
Initium *curandi unde.* VIII. 84.
Inquisitioni *Veri & Vtilis nihil obstare debet.* XI. 6.
Insanabile *corpus quod.* XII. 64.
Insanire *cum ratione qui dicantur.* XII. 167.
Insuetis *bibere vinum saccharatum quid eveniat.* X. 28.
Insulsus *qualis.* XI. 139.
Institutio *quid valeat.* I. 21. 24.
Intemperies *inutilis arti.* IX. 9. *merum symptoma.* VIII. 71. *nuda non est.* XIII. 36. *carnium unde.* 37. *sanguinis sitne morbus an causa.* ibid. *in spiritu solo.* XIII. 19.
Interanea *quid.* IX. 57.
Interdentium *quid.* XI. 72.
Interpres, *ignarus, sepia in littore* V. 41. *organista cæcus.* VI. 1. *collybista.* XIII. 330. *virtus.* V. 82.
Interpretatio, *mala instar habitus athletici.* VIII. 5.
Intestina, *nomine plura, non re.* VIII. 2. *ignavia quæ.* VII. 15. *quid contineant.* VIII. 19. *quæ magis afficiantur.* 40. *volutio quid.* IV. 4. *vulnera ut tractanda.* VIII. 110.
Ionam *quis piscis absorpserit.* XI. 56.
Invalide *quid.* IV. 81.
Involvulus *quid.* V. 110.
Inutile *quid.* XIII. 284.
Ips *quid.* V. 112.
Ira *quid.* XI. 12. *causa Ilei.* IV. 19.
Irritatio, *quæ inflammet, unde.* IV. 23.
Irrisio *quotuplex.* X. 264. ad 268.
Ischuria *quæ.* XII. 102. 111. 113.
Israelitæ *an mane biberent.* X. 257.
Iudæorum *calumnia in Apostolos.* X. 2. 250.
Iudicari *quid.* XV. 152. 153.
Iudicium *difficile.* VII. 54. *quale in medico requiratur.* XV. 6. *non recti causa.* 7. *de fama alterius, cujus sit.* X. 291.
Iuniorum *mos.* XII. 161.
Iuramentum *quomodo præstandum.* X. 280. *medici formula.* III. 24.
Ius *quotuplex.* X. 66. *album quid.* 67. 68. *sine carne* 69. *modus faciendi* 72. *nigrum quod.* 83. *carpionum quod.* 80. *ambitiosum quid.* 81.
Iuvans *quid.* 64. 65.
Iuvenis *quis.* XV. 105.
Iuventus *festinans tardius absolvit.* I. 30.

Kabeljavus, *quis.* XI. 4.
Kalendariographi, *Caniculares an recte constituant.* XI. 179.

Labeones *qui inter homines.* XI. 38. 40. *inter pisces.* 37.
Labor *unde dicatur.* XIII. 103. *quid.* XIII. 107. XV. III. *studioso necessarius.* I. 36 *cui serviat.* IX. 73 *fructus in arte.* I. 36. III. 22. *quid differat à dolore.* XIII. 107.
Laborare, *cur ægrotare significet.* XIII. 109.
Labrax, *vorax* XI. 96. 98.
Lac *quas habeat facultates.* XVI. 78. *pressum quod.* XVI. 112. 113. *circa usum Gesneri consilium.* 136. *calidum famem sedat sanis.* 98. *caprinum quibus dederit Hipp.* 76. 77. *quibus conveniat.* 81. 82. 83.
Lædentis *fructus quis.* X. 286.
Lampetra *quid.* XI. 58.
Lapis *è capite piscium, cujus virtutis.* XI. 158.
Larus *quid.* V. 42.
Lassitudo *æstuosa quæ.* XIV. 86. 87.
Lautissima *vina priscis quæ.* X. 138.
Laxum *quid.* V. 41.
Lenitivis *non destituti prisci.* XII. 57. *verbo juniores sæpe decipiuntur.* 80.
Leno *quis.* IX. 22. 59.
Lentis *quid evenit.* V. 117.
Leoni *os quale.* XI. 63.
Leporis *marini quæ proprietas.* XI. 106.
Lethale *quid.* XII. 27.
Levamen *quid.* XIII. 377.
Leucisci *qui.* XI. 41.
Leve *quid.* V. 90. *edulium quod.* X. 71.
Liber *quis.* XIII. 549.
Liber *quale emblema clausus.* III. 31. *apertus.* 32.
Liberalitas *quid.* II. 19. *fructus.* 20.
Liberatus, *quis vere.* XIII. 552.
Libertas *vera Medicis quæ.* III. 29.
Libidinis *incitamentum quod.* X. 164. 168.
Librariorum *temeritas.* XIII. 368.
Lien, *cujus naturæ.* IX. 30. *consensus cum corde.* 34. *disruptus.* 71. *an eximi queat.* 32. *an rumpi salva vita.* 71. *qui occupet præcordia.* 35. *aquis ponderosi effectum.* 31. *cum floret, corpus tabet.* 51. *magno laborantibus quid conveniat.* 72.
Lienosus *quis.* IX. 7.
Linguæ *exertio, gravis sanna.* X. 281. *eam in ventre qui habeant.* XI. 131.
Lipopsychia *quid Hipp.* XIII. 471.
Lipothymia, *in Ileo unde.* IV. 59.
Lipyria *quæ febris.* VIII. 31. 46. 47. 49. 50.
Lira *quid.* XII. 169.
Liquamen *quid.* V. 77.
Livor *venarum an signum mittendi sanguinis.* XIV. 25.
Lolius *à loligine quid differat.* V. 39.
Loquacium *os quale.* XI. 61.
Lora *quid.* X. 183. 196. 200.
Lucillus, *asellus veterum.* XI. 88.
Lucius, *unde dictus.* XI. 133. *cur lupus.* 96. 97. 99. *est asinus veterum.* 81. 84. 88. *habet dentes in lingua & palato.* 85. *os quale.* 48. *lapides in cerebro.* 148. 149. *ranam inimicum.* 90. *tyrannus aquarum.* 92. *vulnus ei quomodo consolidetur.* 92. 93. 94. *quando & ubi lateat.* 210. 211. *quando salubris.* 225. 226. 231. *insalubris.* 219. 224. *ubi degat.* 225. *marinus quis.* 133.
Ludere *pro ἀφροδισιάζειν.* VI. 48.
Lumborum *dolor unde imminentibus menstruis.* VI. 72. *cur borborygmo hypochondrii superveniat.* 70.
Lumen *unde* XI. 171.
Lurcones *qui.* XI. 128.
Luror buxeus *quis.* IX. 18.

Lu-

Luxuria *invalescens mutat rationem victus.* XVI. 185. *conviviorum.* X. 17. *in bibendis unguentis.* 166.
Lux, *ubi potior.* XI. 171. *primum bona à Deo dicta.* XVI. 134.
Macer *quis.* XIV. 24.
Macies *quid.* ibib. *cujus signum.* XIV. 51.
Mænis *quid.* XVI. 162.
Magistri *qui dicantur.* V. 12.
Magnalia *quæ.* X. 261.
Mala *non metuenda quæ præter rationem.* XV. 160.
Male habere *qui dicantur.* XIII. 241.
Mali *morbi signum.* IV. 89.
Malignæ *febris indicium.* VIII. 51.
Malignitas *quid.* VIII. 57.
Malignus *quis.* XIII. 268.
Malum *unde.* XIII. 269. *quod maximum in vita* XIII. 128.
Malthinum *quid Horatio.* XI. 48.
Malvasia, *quod vinum.* X. 104.
Mane, *quod tempus.* XVI. 132. *quei sanguis moveatur.* 135. *opportunum medicationi.* ibid.
Manus *acceptio varia.* XIII. 410. *divisio ad usum venæ sectionis.* 411. *venæ opportunæ sectioni.* 418. *dextra ad eam cur fere eligatur.* 428. *vitam tolerantes sedulo curandi.* II. 31.
Marcor *unde.* IX. 50.
Mare *quando ferveat.* XI. 185.
Margus *quis.* XI. 126.
Maris, *quæ mensura.* X. 227.
Materia, *pereatne cum forma.* XII. 103 *quæ facilis aut difficilis coctu.* XIII. 173. *morbi, quid ejus.* 97. 98. *irritata quid faciat.* XII. 86. *remedii unde noscatur.* VII. 32. *medica quotuplex.* XVI. 138. *eruenda amplius.* XI. 231. *hepsematum quæ.* X. 32.
Matrix *quorum in intestinis.* IX. 57.
Mature *quid fiat.* XIII. 484.
Maximus, *quis piscis.* XI. 34.
Maza *quid.* XVI. 149. 150. 151.
Mechanicus *excellens cur pluris quam inanis doctor.* II. 36.
Medela *quei fiat.* XVI. 2.
Medendi *novas rationes cudere quando opus.* XI. 231.
Medentium *anchora sacra quæ hodie.* XIII. 351. *maxima.* 398.
Medicamenta, *unde dicta.* XII. 39. *de quibus.* XIII. 317. 318. 319 *quid.* XII. 39. 41. 42. 43. XIII. 321. *forma quotuplex.* 46. *cujus quæque usus.* XVI. 96. *egent tempore.* XII. 156. *manus Dei.* III. 15. *quatenus prosunt.* XIII. 327. *sæpe non respondent conjecturæ.* 545. *unde petenda.* XII. 40. 41. *certo modo agunt.* VII. 30. *frigide bibant revomere soliti.* VII. 27. 28. κολικὸν Celsi. VIII. 81.
Medicari *quid.* XII. 39.
Medicina *artium præclarissima,* II. II. *difficilis.* III. II. *auctor.* III. 5. *finis.* II. 42. XII. 146. *usus.* XI. 9 *secretum maximum.* XII. 167. *qualis facultas.* XV. I. *sine sapientia.* II. 10. 11. *à qua quis separaverit.* III. 2. *Hippocratica admirationi majori, quam usui.* X. 86. *hodierna qualis.* XIII. 12. *consilio quæ fiat.* XII. 154. *effectu æstimanda.* XIII. 335. *examinanda.* XV. 156. *medicamentis quando cœperit luxuriare.* XIII. 351. *instans non novit.* XII. 156.
Medicinæ *quid.* XII. 41. *mortalitatis æque ac sanitatis sunt.* 40. *temporibus valent.* VII. 36. *intempestivæ, inefficaces.* XVI. 94. *suspectæ.* XV. 4.
Medicus *quis.* XIII. 338. 340. ἀδεισιδαίμων. II. 34. *alienus ab avaritia*

II.

II. 32. *damno.* III. 24. *injuria.* III. 24. XIII. 534. *à specie mali.* II. 41. *benignus.* VII. 29. *calumniis expositus.* II. 40. *celer.* II. 5. *culpabilis quando.* XIV. 2. 3. *doctus rarus.* III. 13. *erroris non expers.* XII. 20. *etsi sæpe non deprehenditur.* XII. 147. *fidelis.* III. 19. *garrulus.* II. 28. *ignarus.* XII. 180. *imperitus.* XII. 1. *is malum morbo majus.* XIII. 558. 559. 560. *indoctus.* XII 23. *invidus.* XII. 23. *minister Naturæ & artis.* XVI. 1. *ne minor morbo.* XI. III. XII. 180. *nimis moliens.* II. 25. *non rationalis.* VIII. 67. *non rigidus.* VII. 37. *pacificus* III. 30. *perfectus nemo.* VI. 7. *pius.* II. 34. 42. III. 16. 17. *pie prudens.* III. 19. *probus.* XVI. 2. *prudens rarus.* III. 13. *sensibilis ubi.* XII. 133. *timidus.* XII. XII. 145. *verus.* XIII. 564 XV. 151. XVI. 3. *virtus in quo.* XIV. II. *bene aut secus quis faciat.* XII. 117. *Deo confidere debet.* 20. VII. 17. *eloquentia qualis.* II. 6. *faciat quod debet.* III. 29. *fugienda.* XII. 145. *corpus quale requirat.* I. 9. *cujus penuria laboret.* XII. 167. *curat res, non notiones.* XII. 112. *error non aut ubi tegendus.* XII. 21. *junior pro se commendet.* XIII. 12. *judicium insufficiens quod.* XIII. 3. II. 34. III. 17. 19 *nihil supervidere debet.* XIII. 6. *obnoxius tentationibus.* II. 13. *officium quod.* XO. 3. XVI. 1. *officiose qui occidat.* X. 4. *peritum quid non deceat.* XII. 34. *persuadeat facienda.* III. 28. *prosit.* XIII. 543. 544. *quæ commoda in arte habeat.* XIII. 565. *quid sufficiat ad usum.* XI. 48. *vulgo se cur studeat commendare.* XIII. II. 12.

Mel *dulcissimum* X. 58. *ebrietati adversum.* 237.

Melanthium *optimum.* V. 19. *usus apud Hipp.* 20. *facultates.* 21.

Melo & melopepo, *quid.* XVI. 186. 187. *quid differat à cucumi.* 183. 184. *facultates.* 192. *& seq.*

Melampsythium *quid.* X. 103.

Melancholicus *humor quid indicet.* XIV. 147.

Melimelum *quid.* X. 161.

Melitites *quid.* X. 50.

Mendacium *quid.* XI. 120. *quo egeat ad finem* 249. *fors.* 121.

Mens *in quo Hipp.* XII. 141. *sana Medico necessaria.* I. II. *qui valeant.* XI. 112. 113. *in morbis ut constet.* XII. 141.

Menstruum *universale an detur.* VI. 43.

Mento *quis.* XI. 40.

Meraca *quæ.* XVI. 42.

Merdivomi *qui.* IV. 62.

Merlucius *Gallorum quis.* XI. 14. *lupus marinus* 133. *lucio similis.* 147. 206. *non latitat.* 205.

Merum *quid significet.* VII. 24. *mane sumtum olim.* IX. 65. X. I. *molle.* II.

Methodus *quid.* VIII. 62. *ex quibus constet* XII. 101.

Metus *quid.* V. 45. *quomodo cor occupet.* IX. 34. *cur causa mictionis involuntariæ.* V. 70.

Miser *non irridendus.* IX. 2.

Miserere mei *quid.* VIII. 59.

Miseria *quid.* IV. 1. *ægrorum quæ.* XII. 1. *fructum & autorem ignorare miserum.* IX. 4.

Misericordia *quid.* IX. 27.

Mitigatio *qui fiat in morbis.* XII. 116.

Modus *creandi Doctores.* III. 29. & seq. *loquendi Hipp.* IV. 12. *considerandi in arte respectivus.* XIII. 528. *substantiæ quid.* 333. *quid in alimentis.* 220. 221. *corruptionis ciborum*

borum in ventriculo quotuplex. XIII. 280.
Moleste concitari *quid.* VIII. 31.
Molle *quid* X. 11.
Molluca *quæ* V. 4. *genera* 39. *habent duram carnem* 75. *tholum, & cur.* 56. 57. *jus alvum cit.* 89.
Mora *ignavorum est.* VII. 15.
Morbus *quid.* VIII. 67. XIII. 16. & seq. XV. 79. 80. *malum.* XIII. 555. 558. *an ulcus.* XIII. 370. *unde fere denominetur.* XIII. 39. *nomen an sciendum.* XIII. 27. 28. 38. *à Deo.* III. 10. *quid proprium* XV. 80. 92. *natura propria unde noscatur.* IV. 51. *initio sua latitudo est.* XII. 76. *quando invalescat.* XII. 64. *vigeat.* 86. *exacerbetur maxime.* XI. 186. *acutus quis.* XII. 25. 150. *qualem requirat medicum* XII. 2. *ad crisin ut inveniat viam.* VIII. 59. *à quo ladatur valde.* XII. 58. *novus an & unde fiat.* XIII. 73. 185. *materialis.* XII. 102. *ambiguus.* XII. 26. XVI. 11. *curabilis omnis, non sanabilis.* VII. 61. *incurabilis an attingendus.* IV. 107. *divinus, aut non, quis.* II. 34. *longus in quo par acuto.* XII. 18. *extremus quid indicet.* XI. III. *magnus quid.* XVI. 131. *in fieri, quid.* 58. *sequens sæpe remedium prioris.* VII. 60. *eventus præmonendus.* XVI. 233. *profectio ad salutem quæ.* XIII. 387. *ægrum quando habeat.* XII. 125. *per se facit quod per symptoma.* XIII. 30.
Mutum *vinum quod.* X. 205.
Myrinum *vinum quod.* X. 162. 163. 164. 169.
Myrrha *unde.* X. 124. 162. *quid.* 125. 126. *veterum.* 137. *καρωτικὴ.* 142. *pro unguento.* 162. *nostra haut sincera.* 137.
Myrrhatum *vinum quod.* X. 141. ad 151. *quale Salvatori datum.* 150. *medicamentum potius quam vinum.* 152.
Myrrhina *quid.* X. 128. 137. 138. 140. *an amara.* 149 & seq. *species.* 128. 138. 162. *descriptiones.* 151. & seq. *commendata.* 157. *Plauti quæ.* 158.
Mytis *quid.* V. 27. 38.
Myxinus *quis.* XI. 34. *an Muco.* 43. *species Mugilis.* 41. *cur Leuciscus dictus.* 42. *an Asellus veterum.* 52.

Nardinum *quid.* V. 77.
Narcotica *abusu quid faciant.* XIII. 322.
Natatio *cordis in aqua, quid.* IV. 71.
Natura *quid.* I. 15. *ars Dei.* III. 8. *quibusdam Deus ipse.* I. 15. *arte potior.* I. 18. 19. 20. *principium motus.* XV. 137. *medicus morborum.* VII. 17. VIII. 61. XI. 9. *in quibus facit omnia.* VI. 28. XII. 85. XIII. 524. *ad quæ nata est.* XII. 90. *sponte.* XV. 136 *etsi inerudita.* XII. 89. *non tamen possibilia.* XII. 91. *monstratrix agendorum.* VII. 59. *juvanda.* VII. 17. *ut juvat artem.* VII. 59. *quo gaudeat.* XI. 124. *infestus quis medicus.* XIII. 367. *noxam dat, volens tollere.* IX. 48. *actiones observandæ.* XV. 138. *modus.* III. 8. *consuetudo.* VI. 64. *beneficium.* VII. 60. *munus, febris sæpe.* VII. 61. *observatio politica.* VI. 73. *terminus rationum.* V. 32. *opera.* XV. 148. *instrumenta.* XIII. 211. 299. *robur in quo.* 299. *id unde cognoscatur.* 297. XV. 145. *in coquendo cujus egeat.* XII. 129. *quomodo procedat.* XVI. 214. *quomodo in expellendo materiam noxiam.* XV. 143. *humanæ excellen-*

tia. III. 7. *incomprehensibilitas.* 12. *seminarum quæ.* XIII. 460.
Necare *quid.* IX. 30.
Necessitudinis *quod jus.* XV. 89.
Nectar *quid.* X. 153. *inter lautitias* 154.
Nectarites *quod vinum.* X. 145. 156.
Nepenthes *quid.* 144. 146.
Nephritis *quid.* XVI. 10. 12. 14.
Ne quid minus, *qui satagant.* XII. 151.
Nidor *quid.* XIII. 283.
Nigredo *cujus signum aut causa.* XVI. 209
Nigrum jus *quis invenerit.* X. 84.
Nitor *unde.* XI. 171.
Noctem *quis faciat.* XI. 196.
Nomen *unde.* XIII. 47. *proprium.* 41. *pro signo.* 45. 46. 47. *quando curandum.* 28. *ægroti licet scire, sed non est necessarium,* VIII. 24. 29. *causæ an conveniat rei non causanti.* XII. 107.
Non-bonum, *quid.* IV. 92.
Non-multa, *quid.* XII. 147.
Non-passum *quid.* X. 171. 172.
Nugæ *non legendæ.* I. 38.
Numen *ubique est.* III. 6. 7. 17.
Numerus *morborum.* III. 11.
Nundinatio *medica quæ.* II. 30. 31. 32.
Nuper, *quid.* XIII. 288.
Nutrienda, *quæ in corpore* XIII. 2.
Nutriendi *vis quibus major.* XVI. 215.
Nutritio *non cessat in vita.* XIII. 194.

Obesitas *causa Ilei.* IV. 28. *subito non tollitur.* VIII. 86.
Oblivioſi *proprium.* XI. 61.
Observationes *quei scribendæ.* XIII. 8.
Obsurdescere *quod signum in Ileo.* IV. 79. 81.
Obviam itio *quæ virtus.* II. 26.
Occasio *quid.* III. 31.
Oculi *caliginosi.* IV. 92. *carosi.* ibid. *concreti.* ibid. *fixi.* 94. *herbei.* IX. 13. 17. 18. *rigidi.* IV. 92. *squalentes.* 92. *virentes.* IX. 17.
Odoris *quæ ratio.* X. 140.
Oenias *ubi.* XII. 7. ad 14.
Oenomeli *quid.* X. 198. *flatulentia qui correcta.* 154.
Oenopolarum *fraudes.* X. 101. *observanda.* 61.
Officium *hominis.* III. 9. *indicationum.* VIII. 63. *medici.* II. 12. 16. XVI. 1. & seq.
Oleum *exhalat.* X. 233. *ebrietatem arcet.* 237. *cui adhibendum calidum.* VIII. 76. *ex lacte quid.* XVI. 120. *napi silvestris cui usui.* VIII. 92.
Olus *cujus cibi.* XVI. 169. *qui opsonent.* 160.
Omentum *vervecis cui usui.* VIII. 76.
Omni *in morbo quid bonum.* XIII. 297.
Onus, *morbus.* XIII. 379.
Opes *ut acquirendæ.* II. 10.
Opinio *quid faciat.* I. 16. VI. 8.
Oppianus *pro singulis versibus quantum acceperit.* XI. 42.
Opsonium *quid.* V. 86. XVI. 158. 159. 161. 162. 198.
Oratorum *mos.* II. 6.
Ortus *Astronomis quotuplex.* XI. 178.
Oscheocele *quid.* IV. 45.
Os *cujus signum.* XI. 61. *differentia in animalibus.* 63.
Osmylus *quid.* V. 107.
Otium *quid & quotuplex.* XI. 124.
Ovum *ut excludatur.* XI. 193.
Oxygala *quid.* XVI. 122. ad 125. 156.

Palliativa *cura, quæ.* XII. 117.
Pallor *luteus quis.* IX. 18.
Panis *biscoctus quis.* XVI. 139. *cui utilis.* 148.
Pantices *quid.* IX. 56.
Panticinari *quid.* ibid.

Pand-

Paud-ſetten *quid Belgis.* x. 131.
Paralyſis *ſenſum aufert, non dolorem.* VII. 53. *ſuccedit Colicæ.* VI. 67.
Paraſitus *quis.* XI. 129. 130. 131. *cor & linguam in ventre habet.* 131. 132.
Parce dare *quid.* VII. 26.
Parotides *quid.* IV. 87. 88. *in iis quæ conſideranda.* 83.
Paſcere & paſci *quid.* XIII. 155. 156.
Pars *affecta varie indicat.* VIII. 70. *nimis à quo ſollicite definita.* XV. 68.
Paſſum *unde.* X. 91. 105. *quid.* 198. *quotuplex.* 94. *Creticum.* 104. *dulce.* 87 *facile intus vitiatur.* 58. *lixivum.* 178. 179. *nobiliſſimum.* 108. 109. 110. 117. *promnium.* 106. *protropum.* 105. *faciendi ratio.* 92. & ſeq. *melli nihil vicinius.* 236. *arcet ebrietatem.* 236. 238.
Pathognomonica *ſigna quæ.* IV. 51. *Hepatici.* IX. 13.
Patientia *ſtoica.* VIII. 14. 15.
Paucum & parvum *quid. differant.* VII. 26.
Paulatinum *tutum.* XIII. 436.
Pauper *qui miſer.* IX. 1.
Pertines *quales olim.* XI. 71.
Peccatoris *emblema.* V. 63.
Pectoris *angustiæ quid ſignent.* XIII. 119.
Pedere *per penem.* VI. 36.
Pedis *ſignificatio quæ.* X. 192.
Peracutorum *vis.* VIII. 30.
Perca *quid Auſonio.* XI. 227. 228.
Perficere *quid.* XI. 139.
Perfrigidum *quid.* VIII. 48.
Perire *qui dicantur.* VI. 53.
Periſtole *quid.* IV. 23.
Pernicioſe *qui habeant.* IV. 73.
Perpalleſcere *quid ſignificet.* IV. 82.
Perſeverare *quid.* XIII. 82.
Pertinacia. XIII. 82. *juvantis quid poſſit.* 386.
Perturbatio *alvi quid.* VII. 66.
Pervigilii *quæ cauſa* VIII. 50.
Petulans *quis.* XIII. 312.
Pharmacum *quid.* XII. 39. XIII. 344. XIII. 316. 320. 325. *quotuplex.* 323. *quis non audeat dare.* XII. 152.
Philoſophia, *ars vitæ.* II. 8.
Philoſophi *gentilizantes qui.* XI. 117.
Phlegmone *quotuplex.* XII. 15. *numquam ſine febre.* IV. 17.
Phrenetici *ut pereant.* XIII. 229. 230.
Phthiſis *cordi inhæret.* IX. 51. *cauſa.* (XIII. 195.
Phycis *quid.* V. 36.
Phyſica *medico neceſſaria.* I. 23. 37. *officium.* X. 3. XI. 48.
Pietas *quid.* II. 17. III. 3.
Pila *oculis confert.* VI. 48.
Pileus *cujus emblema.* III. 29.
Pili *in urina unde* XVI. 20. 21.
Pingue, πῖαρ *dictum.* XVI. 119. *quid.* X. 45. *ſanguinis, ſuccendiculum Spiritus.* XIV. 48. *ciborum uſtum non eſt bilis.* XIII. 283.
Pinguedo *facile inflammat & inflammatur.* XI. 49. *piſcium inſalubris.* ibid.
Piper *Ligusticum.* V. 77.
Piſces, *carnium in cenſu.* X. 71. *qui cartilaginei* XI. 55. 176. *congregales.* 86. 87. *cur latitent.* 158. *ſalubres & inſalubres qui.* V. 80. XI. 1. 46. 62. *natura.* 57. *cupidi natura quidam.* XVI. 168.
Pituita *quid.* IV. 62. *alvi quæ.* 12. *vertitur in flatum.* VI. 49. 51. *ſalſa.* 16. 43. *vitrea.* VII. 9.
Pleiadum *occaſus obſervandus medico.* XI. 186.
Plena ſolutio *quid.* VII. 60.
Plethora *quæ.* IV. 19. *æſtuoſa.* XIV. 82.
Pleuritis *quid.* IV. 51. XII. 15. *quotuplex.* XII. 15. *Viris an feminis familiarior.* XII. 5. 6. *morbus*

acutus.25.58. *anniversaria*. XIII. 341. *gravior quæ*. XII.223. *hypochondriaca*.67.70.71. *notha*.190. *augescentis signum*. 77. *purgationem an admittat*.58.60.70.71.78. 190.
Podagra *nodosa an incurabilis*. V. 31.
Poetarum *stultitia*. IX. 3.
Pollutio *nocturna quæ*. XV. 56. *quis morbus*. 18. *an symptoma*. 82. *quid faciat*. 86. *an peccatum*. 49.
Politici *qui*. XII. 166.
Polypus *astutus*. V. 60. 61. *stolidus*. 63. *magnitudo*.81. *morsus venenatus*. 107. *habet tholum, & cur*.57.
Populi *mores*. XIII.5.
Porcellio *quis*.XI.21.
Porus *quid*. V. 37.
Potentia *quotuplex*. XIII. 339. *causandi morbum*. 343.
Potio dulcis *calide olim cur sumeretur*. X. 158. *frigida post sudorem quid efficiat*. IV. 32.
Potus *quotuplex*. VIII. 34. *suaviorne calidus, an frigidus*. X. 158. *factitius*. 138. *quis damnatis daretur olim*. 144. *matutinus veterum*. 231. *flatuosum qui corrigerent*.154.
Practicorum *supinitas ubi accusanda*. XII. 132. 133. *persuasio de tenui victu*.XI.231. *in purgationibus necessaria attentio*.XII. 132.
Præ, *etiam causale*.V.65.
Præceptores *parentum loco*. III. 24. *fideles quid deceat*.XII 34.
Præceptum, *regula faciendi*. XIV. 54. *quod incommodum*.XV.156.
Præcordia *quid*.IX. 35.
Prædictio *ut instituenda*.. XV. 4.7.8. *apud quos*.II.26. *à prænotione quid differat*.149. *quorum esse debeat*. 150.
Prædictum *fuit*.XV. 151.
Præfatio *quid*. XV. 10.
Prælum *quid*. X. 187.
Præservatio *quid*.XIII.342.
Præsidia *non infamanda*. VIII.61.
Prannium *austerum*. X. 100. 106. *usus*. 107.
Pravum *quid*.XIII.268.
Precibus *Deo ubivis litandum*.II.37. *inprimis in Medicina*. III. 6.
Principia *mala ægre evelluntur*. I. 27. *inhærere quibus damnosum*.V. 2.3. *numerationis*.
Probum *quid deceat*. XII.34. *votum*. X. 265.
Procax *quis*. XIII. 312.
Prodesse *medicorum est*. XIII. 543. 544.
Productor, *lenone pejor*. IX. 22.
Profectus *tempore expletur*.XIII.443.
Proficere *quid in morbo*. XIII. 543. 382. & seq.
Promissio *vitæ hujus*.III.1.
Protropum *quid*. X. 176. & seq.
Properare *ad artem sine quibus inconsultum*.III.5.
Prudentia *medica quid*. IV.1.2.3.4. *qualis*.XIII. 534.
Psythia *uva quæ*.X.100.
Pudicitia *facile expugnabilis*.VIII.24.
Pueri *vino abstinendi*.IX.63. *discunt vitia antequam sciant esse*.I.29.
Pulchritudo, *medico decora*.I.10.
Pulmonem *distrahi quid*.IX.39. *læsi nota quæ*. XV. 73. *dolor, Hepatici signum*.IX.13. *ulceratio unde*.IX.40.
Pulsatio *lienis frequens*.IX.32.
Pulsus *myurus quis*.XI. 65.
Pulvinar *diaboli quod*. XI.125.
Purgatia *quotuplicia* XIII.349.ad 353. *effectus inordinatus*.545. *eradicativa quæ*. XII. 51. *leniora veteres an habuerint*. XII. 57. *irritant spiritum*.184. *mane quomodo sumenda*.

182. *quantum temporis requirant.* 156.
Purgare *an liceat in pleuritide.* XII. 54.73.77.108.119.120.132.143.
Purgatio *acris quæ.* XVI. 35.36. *quæ vulgo laudetur.* XII.131.
Pus *ut fiat.* XIII 333.
Putredo *sanguinis quid.* X.55.
Putridum *sanguinis quid.* XII. 106. *synochi pars an causa.* 97. *qualis res præter naturam.* IV. 106.
Quæstio *quid.* VII.49. *logica quid.* XIII.31.
Qualitates occultæ, *ipsa ignorantia.* VI.116.120. *primæ quatenus rejectæ Hipp.* XIII.277.
Quid agis? IX. 25.
Quid tibi est? IX.28.
Quies *lienosis noxia.* IX. 72 73. *agris quæ necessaria.* XII. 131. *ad somnum.* VII. 42. *pro remedio.* II. 25.
R canina *litera, quibus frequens.* X. 198.
Radices cordis *quæ.* IX.50.
Rana *insidiatur Lucio.* XI.90.
Ratio, *Hippocrati est indicatio.* VII.31. *medendi Hipp. paucis nota.* 31. *utendi exemplo, quo nitatur* XII.36. *quo incommodo sæpe sufflaminet naturam.* XIII. 259. 260. *valere quid.* XII.139.
Re particula, *cujus usus.* XIII. 289.
Recens, *quo pertineat.* XIII. 288. 289.
Religio *quid Platoni.* XI. 117.
Remedia *diætetica quæ.* VII. 32. *dubia circumforaneis relinquenda.* VIII.108. *multitudo noxia.* II.25. *optima interdum non respondent.* III.18. *delectus habendus.* VIII.85. *rectus usus in quo.* 65.69. *indicantur à morbo.* VII. 32. *innotescunt ex materia sua.* XIII.395. *artificialia conveniunt naturalibus.* VII. 62. *eadem tuta.* 59.
Rhabarbarum *quid.* XII.128. *an semper tuto detur.* 57. *urinam an moveat.* XVI. 57.
Renes *an semen faciant.* XVI. 17. *dolor qualis* 18. *quod signum.* IX. 13. 37. *morbus quartus.* IX. 37.
Renisus, *cujus signum.* IV. 55.
Replentis *depletio unde indicetur.* XIII. 398.
Res *aliud essentiæ & effectus respectu.* XIII.37. *familiaris quid requirat.* XV. III. *medicorum cum quibus.* II.13. *movens quomodo causa.* XII. 97. 100. *publica unde ruinam metuat.* III. 14.
Resalutatio *decora.* IX. 24.
Revulsio *postulat rectitudinem* XIII. 429. *in Volvulo quæ conveniat.* VIII. 79.
Ribaldus *quid.* XI.125.
Ridiculum *pars turpitudinis.* IX. 3.
Risus *non procul à derisu.* IX.3.
Ritus *doctorales qui.* III.27. & seq.
Robur, *in quo.* XVI. 214.
Ruber *color quis.* V.57.
Ructus *inanes qui.* IV.71.
Ruris *delitiæ quæ.* XVI.114.
Rutæ *usus.* IX. 57.
Saccharum *cantum quid.* X.16. *usus.* 16.17.
Saccularius *quis.* X.222.
Saccus *quomodo præpararetur olim ad vinum saccandum.* X 224.
Sagacia *medici quæ.* XIV.141. *artificis quo nitatur* XV.162.
Sagitta *spiculis tincta ut vulneret.* IV.50.
Salis *facultates.* VII.14.
Salsum Græcum *Celso quid.* X.63.
Salubre *quid.* X. 117.
Salubritas, *dos vini maxima.* X. 117. *in piscibus nota.* XI.222. 230.
Salutatio *decora.* IX. 23.

Salvatellæ *sectio cui usui.* XIII. 423.
Sanguiculum *quid.* IX. 69.
Sanguineus *quis.* XV. 110. *variis modis dicitur.* XIII. 446. & seq.
Sanguis, *aqua fervens.* XIII. 211. *fervet motu.* XIV. 89. *fervens quis.* X. 240. *unde & quo influat.* IX. 45. 47. *an pars.* XIII. 18. *circulatio nota Hipp* XIII. 232. XVI. 53. *quei cohæreat sibi & spiritui & solidis.* XV. 72. *movet.* XIV. 42. *an rubeat per se.* XIII. 215. *crassus & lentus cur.* XIII. 407. *humidum quod.* XIII. 213. *solidum quid.* 214. ad 218. *confert ad prudentiam.* X. 56. *fervidior it sursum.* XIII. 427. *etiam deorsum.* VII. 18. *an debeat excerni.* XV. 29. *morbus quid.* XVI. 37. *corruptus.* XVI. 38. *gravis spiritui.* XIII. 407. *etiam inopia* XIII. 523. *immobilis.* XIII. 407. *impurus.* X. 56. *mordicans* XVI. 73. *optimus esui quis.* X. 75. *paucus quando.* XIV. 27. *urgens.* X. 240. *piceus.* XIV. 129. 132. *malus.* XIV. 39. *putridus.* XVI. 38. XII 105. *spumans.* XV. 73. *stagnans.* XVI. 73. *tenebrosus.* XIII. 407. *turbidus.* XIV. 134. *turgens.* XVI. 71, *uvarum quid.* X. 188. *uritur ab æstu.* IV. 65. *unde liberius fluat crassus.* XIII. 424. *mictio.* XVI. 29. 30. 31. *sudor.* XIII. 114. ad 120. *quid refrigeret.* VIII. 80. X. 239. *quæ indicet.* XVI. 70. *mittendus,* XII. 175. *quibus.* XIII. 407. XIV. 29. 30. 125. *quantum.* XIII. 520. XIV. 91. 92. 93. *quomodo.* XIII. 426. 465. ad 468. 472. 483. XIV. 92. 96. *unde.* XIII. 428. 429. *vacuatio liberalis quæ.* XIV. 137. *invidiæ mittere sine dolore quid.* XIV. 17.
Sanus *quis.* XIII. 491. *cibum quoties sumere debeat.* XIII. 76. *plus est, bene valere.* IX. 26.
Sanitas *à Deo.* II. 34. III. 10. 30. *summa bonorum mortalium.* XV. 92. *quid.* XV. 140. *studiosi quid curare debeant.* X. 216. *quis ægrum non restituat.* XII. 115.
Sanabile *quid.* VIII. 61.
Sanare *quid.* VII. 61. XVI. 1. *proprium Naturæ.* VII. 61. VIII. 61. XVI. 1.
Sanna *quid.* X. 268. & seq.
Sapa *quid & quomodo fiat.* X. 19. 39. 46. 51. ad 65.
Sapientia *medica quæ.* III. 19. *unde.* II. 4. 10. *vetus quæ.* VIII. 1.
Sapientissimus *quis Hesychio.* XI. 140.
Sapor *vinosus quis.* X. 234.
Saprias *quid.* X. 129.
Sardanapali *epitaphium.* VI. 48.
Sargus *an inter mugiles.* XI. 35 36.
Satanas *potens in filiis tenebrarum.* XV. 50. *possitne impregnare mulierem.* 51.
Satis *quid.* VI. 73.
Saturata *quæ.* XVI. 42.
Saturitatis *effecta.* XV. 47. 48.
Saturus *rubor quis.* IV. 60.
Scapus *quid.* X. 185.
Scarus *quis.* XI. 77.
Scenæ, *scurrilitatis schola.* IX. 68.
Schelvissus *quis.* XI. 83. 88. 89. *unde nomen habeat.* 5. *vada sequitur.* 32.
Scholasticorum *præoptari conatus.* V. 1. *quæ detrimenta dent.* 112.
Sciens *quis.* II. 1.
Scientia, *quid.* XV. 1. *amplius dictat quam conscientia.* III. 3. *donum Dei.* XV. 163. *de Deo unde.* III. 6. *vestibulum quod.* XI. 108. *Medico prodest.* II. 2. 7. *quid præstet.* 14. *jungenda sapientiæ.* 10. *cupidi quid agant.* II. 37.
Scire *omnia nemini concessum.* XVI. 23. *obscœna an sit obscœnum.* XIII. 261.

Scirrhus *causa Ilei.* IV. 42. *hepatici causæ.* IX. 60.
Scopio *quid.* X. 185.
Scopus *præfigendus in studiis.* III. 5.
Scribacium *vulgus quale.* XII. 66.
Scripta *veterum quando non intelligantur.* XI. 73
Scybala *an morbus.* XIII. 343. *quid solvat.* VIII. 96.
Scybelites *quid.* X. 179.
Scythæ *butyrum quod vocent.* XVI. 119.
Secedere *quid.* XIII. 246.
Secessio *sanguinis quæ.* X. 55.
Sectæ *quando ortæ in medicina.* XIII. 393.
Sectatores *cur mentiantur.* XIV. 106.
Seculi *nostri corruptio.* VIII. 1.
Secundis *retentis polypi utiles.* V. 84.
Secundum *quid.* VIII. 39. *rationem facere quid.* VII. 31.
Secundus *ventriculus quid.* VIII. 41.
Securitas *inexcusabilis quæ.* X. 218.
Sedes *quid.* IV. 99. 100.
Semen *quid.* XV. 97. 98. *omne speciem servat.* XVI. 189. *hominis an excrementum.* XV. 98. *excernendi necessitas.* XV. 118. 119. *periculosa effusio nimia.* 100. 102. *damnosa procreationi.* 154. *febrienti.* 101.
Sena *flatulenta.* IV. 13.
Sensim *dare quid.* VII. 26.
Sensus *ubi melior.* X. 241. *ventriculo unde.* XIII. 188.
Sepia, *inter mollusca.* V. 4. 5. *exanguis.* 67. *astutissima.* 59. 60. 61. 63. *latitando se prodit.* 64. *cujus alimenti* 75. 76. 81. 98. *frixæ.* 100. 105. *morsus venenatus.* 107.
Sepium. 43. 44.
Sermone *medici.* XIV. 16. *adulteratio triplex.* XII. 166. 167. 168.
Serum *acre quid efficiat in intestinis.* IV. 11. *lactis usus in volvulo.* VIII. 95. *vetus valet ad inflammationes.* 76.
Servus *morbi, æger.* XIII. 549. & seq.
Sesquipedalia *verba.* XIII. 68.
Severe *qui redarguat.* XI. 112.
Sextarii *differentia.* X. 156.
Sexus *remedii norma.* VI. 58.
Siccatio *an possibilis in intestinis pituita obsitis.* VII. 15.
Siccitas *quando major.* XI. 597.
Sidera *unde dicta.* XI. 171. *cur Syria.* 200. *ignea esse, veterum dogma.* 188.
Signum *quotuplex.* IV. 51. *diagnostica.* XIII. 39. *pathognomonica.* 41. *singularia.* XVI. 26. *morbi desperati.* VIII. 57. *prudenti medico non imponit.* III. 13. *bonum est, in re mala.* VI. 27. *pro nomine Hipp.* XIII. 43.
Siligo *quæ.* XIII. 510. 511. 513.
Silo *quis.* XI. 39.
Similago *quæ.* XIII. 510. 511. 513.
Simissa, &
Simissator, *quis.* X. 52.
Similitudo *in quo.* XI. 82. *imponit bonis.* XII. 71. XIV. 114.
Simulata *medicatio quæ.* XII. 115.
Siræum *quid.* X. 49. 52.
Sirius *quid.* XI. 170. 171. 172.
Sitis *post merum unde.* IV. 62. *ubi non est, cum debeat esse, malignum.* VIII. 15. *perpetua inter Ilei signa.* IV. 61.
Situm *quæ facile trahant.* X. 45.
Slendrianus *ubi secure dormiat.* VI. 71.
Sobrietas *quid.* II. 27. *infortunium quod.* X. 259.
Socrates, *qualis corpore.* XI. 140. *quo fructu disputarit contra Sophistas.* X. 90.
Sol *quid.* X. 171. *motus.* 176. 177. 178. *auctor caloris.* 192.

Sola-

Solaria *quæ Romæ olim.* XVI. 227.
Somniare *quid.* XV. 37. 38.
Somniferum, *quod laudatum.* VIII. 81.
Somnus *unde.* VII. 39. *medicus.* 43. *vires.* XVI. 230. *visceribus confert.* VII. 44.
Sophi *qui.* V. 12.
Sophia *Hipp. quæ.* II. 8.
Sophistæ *qui.* X. 88. 89. *finis.* 89. *magnus hodie numerus.* 90.
Spernere *se sperni, cujus.* X 285.
Spes *quid præstoletur.* XIII. 109. *evadendi è morbo quamdiu affulgeat.* XIV. 137. *medici frustrata.* III. 10. 18
Spirare *qui dicantur.* IX. 26.
Spiritus *quid.* IV. 80. XI. 157. XII. 86. 141. XIII. 19. XV. 97. *pars corporis.* IV. 105. *eget organo.* XV. 140. *amat lucem.* XVI. 209. *causa fervoris in sanguine,* XV. 74. *tranquillando quæ conducant.* VIII. 81. *aucto fit corpus leve, & contra.* XIII. 381. *quid die, quid nocte faciat.* XVI. 134. 231. *irritabilis quando.* XI. 12. *agendis sit idoneus.* XV. 131. *perdatur misso sanguine.* ibid. *an lædatur illæsa mente.* XII. 141. *flatulenti causa.* VI. 49. *turbidus.* VIII. 13. *vitæ aureus Rulandi.* VIII. 98.
Spons *quid.* XV. 136.
Spuma *quid* VII. 14. *argenti, causat Ileum.* IV. 34.
Spumantia *quæ.* XVI. 42.
Sputum *pleuriticis purgatis cur non prodeat.* XII. 78. *cur cito expectorandum.* 127.
Squalidum *quid.* IV. 91. *oculi an splendeant.* 92.
Stacte *quid.* X. 124.
Stadium *quantum.* XI. 32.
Stagnationis *quæ causa.* IV. 23.
Stativum *quid.* V. 91. XIII. 507.
Status *neuter quis & quotuplex.* XIII. 241.
Stercus *quid.* IV. 62. *spumosum.* 56.
Sterilitas *à vino.* X. 63.
Stili *militares.* XI. 75.
Stolidi *qui.* XVI. 7.
Stomachici *qui.* XI. 12.
Storax *liquidus pro stacte.* X. 137.
Stokvis *quis.* XVI. 167.
Stranguria *quid.* VI. 13. *causa.* 10 47. *Ilios a casus.* 6. 7. *quilibet obnoxius.* 58. *præsertim crudus.* 48.
Structura *hominis quæ.* III. 7.
Studium *liberale non rejiciendum.* I. 22. *bonum non sufficit.* III. 32.
Stultorū *magistra quæ.* XII. 119. 182.
Stymmata *quid.* X. 77.
Sturioni *quale os.* XI. 65.
Sub, *quot modis sumatur.* XI. 182.
Sub cane, *quid.* XI. 157. 181. 201.
Subcava *oculorum quæ.* IX. 30.
Sublimitas *heroica quæ.* 14. 35. 36.
Subpurgare *quid.* XII. 69.
Subruber *color quis.* V. 57.
Substantiæ *modus variat virtutem.* X. 19. 20.
Subsidere *quæ dicantur in urinis.* XVI. 247.
Succus *quid.* XIII. 282. *malignitas an causa delirii.* XII. 35.
Suctio *quæ vulgo.* XIII. 93. *cur ad ventriculum.* 97. 99. *sedes quæ.* 131. *ventris.* 87. 89. 90.
Sugebat *quid.* XIII. 93.
Superstitio *quid.* II. 33. 34.
Supervenire *quid.* VI. 23. 24. 25. *semper malum.* 26. 27. *sub qua distinctione tamen.* 28. 29.
Surditas *quotuplex.* IV. 79.
Suspiria *decent ægrum.* VIII. 16.
Sycophantarum *mos.* XIII. 149.
Symptoma *quid.* VI. 62. IX. 12. *sæpe morbus.* IV. 18. XIII. 20. *morbi vicem*

cem quod. VIII. 68. *quo præsente existat.* XII.114. *effectum, signum, & nomen.* XIII. 40.42. 43. ἐπιγινόμενον. IV.73. συνεδρεῦον. ibid. *urgens.* XVI. 69. *non indicat.* IV.19. VIII.68. *quatenus tamen.* ibid.
Synochi, *quæ materia & forma.* XI. 102.
Syncope *quæ.* XIII. 471.486.
Tabaci *effectum quod.* IX.59.
Tabes *quid.* XIII. 370. *cordis.* IX. 51. 52. *dorsalis.* XIII. 13. *quos male habeat.* XII. 19. *causa non profectus.* XIII. 371.
Talentum *Atticum.* V. 81.
Tartarum *est, quod in vino alvum movet.* V. 78.
Tauro *fesso quid proprium.* X. 281.
Temeritas, *quorum in facienda medicina.* XII. 1.
Temetum *quid.* X. 119.
Tempestivum *quid.* V. 91.
Tempestive *epulari quid.* X. 255.
Tempus *quid.* XI. 196. XIII. 171. *requiritur ad eruditionem.* I. 37. *ratio unde æstimanda.* XI. 196. *ut interveniat functionibus.* XIII. 178. *quantum debeatur coquendis cibis.* 154. *lucrandum in acutis.* 387. *inter Hippocratem & Plautũ.* IX.11.
Tenere & detinere *quid.* XIII.23.
Teneri *à morbo.* XIII. 29.
Tenuiores *qui.* XIV. 35.
Terrea *non vertuntur in bonum succum.* V. 117.
Terricla *quid,* XI. 75.
Thamna *quid.* X. 200.
Theologi *philosophantes.* XI. 117.
Therapeia *quotuplex.* XII. 93. ad 95. *palliativa.* 116. 117.
Thermopolium *quid.* X. 158.
Thyum *quid.* X. 151.
Tiberianum *tormentum.* IV. 12.
Timiditas *quid arguat.* XI. 1. XIII. 533. (XI. 92.
Tinca *cum Lucio cur vivat impune.*
Tincha *an Merula.* XI. 216.
Toga, *quod emblema.* III. 28.
Tophi, *è qua materia.* V. 31.
Torcular *quale.* X. 187.
Tormentum *acutum.* IV. *Tiberianum.* 12.
Tormina, *colicis affinia quæ.* IV. 13.
Torminosus *dolor quis.* VIII. 43. 44.
Trancolare. X. 220.
Tremor *oculorum quis.* IV. 23.
Tryx *quid.* X. 200.
Turgere *quid.* VII. 48.
Turpe, *nisi in libris, nõ sapere.* III. 31.
Turpiloquiũ, *vaniloquio pejus.* II. 29.
Turva *quid.* V. 122.
Typhus *quando invadat.* XI. 186.
Tyrannorum *quid.* II. 28.
Valere *quid.* IX. 26. *quis dicatur.* XIII. 491. XV. 108.
Valetudo bona *pars felicitatis.* II. 5. *secunda respuit adversæ præsidia.* X. 152.
Validi *aliud, aliud felices experiuntur.* IX. 26.
Vappa *quid.* XIV. 43. (XIV. 84.
Vasa *prius, an carnes impleantur.*
Vehementię *quæ causa in inflammatione.* IV. 23.
Venenum *quid.* XIII. 316. ad 321. *causa Ilei.* IV. 34. (III. 1.
Venerari *Deum quid urgeat medicos.*
Vena *quæ vice arteriæ.* XIII. 424. *plenitudo apparens unde* XIV. 11.
Venæsectio *nihil habet periculi.* XII. 58. *ubi tuto fiat.* XIV. 35. *revulsoria quæ.* XIII. 398. *ubi in brachio fiat, nil refert.* XIII. 413. 415. 418.
Venter *quid.* XIII. 96. *pro ventriculo.* IV. 22. *turbatio.* XVI. 41. *operarii qui.* XI. 129. *in dorso qui gerant.* 103.

Ventriculus *os cur καρδία.* XIII. 132. *fervor coctionem nocet.* 167. & seq.
Venucula *quid.* X. 99.
Venus *cur concessa hominibus.* XV. 87. *insomnia unde.* 43 *queis prosint.* 130
Verba, *rebus faciliora.* VIII. 1. *nummi intellectus.* XIII. 28 XII. 165. *parsimonia quousq; Medico licita.* II. 28.
Verecundia *medico necessaria.* II. 21.
Vere videre *quid sit.* II. 8.
Vergere, *quid.* XIII. 402.
Vermina *quid.* VIII. 43.
Verminosus *dolor.* VIII. 44.
Vesicæ *calculus an morbus.* XII. 105. XIII. 343. *distētu Ileus an fiat.* VI. 32
Vespera *quando.* XVI. 219. 220.
Vestibulū *scientiarum quod.* XI. 108.
Vestitus *Medici.* II. 27.
Vexare *quid.* XV. 79.
Vexari *quis dicatur.* XIII. 127. (19.
Via *ad sanitatem brevissima quæ.* III.
Victus *quid.* XIII. 206. *siccior.* X. 148.
Vigere *quid.* XII. 84. XV. 114. *morbo, quid faciendum.* XII. 92. *abstinendum à purgantibus.* 80. 118. 119.
Vigor *quid* XII. 85. *à Natura & morbo.*
Vinacea *quid.* X. 186. 192. (ibid.
Vinum *quotuplex.* X. 4. 5. XVI. 201. *acidum.* X. 6. *aminæum.* 82. *annosum.* X. 113. *austerum.* XVI. 216. X. 7. *dulce.* X. 8. 9. *dulcescens.* 13. *durum.* 106. *è circumcisis vinaceis.* 194. *edentulum.* 63. *falernum.* X. 221. *fecatum.* 199. *Franciculū.* XVI. 217. *Græcum.* X. 191. *Græco simile.* 193. *hornū.* VII. 2. 33. *immixtum.* 24. *molle.* XVI. 216. *novum.* X. 13. *præleganeum.* 189. *pressum.* 181. *saccatum.* 222. 224. *salsum.* 191. *sincerum.* VII. 24. *suave.* X. 109. *surrentinum.* 102. *trœzenium.* 63. *vehemens.* III. *vinosum.* VII. 24. *sanguis uvarum.* XVI. 211. *præ-*
gativa. X. 35. 58. *vis unde æstimanda.* III. *appellatione quæ contineantur.* 198. *luctator dolosus.* 241. *varie olim condiebatur.* V. 77. *gravat caput.* X. 240. *inprimis saccatum.* 225. *alienum odorem cito ad se ducit.* 184. *sapidum ut fiat.* 15. *duratio vigorem arguit.* 113. *firmitas in quo.* 110. *temperare quis docuerit.* 112. *transcolatio.* 220. ad 224. *decoctio olim frequens.* 30. *amaritudo quid.* 116. *dulce exhalat.* 233. *cum unguento bibitum.* 169. *alit.* VII. 22. 23. *reficit vires.* ib. *num quod refrigeret.* X. 6. *quod humectet* VII. 33. 40. 41. X. 6. *horni facultates.* VII. 33. *meracius magis calefacit.* VII. 25. *præfrigidum obtundit calorem nativum.* 28. *vetus alvum ducit.* V. 78.
Vinosi *crepusculum impatienter olim exspectabant.* XVI. 224.
Vir, *quod nomen.* III. 28. XIII. 9. *quo præstet.* XII. 6. *agitatus à vino qualis.* X. 250.
Vires *quotuplices.* XIV. 40. 41. *unde pendeant.* XIII. 491. XIV. 42. *debilitas summa ubi.* VIII. 57. *validissimas quæ faciant.* XIV. 43.
Virgo *quæ.* VIII. 28.
Virtus, *ubi liqueat.* VIII. 1. *ei quod pretium hodie.* XI. 42.
Vis *est modus movendi.* XIV. 37. *à Spiritu.* 38. 39. *venenata, ignea.* V. 117.
Unguentorū *catalogū quis det.* X. 170.
Vomitus *stercoris quis.* IV. 70.
Utilia *cur multi non capiant.* XIII. 91.
Vulgus *ægrotare quos non putet.* XIII. 22. *cui sanitatem referat acceptum* XIV. 95. XVI. 5. *an medicum deprehendere possit peccantem.* XII. 148. *proprietates.* XIII. 5.
Uvæ *apianæ.* X. 97. 99.

INDEX
paroramatum.

Sel. I. in textu l. 5. *Doctrinam, Inst.*
§ 9. l. 3. -re illud sibi.
III. in textu l. 2. *in animo ipsi.*
IV. § 41. l. 6. VI. ad Stranguriam iliosam.
§ 82. l. 5. *-sus fuit.*
§ ult. l. ult. octavum.
V. § 12. l. 9. *vitæ.* confer Sextum Empiricum Pyrrhon. III. 24.
§ 90. l. 7. Tale vero quod est, minime gravat ventriculum.
§ 105. l. 10. *dele*, iis.
VII. § 35. l. 2. *-bus bene: per-*
VIII. § 26. l. 22. Ignatius (ut appellat Casp. Barthius Advers. XXVI. 4.) in
§ 25. l. 4. Pastor. & Des. Heraldi Animadv. ad Arnob. l. v. p. 172.
§ 31. l. 8. τὰ εἰλ.
IX. § 22. l. 5. 34. compara ad Plautum Pseud. act. 1. sc. III. 125.
§ 40. l. 27. *ardens felle siccato.*
§ 60. l. 9. nobis vin.
§ 69. l. 15. *sanies.* Artemidorus Oneirocrit. 1. 68: ἔστι γὰρ οὐδὲν ἄλλο ὁ γάρος, ἢ σηπεδών· *Etenim nihil aliud est garum, quam sanies.*
X. § 9. l. ult. *ajunt.* Forte objecerit quis è Plinii XIV. 2: *etiam è nigris vina vetustate in album colorem transeunt.* iterumque è cap. sequenti: *Prusinia, nigro acino, intra quadriennium albescente vino.* Sed vel puer viderit, non ista nos tangere. Neque enim dubium, an vina, posito per ætatem quo colorabantur, albescere possint. Hæc credimus expertis. Sed vitem quis vidit, vinum dare nigrum solitam, dedisse postea album?
§ 20. l. ult. fiant? ceu docet Hippocrates 1. de Diæt. t. XVIII. 204.
§ 64. l. ult. *-orem*: X. Epigr. XLVII. 1. 8.
§ 89. l. 15. -stui placendo serv.
§ 129. l. 14. *ipsum.* Casauboni heic videsis Animadv. & disce, οἶνον σαπρίαν vulgo Græcis appellatum τὸν πρὸς τῷ τέλει, ut exponunt Grammatici; sive id vinum, quod inibi est, ut desinat & destituat Oeconomum.
§ 151. l. 14. M. Aur.
§ 235. l. ult. *-ce* fuerit, neque
§ 250. l. 7. 3: nisi mavis Callimachus; in cujus Epigr. n. v. totitem extat verbis.
§ 280. l. 14. de Hloth.
§ 50. l. 9. -go non eff.
XI. § 114. l. 2. Epimenidis
XII. § 110. l. 6. *Natum tot annos*
§ 169. l. ult. Nonius 1. 62.
§ 171. l. 1. -mine sic sive reddidit, sive imitatus est Hor.
§ 176. l. 6. utebatur
XIII. § 138. l. 4. *-tum*: Nauseam videlicet, aut defectionem. Cæt-
§ 161. l. 11. deteritur
§ 361. l. 12. *edunt & oves bene pingues,*
XV. § 1. l. 13. -vis boni est:

Et has minutias notare quid vetat?
Opus est, in imperitiorum gratiam.

Sel. I. § 34. l. 4. supell.
III. § 7. l. 19. gerendis
IV. § 12. l. 25. morbus
§ 16. l. 7. Quod
§ 18. l. 2. *solutionum*
§ 20. l. 15. *ægri*
§ 52. l. 4. audivimus
§ 10. l. 7. στρογγυλοειδῆ
l. 13. σκευῶν
§ 27. l. 19. *sedimentum*
§ 32. l. 18. αὐτῶν
§ 63. l. 23. crassæ
§ 79. l. 14. *-rhoidas*
§ 86. l. 7. *dele* quam
§ 98. l. 8. *Septâ suffocatâ*
VI. § 48. l. 22. ἀφροδισιάζειν
VII. § 4. l. 16. secum
§ 0. l. 11. dele *à*
§ 49. l. 6. *Vnus,*
§ 52. l. 9. μηρωτέραν
l. 16. *persanavit*
VIII. § 5. l. 8. *suffarta*
§ 24. l. 20. *dele* con-
IX. § 22. l. 6. *Leno*

§ 43. l. 11. *prehendit*
§ 61. l. 5. Herveti
§ 70. l. 3. *ſanguinis*
X. § 3. l. 12. ſcrutari
§ 88. l. 2. Themiſtioclis
§ 94. l. 1. fuiſſe
§ 117. l. 3. collapſam
§ 133. l. idem
§ 158. l. 3. inquit,
l. 11. Cal.
§ 161. l. 11. 124. notabamus)
§ 167. l. 9. ὑπερφαγκ.
§ 181. l. 4. Heſychio
§ 187. l. 1. prelum
l. 2. trabem
§ 191. l. 12. dere.
§ 256. l. 9. *vacuum*
§ 286. l. 10. *laſi*
XI. § 14. l. 7. *Galli*
§ 28. l. 5. Piſcib.
§ 49. l. 9. πελειων
§ 71. l. 6. ἐμφαλιων
§ 77. l. 5. *Myſticeto*
§ 86. l. 2. συναγελ
§ 92. l. 14. ix.
§ 117. l. 2. σίβδ
§ 130. l. 5. συγκαῖ
§ 209. l. 3. Æſtate
XII. § 27. l. 3. utplurimum
§ 88. l. 8. κινεῖν.
§ 116. l. 2. *dele &*
§ 126. l. 5. ἀνδρείσκ
XIII. § 1. l. 5. gladius
§ 35. l. 7. jamante
§ 44. l. 1. ibi *ſig-*
§ 55. l. 5. nomine
§ 60. l. 5. δίαιρ
§ 93. l. ult. lib. 11.
§ 107. l. 2. hos
§ 126. l. 1. Æt
§ 140. l. 5. ὅτε
§ 152. l. 9. Animæ
§ 157. l. 4. Pet. v.
l. ult. iv. 8.
§ 226. l. 4. τὸ
§ 275. l. 3. textu
§ 308. l. 9. textum
§ 375. l. 4. *adverſiſſ*
§ 390. l. 4. λήψ.
l. 10. μιῶ.
§ 403. l. 5. deſtituta
§ 459. l. 13. *ſit.*
§ 461. l. 1. Secundum
§ 474. l. 7. eamdem
§ 482. l. 4. propter
§ 491. l. 2. ἐρρῶσ
§ 547. l. 10. ignis
§ 557. l. 6. Ὑχ-
XIV. § 32. l. 9. *habent*
§ 54. l. 6. incerta
§ 99. l. 2. curationum
§ 116. l. 16. *qui*
§ 124. l. 8. φλέβες
§ 127. l. 6. ἰσχεῖαν τε
XV. § 32. l. 4. quod
§ 53. l. 4. præveniit
§ 155. l. 9. ſanitati
XVI. § 5. l. 4. tur, q.
§ 6. l. 4. quem
§ 116. l. 10. dubitabit
§ 156. l. 5. Latine
§ 167. 14. *in qua*

Reliquum probo, præter quod haut quidquam probo.

VALE.